UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS. Canonum Ordinarii Professoris

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS. Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

urn:nbn:de:hbz:466:1-62587

Visual Library

N III
24
Th. 4794

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JURIS CANONICI

A R. P.

PAVLO LAYMANNO

SOCIETATIS JESU

THEOLOGO

SS. CANONUM

IN ALMA, CATHOLICA, ET EPISCOPALI UNIVERSITATE DILINGANA PROFESSORE QVONDAM ORDINARIO,

Prælectionibus Academicis Illustrati

TOMUS SECUNDUS.

Collegii Soc.ti JESU Paderborna 1673.

Cum Gratia & Privilegio



Sacræ Cæsareæ Maiestatis.

DILINGÆ.

Permissu Superiorum.

Formis Academicis. *Per Ioannem Federle. Anno M. DC. LXXIII.*

Prostat apud Joan. Casparum Bencard Bibliopolam Acad.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMO IN CHRISTO

PATRI AC DOMINO DOMINO

DOMINICO

Ex Immediatis S. R. I. Statibus

MONASTERII WEINGARTENSIS

ORDINIS S. BENEDICTI

ABBATI

DIGNISSIMO

VIGILANTISSIMO

SAPIENTISSIMO

EJUSDEM CUM HOC AUCTORE SANGUINIS ET NOMINIS

PATRI COLENDISSIMO

DOMINO GRATIOSO;

ADMOD. REVER. QUOQUE ET VENERABILI PATRI

P. PRIORI,

CUM RELIQUO TOTO

CONVENTU SUO

RELIGIOSISSIMO, DEVOTISSIMO, DOCTISSIMO

Annos, menses, ac dies diu felices

IN TERRIS

Et æviternum Societatis civium supernorum consortium

IN CÆLIS

Optat, & præsentem tomum

O. D. D. C. Q.

Collegium Societatis IESV Dilingæ

INEVNTE ANNO CHRISTI M. DC. LXXIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

VAlde multorum, & noſtro quoque, deſiderio tardiùs è prælo typographico prorepunt promiſſa pridem opera doctiſſimorum Commentariorum Juris Canonici à R. P. Paulo Laymanno p. m. Societatis IESV Theologo, primóque SS. Canonum in Univerſitate Dilingana Profeſſore, locupletis & gratiſſimi loco teſtamenti, poſteris nobis relicta. Executioni deſideratæ moram injecit mutabilis viciſſitudo rerum, perſonarum, ac temporum ad editiones hujuſmodi non procraſtinandas requiſito-

sitorum. Quia tamen vel maximè I.V. peritis inserviens, longéque exoptatissimus est venerabilis huius Auctoris tomus in secundum librum Decretalium Gregorii Papæ IX. cum titulis, & capitulis in 6. En & ipsum, abruptâ, quà per præmemoratos obices licuit, longiore morâ, præsentem. Eo tantisper utere, & fruere, donec, Deo dante, successerint faventiora tempora, & media, ad subsecuturos ei similes plures. Vale. Dilingæ, mense primo post annum Christi 1672.

LIBRI

LIBRI SECVNDI DECRETALIVM GREGORII IX. PAPAE.

TITVLVS I.

DE IVDICIIS.

CVm in superiore libro dictum sit de ecclesiasticis Prælatis, ac Iudicibus, eorúmque officio & potestate, item de quibusdam tũ præparatorijs iudiciorum, tum similitudinem eorum habentibus; sequitur, vt de ipsis iudicijs agatur. Videri potest Beroius super Rubricâ huius Tituli.

Nomen Iudicij varijs accípitur modis apud Glossam reg. 12. in 6. sed duæ potissimùm acceptiones huc spectant: prima pro iudicis sententiâ definientis inter partes, quod iustum est; altera pro toto processu seu discussione causæ, quæ à iudice secundùm iuris prescriptum fit, ad id, quod iustum est, eliciendum ac decernendum.

Inter has acceptiones, tametsi prior magis propria & primæua sit, constat enim iudicium à iure dicendo seu pronuntiando dictum esse, tamen posterior magis vsitata est, eò quòd frequens sit, vt à fine (quæ in proposito est iudicis sententia) reliquus processus appellationem consequatur. De varijs diuisionibus iudiciorum legi potest liber 3. Theol. Moral. tr. 6. c. 1.

CAPITVLVM I.

De Quoduultdeo.

PARAPHRASIS.

Quoduultdeus Centurienſis Episcopus ad instantiam aduersarij introductus est in Concilium Africanum, & interrogatus, num contendere velit cum aduersario, spopondit; sed alterâ die recusauit, & discessit; quærebatur, quid eo agendum esset, responsum fuit & decretum, vt nullus ei communicet, donec præmissâ satisfactione absolutus fuerit, at verò Episcopatum ei adimi non posse, antequam causa finita sit.

SVMMARIVM.

1. *Concilium prouinciale contra Episcopum prouincialem procedere potest, exceptis*

causis criminalibus grauioribus, quæ priuationem vel depositionem merentur, hæ enim Papæ reseruantur.

2. *Promittens in iudicio se litigaturum cum Aduersario, ita obligatur, vt nec exceptionem fori declinatoriam opponere, nec iudicem recusare possit, nisi noua causa recusandi superueniat, vel probabiliter causa ignorabatur.*

3. *Propter contumaciam in non comparendo potest iudex ecclesiasticus citatum excommunicare.*

1 NOTANDVM I. Concilium prouinciale contra Episcopum prouinciale iudicialiter procedere potest, id verò restrictum est à Trid. sess. 24. c. 5. de reform. quòd causę criminales graviores, quæ priuationem vel depositionem merentur, Pontificis Summi cognitioni reseruentur, minores autem causæ criminales in Concilio prouinciali cognoscantur & terminentur, vel à deputatis per Concilium: ex quo infertur, quòd hodierno iure Episcopus in causa criminali, quæ priuationem meretur, citatus à iudice quocunque, præter Papam, comparere ac respondere non teneatur, nisi exhibitâ ipsi commissione speciali, sicut docet Flaminius de reseruatione beneficiorum lib. 1. q. 10. n. 40. Barbosa de potestate Episcopi, allegat. 121. Vide, quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 7.

2 NOTANDVM II. Qui in iudicio, siue iudice sedente pro tribunali, promittit se cum aduersario litigaturum, is obligatur, vt postea exceptionem fori declinatoriâ opponere, vel iudicem recusare non possit, sicut docent hîc Abb. n. 5. Alexander de Nævo n. 12. vbi id limitant, nisi noua causa iudicem recusandi superueniat, quæ antè non erat, vel probabiliter ignorabatur. Ratio traditæ doctrinæ est, quia vt Alexander super Rubrica huius Tituli n. 5. Abb. in c. at si clerici n. 6. h. t. & alij obseruant, vt confessio vel aliud quidpiam censeatur factum in iudicio, satis est, quòd iudex in loco iudicij iuris dicendi causa sedeat, licèt lis contestata non sit argum. l. 4. ff. de interrogatorijs actionibus.

Corollarium. Consultum est, vt iudex ad locum iudicij citatum reum præsente aduersario interroget, num iuridicè contendere velit, an verò fateatur v. g. debitum; si enim fateatur, habebitur pro confesso in iudicio, vt lite opus non sit; sin autem spondeat se litem ingressurum, tum obligabitur, vt dixi, & videri potest Abb. in Tract. de processu Iudic. vbi de libellis.

NOTANDVM III. Propter contumaciam 3
in non comparendo potest Iudex ecclesiasticus citatum excommunicare. Vide quæ dicentur in c. veritatis 8. de dolo.

CAPITVLVM II.

Decernimus.

PARAPHRASIS.

Laici ecclesiastica negotia tractare non debent, ipsique Episcopi, Archiepiscopi, Abbates & alij Prælati de negotijs ecclesiasticis, maximè si spiritualia sint, secundùm laicorum iudicium non disponant, neque propter eorundem prohibitionem seu oppositionem iustitiam ecclesiasticam exercere intermittant.

SVMMARIVM.

1. *Causæ ecclesiasticæ sunt, quæcunque ad ecclesias, vel personas ecclesiasticas spectant; suntq; aliæ temporales, aliæ ciuiles, aliæ criminales, & aliæ propriè spirituales.*

2. *Causæ & negotia Ecclesiarum, seu ecclesiasticarum personarum mere temporalia, modò nullam eminentiam aut gubernationem super ipsos clericos conferant, committi possunt laicis.*

3. *Causas iudiciarias ciuiles, quæ inter, vel contra clericos aut ecclesias à laicis mouentur, non potest cognoscere laicus, vt iudex ordinarius, aut quasi ordinarius; potest tamen ex commissione seu delegatione Prælati ecclesiastici.*

Vniuersitas causarum ciuilium inter clericos seu ecclesias decidendarum laico delegari non potest.

4. Can-

4. *Causæ criminales clericorum laicis iudicibus committi non possunt; ex plenitudine tamen potestatis papalis talis potestas eis delegari potest.*
5. *Causæ etiam spirituales neque ex delegatione Prælatorum Ecclesiasticorum, sed solùm ex plenitudine potestatis Papæ in laicos iudices cadunt.*
6. *Potest laicus esse iudicis ecclesiastici Consiliarius, & assessor, eiq; tanquam nudo ministro committi facultas eligendi Prælatum, electum confirmandi, & professionem Monachi acceptandi.*
7. *Potest laicus in causis ecclesiasticis esse Notarius.*

1 NEgotia & causæ ecclesiasticæ dicuntur, quæcunque ad Ecclesias vel personas ecclesiasticas spectant, & earum alię sunt merè temporales, aliæ ciuiles, aliæ criminales, & aliæ propriè spirituales. De quibus singulis aliquid dicendum, num laico committi possint.

2 Dico primò. Causæ vel negotia Ecclesiarum seu ecclesiasticarum personarũ, quę merè temporalia sunt, & nullã super ipsos clericos eminentiam aut gubernationem conferunt, laicis committi possunt. Ita Decius hîc n. 110. Syluester v. laicus q. 1. Tuscus concl. 4. n. 115. quamobrem Episcopus, aut vacante sede Capitulum, laicum constituere potest Oeconomum, tradendo illi curam, & administrationem prouẽtuum temporalium: potest item laicus præfici ecclesiæ fabricæ, vt obuentiones annuas recipiat & expendat, cum obligatione reddendi rationes Prælato ecclesiastico. Ceterùm si collator prouentuum v. g. capitularium non vt merus executor seu minister constitui soleat, sed cum aliquâ præeminentiâ & potestate super ipsos clericos, tum laico id officium committi non potest, teste Abbate hic num. 12. Doctore Marth. de iurisdictione part. 4. casu 158. num. 6.

3 Dico secundò. Causas iudiciarias ciuiles, quæ inter clericos, aut contra clericos, vel Ecclesias à laicis mouentur, non potest laicus cognoscere tanquam iudex ordinarius aut quasi ordinarius; potest tamen ex cõmissione seu delegatione Prælati ecclesiastici, ita Glossa hîc, verb. non præsumant. Abbas n. 5. Felinus n. 1. Ratio est, nam iudex ordinarius præeminentiam habet super eos, de quibus iudicat, seu quos condemnat, ergo officium Iudicis ordinarij in causis inter clericos, aut contra clericos, vel ecclesias non cadit in laicum; quippe cùm laici subesse potiùs, & non dominari, aut præesse super clerum debeant, c. duo sunt, distinct. 96. & dixi lib. 4. tract. 9. c. 6. At verò iudex delegatus quasi nil vt proprium habet, cùm iure & auctoritate delegantis vtatur. l. 1. ff. de officio eius, &c. Veruntamen vniuersitas causarum ciuilium inter clericos seu Ecclesias decidendarum laico delegari non potest, vti hîc docet Felinus n. 1. & fatetur esse communem sententiam Decius n. 5. quamuis ipse contradicat. Probatur ex eo, quia iurisdictio demandata ad vniuersitatem causarum ordinariæ æquiparatur, seu quasi ordinaria est, vt dixi sæpius tit. de officio delegati.

Corollarium. Laicus non potest esse substitutus seu subrogatus Vicarij generalis Episcopi, etiam ad vnam causam ciuilem decidendam inter clericos, vel contra clericum. ita sumitur ex doctrinâ Baldi in l. parabolam 18. C. de Episcopis & Clericis, vbi ait; quòd substitutus seu subrogatus eiusdem iuris & conditionis esse debeat, cuius ille est, cui subrogatur, cùm itaque laicus non possit esse Vicarius c. in nona, 22. causa 16. q. vlt. consequens est, quòd neque in eo officio seu iurisdictione, quippe Ecclesiastico, substitui possit: & quod dicitur de laico, idem sentiendum de clerico coniugato, quandoquidem in talibus clerici coniugati laicis æquiparantur, sicuti dixi lib. 5. tr. 5.

4 Dico tertiò. Causæ criminales clericorum laicis iudicibus committi non possunt, ita Abbas n. 13. Alexander n. 23. Ratio est, quia sacri canones non permittunt personas ecclesiasticas à laicis iudicari, cùm id in opprobrium & contemptum ordinis clericalis cedat, vti docui lib. 4. tract. 9. c. 4. Sed potéstne per plenitudinem potestatis papalis laico committi potestas ista? Resp. ex communi

muni apud Clarum in qq.pract.q.1.n.6.posse causas criminales clericorum laico v. g. principi à Papâ delegari, vt de iure & auctoritate Sedis Apostolicæ cognoscat ac iudicet iuxta Gl. ver. præter, dist. 96. non autem posse laicis principibus iurisdictionem ordinariam, seu vt proprio iure ipsis competentem conferri, quia id repugnat cleri institutioni, secundùm quam ordo hierarchiæ ecclesiasticę postulat, vt ecclesiarum Prælati, sed Ordinarij ecclesiasticarum personarum iudices clerici sint, non laici, vti dixi citato tract.9.cap.8.

6 DICO 4. Causæ spirituales non possunt laico committi, tales sunt v. g. causæ beneficiariæ, de iure decimarum, iure patronatus. Debet autem hæc assertio intelligi, sicut præcedentes, quòd tales causæ nec ex delegatione Prælatorum Ecclesiasticorum in laicos cadant, exceptâ plenitudine potestatis papalis, vt dixi lib.1.tr.5.p.1. c.3. n.2.

6 Veruntamen laicus potest esse iudicis Ecclesiastici v. g. Episcopi consiliarius & assessor, vti hic docet Innocent. & Sanchez lib.7. de matrimonio disp. 46. n. 14. Monet autem Abbas hîc n.13. post Glossam finalem in l. 1. ff. de officio assessorum, quòd officium assessoris absque iurisdictione sit iuxta Authent. vt defuncti, §. illud, vbi Glossa ait, quòd nec reũ torquere possit assessor, sed debeat ipsemet Iudex adesse in cognitione causæ, cùm assessor per se eam audire nequeat: denique sententia irrita erit, si ab assessore feratur, nisi nudum ministerium legendi exhibeat, quomodo Prælati in dignitatis apice constituti solent mandare, v.g. Cancellario suo laico, vt sententiam priuationis contra clericum ex scripto legat, sic etiam Prælatus tanquam executoribus suis mandare potest laicis, vt clericum capiant, torqueant, &c.

Simili ratione dici potest, quòd laico tanquam nudo ministro, si aliud nil obstet, committi possit facultas eligendi Prælatum, aut electum confirmandi, sicut & Monachi professionem acceptandi, vti ex Ioanne Lignano Decius hîc tradit n.16. sed ipsum ius eligendi, confirmandi, monachum recipiendi non potest committi laico, exceptâ plenitudine potestatis papalis, vti ex communi hic tradit Alexander n. 18.

Eâdem denique ratione docet Decius hîc num.18. ex communi, quòd laicus possit esse Notarius etiam in causis ecclesiasticis, nam Notarius nudum ministerium præstat, quod laicis non est prohibitum. 7

His ita traditis, ex capitulo hoc duo eliciuntur. Primò laici ad tractandas causas seu negotia ecclesiastica se immiscere nõ debent, idque vniuersim verum est, quòd suopte iure & auctoritate ecclesiastica tractare non debeant. Alterum Prælati ecclesiastici in tractandis & definiendis negotijs ecclesiasticis liberè procedere debent, non permittentes sibi modum à laicis præscribi, aut se ab eisdem impediri; nam tribunal seu iurisdictio ecclesiastica diuersa est, & quidem sublimior, ac nullo modo seculari subordinata.

CAPITVLVM III.

Quanto.

PARAPHRASIS.

Causa iuris patronatus connexa est causis spiritualibus, & ideo ad ecclesiasticum tantùm Iudicem spectat.

SVMMARIVM.

Ius patronatus secundùm se spirituale est, cuius causa per se pertinet propriè ad tribunal ecclesiasticum; per accidens & accessoriè solùm ad seculare.

EX hoc textu infert Abbas n.4. Felin.n.1. quòd ius patronatus secundùm se & intrinsecè non sit aliquid spirituale, sed extrinsecè, quia ordinatur ad spiritualem beneficij collationem tanquam præambulum: quamobrem dicitur annexum spirituali antecedẽter, c. de iure 16. de iure patronat. Confirmatur ex eo, quia laici spiritualia possidere non possunt, sed ius patronatus cadit in laicum, & transmittitur ad hæredes.

Contrarium verò, quòd ius patronatus secundùm se spirituale sit, docet Alexander in Rus

in rubrica huius tituli, n. 26. & alij, quos secutus sum lib. 4. tr. 10. c. vlt. n. 60. ea ratione, quòd nihil obstet, aliquid in se spirituale ordinari ad aliud spirituale dignius. Ad confirmationem dicitur, laicos spiritualia iura possidere posse ex gratia & concessione Ecclesiæ, vti dixi in qq. de elect. q. 21.

Ex capitulo isto est vnicum notandum, quòd causa iuris patronatus ecclesiastica sit, ideóque ad tribunal ecclesiasticum propriè pertinet. Ratio dari potest, quia causa iuris patronat9 ex materia seu obiecto spiritualis est, vt dixi: sed quia de hoc dubitari poterat, ideo maluit hic Papa dicere, quod magis certum, & iuribus expressum est, videl. causam iuris patronatus esse connexam spiritualibus, & propterea ad tribunal Ecclesiæ pertinere, ideo quòd de connexis seu accessorijs idem debeat esse iudicium, seu dispositio secundùm Gl. hîc ver. connexa. Potest & alia dari ratio, quia sicut de feudo cognoscere ac iudicare ad feudi dominum spectat, à quo prouenit tanquam gratia & beneficium, & quidem tali lege, vt in certis casibus reuocabile sit, seu ad dominum reuerti debeat, ita similiter ius patronatus gratia est ab Ecclesia concessa, & quidem ita, vt in certis casibus videl. propter negligentiam patroni Ecclesiastici defectum suppleat, ergo eâdem ratione de iure patronatus iudicare ad Ecclesiam spectat. Breuiter itaq; dico, quòd ius patronatus nõ sit ita ab Ecclesia laicis concessum seu alienatum, quò minùs adhuc eius dispositioni subiaceat.

Porrò licèt iudex secularis de iure patronatus iudicare non possit per se, potest tamen accessoriè, sicut ius patronatus licèt secundùm se vendi nequeat, transit tamen accessoriè cum vendito dominio, cui adhæret, c. ex literis, de iure patronat. consequenter si iudex secularis pro valore venditionis sententiam proferat, condemnabit possessorem ad tradendum dominium v. g. castrum cum omnibus annexis iuribus & patronat. Deinde si Imperator v. g. ob crimen perduellionis pœnam confiscationis decernat vnà cum bonis, etiam annexum ius patronatus transibit, vti Gl. docet in c. 31. causa, 16. q. 7. Decius hîc n. 6. contra Felinum n. 3.

Simili ratione docent hîc Anton. & Abb. n. 11. quòd de iure sepulchri iudicare ad ecclesiasticum Iudicem spectet, quia secundùm se spirituale est, vel saltem ordinatum ad spirituale, videl. sacrum locum: ad eundem autem iudicem pertinet iudicare de principali & coñexu. Et habet id locum non tantùm, si actio realis moueatur, an videl. vel cui ius sacræ sepulturæ in aliquo loco Ecclesiæ aut cœmiterij competat, sed etiam si agatur actione personali, vt si Titius Caio promiserit permissurum se, vt ipse & hæredes eius in sepulchro maiorum suorum sepeliantur, atq; de valore huius promissionis dubitetur, ad Ecclesiasticum tribunal ea causa pertinet: sin autem solùm controuersia sit de facto, num Titius Caio promissionẽ fecerit, néne, tum nihil obstat, quò minùs secularis cognoscat iudex, vti hîc notauit Alex. n. 16. & videri possunt, quæ docet Farinacius in praxi tit. 1. q. 8. n. 25. & quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 2. n. 9.

CAPITVLVM IV.

At si clerici.

Paraphrasis.

Si clericus coram seculari iudice conuictus sit, vel confessus, non debet exinde ab Episcopo condemnari, quia sicuti sententia lata à iudice incompetente non valet, ita nec confessio coram ipso facta: sin verò coram Episcopo clericus crimen confessus sit, ac de eo conuictus, quod secundùm canones suspensionem vel depositionem meretur, tunc talis pœna inferenda est ipsi: non tamen prohibetur Episcopus cum clericis, qui adulteria, vel minora crimina commiserunt, post peractam pœnitentiam dispensare. Porrò si clericum ob crimen deposuit, non debet idcircò illum iudici seculari tradere, tum quia sententiam depositionis ferendo functus est

officio, tum quia æquitas non patitur, vt aliquis duplici pœnâ conteratur, dummodò, vt Gl. ait, vna sufficiens sit.

SVMMARIVM.

1. *Sententia lata à iudice non competente, vti & confessio coram eo facta est irrita, neque hæc confitenti præiudicat ad condemnationem, licèt alios effectus non iudiciales producere possit.*
2. *Acta coram iudice incompetente non valent, nec fidem faciunt coram iudice competente.*
3. *Acta autem coram competente iudice fidem facere debent in altero iudicio inter easdem personas, & in ordine ad eundem finem & effectum.*
4. *Quòd si posterius iudicium ad diuersum finem instituatur, prioris iudicij acta fidem non faciunt.*
5. *Clericis criminosis Episcopi & alij Prælati ecclesiastici pœnas canonicas inferre debent pro qualitate criminis, considerata canonum dispositione, & temporis præsentis consuetudine.*
   Circa adulteria & alia crimina minora post peractam pœnitentiam potest Episcopus cum Clericis dispensare.
6. *Pœna à lege canonica, vel consuetudine Ecclesiæ pro clerico criminoso dictata ab Episcopo, vel similem iurisdictionem habente, remitti non debet.*
7. *In criminibus licet semper dispensare Episcopo, nisi prohibeatur.*
8. *Et post latam etiam à se sententiam dispensatiuè restituere potest post vitæ emendationem.*
9. *Episcopi vel simili potestate præditi in hæresin lapsos, si pœnitentes sint, & hæresin abiurarint, in externo foro ab excommunicatione papali absoluere possunt: & hac absolutione obtenta quilibet sacerdos à peccato hæresis absoluere poterit.*
10. *Crimen hæresis immediatè delatum ad forum pœnitentiarium Episcopi aut Vicarij, si notorium sit, ab eo Episcopus absoluere non poterit; secùs est, si occultum sit; nec derogatum est huic potestati & priuilegio per Bullas & responsa pontificia posteriorum.*
11. *Probabile est, Episcopos in Germania cum clericis in hæresin lapsis, eâ abiuratâ, post pœnitentiam peractam dispensare posse, vt in ordine ministrare, ad ordines altiores & beneficia promoueri queant.*
12. *Dispensare etiam possunt Episcopi cum clerico, si plura crimina concurrant.*
13. *Clericus criminosus per priuationem vel depositionem sufficienter punitus, actuater degradandus, & Curiæ seculari tradendus non est; esset autem, si enorme crimen commisisset, aut in commisso crimine contumax persisteret.*

NOTANDVM 1. Sicut sententia irrita est, quæ fertur à iudice non competente, ita & confessio aut conuictio coram ipso facta. Similiter sicuti non nocet sententia lata à iudice competente, sed non seruato iuris ordine, vt quia indicia non aderant sufficientia ad capturam vel torturam, ita neque confessio quantumuis ratificata, aliáq; probatoria acta præiudicare debent. Qua de re Farinaci⁹ lib. 11. & Legistæ in l. penult. ff. de quæst. Sed aduerte hic ex doctrina Decij n. 7. & 12. licet cõfessio facta coram iudice incompetente irrita sit, & confitenti nõ præiudicet in ordine ad condemnationem, quia, vt hîc dicitur, ex tali cõfessione condemnari nequit, interim tamen alios effectus non iudiciales producere potest, videl. quòd ex tali confessione existimatio clerici coram laico iudice crimen confitentis quandoque grauiter læditur, vt ad amouendum scandalum purgatio canonica indicanda sit secundùm Gl. hîc. ver. condemnandi. Præterea si quis coram iudice incompetente, videlicet clericus coram sæculari iudice, sponte non per metum v. g. tormentorum adactus crimen confiteatur, habebit vim confessionis extraiudicialis, vt ob eam causam à iudice suo capi, iudicialiter examinari & torqueri possit, secundùm Glossam communiter receptam

ptam in l. capite, 25. ff. ad legem Iuliam, de adulter. & docet Decius hîc n. 27. Imola a. 6. contra Antonium hîc.

2 QVÆRVNT hîc primò: Vtrùm acta & sententia lata in iudicio vno v. g. sæculari, valorem habeant seu fidem faciant in altero iudicio, videl. Ecclesiastico. Resp. & Dico I. Acta coram iudice incompetente non valent, seu fidem non faciunt coram iudice competente. Hæc est communis apud Clarum in pract. q. 36. n. 40. vbi colligit, si iudex sæcularis Clericum captum mittat ad Ecclesiasticum, acta cum clerico coram sæculari iudice fidem non facere, quia non erat competens.

3 Dico II. Acta coram iudice competente fidem facere debent in altero iudicio inter easdem personas, & in ordine ad eundem finem & effectum, ita Abb. hîc. n. 10. Decius n. 14. Mascardus volum. 1. concl. 33. sumitur ex c. 2. de exceptionibus in 6. vbi iunctâ rubricâ traditur, quòd exceptio rei iudicatæ per iudicem Ecclesiasticum admitti debeat in foro sæculari, imò & vice versa, sicuti dicit Ioannes Andreas, & docet Ancharanus, qui regulam dat, quòd sententia lata à iudice vno competente seruari debet à quocunque alio iudice; idem autem iudicium esse debet de sententia & de actis secundùm Innocent. in c. causam, in fine de testibus. adeò, inquit ille, vt acta v. g. producta testimonia in vno iudicio valere, & fidem facere debeãt coram altero iudice, tametsi sententia lata non fuerit. Et videri potest Abb. in c. vlt. de arbitris. Mascardus l. c. n. 8. vbi docent, quòd etiam acta coram arbitris ad instructionem causæ pertinentia in iudicio sequente fidem faciant, idque constat ex l. vlt. vbi tamen additur, si testis adhuc viuat, petere posse reum, vt iterum adducatur & audiatur. Illustranda est hæc doctrina exemplis: vnum sumitur ex c. multi, 18. causa 2. q. 1. vbi S. Augustinus ait, consuetudinem Ecclesiæ esse, vt qui sponte crimen confessus est, vel in iudicio Ecclesiastico aut sæculari conuictus à communione remoueatur, intellige donec pœnitentiam egerit, idque explicat Innoc. in c. 1. n. 2. de officio ordinarij. Imola n. 14. vbi aiunt cum Gl. quòd iudex Ecclesiasticus & secularis se mutuò adiuuare debent, ita vt si Ecclesia aliquem excommunicauit, iudex secularis requisitus ab Ecclesiastico cogere illum debeat ad obseruationem, & obedientiam, & vice versa, si secularis iudex aliquem ob crimen proscripsit, Ecclesiasticus tanquam criminosum habebit, eúmque per censuram compellet ad obediendum iudici sæculari, argum. cit. c. multi.

Est tamen discrimen secundùm Innocentium & Imolam l. c. quòd Iudex Ecclesiasticus possit, & plerumque debeat petere & examinare processum iudicis secularis, priusquam suum auxilium impertiatur rogatus, quod ideo addo, quia à sæculari cogi non potest; at verò iudex secularis, si mera executio ipsi imperetur (vt v. g. tanquam excommunicatum à subditis vitari faciat) processum petere non potest, sed simpliciter obedire debet, nisi constet processum esse iniustum, vt etiam Abbas docet in c. 1. n. 12.

Alterum Exemplum. Laicus clericum vulnerauit, qui ex vulnere mortuus est, hæredes defuncti contra percussorem egerunt in iudicio sæculari ad recompensationẽ damni, sed percussor excepit, quòd non ex ictu, sed ex negligentiâ chirurgi mortuus esset, adeóq; se non nisi de vulnere obligari, l. qui occidit 30. ff. ad l. Aquil. in fine; ibi de vulnerato actio est, non de occiso. Quòd si ponamus hoc casu pro percussore contra chirurgum testes depositos esse, vel sententiam à iudice latam fuisse, postea verò agatur coram Ecclesiastico iudice de conferenda absolutione ab incursa excommunicatione canonis, & iudex absoluere nolit, nisi priùs satisfactâ parte, percussor autem satisfecerit, vel mox satisfacere paratus sit de vulnere, non verò occisione, tum iudex Ecclesiasticus admittere hoc debet propter auctoritatem & fidem iudicij sæcularis.

Dico III. Si alterum iudicium ad diuersum finem instituatur, adeóque modus agendi varietur, tum prioris iudicij acta fidem non faciunt. Ita Abbas hîc n. 12. Decius n. 15. Alex. n. 33. qui affert exemplum, si co- 4

ram

tam iudice seculari cõtra criminosum actum sit ad pœnam legalem, postea verò super eodem crimine coram Ecclesiastico agatur ad pœnam ecclesiasticam, acta coram priore iudice non faciunt fidem, quia variatur modus agendi; idémq; locum in criminalibus habet, quæ sunt mixti fori, quod in casibus, quibus concessum est iudici Ecclesiastico causam cognoscere de nouo, licèt coram seculari iam cognita sit, aut vice versa, non teneatur iudex posterior actis coram priori iudice fidem habere, vti Abb. & Dec. docet l. c. Ratio est, quia in criminalibus mixti fori v.g. sacrilegio, tum ciuilis tum Ecclesiastica Respublica læditur, quare ad vtrumque proprio iure pertinet iudicare, ita vt quisque proprium processum instituere possit. Interim tamen non prohibetur iudex v. g. Ecclesiasticus saltem in fauorem rei, seu si partes contentæ sint, petito processu iudicis secularis, si omni erroris suspicione careat, illi se conformare, vti docui lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 2. n. 7.

5 Notandvm II. Episcopi & similes Prælati Ecclesiastici pœnas canonicas suspensionis vel depositionis clericis criminosis inferre debent pro criminis qualitate, consideratâ iuris canonici dispositione, & temporis præsentis consuetudine, sicuti hîc explicat Abb. n. 33.

Circa adulteria verò & alia crimina minora potest Episcopus post peractam pœnitentiam cum clericis dispensare, ait Papa in hoc c. §. de adulterijs.

6 Aduertendum primò; Adulterium esse vnum ex maioribus, quæ secundùm canones priuationem beneficiorum, imò depositionem ab ordine clericali in perpetuum mereantur, vt dixi lib. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. Ob alia verò minora crimina quædam, quæ tantùm absolutè grauia aut scandalosa sunt, suspensio inferenda est seu ad certum tempus, seu donec se clericus emendârit.

7 Aduertendum II. Si lex canonica vel etiam consuetudo Ecclesiæ dicter, clericum ob crimen esse puniendum, videl. ob adulterium, incestum, vel raptum violentum, beneficio priuandum, talis pœna inferenda est ita vt mero Episcopi arbitratu, vel simili iurisdictionem habentis remitti non debeat, vti S. Thomas docet 2. 2. q. 67. a. 4. Berous hîc n. 64. Menoch. lib. 1. q. 96. n. 10. & sumitur ex l. seruo, C. de vi. Vbi dicitur, quòd pœnæ prosecutio non iudicis voluntati mandatur, sed legis auctoritati reseruatur. Veruntamen ex iusta causa concessum est iudici, etiam non supremo, sed subordinato, rigorem legis temperare, pœnámque minuere teste Gl. in cit. l. 1. ver. facti, Baldo in l. 3. C. ex quibus, Farinacio in praxi, crim. lib. 1, tit. 3. q. 17. n. 7.

Aduertendum III. Id, quod dixi, in- 8
telligendum est de pœnis non ipso iure inflictis, seu ipso facto incursis, has enim inferior tollere, aut in ijs dispensare non potest, iuxta Gl. receptam in c. cupientes, 16. §. Ceterùm, ver. suspensor, quia inferior tollere non potest legem aut sententiã Superioris, nisi ipsi commissum sit. Est itaque intelligendum de pœnis legalibus seu canonicis, quæ sunt sententiæ ferendæ, seu cùm iudici à lege mandatur, vt ob tale crimen pœnam inferat v.g. depositionis, quod ex rationabili causa consideratis circumstantijs eam possit minuere.

Aduertendum IV. Non loqui nos de 9
absolutione à censuris v. g. excommunicatione, suspensione, sed de dispensationibus supra irregularitate ex delicto contracta, item depositione in perpetuum, vel ad certum tempus, iuxta ea quæ dixi lib. 1, tr. 5. p. 3. c. 4. n. 3. Nam à censuris Papalibus latæ sententiæ Episcopi in vtroque foro absoluere possunt, eo ipso quòd non reseruantur, arg. c. nuper, 29. & C. cùm illorum, 32. de sententia excommunicationis: sed in pœnis canonicis, quæ sunt latæ sententiæ papalis Episcopi dispensare non possunt, nisi ipsis concedatur, in c. cùm literis, n. 3. & c. 2. n. 5. de solution. contra Innoc. ibid.

Nunc Qværitvr I. Cur Papa no- 10
minarit adulterium & crimina minora. Respond. Quia adulterium est vnum ex criminibus maioribus, quæ depositionem postulant, ob alia autem minora non pœna depo-

sitionis

sitionis,sed suspensionis tantùm infligitur, nisi post frequêtem monitionem contumaciaseu incorrigibilitas accesserit,iuxta Trident.sess. 25.c.14.de reformat. Voluit itaq; significare Papa,Episcopum ex causa rationabili super pœnis canonicis non latis,sed ferendis dispensare posse, ita tamen, vt quò grauius delictum fuerit, eò grauior dispensandi causa requiratur,vt bene monet Abb. hîc, de adult. n. 9.

7 QVÆRITVR II. Si in iure decretum reperiatur, quòd ob periurium, incestum aut sacrilegium (huiusmodi crimina vel æqualia vel maiora adulterio censentur) ab Ordinario beneficijs priuetur reus,nullâ factâ mentione dispensationis, num Episcopus ob causam iustam dispensare possit. Duæ sunt sententię relatæ hîc in Gl. Vna, quam sequitur Abbas & Alexander §. de adult. Si dispensatio concessa non sit, prohibitam censeri: Altera, quam magis communem testatur Gloss. eámque tenet in c. cùm illorum, 30. ver. interdicto, de sententia excommunicat. & Innoc. c. dilectus, n. 2. vbi ait, in criminibus licet semper dispensare Episcopo, nisi prohibeatur. Et hanc sententiam arbitror veram, nam etsi Episcopus ordinariè inferre debeat pœnas, sicut canon & consuetudo Ecclesiæ præscribit, interdum tamen ex causa dispensare eum posse, nisi canon prohibeat. Confirmatur ex eo, quia facultas dispensandi in criminibus cum gratia Principis in tertiæ personæ præiudicium non cedens benignè explicari debet & latè, vt Abb. hîc monet n 11. quare dicendum, adulterium hîc exempli tantùm causâ positum esse.

8 His adde, non tantùm dispensare eum posse cum adultero vel incestuoso, vt beneficijs non priuetur, aut non deponatur, sed etiam post latam à se sententiam dispensatiuè restituere eum posse post vitæ emendationem, sicuti docet Abb. hîc. n. 14. Alex. n. 14. Felin. n. 2. Vbi aiunt, quòd, tametsi clericus ob furtum vel adulterium depositus infamiam incurrerit, restitutus tamen per consequentiam famæ restituatur, vt officio clericali fungi, & beneficium Ecclesiasticum consequi possit, idque sumitur apertè ex Concil. Trident. l. c.

QVÆRITVR III. De Clerico in hæresin lapso, an Episcopus eum prima vice (non enim loquimur de relapsis) recipere possit, & post pœnitentiam peractam dispensare, vt in suo ordine ministret, ac beneficium Ecclesiasticum consequatur. Resp. I. Episcopi vel simili potestate præditi, in hæresin lapsos tam laicos quàm clericos, si pœnitentes sint, & hæresin abiurârint, in externo foro ab excommunicatione papali absoluere possunt. Ita Ioann. Andr. & Dominic. in c. vt officium, de hæreticis in 6. Farin. de hæresi q. 192. §. 4. n. 5. Bonacin. disp. 2. q. 5. punct. 2. n. 11. Ratio reddi debet, quia expedit etiam ipsi Ecclesiæ, vt tales misericorditer recipiantur. Et verò quòd attinet ad Episcopos Germaniæ & aliarum regionum, in quibus hæreticæ prauitatis inquisitores nulli sunt, certior est hæc assertio, nam talis in foro externo ab hæresi absoluêdi potestas concessa est inquisitoribus, cit. c. vt officium. Episcopi autem in dictis regionibus, quibus inquisitores alij non sunt, ipsi specialiter sunt inquisitores ac delegati Sedis Apostolicæ super hęresi, iuxta ea quę docet Barb. alleg. 105. 9

Aduerte autem, quod dixi, inquisitores & Episcopos in foro externo absoluere posse; hæc enim absolutio & reconciliatio facilius conceditur, eò quòd efficaciora tunc remedia ad cauendam hæresin adhiberi non possint: & verò absolutio ista etiam proderit pro foro conscientiæ, quandoquidem absolutâ censurâ excommunicationis ab Episcopo vel delegato eius absolutus mitti potest ad Sacerdotem quemlibet, vt à peccato hæresis absoluatur; sicut docet Farin. l. c. Sanchez lib. 2. moral. c. 2. n. 6.

Sed quid si crimen hæresis non deferatur ad forum externum seu iudiciales, sed statim ad forum pœnitentiarium Episcopi aut Vicarij, potéstne hic absoluere? Negant omnes, si hæresis notoria sit; sin verò occulta, possunt Episcopi absoluere per Trident. sess. 24. c. 4. de reformat. Sed valdè controuersum est, vtrùm huic priuilegio quoad hæresin dero- 10

Batum sit per Bullas & responsa Pontificum posteriorum, vt videre est apud Rodriquez tom. 1. a. 4. Sanchez cit. c. n. 27. Verùm quod attinet ad Episcopos harum regionum, duas habeo causas, ob quas hæreticos etiam extra forum iudiciale absoluere possint. Prima est ac præcipua, extendens se ad hæreticos etiam notorios, frequentia casuum, quia quotidie tales veniunt ac recipi debent, vt ab hæresi non iudicialiter, sed pro cõscientiæ foro absoluantur, quacum frequentiâ adiunctũ est impedimentũ adeundi Papam ob loci distantiam & alias causas, vt non tantùm æquum, sed necessarium sit, talem absoluendi potestatem Episcopis relinqui, cùm alioquin conuersio hæreticorum, & Ecclesiæ augmentum impediretur. Altera, quia vt suprà dixi, Episcopi in Germania funguntur officio inquisitorum, sed hos posse hæreticos saltem occultos pro foro conscientiæ absoluere docet Toletus lib. 4 c. 4. n. 7. & fatetur esse probabile Sanch. n. 3.

11 Dico II. Probabile est, quòd Episcopi in Germania, vbi cum hæresi infamia iuris iuncta non est, cum clericis in hæresin lapsis, si eâ abiuratâ Ecclesiæ restituti sint, post peractam pœnitentiam dispensare possint, vt in ordine ministrare, ad ordines altiores & beneficia promoueri queant. Ita indicat hîc Gl. §. de adult. & docui lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 2. contra Farin. §. 5. Sanchez lib. 2. c. 25. & alios, existimantes hæresin per se iunctam esse irregularitati solo Papa dispensabili.

12 QVÆRITVR IV. An Episcopus dispensare etiam possit cum clerico, si plura crimina concurrant, vt si adulterium & incestum commiserit, vel si clericus religionem professus à fide etiam apostatarit: etenim apostata à religione, qui exuto habitu in excommunicationem incidit, à Prælato suo ordinario, si nil aliud obstet, absolui ac restitui potest, cùm casus Papæ reseruatus non sit, tradit Tuschus litera A. concl. 425. Farin. cit. q. 192. §. 4. n. 19. Responsio est affirmatiua cum Felino n. 7. ex doctrina Bartoli in l. 2. ff. de verborum oblig. Angelus instit. de actionib. §. omnium, vbi aiunt, quòd habens facultatem legitimandi spurios & incestuosos, possit legitimare natum ex adulterio & incestu simul, quia appellatione simplicium in materia fauorabili, qualis est gratia & priuilegium, veniunt etiam mixta. Hac tamen moderatione adhibitâ, vt tanto grauior requiratur causa ad dispensandum cum tali criminoso, quanto grauior est deformitas plurium simul iunctorum criminum.

NOTANDVM III. Si crimen per priuationem vel depositionem sufficienter punitum sit, tum Clericus actualiter degradari, & curiæ seculari tradi non debet; verùm si tam enorme commiserit, aut in commisso graui crimine contumax persistat, tunc depositum ac realiter degradatum iudici seculari Ecclesia relinquere potest puniendum, vt dicam infrà c. 10. 13

CAPITVLVM V.

Cæterùm.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesia aliqua v.g. Monasterium quibusdam prædia concessit in feudum, & inter vasallos controuersia oriatur circa feudum, tum ordinarius Iudex v.g. Episcopus se immiscere non potest, sed quæstio illa feudalis coram domino feudi, qui in casu nostro est Abbas, agitari debet, dummodò actor ibi iustitiam consequi possit, alioquin Ordinarius loci adiri poterit.

SVMMARIVM.

1. *Dominus feudi ordinariam habet iurisdictionem, si inter vasallos orta sit controuersia, feudum ab ipso acceptum concernens.*
2. *Vt autem domino feudi iurisdictio competat, duo requiruntur, scil. vt cõtrouersia sit super feudo, & vterque litigantium agnoscat se vasallum; aliàs ad ordinarium iudicem recurri debet.*

Si vasallus cum domino feudi contendat,

tum

tum de controuersia hac feudali pares Curiæ cognoscent.

3. *Si iustitia apud dominum feudi impetrari non possit, ad ordinarium iudicem ipsius rei conuenti accedi potest.*

4. *Idem subinde est dominus feudi & iudex ordinarius, qui si supremus sit, & iustitiam non administret, deuolutio fit ad ecclesiasticum iudicem; si autem sit iudex inferior, defectum is supplebit, & iustitiam administrabit, vel ad eam administrandam dominum feudi compellet.*

5. *Sede Episcopali vacante contra Capitulum actio coram domino feudi instituitur potest in causa feudali.*

6. *Controuersia super iure emphyteutico non defertur ad dominum emphyteuseos, nisi simul habeat iurisdictionem super iisdem bonis.*

1 NOTANDVM I. Dominus feudi ordinariam habet, quippe à lege concessam, iurisdictionem, si inter vasallos eius quæstio orta sit, quæ feudum ab ipso acceptum concernat. Ita habetur lib. 2. Feudorum constitut. Imperialem, §. Præterea, de prohibita feudi alienatione per Frideric.

2 Duo autem requiruntur, vt domino feudi iurisdictio competat. Primum, vt controuersia sit super feudo seu iure feudali, ita vt ex legibus feudorum lis decidenda sit. Secundum, vt vterque litigantium agnoscat se vasallum, vti bene hîc Decius n. 11. Si autem non vasallus cum vasallo contendat, tum ad ordinarium iudicem (si iste diuersus sit à domino feudi) recurri debet, vti colligitur ex lib. 2. feudorum, tit. 27. de pace tenenda, §. Si duo. Si denique vasallus cum domino contẽdat de feudo, seu in causa feudali, tum pares Curiæ cognoscere debẽt, cit. constitutioni imperiali, & docet Gl. hic, ver. quam diu, Abb. n. 11. Rosenthal de feudo c. 12. concl. 2.

3 NOTANDVM II. Si iustitia apud dominum feudi impetrari non possit, seu propter rebellionem vasalli, seu propter negligentiã, aut malitiam domini, tum ad ordinarium iudicem ipsius rei conuenti accedi potest. Ita Gl. & tradunt DD. in Constit. cit. §. Præterea. Abb. hîc n. 5. Dec. n. 3. Vbi generalẽ regulam tradunt, si inferiori per specialem legem aut præscriptionem competat iurisdictio, excluso ordinario, tum propter inferioris defectum, si vel nolit, vel non possit exequi iustitiam, deuolui iurisdictionem ad ordinarium, vt dixi c. irrefragabili, 3. §. Excessus, de offic. Ordinarij.

Interdum verò idem dominus feudi est 4
etiam ordinarius iudex, qui si supremus sit, eo negligente iustitiam administrare, ad ecclesiasticum iudicem sit deuolutio, c. ex trãsmisso, 6. de foro competente, & Felin. c. cùm venissent, n. 5. Sin autem subalio Superiore constitutus, tum is defectum supplebit, iustitiámque administrabit, vt Abb. monet, n. 2. vel compellet dominum feudi ad iustitiam exercendam secundùm Gl. l. c. & videri potest Rosenthal cit. concl. 2. n. 9. & seq.

Exemplum. Si contra Monasterium vel Abbatem eius, actionem quis instituere velit, ordinariè eum conuenire debet coram iudice Ecclesiastico, videl. Episcopo, si Prælatus exemptus non est, nam actor forum rei sequi debet l. vlt. C. vbi in rem actio. Excipitur tamen, si Monasterium bona feudalia habeat, & eorum ratione controuersia sit, v. g. inter Monasterium & subditos eius tẽporales, qui se indebitis collectis grauari, aut iuribus emphyteuticis, quæ super feudalibus bonis habent, spoliari conqueruntur, aut si controuersia sit Monasterio cum Nobili, Barone &c. super finibus feudalium bonorum, aut adhærente iure collectandi, piscandi, venandi &c. his casibus controuersia deferri debet ad dominum feudi, qui est Imperator seu Camera imperialis, si Monasterium Cæsareum seu Cæsari subiectum sit immediatè in temporalibus: sin autem feudum immediatè subsit alteri Principi, siue exempto ab Imperio v. g. Austriaco, siue non exempto v. g. Duci Bauarico, tum controuersia ad eius tribunal deferri debet. Quòd si verò in eo iustitia non administretur, tunc si Princeps Imperatori subie-

ctus sit, ad Cæsareum tribunal res denique deferetur. Sin autem Princeps ille exemptus sit ab Imperatore, tum causa deuoluetur ad Ordinarium monasterij, qui est Episcopus, Generalis Ordinis, vel deniq; Papa.

5 QVÆRITVR I. Vtrùm Sede Episcopali vacante contra Capitulum Cathedrale actio coram domino feudi institui possit in causa feudali. Respond. Affirmatiuè apud Gaill lib. 1. obseru. 30. quia ad Capitulum Sede vacante deuoluitur omnis Episcopalis iurisdictio tum spiritualis tum temporalis, ergo sicut Episcopus in causa feudali coram domino feudi cõueniri debet, vti dixi lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 5. Ita etiam Capitulum Sede vacante. Bene tamen admonet Gaill n. 15. Non esse satis tutum litigare cum Capitulo, vacante Sede, nisi Ecclesiæ legitimus defensor seu administrator cum auctoritate deputatus sit, vt dicam infrà in c. deputati.

6 QVÆRITVR II. Vtrùm controuersia super iure emphyteutico ad dominum emphyteusis v.g. Abbatem Monasterii deferri debeat, sicut controuersia feudalis ad dominum feudi. Resp. Negatiuè, cùm id iure expressũ non sit; constitutio autem Capituli imperialis cùm sit exorbitans à iure communi & ordinario, extendi non debet ad casum non expressum. Excipe, nisi dominus emphyteuseos habeat super ijsdem bonis iurisdictionem, adeóque idem sit dominus emphyteuseos, & iudex ordinarius loci, saltem immediatus; multa enim v. g. Monasteria Germaniæ iurisdictionem concessam sibi in feudum exercent in territorio suo, quare si ipsi coloni emphyteutici controuersiam inter se habeant, ad Abbatem, aut ab ipso constitutum iudicem deferri debet, saltem in instantia prima: sin autem colonus cum Abbate controuersiam habeat super iure emphyteutico, quod simul etiam feudale est, aut si controuersia sit cum Monasterio super ipsa iurisdictione, tum ad dominum feudi, qui est v.g. Comes, Dux &c. recurri solet, vt sentit hic Innocent. n. 4.

* * *

CAPITVLVM VI.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Iudex Ecclesiasticus non debet subtiliter nomen intentatæ actionis requirere, sed simpliciter ac purè ipsum factum, & rei veritatem secundùm canones inuestigare.

SVMMARIVM.

1. *Nomen actionis in libello non necessariò exprimitur.*
2. *Definitio libelli declaratur, & qualis is esse debeat.*
3. *Factum, videl. contractus vel delictum, est causa remota actionis personalis; ius autem & correspondens obligatio est causa proxima.*
4. *Interdum ex vno facto aut contractu plures obligationes, & actiones oriuntur, & tum species eius significanda, quæ intentatur, ne libellus ineptus fiat, & reiciatur, si actoris intentio non appareat.*
5. *Si ex pluribus actionibus non appareat in libello, quam actor intentet, attendenda est narratio facti, vel ius argumenti, quod adducitur, deinde conclusio libelli.*
6. *Si tum ex ipsa libelli constitutione, tum ex postea deductis in iudicium dubitetur, quænam actio sit intentata, eam eligere iudex debet, quæ actori vtilissima est.*
7. *Potest adiectio in libello clausula huius salutaris: super his omnibus peto mihi iustitiam administrari omni meliori modo.*
8. *Alia quæ præterea in libello exprimi debent, comprehenduntur sequenti districto:*

Quis, qui, coram quo, quo iure petatur, & à quo,
Rectè compositus quisque libellus erit.

9. *Forma actionis personalis.*
10. *Forma actionis realis.*
11. *Libellum ineptè compositum index reiicere*

cere poteſt; ſi autem recipiat, nec Aduerſarius contradicat, & lis conteſtata ſit, procedi debet, ſi ex actis appareat, quid & qua cauſa petatur.

1 NOTANDVM Vnicum. Si factum & ius actoris ſeu cauſa petendi in oblato libello appareat, poſtulandum non eſt, vt nomen actionis exprimatur; eſſet enim hæc nimia ſubtilitas, à quâ iura canonica ahhorrent.

2 Pro intellectu aduerte primò, quòd libellus eſt breuis, clara & ordinata ſcriptura iudici & parti demonſtrans intentionem actoris. vide Hoſtienſem, Abbatem in Rubricâ eius tituli, Legiſtas in Lamplioré 39. Dicitur *ſcriptura*, quia in ſcriptis offerri debet c. 1. de libelli oblatione. *Breuis*, quia reſecatis ſuperfluis neceſſaria aut vtilia continere debet, quæ faciant ad intentionem actoris, & quibus probatis contra aduerſarium obtinere poſſit, c. examinata 15. *Clara*, ſi enim obſcurus libellus offeratur, ita vt propter æquiuocationem aut alternatiuam determinatè non appareat, quid petatur, reijci poteſt l. Prætor, 7. ff. quod autem. vbi tamen Gloſſa & DD. monent, libellum alternatiuum admitti propter probabile dubium ſeu incertitudinem rei v.g. peto mihi rem meam à poſſeſſore iniquo reſtitui, ſi extet, aut æſtimationem eius, ſi non extet. Peto contractum, teſtamentum, ſententiam declarari nullam, vel ſi quo modo valeant, reſcindi, aut me aduerſus eam reſtitui: item dico ſententiam nullam eſſe, aut ſi mero iure valet, contra eam appello. Videri poteſt Sebaſtianus Vantius de nullitatibus Tit. quot & quibus modis nullitas n. 7. *Ordinata*, quia bono ordine libellum eſſe conſtructum oportet, vt tria cõtineat, primò facti narrationem, ſecundò elicitam inde cauſam ſeu ius petendi, tertiò ipſam petitionem, quæ veluti concluſio libelli eſt. Videri poteſt Bartolus l. ſi priuſquam, n. 13. ff. de noui operis nunciatione. Angelus §. 9. n. 7. de Actionib. *Iudici & parti &c.* propter vtrumque enim libellus offertur; propter illum, vt ſciatur, quid petatur, ſeu ad quid, & ex quâ cauſâ officium impartiri debeat, quandoquidem Iudex iuxta actoris petitionem (in cauſis ciuilibus, de quibus loquimur, non criminalibus) iudicij formam ordinare, & ſecundùm iudicij formam ſententiam proferre debet, c. licet, 31. iuncta Gloſſa de ſimoniâ, quare dicitur in l. 3. C. de edendo, quòd edita actio ſpeciem futuræ litis demonſtrat, propter aduerſarium verò ſeu reum, vt cognitâ actione, quâ conuenitur, deliberare poſſit, num contendere, aut lite cedere malit l. 1. ff. de edendo.

Aduerte 2. Ex Hoſtienſi, Bartolo, Angelo l. c. Abbate in Tract. de ordine iudiciario c. diuiſio actionum, quòd factum, videlicet contractus vel delictum ſit cauſa remota actionis perſonalis, ius autem & correſpondens obligatio ſit cauſa proxima; nam ex cõtractu vel delicto oritur quædam obligatio, ex obligatione autem actio ſeu petitio iudicialis deſcendit, & ſic contractus ſeu delictum eſt veluti auia, inquit Abbas, obligatio filia, & actio neptis. hæc itaque tria in libello perſonalis actionis comprehenduntur, videlicet dedi Titio mutuos 100. quamobrem obligationem contraxit tantum reſtituendi, peto itaque vt condemnetur, & compellatur ad reſtitutionem. Porrò ſicut apud logicos vna in ſyllogiſmo propoſitio interdum ſubticetur, quia continetur virtualiter, ita etiam quandoque poſt narratam ſpeciem facti, omiſſo argumento ſeu medio, ſtatim proponitur petitio ſeu concluſio, v. g. Titio dedi mutuo 10. ideò peto eum condemnari ac compelli ad reſtitutionem, ſicuti notauit Bartol. cit. n. 13. Hoſt. n. 3. Decius hîc n. 9. 3

Veruntamen interdum accidere ſolet, vt ex vno facto aut contractu plures obligationes actionéſque deſcendant, dum ſpeciem eius ſignificare oportet, ne libellus ineptus fiat, ac reijciendus, ſi actoris intentio non appareat. Exempli causâ, ſi à Caio per iniuriam vulneratus ſis, & contra eum agere velis, præter facti narrationem explicare debes, num criminaliter agas actione iniuriarum ad publicam pœnam iudicis arbitratu infligendam, an verò ciuiliter ſeu pro proprio intereſſe, & tunc titulum explicare oportet, vtrùm agere velis ciuili actione in- 4

iuriarum ad pœnam tibi applicandam, quanti iniuriam æstimas, videlicet 100. aureis, relicta tamen iudici moderandi facultate; an verò agere velis ex lege Aquilia ad damni illati æstimationem propter chyrurgi mercedem, & quia ad laborandum inutilis factus es, vti explicaui lib. 3. tr. 3. part. 2. c. 6.

Aliud exemplum. Si equus furtim tibi subtractus sit, vel agere potes ad pœnam inferendam contra furem, vel ad rei persecutionem, quamuis hæ actiones se mutuò non tollant, sed vna instituta, etiam altera instituí possit l. ancillæ 12. C. de furtis. Porrò si quis rei persecutoriam actionem instituat, vel agere potest rei vendicatione, vel condictione furtiua, vel condictione incerti, vel ad exhibendum. Refert autem & interest inter has actiones, nam rei vendicatio contra quemlibet rei furtiuæ possessorem cõpetit soli domino, quare si hac actione vtaris, dominum rei te asserere, & demonstrare debes, vti constat ex tit. ff. & C. de rei vendicatione. Condictio furtiua tendit aduersus furem tantùm aut hæredem eius, vt restituat rem, si extet, si verò absumpta est aut perdita, vt soluat æstimationem eius, l. iure 8. ff. eod. competit autem hæc actio tantùm domino, cui res sua subtracta, & hæredi eius §. furti instit. de oblig. ex delicto l. siue manifestus 20. §. tamdiu ff. de condict. furtiuâ; sin autem is, cui res subtracta, dominus non sit, tamen ius in re habeat, videlicet creditor, ei conceditur actio contra furem vel hæredem eius, quæ dicitur condictio incerti, l. condictio 12. §. meracius ff. eod. Sunt autem hæ condictiones inter personales actiones numerandæ, quamuis etiam in rem tendant, ideóque velut mixtæ censeantur, §. sic itaque de Actionib. denique actio ad exhibendum personalis in rem scripta cuilibet competit, cuius propter rem familiarem interest, vt rem mobilem exhibeat, qui exhibendi copiam habet, l. 1. & seq. ff. ad exhibendum.

5 Aduerte 3. Ex Angelo cit. n. 3. Abbate hic n. 15. si ex eodem facto plures obligationes, actionésue emergant, & non satis in libello appareat, quænam earum intentetur, tum potissimùm attendi debet primò, quidnam in specie facti narratum, vel pro argumento adductum fuerit: cuius rei ratio est, quia libellus ita formari debet, vt nihil in eo superfluum afferatur: vt si in libello narretur, quòd Ecclesia prædium infra dimidium iusti pretij vendendo læsa sit, non censetur petere restitutionem in integrum officio iudicis faciendam, sed intentare actionem ex l. 2. de rescindendâ venditione, vt venditio rescindatur, vel quod iusto pretio deest, suppleatur, quandoquidem ad in integrum restitutionem impetrandam non opus est læsionem esse vltra dimidium iusti, sed sufficit, si læsio sit notabilis. Alterum & magis præcipuum est conclusio libelli; etenim conclusio explicat ac determinat totam actionem actorisque intentionem, vti egregiè docet Innoc. in c. super 20. n. 3. de rescriptis. Gaill lib. 1. obseru. 6. num. 15. vbi ait, in libello non tam attendendum esse, quid, quale, & quantum narretur, sed quid ex narratis concludatur & petatur. Quamobrem vt ad propositũ redeam, si in suprà dicti libelli conclusione iudicis officium imploretur ad in integrum restitutionem, adiectio illa supra dimidium iusti ex abundante censebitur facta, non autem plura alia in libello poni solent, quæ absolutè necessaria nõ sunt, quòd actor non intendat se obligare ad probanda omnia narrata, sed ea tantùm, quæ obtinendæ causæ necessaria sunt secundùm Bartolum in l. Diuus.

Aduerte 4. Quòd si tum ex ipsa libelli 6
constructione, tum ex postea deductis in iudicium dubitetur, quænam actio intentata sit, eam eligere iudex debet, quæ actori vtilissima est, argumẽto l. si quis, 65. ff. de iudic. ad quod etiam conferet, si libello clausula, quam salutarem vocant, adijciatur; super his omnibus peto mihi iustitiam administrari omni meliori modo: nam per hanc clausulam petitio actoris dilatatur, vt omnis actio & omne remedium, quod in narratis virtualiter continetur, seu inde resultare potest, in iudicium deductum censeatur, sicut notauit Angelus l. c. n. 7. Gaill lib. 1. obseru. 6. n. 11. vbi ait, quòd per talem clausulam iudicis officium imploretur, ita vt plus etiam quàm in libello

libello petitum fuit, in litis progressu obtineri possit, v.g. vt possessorium iudicium intentans possit simul etiam in petitorio obtinere. Sed & hoc omittendum non est, quod in eodem libello plures actiones cumulari possint, si se mutuò compatiantur, v.g. actio possessorij & actio petitorij, item si quis verberatus aut vulneratus est, simul & actione iniuriarum, & legis Aquiliæ agere potest eodem libello, argumento leg. qui seruum 34. ff. de oblig. & notat Gaill lib. 1. obseru. 67. n. 9. qui monet, tot iudicis sententias, quamuis vnò tempore seu contextu requiri, quot actiones sunt, ceterùm si actiones contrariæ cumulentur, libellus substantialiter vitiosus erit, nisi vt suprà dixi, actiones alternatiuæ proponantur.

8 Aduertendum 5. ex Hostiensi de libelli oblatione §. 3. quòd præter dicta etiam alia in libello exprimi debent, quæ omnia hoc versu comprehenduntur:

Quis, qui, coram quo, quo iure petatur,
& à quo
Rectè compositus quisq; libellus habet.

9 *Forma actionis personalis.* Coram vobis domine Iudex comparens Titius actor, vel Procurator Titij exponit, quòd proximo vere sex vini plaustra singula 100. taleris emerit à Caio clerico Augustanę diœcesis, eidémque pretium soluerit, ex quo secundùm omnia iura dictus Caius traditionem vini sine morâ facere tenebatur, qui verò 7. iam mensibus vinum tradere nõ sine damno emptoris prætermisit, ideo petit idem actor iustitiam sibi administrari, Caiúmque condemnari ad vini venditi traditionem vnà cum restitutione damnorum & expensarum ad 50. taleros excurrentium, quibus ille culpabili suâ morâ causam præbuit.

10 *Forma actionis realis.* Coram vobis domine Iudex comparens Titius parochus, vel Titius procurator Parochi Ginzburgensis Augustanæ Diœcesis breuiter exponit, quamuis ager inter duo prata M & N. situs parochiæ suæ redditibus incorporatus, & pro tali ab antecessoribus Parochis possessus sit, nihilominus Bonifacius clericus Augustanæ diœcesis dictum agrum occupat, & hucusque detinere, ac fructus inde colligere præsumpsit, ideò petit actor iudicialiter decerni, dictum agrũ ad ius parochiæ suæ pertinere, & Bonifacium ad restitutionem eius sibi Parocho faciendam vnà cum tractibus perceptis & percipiendis, nec non compensatione damnorum & expensarum omnium condemnari, & efficaciter compelli.

In qua formula talis actionis animaduertere licet, quòd causa seu radix actionis, quod est dominium, seu ius in re, fundamenti loco ponitur, posteà verò subiungitur aduersarij factum, quo huic dominio seu iuri reali cõtrauenit iniustè occupando vel detinendo, exinde enim actio realis oritur ad recuperationem, nisi malit aliquis, ne ad dominij probationem astrictus sit, solam in libello possessionem suam, & aduersarij turbationem aut spolium allegare ac petere, vt per interdictum possessorium sibi subueniatur.

Obijcies. Bartolus, Abbas & alij communiter aiunt, quòd libellus continere debeat syllogismum iuridicum, cuius maior propositio est causa seu argumentum agendi ex iure desumptum, minor autem facti speciem continet, in quo tale jus obligatióque reperiatur, ex quibus sequitur cõclusio, quæ est petitio actoris, vti hanc rem bene explicat Matthæus Wesenbecius in paratitlis lib. 2. ff. tit. 13. n. 3. atqui in propositis libellorum paradigmatibus talis syllogismus non cernitur, ergo non rectè tradita videntur. Resp. Syllogismum in omni libello contineri virtualiter & implicitè, sed non semper formaliter & explicitè, sicuti Logici dicunt.

NOTANDVM tamen est, quòd oratores seu causidici syllogismos in formam non exactè redigere soleant, sed ita proponere, vt & facti species, & ius seu argumentum inde desumptum appareat aptè ad concludẽdum.

Ex his itaque intelligitur intentio huius 11
capituli, quòd iudex ecclesiasticus attendere debeat ad narrationem facti, & causam seu ius actoris, exinde facilè colliget, quid petatur, & quâ institutâ actione, tametsi eius nomen nõ exprimatur. Quòd si actor libellum offerat ineptè compositum v. g. obscurum impro-

impropria verba continentem, aut malè ordinatum iudex reijcere potest, imò lacerare, relictâ tamen potestate actori, vt alium offerat; si autem recipiat, nec Aduersarius contradicat, & lis contestata sit, procedi debet, si ex actis iudicis etiam supplente officio nihilominus appareat, quid & ex quâ causâ petatur, vti Abbas docet hîc n. 12. Decius num. 10.

CAPITVLVM VII.

Intelleximus.

PARAPHRASIS.

Licèt excommunicatus in iudicio stare non possit, excipitur tamen, si ipse conueniatur vt reus, quia non oportet eum ex malitiâ commodum referre, debet autem per alium respondere.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus in iudicio stare non potest, nisi reus.*
2. *Repelli potest à reo per exceptionem, & à iudice, etiam non vitandus, modo excommunicatio notoria sit.*
3. *Acta tamen iudicij valent, si contra excommunicatum, licèt vitandum, exceptum non sit.*
4. *Etiam Notarius & quicunque alius excommunicatum à iudicio repellere potest.*
5. *Reus excommunicatus, maximè vitandus, cogi potest ad constituendum procuratorem, si causa ardua non sit, & habere procuratorem possit, eique debitum salarium dare.*

1 NOTANDVM. Licèt excommunicatus in iudicio agere seu alterum conuenire non possit, potest tamen cõueniri vt reus.

Quod ad priorem attinet partem, vel excommunicatus agere vult in causâ excommunicationis suæ, tum si dicat eam iniustè latam esse, ad iudicium non admittitur, nisi priùs absoluatur, sin autem proponat esse etiam irritam, tunc ad probandam intentionem admitti potest; fermè tamen consultum est, vt priùs ad cautelam absoluatur, quàm audiatur, c. per tuas 40. de sententia excommunicationis: vel excommunicatus in aliâ causâ agere vult, & repelli potest, etsi toleratus sit; sin autem non toleratus seu vitandus, à iudice ex officio repelli debet: verùm si nec à iudice, nec ab aduersario repellatur, acta iudicij valent. Et debent hæc intelligi de omni actione criminali & ciuili, in foro Ecclesiastico & seculari, siue excommunicatus per se, siue per Procuratorem agat, l. iuxta regulam 67. quod alicui non licet suo nomine, nec alieno licebit.

2 Quòd excommunicatus quicunque à reo repelli possit per exceptionem, dummodò, si excõmunicatio notoria nõ sit, eam intra dies octo demonstret, habetur in c. 1. de except. in 6. & videri potest Suar. de censur. d. 16. s. 3.

Quòd verò etiam à iudice repelli possit excommunicatus etiam non vitandus, si excommunicatio publica seu notoria sit, constat ex eo, quia iure antiquo talis repelli debebat cit. c. in fine: iure autẽ nouo post Cõstantiensem extrauagantem, hoc discrimen est inter excommunicatum vitandum & non vitandum, quòd ille repelli debeat, iste autem possit, cùm nihil de rigore iuris antiqui ob fauorem excommunicati remissum fuerit. Vide in c. prudentiam 21. §. 6. de offic. delegati. Denique quòd acta iudicij valeant, 3 si contra excommunicatum quamuis vitandum, exceptum non sit, constat ex c. 1. & docui lib. 1. tr. 5.

His adde, quòd non tantùm iudex & ad- 4 uersarius, sed etiam notarius & quicunque alius excommunicatum à iudicio repellere queat secundùm Gl. receptam in cit. c. 1. ver. opponit, & tradit Dec. n. 19. generalem dans regulam: si iudex ex officio propter bonum publicum supplere debeat, etiam tertium, cuius propriè non interest, admittendum esse.

Quod ad posteriorem partem attinet, videl. reum conueniri posse, ratio in textu est, ne ex iniquitate commodum reportet, quare annotauit hîc Abb. n. 3. Dinus. in reg. 61. in 6.

in 6. sicut dispositio seu lex edita in alicuius fauorem cedere non debet in eiusdem dispendium iuxta reg. cit. 61. *quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*, ita & vice versa si quid statutum sit in pœnam vel odium alicuius, non debet id per se ac directè cedere in eius commodum aut honorem; consequenter verò reo permissa est omnis facultas se defendendi seu omnia agendi, quæ necessaria sunt, ne in iudicio succumbat, quare contra actorem excipere potest, si & ipse excommunicatus sit, teste Decio n. 18. Item iudicem suspectum recusare, ab eius sententiâ appellare, appellationémque prosequi, sicuti hic Glossa monet, & constat ex c. cùm inter, 6. vbi tamen adiungitur, quòd reus excommunicatus actorem in alia causa reconuenire non possit, cùm ea non ad defensionis necessitatem, sed ad nouæ causæ voluntariam prosecutionem spectet: etenim in hac materiâ exactè distinguendum est inter necessarium & voluntarium, nam etiam ipse actor excommunicatus toleratur, si in iudicio causam agere cœpit, nec repulsus sit, postea à reo cõpelli poterit, vt eam prosequatur iuxta Authent. Qui semel, c. quomodo & quando, & tradit Abb. & Decius n. 10. Nam hoc casu non agitur de commodo actoris, sed magis de incommodo. Præterea si aliquis ad beneficium instituendus sit, vel eius electio confirmanda, tum etiam excommunicatus & vitandus, se opponere potest propter necessitatem, si vel ipse in beneficio ius habeat, vel agatur de publico bono Ecclesiæ suæ, cuius ipse membrum est, ne Prælatum indignũ acquirat, sicut resoluit Glossa in c. exhibita. Sed & vice versa si reus voluntarius sit, cogatque aliquem ad agendum v.g. infamatorem suum, vt in iudicio intra tempus à Iudice statuendum ostendat verum esse, quod obiecerat, iuxta l. diffamari 5. C. de ingenuis, cùm hoc casu agatur de commodo rei, obstabit ei exceptio excommunicationis, vti docet Suar. l. c. sect. 6. n. 11. Sayrus lib. 2. cap. 8. num. 12.

Restat quæstio, cùm certum sit, quòd reus excommunicatus procuratorem constituere possit, immò decentius hoc sit, quàm si ipsemet in iudicio compareat, num ad hoc compelli queat, vt procuratorem mittat? Gl. hîc ver. conueniri, Abb. n. 8. Suarez sect. 4. n. 6. existimant, quòd etiam per se stare in iudicio ac defendere se possit. Contrarium docet Imola hîc n. 2. & Decius, quia in hoc capitulo clarè dicitur, quòd debet per alium in iudicio respondere, quare sequor hanc sententiam, si causa ardua non sit, & reus excommunicatus idoneum Procuratorem habere queat, eique debitum salarium dare, cogi eum posse ad constituẽdum Procuratorem, quod maximè procedit, si reus vitandus sit, aut in morâ petendæ absolutionis; nam hoc casu Iudex præsertim Ecclesiasticus citare reum potest hac lege, vt per se non compareat, nisi absolutionem priùs impetrârit, alioquin Procuratorem mittat, dummodò, vt dixi, sine magno suo incommodo id facere possit, ne alioquin afflicto altera addatur afflictio.

CAPITVLVM VIII.

Clerici.

PARAPHRASIS.

Cùm Imperator dicat, quòd leges non dedignentur sacros canones imitari, sacris autem canonibus generatim statutum sit, vt clerici de omni crimine coram Iudice ecclesiastico, non seculari conueniantur, consequens est, nullam in hac re canonibus contrariam consuetudinem prævalere posse.

SVMMARIVM.

1. *Nulla consuetudo, quantumuis immemorialis, prævalere potest aduersus ecclesiasticam immunitatem, seu exemptionem Clericorum & Religiosorum à iurisdictione seculari.*
2. *Iustinianus Imp. in Auth. Vt Clerici apud proprios Episcopos, collat. 6. §. Si verò, SS. Canonibus & Ecclesiasticæ li-*

bertati contrariâ, parùm pius in Ecclesiam statuere ausus est; quæ Fridericus Imperator correxit, & ad antiquam Christianorum Principum formam reduxit.

3. *Clerici in omnibus causis ciuilibus, & criminalibus non possunt conueniri coram iudice seculari, nec valet consuetudo contraria, si pura sit, & non nixa in priuilegio, seu concessione Sedis Apostolicæ.*

1 NOTANDVM Vn. Nulla consuetudo quantumuis immemorialis prævalere potest aduersus ecclesiasticam immunitatem seu exemptionem clericorum & religiosorum à iurisdictione seculari. Ita Canonistæ hîc communiter, & docui lib. 4. tr. 5. c. 10. Probatur ratione huius capituli: Si lex potestatis secularis canonum statuta tollere non potest, sequitur, quòd nec consuetudo secularium possit; atqui lex secularis tollere non potest statuta canonum, inter quæ hoc etiam est, vt clerici non ad seculare, sed ad proprium ecclesiasticum tribunal trahátur, sicuti constat ex Congestis à Gratiano causa 11. q. 1. ergo nec consuetudo eam clericorum exemptionem abolere potest. Maior inde probatur, quia consuetudo est altera lex, seu similem legi originem, obligationémque habens, l. de quibus 32. ff. de legib. ergo qui legem non potest ferre, nec ius consuetudinis introducere, quod intellige suapte auctoritate, & si legislator non permittat, seu prohibeat, vt hîc accidit. Minor probatur, quia secularis magistratus cùm sit subordinatus Ecclesiastico, non potest eius decreta tollere, sed obseruare debet, præsertim si ea disponant circa materiam propriam, videlicet ecclesiasticam, cuiusmodi sunt sacræ & ecclesiasticæ personæ. Etenim si Ecclesiæ vasa, vestes & quæcunque sacrata sunt, à secularium potestate eximantur, cur non multò magis personæ sacræ?

2 Accedit, quòd ipsemet Imperator Iustinianus in Authentica, vt clerici apud proprios Episcopos, collat. 6 §. si verò, dicat, quòd sacros canones etiam Cæsarem non dedignantur sequi leges, & tamen eâ ipsâ Authenticâ sacris canonibus & ecclesiasticæ libertati contrariâ parùm pius in Ecclesiam statuere ausus est, quæ postea præter alios correxit, & ad antiquam Christianorum Principum formam reduxit Fridericus Imperator in constitut. Cassa, & constit. statuimus, de Episcopis: Statuimus, vt nullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium seculare præsumat contra constitutiones imperiales & canonicas sanctiones.

Aduerte hîc, idem de ciuilibus & criminalibus causis dici, quod sacris canonibus & Imperatorum decretis repugnat, si clerici coram iudice seculari conueniantur, neque id vlla consuetudine cohonestari posse ex communi docet hîc Abbas; sed intellige, si mera sit consuetudo, non nixa in priuilegio seu concessione Papæ. 3

CAPITVLVM IX.

Causam.

PARAPHRASIS.

Conuentus monasterij Dulmensis in controuersiâ quadam contra monachos Albani rescriptum Apostolicum impetrârunt ad iudicem delegatum, cui hîc scribit Clemens III. quòd prouidere debeat, vt fratres Dulmenses cum assensu & auctoritate Episcopi sui iudicium ingrediantur, ne si fratres illi in iudicio succumbant, Episcopus, qui & pro Abbate monasterij se gerit, acta iudicij ob consensus sui defectum irrita esse contendat, ideóque noua lis exsurgat.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus, quantumuis professus non sit, potest esse Monasterij Abbas.*
2. *Iudex ex officio supplere debet defectum requisitæ solemnitatis.*
3. *Conuentus absque assensu & auctoritate Prælati sui agere non potest in iudicio; si tamen agat, & obtineat, Prælatus rem ratam habere, seu acta confirmare potest.*

4. Con-

4. *Conuentus tamen in causa propria, v.g. quando agitur de bonis separatim ei attributis, potest agere sine Prælati consensu, & Procuratorem constituere, nisi causa grauis sit & ardua; in tali enim causa etiam Prælatus Capituli consensum requirere debet.*

5. *Siue consensus Prælati requiratur, vt auctoritatem præstantis actui, siue requiratur, tanquam cuius interest: nihilominus sine interueniente tali consensu, consistere potest sententia, vel contractus, si cedat in commodum Ecclesiæ, aut Conuentûs.*

1 NOTANDVM I. Episcopus quamuis professus non sit, potest esse monasterij Abbas, siue quia Ecclesia regularis facta est cathedralis, siue quia incorporata est alteri Ecclesiæ cathedrali. ita Ioannes Andreas.

2 NOTANDVM II. Si Iudex aduertat ex defectu requisitæ solemnitatis iudicij acta eludi vel irritari posse, ex officio supplere debet. Ita Abbas hîc n. 3. Decius n. 2. Felinus n. 1, vbi argum. huius capituli dicunt, quòd iudex, ne laboret in vanum, procuratorem compellere potest ad exhibendum mandatum, vel si de eo dubitatur, ad cauendum de rato; nam iudex ex officio, & parte non petente supplere potest, si agatur de bono non merè priuato, sed etiam publico, aut de honore ipsius iudicis, v.g. libellum ineptum reijcere, accusatorem vel testem iure inhabilem repellere secundùm Abbatem in cap. 1. n. 13. At verò in dicto casu boni publici interest, vt lites sopiantur & non resuscitentur, & ad iudicis honorem spectat, vt sententia eius & acta publica non rescindantur.

3 NOTANDVM III. Conuentus absque assensu & auctoritate Prælati sui agere non potest in iudicio, si tamen absque tali consensu agat, & obtineat, Prælatus rem ratam habere, seu acta confirmare potest, ita colligitur ex hoc c. & tradit Abbas n. 8.

4 Quod ad priorem partem huius notandi attinet, distinguitur, num causa communiter pertineat ad conuentum & Prælatum, an verò sit propria conuentûs, quia v. g. agitur de bonis separatim attributis conuentui, sicut notaui in c. edoceri, 20. de rescript. Primo casu, certum est quòd conuentus agere non possit absque Prælati assensu, quippe ad quẽ administratio bonorum communium spectat: altero verò casu conuentus sine Prælati consensu agere & Procuratorem constituere potest, nisi causa grauis sit, sicuti Ioannes Andreas hîc notat n. 4. Abbas n. 5. sicuti & vice versa Prælatus in rebus arduis capituli consensum requirere debet, idque propter communionem, quæ est capituli cum Prælato tanquam corporis cum capite, vt DD. docent c. quanto. 5. de his, quæ fiunt à Prælat.

Contra posteriorem partem notandi sentiunt Antonius de Butrio & Barbatia hîc, quòd sententia lata in fauorem capituli agentis sine consensu Prælati ratificari non possit, quia ab initio non valuerunt acta, cùm defuerit agendi potestas propter omissam solemnitatem iuris. At verò Aretinus apud Decium hîc distinguit inter consensum & auctoritatem Prælati; si enim capitulum seu Ecclesia inferior in iudicio agat, vel contractum ineat in causâ propriâ, quandoque requiritur auctoritas Prælati tanquam solennitas quædam in fauorem Ecclesiæ, sicut in fauorem minoris alienantis aut in iudicio agentis requiritur auctoritas tutoris; & tamẽ absq; ea actus gestus, vel sententia lata in fauorẽ eius subsistere potest, quantumuis contra ipsum non subsisteret, l. non eo, 14. C. de Procuratoribus. Si verò causa communis sit Conuentui & Prælato, tunc Prælati consensus requiritur, tanquam cuius propriè interest, quare eo non interueniente, irrita erunt acta; eadémque similitudo locum habet in cõtractibus. Sed dicendum est cum Abbate, vtroque casu consistere posse sententiam vel contractum, si cedat in commodum Ecclesiæ aut conuentus; si enim assensus Prælati requirebatur vt auctoritatem actui præstantis, sicuti tutor auctoritatem interponit gestis à minore, hoc casu subsistet sententia vel contractus iure singulari, sicuti loquitur Glossa in l. si tutor 4. C in quibus causis maiores, &c. Consistit autem ius singulare seu priuilegium ecclesiarum ac minorum in eo, quòd contractus vel sententia propter defe-

ctum solemnitatis positiuæ, si naturalia requisita adsint, claudicet; id est, licèt ex parte Ecclesiæ vel minoris rescindi queat, tamẽ eo volente consistere debeat in cõmodum eius, sicut lib. 3. explicaui tr. 4. c. 9. assert. 3. & ponderat Redoanus l. c. allegans regulam, quòd quæ in gratiam alicuius statuta sunt, non debeant in eius dispendium retorqueri: sin autem consensus Prælati requirebatur tanquã cuius interest in propria causa, tunc spectato communi iure verum est generaliter, quòd aliquis ratificare possit, quidquid ab altero suo nomine gestum est intra vel extra iudicium, sicuti hîc docet Felinus n. 6. & 7. & Canonistæ in regulam 6. in 6. rati.

Atque hinc responsio patet ad argumentum Antonij, licet contractus vel acta iudicij absque consensu vel mandato eius, cuius interest, irrita sint, tamen per superuenientẽ ratificationem, si pars altera consensum interim non reuocarit, tantundem efficitur, ac si ab initio firma fuissent iuxta l. licet 56. ff. de judic. is. vbi Bartolus & alij docent, quòd ratificatio retrotrahitur, & confirmat iudicium agitatum cum procuratore falso: idémque quod attinet ad contractus; colligitur ex l. cõmunis 42. ff. de acquir. vel amitt. possess. vbi dicitur, quòd pecuniæ negotiorũ gestori traditæ dominium acquiratur, cùm is ratum habuerit. Neque refert, etsi talis sit gestor negotij, qui pro altero stipulari seu contrahendo acquirere non possit, donec alter, cuius nomine contractum est, rem ratam habuerit, secùs verò est, si sit persona, quæ pro altero stipulari seu acquirere possit, vt religiosus seu conuentus monasterio; si enim promissionem v. g. acceptet, statim obligabitur promittens, vt resilire non possit, sed Prælati exquirenda sit voluntas, num promissionem ratam habere velit, nécne.

CAPITVLVM X.

Cùm non ab homine.

PARAPHRASIS.

Si clericus in quocunq; ordine constitutus in furto, homicidio, vel periurio aut alio simili crimine fuerit deprehensus & conuictus, ab ecclesiastico Iudice deponendus est; quòd si depositus incorrigibilis fuerit, excõmunicari debet, postea cresc-ẽte contumacia anathematizari, denique si in profundum malorum veniens contempserit, cùm Ecclesia vltrà nõ habeat, quod faciat, ideò ne alijs causa perditionis sit, per secularem comprimi debet potestatẽ, ita vt exilium ei deputetur, vel alia legitima pœna inferatur. Quinam clerici priuilegio fori Ecclesiastici gaudeant, leges in Trid. sess. 23. c. 6. de reform. & dixi lib. 1. tr. 5. part. 2. art. 5. n. 3. d. 3.

SVMMARIVM.

1. *Clericus ob crimen depositus, vel absolutè prohibitus exercere Ordinis sui actus, nihilominus gaudet priuilegio fori.*
2. *Ob simplex homicidium, vel furtum tradi non debet potestati seculari, nisi insuetis pœnis delictum ita iteret, vt incorrigibilis appareat.*
3. *Clericus actualiter degradatus, & iudici seculari traditus, sit de eius foro, consequenter eum punire potest.*
4. *Si crimen clerici enorme seu enormissimũ sit, statim potest tradi potestati seculari, licèt non accesserit incorrigibilitas.*
5. *Si non sit enorme crimen, seruãdus est processus contra facinorosum clericum hoc cap. præscriptus, scil. vt deponatur, & ad agendam pœnitentiam in monasterium includatur, quod tamen hodie in vsu non est, sed eius loco condemnari solet ad triremes, atq; operi seruili ad tempus addici, vel in carcerem detrudi.*
6. *Si detrusio in monasterium, aut carcerem, vel relegatio in exilium apud reum nil proficiant, excommunicandus, & vltimò anathematizandus erit.*
   Non antè tamen tradendus est seculari potestati, quàm incorrigibilis appareat, aut si innocentibus, vel bono publico periculum immineat, nisi facinorosus clericus tollatur.
7. *Imò posita etiã incorrigibilitate, aut maioris mali periculo, nõ necessariò clericus crimi-*

criminosus potestati seculari tradendus; cùm possit ab Ecclesiastico Prælato in carcerem perpetuum includi.

8. *Quæ hîc dicuntur de clericis criminosis, locum habent etiam in Religiosis, si criminosi sint.*

1 NOTANDVM I. Clericus ob crimen à clericali ordine depositus, seu absolutè prohibitus, ne ordinis sui actus exerceat, nihilominus manet sub iurisdictione Ecclesiæ, seu priuilegio fori gaudet, vti docui iam tract. 5. p. 2. c. 5. a. 6.

2 NOTANDVM II. Ob simplex homicidium vel furtum, tametsi secundùm leges aut statutum loci laicus morte puniretur, tamen clericus tradi non debet potestati seculari, nisi inflictis pœnis, quas Ecclesia infligere potest, delictum iteret, ita vt incorrigibilis appareat, seu potestatem Ecclesiasticam contemnere, tunc, quia Ecclesia non habet amplius modum coërcendi hominem, Curiæ seculari eum tradere debet.

3 NOTANDVM III. Si clericus ob crimen actualiter degradatus, & iudici seculari traditus sit, efficitur de foro eius, consequenter eum punire potest secundùm leges ciuiles, sicuti colligitur ex c. de pœnis in 6. Tametsi verò Ecclesia pro homine deprecari soleat, vt citra mortis periculum iudex sententiam moderari velit, c. nouimus, 27. de verb. signif. ipse tamen iure suo vtitur.

QVÆRITVR I. Vtrùm modus procedendi contra clericos facinorosos, qui hoc capitulo præscribitur, obseruandus sit. Re-
4 spondeo & Dico I. Si crimen clerici valdè enorme seu enormissimum sit, statim iudici seculari tradi potest, tametsi incorrigibilitas non accesserit. De hac assertione licèt spectato iure non immeritò dubitetur, tamen vsu receptum esse dixi in cit. c. 6. & docent DD. apud Farinacium lib. 1. tit. 1. n. 21. Quare obseruat hîc Abb. n. 6. & Glossator Decij ver. pœnarum, duas esse causas, cur Ecclesia censenda sit non habere vltrà quod faciat, ideóque clericum iudici seculari relinquere debeat: Primò si crimen atrocissimum sit v. g. homicidium non simplex, sed valde qualificatum v. g. parricidium, ita vt pœnæ Ecclesiasticæ, quæ emendationem rei spectant, sufficere non videantur, sed publicâ vindictâ opus sit ad aliorum exemplum. Secundò si pœnæ Ecclesiasticæ non proficiant, quia reus non corrigitur, vt dictum suprà.

Dico II. Si crimen clerici non sit valdè 5
enorme, sed vnum ex talibus, qualia hîc recensentur, v. g. homicidium simplex seu non ex proposito, tùm obseruandus est ordo hîc præscriptus, videl. vt reus deponatur, & ad agendam pœnitentiam in Monasterium includatur c. tuæ, 6. de pœnis iun. Gl. Sed hæc pœna vtpote grauis Monasterij hodie vix in vsu est, sed vel ad triremes condemnari solent clerici criminosi, ac operi seruili ad tempus addici, vel in carcerem detrudi ad pœnitentiam agendam.

NOTA. Quod dico ad agendam pœnitentiam, quia ob homicidium simplex v. g. clericus non debet statim ad perpetuos carceres damnari, vti colligitur ex hoc c. & docet Farinacius cit. q. 5. n. 80. & alij apud Albertinum de agnoscendis assertionibus hæreticis q. 25. n. 33. contrà Abbatem in cit. c. tuæ, de pœnis, qui putat, si in foro ciuili ob commissum crimen mortis pœna imponenda sit, tum in Ecclesiastico foro clericum ad perpetuos carceres damnandum esse, sed huius seueritatis nullum vestigium in sacris canonibus habetur, & hoc modo parùm misericorditer cum clericis ageretur, quandoquidem pœna carceris perpetui morti æquiparatur, argum. c. 1. de hæreticis in 6.

Cetèrùm si detrusio in Monasterium aut 6
carcerem, vel relegatio in exilium iuxta c. 1. de calumniatoribus, reo non proficiat, nec emendetur, quia ex Monasterio elabitur, perfringit carcerem, disciplinam non admittit, vel delictum iterat, quandoque excommunicari & vltimò anathemate affligi potest, quæ est maxima Ecclesiastica pœna medicinalis, quam si reus contemnat, ita vt incorrigibilis appareat, tum Ecclesia non habet amplius quod faciat ad emendationem, consequenter iudici seculari tradere debet. Dixi quandoque excommunicandum etiam antequam trada tur; nulla enim

c 3 gene ra-

generalis regula præscribi potest, nisi hæc, quòd reus non antè tradendus sit, nisi spectatis circumstantiis incorrigibilis videatur, aut si innocentibus vel bono publico periculum immineat, nisi facinorosus clericus tollatur.

7 Dico III. Posità etiam incorrigibilitate, aut maioris mali periculo, necesse non est clericum tradere potestati seculari, quia potest etiam ab Ecclesiastico Prælato in carcerem perpetuum includi, vti habetur in c. vt famæ 35. de sententia excommunicationis, qui textus videtur repugnare huic capitulo, nam hîc dicitur, quòd clericus incorrigibilis comprimendus sit per potestatem secularem; ibi autem dicitur, quòd Prælati non tantùm possint, sed etiam debeát in arcta custodia detinere. Quare Abb. hîc n. 24. Dec. n. 11. laborant in conciliandis his capitulis. Sed Resp. vnum idémque fuisse propositum Cælestini III. & Innocentij III. capitulo, vt famæ, quòd clericus propter crimen homicidij v. g. non antè sed tum demùm penitus exterminandus & abijciendus sit, si incorrigibilitas accesserit: non enim propositum fuit generalem modum abiectionis præscribere, sed vnus respondit de traditione factà magistratui seculari, quia de ea interrogatus erat, alter verò de abiectione in carcerem perpetuum, quia de hoc quæsitum erat; vter autem modus adhibendus sit, relinquitur discretioni Prælati, nam interdum expedit magis ad publicum exemplum, vt reus v.g parricida aut fur sacrilegus & incorrigibilis tradatur magistratui seculari, præsertim, cùm molestum videri possit Episcopo, in carceribus perpetuis clericos tenere; interdum verò magis expedit, vt clericus, qui alioquin realiter degradari, & potestati laicæ tradi deberet, v. g. ob hæresin aut veneficia, ad perpetuum carcerem damnetur, idque probo ex cit. c. 1. de hæreticis in 6. ibi enim talis est seculari Curiæ relinquendus aut immurandus.

8 Qværitvr II. Quæ hoc loco de clericis dicuntur, vtrùm similiter intellenda sint de religiosis omnibus, si criminosi sint. Resp. Affirmatiuè cum Hostiensi & Decio hîc nos. 2. Nam in materia fauorabili, qualis hęc est, nomine clerici veniunt etiam Religiosi, sicut & Episcopi. Ita docet Syluester & alij ver. clericus. Accedit, quòd ratio constitutionis, quæ est tum personarum fauor, tum exemptio à foro seculari, similiter locum habeat in omnibus Ecclesiasticis personis.

CAPITVLVM XI.

Quia.

Paraphrasis.

Pancratium Rectorem Ecclesiâ suâ spoliauerat Vitus, contra quem iniquum occupatorem ad Iudices delegatos Apostolicum rescriptum impetrauit spoliatus. Accidit verò, vt defuncto Vito Rogerius in eandem Ecclesiam se intruderet. Hoc casu respondit Cælestinus secundùm formam prioris rescripti sub eisdem iudicibus causam inter Rogerium & Pancratium terminandam esse, sicuti inter eundem Rogerium & Vitum, si viueret, terminaretur,

Svmmarivm.

Rescriptum ordinariè non extenditur de persona in personam, nisi persona altera ficti-one iuris eadem censeatur.

Notandvm Vnicum. Licèt rescriptum, quippe strictæ interpretationis, ordinariè non extendatur de persona in personam g. B. & G. 40. de offic. delegati. Excipi tamen debet, nisi persona altera iuris fictione eadem censeatur; sic rescriptum impetratum contra Caium, dum is viueret, ob debitum v. g. ex mutuo, produci potest contra hæredem eius seu successorem vniuersalem, quia eadem cum defuncto persona censetur: Qua de re dixi in c. significauit, 36. de rescript. Simili itaque ratione hîc statuit Pontifex, vt rescriptum impetratum contra violentum possessorem produci etiam possit contra eum, qui in vitiosam possessionem scienter successit, idque propter æquitatem canonicam, partim vt lites citiùs expediantur,

tur, c. 5. partim quia etiam secundùm leges ciuiles vitium possessionis ad successorem transire censetur. l. vitia, 11. C. de acquirenda possessione. Ita Gl. fermè communiter recepta, tametsi aliter hoc capitulum Innocentius explicet, sed de hac materia infrà agendum c. 15. & c. sæpe, 18. de restitutione spoliatorum.

CAPITVLVM XII.

Cùm venissent.

PARAPHRASIS.

Solus Papa & non inferior Iudex cognoscere potest de dubijs ortis circa priuilegia Sedis Apostolicæ.

SVMMARIVM.

1. *Priuilegia Sedis Apostolicæ solus Papa interpretari potest interpretatione necessaria, quæ vim legis obtinent.*
2. *Princeps, seu Superiorem non habens potest in propria causa iudex esse; melius tamen & iuri naturali conformiùs aget, si eam vel arbitris committat, vel iudices ordinarios constituat super causis inter ipsum & subditos exortis,*
3. *Iudex inferior Principe in causa propria iudex esse nequit, nisi factum v.g. iniuria ipsi illata notoria sit.*
4. *Episcopus in causa ecclesiæ suæ iudex esse potest, licèt tunc vt iudex recusari possit, aliàs autem vt testis in hoc casu recusari nequit.*
5. *Si iniuria vel alia causa directè pertinet ad Episcopum, aliúmue Prælatum, & notoria non sit, non potest in ea esse iudex.*
6. *Potest Prælatus ad defensionem iurium suorum vel Ecclesiæ suæ extraiudicialiter procedendo, censuras comminari & inferre, modò sit possessor bonæ fidei.*

1 VIdetur fermo esse de priuilegijs à Sede Apostolica concessis v.g. de priuilegijs exemptionis, nam de talibus dubia oriri solent, num legitimè collata aut impetrata, quousque se extendant, & num reuocata. Ait itaque Innocentius III. neminem præter Papam eius priuilegia interpretari posse, quod intelligi debet de interpretatione necessaria, quæ vim legis seu decreti generalis obtinet, cuiusmodi interpretationem solus Princeps seu author legis aut priuilegij, non item inferior facere potest, nam eiusdem est interpretari, cuius est condere, vti hîc Innocentius docet, & explicaui lib. 1. tr. 4. c. 18. not. 2. Sin verò partibus in iudicio contendentibus dubium incidat de priuilegio à Papa concesso, tum iudex cognoscere ac interpretari nõ prohibetur, vti idem Innoc. hîc fatetur, & Dec. n. 4. Verùm talis interpretatio nõ præiudicat, neq; alijs obligationem affert, præterquàm partibus contẽdentibus, nisi à sententia appellare velint, quamobrẽ talis iudicis interpretatio dicitur necessaria; sin autẽ ipse Princeps, videl. Papa legem aut priuilegium à se concessum interpretetur, tum eius interpretatione absolutè standum est, tametsi fortè à mente primitus legem condentis, aut priuilegium concedentis discrepet, eò quòd leges & priuilegia talia ipsius dispositioni subiecta sint, ita vt etiam reuocare possit. Qua de re Decius hîc, n. 3.

QVÆRITVR hic cum Gl. ver. iudicari, si controuersia oriatur, v. g. de priuilegio exemptionis seu subiectionis immediatæ erga Sedem Romanam, quod Ecclesia aliqua prætendit; vtrùm in hac causa Papa cognoscere possit: Videtur quòd non, cùm non possit in propria causa iudicare: in l. vn. C. ne quis in propria causa iudicet. Sed affirmat 2
Gl. hîc, Ioann. Andr. n. 6. Decius n. 5. & docui lib. 3. tr. 6. c. 2. q. 4. quòd Princeps seu Superiorem non habens in causa propria Iudex esse possit. Sumitur ex l. & hoc, 41. ff. de hæredibus instituendis. vbi Tiberius Imperator in causa propria sententiam dixit; meliùs tamen & conformiùs iuri naturali aget Princeps, si vel arbitris committat, vel iudices ordinarios constituat super causis inter ipsum & subditos, iuxta l. 2. C. Si aduersus fiscũ. Vbi dicitur. quòd in controuer-

sia

siâ inter fiscum Cæsaris, & personam priuatam ortâ Procurator Cæsaris vnà cum præside iudex esse debeat, quod & hodie fieri solet, vt eiusmodi lites fiscales cognoscantur ac terminentur ab ijs, qui cameræ seu fisco Principis præsident, quos proinde iustos esse oportet, vt absque personarum acceptione, quod æquum est, inter dominum suum & subditos eius decernant.

3 Sed iudex inferior Principe in causa propria iudex esse non debet, nisi factum v. g. iniuria ipsi illata notoria sit, tum enim non tam iudex esse censetur, quàm iuris executor, vt hîc Abb. ait n. 9. & adiungit, id indifferenter procedere in iudice ordinario v. g. Episcopo. At verò delegatus iudex procedere quidem potest contra volentem impedire iurisdictionem sibi demandatam. c. 1. Sin autem in alia re iniuriam patiatur, pō potest procedere contra iniuriantem, cùm in ipsum iurisdictionem non habeat extra rem sibi commissam, vti notat Innocent. c. dilectus de pœnis. His adde, quòd Felinus hîc n. 7. ex Hostiensi approbat consuetudinem quorundam locorum, vt Episcopus in causis ad ipsum propriè pertinentibus det iudicem parti collitiganti minimè suspectum, sicut paulò antè dixi de præsidente Cameræ.

4 Sed nunquid Episcopus iudicare potest in causa Ecclesiæ suæ? Respondeo & Dico I. Si iniuria vel alia causa ad Ecclesiam vel dignitatem Episcopalem proprie spectet, potest Episcopus in ea iudex esse, ita Innoc. in cit. c. dilectus, Gl. in c. 1. de pœnis in 6. & dixi in c. 3. de postulatione Prælatorum: nihilominus propter coniunctionem, quam Prælatus cum Ecclesiâ gerit, recusari potest tanquam suspectus, vti monet Abb. in c. 1. n. 2. & hîc n. 9. argum. c. cùm super, 23. de offic. delegati, vbi Gl refert. Quòd Episcopus recusatus fuit, quia in alia causa Ecclesiæ suæ aduersarius erat partis, ergo multo magis, si in causa eâdem aduersarius sit. Item argum. c. 25. eod. tit. vbi recusatus Episcopus & Vicarius, quia aduersarius familiaris eorum factus: maior autem est coniunctio & affectionis suspicio erga propriam Ecclesiam, quàm erga familiarem. Ceterùm si Episcopus vel similis Prælatus non recusatur, seu contra eum non excipitur, in causa Ecclesiæ suæ iudex esse potest, cùm tunc alioquin iudicium, vel arbitrium, quod in causa propria profertur, irritum sit, neque partes potestatem dare possint, vti colligitur ex l. penult. iuncta Gl. & docet hîc Decius in fine dicens esse communem sententiam. Veruntamen vt testis in causa Ecclesiæ, si ad ipsum propriè ac per se non pertineat, Prælatus recusari nequit, quia testis non tam facilè recusatur, vt iudex, sicuti annotaui in cit. c. insinuare.

Dico II. Si iniuria vel alia causa directè 5
pertineat ad Episcopum aliúmue Prælatum, non potest in ea esse iudex. Ita habetur in c. inter, 27. iuncta Gl. & traditur in c. 1. de pœnis in 6. Sic Abbas hîc ait n. 9. c. 1. Si Ecclesiæ causa pertineat directè ad mensam Prælati, quòd non possit esse iudex, quia censetur causa propria, argum. c. bidui. Palàm est eam esse propriam causam, cuius damnum ad aliquem suo nomine spectat, etenim cùm Prælatus in tali causa tanquam in proprio facto auctoritatem præstare non possit, Clement. si vna, de rebus Ecclesiæ non alienandis, multò minùs iudicare poterit etiam incidenter, ait Abb. hîc n. 20. Excipiendum verò est, vt suprà, nisi iniuria v g. in Prælatum directe tendens notoria sit, tum iudex seu potiùs executor iustitiæ pœnam legibus decretam inferendo esse potest. arg. c. Guilisarius, 30. causa 23. q. 4.

Dico III. Prælatus ad defensionem iu- 6
rium suorum vel Ecclesiæ extraiudicialiter procedendo censuras comminari & inferre potest, dummodò in possessione sit bonâ fide. Ita Innocent, in c. venerabilis, n. 3. de censibus. Si enim Episcopus possessionem iurium suorum armis materialibus defendere potest, cur non etiam armis spiritualibus, quæ est excommunicatio. Exempli causa, si Episcopus sit in possessione visitandi Ecclesias inferiores & rectores, & Prelati nolint eum admittere prętendentes exemptionem, potest ille possessionem suam tueri armis tam materialibus quàm spiritualibus secundùm Innocent. l. c. Abb. hîc n. 10. ex c. dilecto,

lecto. 6. & c. venerabilibus, 7. ver. attamen, de sententia excommunicationis in 6.

CAPITVLVM XIII.

Nouit.

PARAPHRASIS.

Inter Regem Galliæ & Angliæ contrôuersia erat super comitatu, qui erat feudum Regis Galliæ. Eam inter se composuerunt reges, interposito iuramento, sed non obstante tali fœdere Rex Galliæ occupauit comitatum: Rex Angliæ postquam sæpe Regem Galliæ admoneret, isque abstinere nollet, Papæ Innocentio III. eum denunciauit. Innocentius quibusdam commisit, vt causas seu excusationes Regis Galliæ audirent; verùm cùm Rex coram illis comparere nollet, vt causam cognoscere possent, decreuerat Papa, nisi aliter lis componeretur, terram Galliæ interdicto subijcere. Sed cùm quidam Prælati Galliæ talem processum improbarent, & offenderentur, has ad ipsos literas misit Innocentius, in quibus primùm protestatur, propositum sibi non esse iurisdictionem Regis Galliæ perturbare, aut minuere, cùm nec ipse Rex iurisdictionem Papæ velit aut possit impedire, sed cùm Rex Angliæ offensus à Rege Galliæ processerit secundùm regulam Euangelij Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus &c. ac demum Ecclesiæ denuntiarit, non potest subterfugere Papa, Ecclesiæ vniuersalis Prælatus, quin officium suum interponat, interim audire volens, si Rex excusationem afferre velit. Quare frustrà queruntur aliqui, quasi Papa de feudo illo iudicare velit, cuius iudicium ad Regem Galliæ spectat, nisi huic iuri per priuilegium vel consuetudinem contrariam detractum sit. Non itaque de feudo iudicare vult Papa, sed de peccato mortali, cuiusmodi iudicium & censura haud dubiè ad Romanum Pontificem spectat, & quidem erga omnes Christianos non tantùm infimos aut plebeios, sed etiam sublimes, ipsósque Reges, vt his in hoc genere præcipere, ac inobedientes censuris Ecclesiasticis coërcere possit. Accedit, quòd hîc agatur de violatione fœderis iurati, adeóque de vinculo iuramenti, de quo cognoscere, & ad eius obseruationem compellere ad Ecclesiæ tribunal spectat: quamobrem Papa ait, se Legato suo in mandatis dedisse, vt nisi Rex Galliæ cum Rege Angliæ litem componat, vel saltem causam permittat cognosci de plano, tum procedi debeat ad censuras iuxta formam à Pontifice præscriptam.

SVMMARIVM.

1. *Potestas ecclesiastica & secularis diuersa sunt, vnde neutra alterius negotijs se immiscere debet.*
2. *Ecclesiastici Prælati est per viam denunciationis Euangelicæ de quolibet peccato mortali subditos corrigere, & si opus sit, ad emendationem per censuras compellere.*
3. *Denunciatori onus probandi criminis non incumbit, si solam eius emendationem intendat, sed solùm indicia aperiendi. secùs est, si agat de suo interesse, tunc probatione opus est, & requiritur processus aliquis iudiciarius, saltem de plano.*
4. *Denunciationem merè Euangelicam iudex ecclesiasticus ordinariè admittit, modò monitio priuata antecesserit, non tamen iudicialem, concernentem priuatum interesse inter personas seculares, nisi per accidens.*
5. *Quæstionibus feudalibus Principum de iure communi se Pontifex non immiscet.*
6. *Si in sententia iniustè lata error seu iniustitia expressa fuit, tunc ipso iure irrita est sententia, & retractanda, etsi non appelletur.*

Si autem error seu iniustitia expressa non est, sed nihilominus lata est contra ius partis, valet plerumque ipso iure, sed contra eam appellari potest.

7. *Si sententia ipsò quidem iure valida, lata autem sit iniustè, ita vt de eius iniustitia notoriè constet, aut victor fateatur, admitti potest denunciatio.*

8. *Admitti etiam debet denunciatio, etsi sententiæ iniustitia notoria non sit, neque eam confiteatur pars victrix; tamen pars victa offeratse ad clarè probandam formalem iniustitiam sententiæ, & quòd sciat id victor, qui proinde in conscientia peccati versetur.*

9. *Probabilius est, quòd sententia materialiter iniusta propter errorem, apparente postea veritate, scil. repertis nouis instrumentis, obligationem non pariat.*

1 NOTANDVM I. Potestas Ecclesiastica & secularis diuersæ sunt, quare vna alteram impedire non debet, ita vt nec secularis se immiscеat negotijs Ecclesiasticis, nec Ecclesiasticus iudex immiscеat se negotijs secularibus aliorum regnorum.

2 NOTANDVM II. Ad Ecclesiasticum Prælatum pertinet de quolibet peccato mortali subditos corrigere, & per censuras, si opus sit, ad emendationem compellere, id verò intelligi debet per viam denuntiationis Euangelicæ, nam alioquin se non immiscet magistratus Ecclesiasticus ad cognoscenda & punienda crimina laicorum alterius temporali iurisdictioni subiectorum, nisi in certis casibus, de quibus dicetur tit. sequente.

3 NOTANDVM III. Licèt denuncians crimen fratris apud Prælatum Ecclesiasticum, si solam eius emendationem intendat, non teneatur illud probare, cùm sufficiat indicijs probabile reddere, vt fides denuntianti habeatur, sicuti dixi lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 9. & eodem lib. 3. tr. 6. c. 3. not. 5. Si tamen denuntians agat etiam de suo interesse, id est, vt damnum sibi illatum compensetur, aut debitum restituatur, tum opus est probatione, adeóque requiritur processus iudiciarius aliquis saltem de plano, vt hìc dicitur, & videri potest Clement. sæpe, de verbor. significat. & tradunt hìc Innoc. n. 2. Ioann. Andr. n. vlt. Abb. n. 31. & 48. vbi singulariter admonet, tametsi iudex Ecclesiasticus denuntiationem, quæ est merè charitatiua Euangelica, tendens ad emẽdationem fratris, ordinariè admittat, modò priuata monitio antecesserit, sicut dixi in cit. c. 4. tamen denuntiationem istam iudicialem, quæ priuatum quoque interesse spectat, inter personas laicas Ecclesia ordinariè nõ admittit, sed ad iudicem secularẽ remittit, nisi ista vel saltem vnum ex istis concurrat, videl. quòd iudex secularis nolit iustitiã administrare. c. ex tenore, 11. de foro comp. Item si ratione iuramẽti, ad cuius obseruationem propter diuini nominis honorem causa Ecclesiastica fiat, vt hìc apparet, & dixi lib. 4. tr. 9. c. 2. de periurio. Denique ob defectum iudicis, quia 4 videl. debitor seu reus Superiorem nullum habet, à quo cogi possit, requiritur tamen, vt in tali casu, quo Ecclesiasticus extraordinariè se immiscet, monitio antecedat, sicuti colligitur ex hoc c. & tradit Abb. n. 48.

NOTANDVM IV. In quæstionibus, 5 quæ circa feuda Principum secularium oriuntur, Papa se non immiscet, cùm talis cognitio pertineat, spectato communi iure, ad dominum feudi, vel ad pares Curię, vti suprà dixi in c. cæterùm. Dixi *communi iure*, quia per priuilegium aliter constitui potest, vt quæstiones de feudo ab alijs decidi debeant, fortè enim, inquit Innocent. hìc n. 5. Rex Angliæ Ioannes habebat priuilegium à Ludouico Rege Galliæ, vt in quæstionibus ortis super feudo comitatus Pictauiæ non ad ipsum Galliæ Regem, tanquam feudi dominum, aut regni proceres iudicium spectaret, sed communi partium consensu iudices aut arbitri statuerentur: etenim priuilegium, quod non subdito datum fuit, amplius reuocari non potest, cùm censeatur iuris abdicatio facta, vt docui lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 25. & videri potest Felinus hìc n. 8. Idémque est, si per consuetudinem tale quid introductum sit, nam priuilegium, & præscripta consuetudo parificantur: ait Gl. hìc ver. consuetudinem. Innocent. cit. n. 5. dummodò sit capacitas in vsu capiente, vt rectè limitat Abb. n. 22. Atque etiam tali casu, si nimirum non subditus controuersiam habeat cum Principe, eáque per transactionem

com-

componi non possit, tunc ad Papam recurri debet inter Christianos, vti docet Innocent. in c. licet, n. 4. Felinus hîc, n. 4. Idémque sentiendum, si inter vasallum controuersia sit, atque pares Curiæ suspecti sint, & lis aliter componi non possit, vti ex Hostiensi hîc tradit Abb. n. 14. Ratio dari debet ex necessitate, quia alioquin grauia bella inter Christianos oriri possent.

6 QVÆRITVR. Si sententia iniustè lata dicatur, posteaquam ea in rem iudicatam transijt, quia non fuit appellatum intra decendium, num denuntiatio à Prælato Ecclesiastico admitti debeat. Supponendum priùs est, quòd sententia tribus modis iniusta esse possit. Primò, si error siue iniustitia expressa fuit in sententia, tunc ipso iure irrita est, & retractanda, tametsi non appelletur, l. 1. quæ sententiæ siue appellationes rescinduntur. Secundò, si error & iniustitia in sententia expressa non est, sed nihilominus lata est contra ius partis, videl. non secundùm allegata & probata, vel non secundùm iura & receptas consuetudines, tunc valet plerumq; ipso iure, sed contra eam appellari potest. Tertiò, si sententia tantùm materialiter iniusta sit, quia iudex iudicauit secundùm allegata & probata, sed postea detegitur error, v. g. propter instrumenta noua reperta.

7 Nunc Respondeo & Dico I. Si sententia (quæ tunc ipso iure valuit) iniustè lata dicatur, atque de iniustitia constet notoriè aut ex confessione aduersarij, tunc admitti potest denuntiatio: cùm enim victor seu is, pro quo sententia iniustè lata est, rem sibi adiudicatam absque peccato accipere aut retinere nequeat, vti Innocent. docet in c. quia plerique n. 3. de immunitate Ecclesiæ, sequitur ob hoc peccatum auertendum, si aliter tolli non possit, Ecclesiæ illum denuntiandum esse.

8 Dico II. Tametsi iniustitia sententiæ notoria non sit, neque eam confiteatur is, qui in iudicio obtinuit, si tamen victus vel alius quispiam offerat se ad clarè probãdum, quòd sententia iniustè lata sit formali iniustitia, & quòd id sciat victor, adeóque in conscientia peccati versetur, admittenda erit denuntiatio, vti hîc docet Ioann. Andr. n. 32. Felin. n. 6. contra Baldum in Auth. clericus n. 4. Nam quotiescunque frater seu Christianus à peccato mortali, in quo versatur, desistere non vult, Ecclesiæ denuntiari potest: sed victor in hoc casu, si sciat sententiam iniustè pro se latam esse, non potest rem sibi adiudicatam retinere sine peccato, ergo si ita detineat, Ecclesiæ denuntiari potest.

Obijcies. Sententia lata post decendium transit in rem iudicatam etiam iure canonico, ergo non debet retractari. Resp. Vel victor fatetur, aut notorium est, sententiam iniustè latam esse, tum nulla est difficultas, quia licèt præsumptio iuris & de iure sit, quòd pro iustitia iudicatum sit, contra quam non admittitur probatio in contrarium, ea tamen cessat, postquam de contrario videl. formali iniustitia constat, quare etiam in iudicio talis sententia retractari debet, teste Abbate hîc, n. 20. Vt proinde denuntiatione Euangelica opus non sit, sicut bene docet Felin. n. 5. nisi in defectum, si coram iudice iustitia impetrari non possit.

Vel non est notorium, nec victor fatetur, tum dupliciter Respond. Primò, quòd denuntians Euangelicè directè non agat, vt rescindatur sententia, sed vt tollatur peccatum, quod cùm tolli non possit, nisi aliquid detur aut fiat contra latam sententiam, ideo consequenter petitur restitutio contra sentẽtiam. Secundò ex Felino hîc n. 5. Sicut ob lites minuendas ex simplici promissione actio non conceditur in foro ciuili, imò etiam Ecclesiastico secundùm quosdam, nihilominus admittitur denuntiatio ad amouendum peccatum, in quo is versatur, qui simplicem acceptatam promissionem violat, vti dixi c. 1. de pactis: ita similiter vt litium finis sit, contra latam à iudice sententiam post decendium in iudicio non auditur victus, si eam oppugnare velit, nihilominus in foro canonico per viam denuntiationis ad amouendum peccatum admittendæ sunt probationes.

Dico III. Si sententia materialiter tantùm iniusta fuit, maior est difficultas, vti constat ex ijs, quæ dixi lib. 3. tr. 6. c. 2. n. 8. 9

Nam probabiliter dici potest, si iudex iudicauit secundùm allegata & probata, ideóque materialiter iustè per hanc sententiam ius acquiri victori, quod postea repertis nouis probationibus aut instrumentis auferri non debet. Sicut etiam accidit in vsucapione, vt si rem alienam bonâ fide per tempus legitimum possederis, in ea ius ac dominium acquiras, vt ne in conscientiæ quidem foro obligeris ad restituendum, etsi postea intelligas ad alterum pertinuisse rem vsucaptam, vt dixi lib. 3. tr. 1. c. 8. Veruntamen contrarium est probabilius, quòd sententia materialiter iniusta propter errorem, apparente postea veritate, videl. repertis nouis instrumentis obligationem non pariat, vti dixi cit. c. 2. n. 8. Idque confirmatur inde, quia talis sententia quandoque retractatur non tantùm iure singulari, si lata sit contra minorem, Ecclesiam, aut fiscum, vt cuti videri potest apud Baldum; sed etiam si lata sit contra maiorem, quandoque saltem ex Principis gratia retractatur sententia, vti docui c. 4. & seq. de in integrum restitutione: talis autem retractatio sententiæ à Principe non concederetur, si parti ius aut dominium acquisitum esset, quippe cùm Princeps iuri acquisito derogare non soleat. Denique talis translatio alicuius iuris ex vi latæ sententiæ asserenda non est sine textu expresso.

CAPITVLVM XIV.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Persona principalis per seipsam, non per aduocatum ea, quæ ad factum pertineant, in iudicio proponere debet, nisi adeò simplex & indiscreta sit, vt eius defectus per alium de licentia iudicis supplendus videatur.

SVMMARIVM.

1. *Principalis persona per se, & non per aduocatum debet in iudicio proponere ea, quæ in facto consistunt; quæ autem in iure consistunt, expediri possunt per aduocatum.*
2. *Personæ indiscretæ, vulgò simplices dictæ, possunt per aduocatum ea, quæ in facto consistunt, in iudicio proponere.*
3. *Admittendæ ea sunt etiam ad alios legitimos actus, vt v. g. testamentum condere possint.*
4. *Procurator non minùs, quàm principalis aduocatum sibi adiungere potest.*

NOTANDVM I. Ea, quæ in facto consistunt, ipsa persona principalis in iudicio proponere debet, quia quisque melius scire præsumitur, quæ ad se propriè spectant, c. ab excommunicato, 41. de rescript. Quare principalis litem contestari debet, vt appareat, an in eam consentiat, quia ipsemet litis dominus efficietur, obligationémq; contrahet erga aduersarium, & non aduocatus, deinde ad iudicis interrogationes & aduersarij positiones principalis respondere potest, secundùm Gl. in c. 1. de confessis. Decius hîc, n. 2. Bene tamen monet Ioann. Andr. n. 3. Quòd aduocatus interesse possit, vt caueat, ne clientulus obscurâ positione decipiatur. 1

Veruntamen, quæ ad ius spectant, seu in iure consistunt, aduocatus expedire potest, videl. libellum aptum formare, positiones & exceptiones ordinare, vti docet Andr. n. 4. eum verò adituabit clientulus de facto ipso cum omnibus circumstantijs bene informando, nam ex facto ius desumi debet, seu secundùm varietatem factorum variæ actiones instituí, & varia iura depromi debent. Et simili ratione dicitur in l. vn. C. vt quæ desunt &c. quòd iudex ex officio supplere possit allegando, quę iuris publici sunt, si fortasse minùs à parte litigante vel aduocato dictum fuit, non autem supplere potest, quæ in facto consistunt, si eorum notitiam non habeat tanquam iudex, seu vt persona publica, vt Gl. ibidem monet.

NOTANDVM II. Personis, in quibus iudicij seu discretionis aliquis defectus, & vulgò simplices vocantur, permitti potest, vt per aduocatos ea, quæ facti sunt, proponant, 2

non

non autem sermo est de amente, seu rationis impote, iste enim in iudicio per se cõtendere non potest, sed per Procuratorem: & similis ratio est de prodigo, postquam ei administratio bonorum interdicta est. l. 1. ff. de curator. furioso &c. sed antequam ei administratio interdicta sit, etsi manifestè constet rerum suarum prodigum esse, inter discretas personas numerari potest, de quibus hic sermo est.

3 Porrò eiusmodi simplices seu perfectam rationis discretionem non habentes sicut in iudicio stare possunt agendo, aut se defendẽdo, ita multò magis ad alios actus legitimos admittendi sunt, vt v.g. testamentum condere possint, sicuti hîc docet Decius n. 3. Angelus Aretinus in §. præterea. n. 2. quibus non
4 est permissum. Ad extremum aduerte cum Innocentio hic n. 2. in c. isto de aduocato agi, non de procuratore; nam procurator litem contestatur, eiúsque dominus efficitur, c. 1. de procuratoribus in 6. & nihil obstat, quin etiam procurator aduocatum sibi adiungat, à quo adiuuetur, sicuti principalis.

CAPITVLVM XV.

Examinata.

Paraphrasis.

Matthæus de Riparia vir nobilis controuersiam habuit cum quibusdam militibus super iure patronatus cuiusdam Ecclesiæ, interim verò hoc ius sequestratum fuit apud vicedominum seu Vicarium Episcopi Sabinensis, postea Matthæus actionem in iudicio instituit contra milites, quâ ius patronatus sibi vendicabat, atque restitui petebat, & tum in processu iudicij testes produxit, qui deponebant, eo tempore, quo Vicarius Ecclesiam tanquam sequestratam accepit, Matthæum in possessione iuris patronatus fuisse: quæ cùm ita se haberent, Innocentius III. respondit, intentionem illius seu petitionem nõ subsistere, quia cùm ius patronatus ipse non possideret, nec rei vendicationem intentare, nec restitutionem sibi fieri poterat petere, igitur milites absoluit à petitione eiusdem Matthæi, ita tamen, vt si postea congruentem actionem instituerit contra milites, ij nihilominus respondere teneantur.

Svmmarivm.

1. *Sequestrum non tantùm in rebus corporalibus, sed etiam in incorporalibus seu iuribus locum habet.*
2. *Sequester, durante lite, rem litigiosam verè possidet, si sequestrum voluntarium sit, si quidem de possessione litigetur: secùs est, si lis sit de proprietate.*
3. *Si intentio & petitio actoris inepta fuit, reus absolui debet ab huius iudicij instantia; ius tamen integrum manet ei, vt libellum aliter formet.*
4. *Iudex in principio videns libellum esse ineptum, debet eum ante litis contestationem recipere, si talis autem in principio non appareat, admittendus est.*
5. *Si in progressu litis videatur intentio & petitio inepta, instantia eius iudicij dissoluenda est.*
6. *In libello præter conclusionem, seu petitionem, contineri debent duo: primum est factum, secundum causa.*

NOTANDVM 1. Sequestrum non tantùm in rebus corporalibus locum habet, sed etiam in incorporalibus seu iuribus, nam hoc casu ius patronatus sequestratum erat penes Vicarium, et videlicet ipse tanquã depositarius interim detineret, atque suo tempore rectorem seu beneficiatum præsentaret, vti hic Innocentius notat n. 1. nam ad hoc communi partium consensu sequestrum factum fuit, vt interim, quæ ratione iuris patronatus facienda erant, Vicarius expediret. Neque obstat, quòd is patronus non sit, quia est loco patroni, quemadmodum nec is patronus est, sed loco patroni, qui castrum, cui ius patronatus annexum est, hypothecæ nomine possidet, relictâ ipsi potestate præsentandi, vti notauit Ioan. Andreas c. cùm Bertoldus n. 22. de sentent. & re iudic. 1

2 QVÆRVNT hîc, vtrùm sequester, seu is, cui res litigiosa interim dum lis durat, in depositum tradita est, verè possideat. DD. cit. affirmant, si sequestrum voluntarium sit, id est, non iudicis auctoritate & iussu, sed partiũ voluntate institutum: quæ sententia haud dubiè vera est, si lis fuerat de possessione, sin autem non de possessione sed de proprietate, vt in casu huius capituli, tum videtur negandum cum Felino n. 11. quia animus amittendæ possessionis præsumi non debet, nisi causa aliqua cogat; hîc autem nulla cogit, quia apud sequestrum possessor rem litigiosam deponere potest, tanquam apud custodem, qui alieno nomine possidet, vti sumitur ex l. interesse 39. ff. de acquirendâ possessione, vbi dicitur, tum demùm per sequestrationem amitti possessionem rei, sed si animus eam amittendi fuit, & hoc apertè fuerit dictum, licèt Glossa & Bart. aliter sentiant sed textui non conuenienter.

3 NOTANDVM II. Si in processu litis appareat, quòd intentio ac petitio actoris inepta fuit, reus absolui debet duntaxat ab huius judicij instantiâ, vt interim actori ius integrum maneat libellum ac petitionem aliter formandi, pro maiore intellectu.

4 Aduerte 1. Si iudici à principio appareat, libellum ineptum esse seu malè concludentem, ante litis contestationem reijcere debet l. 1. ff. de assess. sin autem in principio non appareat, admittere libellum debet; nam is latè & benignè interpretandus, atque in dubio pro intentione actoris præsumendum est, vt eius intentio & actio subsistere possit, teste Innocentio hîc n. 2. & sumitur ex l. 66. ff. de iudicijs, si quis intentione ambiguâ vel oratione vsus sit, id quod vtilius ei est, accipien-
5 dum est. Ceterùm si in progressu litis appareat intentionem, petitionémque ineptam fuisse, tum instantia eius iudicij dissolui debet, vt hîc videre licet, nam inter articulos probatoriales seu probandos actori vnus cõtinebat, quòd Matthæus fuerit in possessione, cùm Ecclesia in sequestrationem daretur, idque per testes actor probare volebat, tum verò apparebat intentionem eius ineptam fuisse, petiit enim intentatâ rei vendicatione, vt ius patronatus sibi restitueretur, quod absurdum & impossibile est, quia ad actionem realem seu vendicationem rei duo necessariò requiruntur, & vt non possideat actor, & vt petat ab eo, qui possidet, aut saltem dolo possidere desiit, in proposito autem omninò contrarium erat, quia milites ius patronatus non possederant, sed ipsemet Matthæus, qui ius patronatus quasi dominium sibi vendicabat, & adhuc in possessione manebat, quando solùm custodiam in sequestrum transtulit, vt suprà dixi, & docet Ioannes Andreas hîc n. 4.

Aduerte 2. Quod etiam monui in cap. 6. hoc tit. in libello quolibet præter conclusionem seu petitionem ad iudicem directam duo contineri debent; primum est factum, quod necessariò exprimitur, cùm sit fundamentum ac veluti basis cuiuscunque actionis: secundum est causa, quæ veluti forma facti, illúdque terminat ad certam actionem, videlicet Titius me vulnerauit iniustè, & ideò obligatus est ad resarcitionem damni, vel obligatus est ad satisfactionem pro iniuria. Tametsi verò non semper necesse sit causam exprimi, cùm sæpe in facti narratione libelli implicitè contineatur v. g. Titius me vulnerauit, ideo peto eum condemnari ad resarciendum damnum, tum exprimi non debet causa inepta, seu petitioni actoris repugnans, argum. l. 1. ff. si mensor, vt si dicat actor, apud Titium deposui equum, quare cùm mihi actione locati obligatus sit, peto eum condemnari, reijcitur libellus. Ceterùm si appareat vel præsumi possit de intentione actoris, quamnam is actionem intentare velit, tametsi per errorem aliam nominauerit, non apparet id ei obesse post litis contestationem, si talis libellus receptus fuerat, teste Abbate n. 20. quia potiùs attẽdi debet, quod in veritate agitur, quàm quod per errorem exprimitur, quæ regula tunc vera est, si ad formam substantialem actûs non requiratur expressio, sicut in libello non est necesse nomen actionis exprimi; quare etsi per errorem alia exprimatur actio, non vitiabitur libellus, dummodò constet de intentione actoris, etenim hoc casu perinde censeri debet, si

actio

actio inutilis, seu non competens, adiecta sit, ac si nomen actionis omissum fuisset.

Quamobrem reijcienda est eorum persuasio, qui ideò existimant Matthæi actionem in hoc capitulo repulsam fuisse, quia dicebat se vendicationem iuris patronatus instituere, cùm tamen in rebus solùm corporalibus ea locum habeat, pro iuribus seu rebus incorporalibus competat confessoria aut negatoria in rem actio. §. æquè, instit. de actionibus. & explicaui lib. 3. tr. 5. c. 3. n. 1. nam Pontifex hîc non reijcit probationem Matthæi, quòd in nomine actionis errauit, sed quia in intentione; volebat enim ab aduersarijs ius patronatus actione reali repetere, cùm tamen ipsemet & non aduersarij possiderent. Accedit, quòd in iure canonico non attenditur ad hæc vocabulorum discrimina, sed latè loquendo omnis actio realis etiam quæ est pro iure patronatus, & similibus, rei vendicatio appellari solet, vti videre est in c. cùm venerabilis 6. in fine de exceptionibus.

CAPITVLVM XVI.

Cùm deputati.

Paraphrasis.

Intellexit Innocentius III. quòd Præceptores seu Commendatarij ordinis militaris in Italia repellerentur à iudicibus, si ortâ controuersiâ circa domos suas, quarum commendam & administrationem gerunt, in iudicio comparere vellent agendo vel respondendo, propterea quòd aliunde videlicet ex regionibus vltramontanis aduenientes eorum natio & origo ignota esset: id improbat Papa & mandat, vt in iudicijs admittantur, quia si iuxta institutum suum & commissam administrationem laudabiliter se gerunt, nihil referre debet, ex quâ regione oriundi sint.

Svmmarivm.

1. *Peregrini & ignoti Religiosi à Prælatis Ordinum recepti, & intra Ordinem administrationi præfecti, ab Episcopo tolerari debent, modò, vt alij, religiosè viuant.*
2. *Religiosi habentes administrationem, aut beneficium, possunt super iuribus agere, & conueniri in iudicio; & si is sub Prælato superiore constitutus sit, ita vt vterque actu administrationem habeat, tum agere potest inferior, si Superior permittat, & non ipse agere malit. Si verò inferior tantùm in actu habeat administrationem, & Superior in habitu, Rector seu administrator præferri debet, nec Superior ordinariè se immiscere debet, nisi in defectu inferioris.*
3. *Vacante ecclesia inferiore, v. g. parochiali, non currit contra eam præscriptio, nec decimarum parochialium alienatio valet ab Episcopo cum consensu Capituli, nisi Ecclesiæ vacantis parochialis legitimus defensor deputatus sit.*

NOTANDVM I. Si religiosi peregrini & ignoti à Prælatis Ordinum recipiantur, & administrationi intra ordinem præficiantur, non potest Episcopus conqueri, dummodò ij statui religioso conuenienter, sicut alij, viuant. ita Abbas hîc n. 1. Et hoc modo limitandum ait capit. vlt. de clericis peregrinis, vti etiam significaui c. 3. eod. tit. 1

NOTANDVM II. Religiosi habentes administrationem aut beneficium, possunt in iudicio super iuribus suis agere & conueniri. 2

Sed quæstio est, si religiosus administrationem gerens sub Prælato superiore constitutus sit, vel Commendatarius sub Magistro ordinis militiæ, vter alteri præferri debeat. Hanc quæstionem tractant hîc Innocent. Andreas, Abbas, Felinus. idem Innocent. c. olim causam. 12. de restit. spoliat. Resp. potissimùm esse attendendũ, num vterq; inferior & superior administrationem iurium ac bonorum actu habeat, an verò inferior tantùm habeat in actu, superior autem in habitu, ita vt ordinariè se non immisceat. Primo casu potest agere inferior, si superior permittat. sin autem ipsemet agere malit, tum præferendus est inferiori, ita sumitur ex Clem. 1. iuncta

sta Gl. ver. liceret, de rescript. Innocentio in cit. c. olim n. 1. Abbate hîc n. 15. qui aiunt, id procedere etiam in obedientiarijs, seu qui ad nutum Superioris ab administratione remouentur, quod nihilominus pro iuribus Ecclesiæ, beneficij aut domus sibi commendatæ agere possint in iudicio, v. g. Rectores Collegiorum Soc. Iesu, ita tamen, vt si causa ardua sit, ad Superiorem referant, vti monet idem Abbas l. c.

At verò in casu posteriore præferri debet Rector seu Administrator, vt is potiùs in iudicio agat, & conueniatur in causis pertinentibus ad Ecclesiam vel administrationem, Superior autem ordinariè se non immisceat, nisi in defectum inferioris, sumitur ex c. edoceri 21. de rescript.

Si bona Conuentûs à mensa Prælati diuisa sint, quòd Conuentus agere possit in iudicio, non requisito Prælato, idémque in proposito casu docet Abbas hîc n. 8. Bartolus in l. sancimus nemini n. 9. C. de SS. Eccles. dans rationem, quia inferioris Rectoris, ad quem administratio ita pertinet, principaliùs interest, argum. l. 2. §. simul. ff. ad Leg. Iuliam, de adulterijs, vbi ob eandem causam resp. quòd maritus præferendus sit patri adulteræ, si vterque adulterum accusare velit.

Aliud exemplum. Si controuersia sit de iure decimarum, potiùs parochus agere debet, quàm Episcopus, quia hoc ius ad parochum specialiter ac proximè spectat, sin verò is negligat, vel ad agendum sufficiens non sit, tum Episcopus succedet, tanquam qui omnium suæ diœcesis generalem curam gerere debet. Ceterùm si aliqua causa sit, quæ æquè ad Episcopum pertineat, vt si quartam partem decimarum percipiat, tum & ipse agere poterit, & dabitur locus præuentioni, vt notauit Ioan. Monachus in c. 1. n. 3. de rebus Ecclesiæ non alienand. in 6. & fortasse idem dici posset in alijs quibusdam casibus, vt si patronus laicus administrationem reddituum fabricæ sibi vendicet, vel coloni prouentus fabricæ soluere recusent, quia talia etiam Episcopi administrare solent.

Ex dictis infertur à DD. Innocentio in c. olim n. 2. Felino n. 2. quòd vacante Ecclesia inferiore v. g. parochiali, non currat contra eam præscriptio, quia caret defensore, videlicet Rectore proprio, ad quem principaliter pertinet eius iura defendere, tametsi adsit mediatus, videlicet Episcopus, qui eam defendere possit: idque sumitur ex c. 10. de rebus Ecclesiæ non alienand. in 6. vbi ob eandem causam resp. alienationem parochialiũ decimarum non valere, si facta sit ab Episcopo cum consensu capituli, dum Ecclesia parochialis vacaret, nisi eidem Ecclesiæ defensor priùs ab Episcopo deputatus sit, quemadmodum & pupillo, qui tutore caret, defensor assignandus est, si res eius alienetur, teste Glossâ hîc. & videri potest Petrus Ancharanut in c. cit. Francus n. 7. & hæc multò magis locum habent in Ecclesia collegiata, dum ea vacat, nihil contra illam attentari, nec alienationem fieri posse, etiam Episcopi accedente consensu, nisi Ecclesiæ legitimus defensor deputatus sit.

CAPITVLVM XVII.

Qualiter.

PARAPHRASIS.

Prælati & Iudices ecclesiastici laicis cõquerentibus de clericis iustitiam plenè administrare debent, atque reijcere appellationes friuolas, quas clerici sæpe interponunt, ne ob iustitiæ defectum clerici ad forum seculare trahantur, quod fieri omnino non debet.

SVMMARIVM.

1. *Si laicus cum clerico litiget coram iudice ecclesiastico, proceditur secundùm leges fori ecclesiastici.*
2. *Ob defectum iustitiæ iudicis secularis potest iudex ecclesiasticus cognoscere de causis pertinentibus ad forum seculare; non tamen vicissim defectum ecclesiastici iudicis potest supplere secularis.*

No-

1 NOTANDVM I. Si laicus cum clerico litiget coram Iudice ecclesiastico, proceditur secundùm leges fori ecclesiastici, non ciuilis, c. quod clerici 9. de foro competente. l. 3. §. testes. de testibus; licèt enim secundùm leges ciuiles ante sententiam definitiuam appellare non liceat, quia tamen secundùm canones etiam à sententiâ interlocutoriâ appellare licitum est, allatâ causa rationabili c. super 12. iuncto c. vt debitus. 59. de appellationibus, ideò id seruari etiam debet, si laicus in foro ecclesiastico litiget.

2 NOTANDVM II. Licèt ob defectum iustitiæ in foro seculari Iudex ecclesiasticus cognoscere possit de causis pertinentibus ad forum seculare, c. ex transmissa. c. licet. hoc tit. non tamen vice versa ecclesiastici iudicis defectum secularis iudex supplere potest. Ratio discriminis duplex est: Prima, quia Iudex secularis incapax est iurisdictionis ecclesiasticæ, saltem vt iure ordinario eam exerceat, sicut dixi c. 2. hoc tit. sed Iudex ecclesiasticus capax est iurisdictionis eius, quæ de rebus ciuilibus etiam inter laicos exercetur. Imò olim consuetum erat, vt causæ ciuiles fidelium ad Episcopum loci deferrentur, vt ostendi lib. 1. tr. 5. part. 5. cap. 8. n. 6. & lib. 3. tr. 6. c. 1. n. 2. Altera, quia Iudex maior minoris iudicis negligentiam supplet, non minor maioris: vti hîc ait Abbas n. 7. sed Iudex secularis minor est Ecclesiastico, eique ratione altioris finis subordinatus. argum. c. denique, & Extrauag. vnam sanctam, de maioritate.

CAPITVLVM XVIII.

Causam.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem & conuentum Vindonensem atque Archidiaconum Carnotensem controuersia erat de iure recipiendi procurationes, eam Papa Archidiacono & alijs quibusdam commiserat, sed quia postea intellexit, tunc Archidiaconum similem penè controuersiam habere, ac proinde suspectum esse, tanquam qui Archidiacono Carnotensi faueret, ideò in locum eius Decanum subrogauit, præcipiens, vt is literis prioribus non obstantibus, in causa vnà cum alijs delegatis procedat.

SVMMARIVM.

1. *Iudex vni parti litigãtium nimis fauens, vt suspectus recusari potest ab altera parte.*
2. *Recusari etiam potest iudex, qui vt priuatus consimilem causam agitat.*
3. *Licèt Ordinarius, si causam alteri delegauit, absolutè reuocare hanc potestatem posset, non tamen decet, vt sine causa id faciat.*

NOTANDVM I. Si Iudex vni parti litigantium nimis fauere censeatur, vt suspectus recusari potest ab alterâ parte, ac peti à Superiore, si ille delegatus sit, vt alius in locum eius subrogetur. Vide quæ dixi in c. causam, 17. de officio delegati. sed 1

Quæritur causa, cur Iudex consimilem causam agitans recusari possit. Resp. Quia præsumptio est ipsum ita iudicaturum, sicuti pro se iudicari cupit, ne sibi ipsi contradicat, aut non eo iure vtatur erga alios, quo iure cupit agi erga seipsum. Exemplum habes: Dubitatum erat, num monasterium ratione visitationis & procurationis subiectum esset Archidiacono Carnotensi, similem autem controuersiam cum monasterijs quibusdam habebat Archidiaconus Parisiensis; quòd si is Iudex sit in priore causa, facilè adducetur, vt pro Archidiacono Carnotensi iudicet: si enim contra ipsum iudicaret, suam ipsius causam, quam similem gerit, indirectè damnare videretur. 2

NOTANDVM II. Licèt Ordinarius, si causam alteri delegauit, absolutè reuocare semper possit potestatem, l. iudicium 58. ff. de judicibus, non tamen decet, vt sine causa reuocet, quamobrem Pontifex hîc causam reuocationis dedit. Ita Ioan. Andreas hîc n. 4. argum. l. litigatores. ff. de arbitris. Ex quo infertur, si in secundo rescripto non fuisset 3

reuo-

reuocatio prioris commissionis expressa, præsumendum fuisse, quòd per subreptionem vel obliuionem rescriptum emanasset, argum. c. ad hoc, 12. de sententiâ excommunicationis.

CAPITVLVM XIX.

Exhibita.

PARAPHRASIS.

Rabanus electus erat in Episcopum Vindunensem, huic electioni se opponentes Archidiaconus & alij, impetrârunt literas papales ad Episcopum Parisiensem & coiudices sub eâ formâ, vt vocatis vocandis, super propositis & alijs, quæ negotium concernunt, inquirerent veritatem; cùm autem coram his Iudicibus electis obijceret aduersarijs partim conspirationem aduersus se, partim excommunicationem, offerens se ad exceptiones has probandum, iudices interlocuti sunt, quòd de his obiectis & negotio principali simul inquirere vellent, ideóque quasi non Iudices, sed inquisitores constituti essent, volebant exceptiones admittere, sed super exceptionibus & negotio principali pariter procedere cogitantes, lite etiam super negotio principali non contestata, procedebant ad testium receptionem iuris ordinem peruertentes: quamobrem electus appellauit ad Honorium III. qui alijs à se delegatis iudicibus scribit ac mandat, cùm causa illa prioribus judicibus non per modum inquisitionis, sed judicialis processus commissa fuerit, ideò si constiterit ob dicta grauamina, vel vnum eorum, appellatum fuisse, vt in irritum reuocentur, quæ post appellationem attentata sunt, ac postea secundùm priorum literarum tenorem, vti iustum fuerit, procedant.

SVMMARIVM.

1. *Iudex procedere potest duplici modo: ex mero officio, vel ad instantiam alterius impetrantis, aut prosequi volentis inquisitionem, qui succedit loco accusatoris. Si hoc secundo modo, obseruandus est processus iudiciarius: si primo, iudex statim procedit ad productionem testium seu super indiciis, seu super ipso crimine.*
2. *Qui conspirant ad aliquem persequendum, vt tanquam inimici, ab accusatione repellendi sunt.*
3. *Appellationi locus est, etiamsi sententia iudicis ipso iure irrita sit.*

PRo intellectu huius capituli aduerte ex Durando in speculo lib. 3. p. 1. tit. de inquisit. §. 1. n. 10. & §. 3. quòd Iudex duobus modis procedere possit, v. g. de electo, num ob crimen repellendus sit. Primò, ex mero officio, excitatus nimirum publicâ famâ, quæ & clamorosa populi insinuatio vocatur in c. inquisitionis, 29. §. 3. de Inquisit. Secundò, si aliquis impetret, aut prosequi velit inquisitionem, & iste succedit loco accusatoris, sicuti notauit Clarus q. 10. quamobrem libellum offerre debet, & litem contestari, atque vno verbo judiciarius processus obseruandus est, saltem spectato antiquo jure. Iure autem nouo Clement. 1. hoc tit. si contra electionem aliquis opponat se, de plano, & sine figurâ iudicij procedendum est. Possunt etiam exceptiones opponi querelanti, seu promouenti inquisitionem, vt quòd sit excommunicatus, infamis, ita vt prius de exceptionibus his cognoscendum sit, quàm ad causam principalem deueniatur, sicuti hîc Innocentius monet. Verùm si Iudex ex mero officio, & à nullâ priuatâ personâ motus procedat, tum ijs, quæ dixi, locus esse non potest, sed statim Iudex procedet ad productionem testium seu super iudicijs, videlicet infamiâ, si citatus neget se infamatum, vel super ipso crimine.

Iudices itaque in casu huius capituli existimantes sibi ex mero officio inquirendum esse de electo, neque judiciarium ordinem obseruare, neque exceptiones contra opponentes se, seu querulantes admittere volebant, quâ in re grauiter errarunt, quia ex formâ rescripti Apostolici colligere poterant,

rant, illud emanàsse ad instantiâm Archidiaconi & Canonicorum; neque enim dubitandum fuisset, talem formam, qualem Durandus describit cit. n. 10. cùm ad Sedem Apostolicam N. & N. accederent, & de electo enormia narrarent, non potuimus ea dissimulare, præterire, ideóque mandamus, &c. Secundò, quia inserta fuit clausula, *vocatis vocandis*, quæ clausula iudiciarium ordinem requirit, adeò vt si executor eâ adiectâ datus sit, censeri debeat mixtus, qui cum causæ cognitione seu judicis officium assumendo procedit. vti docet Abbas n. 6. hîc.

2 NOTANDVM I. Qui conspirarunt inter se ad aliquem persequendum, ij tanquam inimici, ab accusatione repellendi sunt, idq; maximè verum est, si conspiratio ad persequendum fiat absolutè ac generatim, alioquin verò, si fiat in certa causa v. g. vt electi confirmatio propter crimina impediatur, vt Prælatus ob dilapidationem deponatur, non obstabit conspiratio, si rationabili causâ nitatur, cùm vitiosa non sit secundùm Gloss. in c. sanè, 15. ver. discesserunt, causa 16. q. 7.

3 NOTANDVM II. Appellationi locus etiam est, si sententia judicis ipso iure irrita sit. teste Imolà hîc. n. 10. Est enim grauamen magnum, saltem de facto, quòd Iudex talem sententiam proferat, quam ne is prosequatur, pars litigans iure prouocat ad Iudicem superiorem. Et hoc casu sufficit alterutrum probare, vel quòd sententia nulla fuerit, vel quòd expeditiùs ab eâ appellatum fuisset, nam in vtroque casu, quæ vi eius sententiæ facta sunt, in irritum reuocari debent. Quâ de re Bartolus in l. si expressim 19. ff. de appellat. Verùm in nostro casu plura grauamina illata sunt, videlicet, quia contra mandati formam processum est per modum meræ inquisitionis; imò ita procedendum esse interlocutoriâ sententiâ decisum; deinde quòd exceptiones obiectæ cõtra aduersarios priùs discussæ non fuerint, quàm super principali negotio cognosceretur, denique quòd testes super principali recepti sint ante litis contestationem, quod jure antiquo fieri non poterat. Quare cùm super his grauaminibus appellatio interposita fuerit, rectè Rapa respondit, si vel vnum eorum probatum fuerit, appellationem iustam censeri, & attentata post eam pro irritis habenda esse.

CAPITVLVM XX.

Venerabilis.

PARAPHRASIS.

Inter Archiepiscopum Rauennatensem & Communitatem quandam coram delegato Papæ lis agitata erat, quam Communitas cauillationibus ac subterfugijs vsque ad triennium protrahebat, postea verò coram delegato respondere recusabat, eò quod per biennij lapsum instantia judicij peremptа fuerit. Hoc intellecto Honorius III. mandat, vt non obstante hac exceptione in negotio secundùm formam commissionis procedatur.

SVMMARIVM.

1. *Cæsarea lege statutum, vt lis criminalis biennio, ciuilis autem triennio finiatur, numerando hoc tempus à litis contestatione. Excipiuntur tamen causæ fiscales, vel quæ ad publicas exactiones, vel tributa pertinent.*
2. *Peremptо iudicio lapsu temporis, primò acta Iudicij ordinaria, scil. citatio, oblatio libelli, &c. pereunt, & de nouo assumi debent. Secundo, sententia post lapsum temporis lata irrita est. Tertiò, tempus instantiæ consensu partium prorogari non potest. Quartò, peremptio instantiæ locum etiam habet in causis summariis.*
3. *Si autem ob Iudicis negligentiam causa vltra definitum tempus extrahatur, Iudex puniendus est; actor verò dolo carens, contra lapsum temporis restituendus.*
4. *Iure canonico instantia iudicij per lapsum temporis non perimitur.*
5. *Clerico agente contra laicum in foro seculari, post lapsum temporis perit instantia iudicij.*

6. Causa in foro ecclesiastico à die motæ litis intra biennium terminari debent, aliàs Iudex superior adiri potest, si per Iudicem inferiorem petit, quò minùs intra id tempus lis decisa fuerit.

1 PRo intellectu sciendum, Cæsareâ lege statutum esse, vt lis seu instantia litis, si quidem criminalis esset, biennio finiatur; sin verò ciuilis, triennio, idque tempus numeratur à litis contestatione, ita habetur in l. properandum 13. C. hoc tit. vbi tamen excipiuntur causæ fiscales, vel quæ ad publicas pertinent exactiones vel tributa, vti Gloss. in Authent. qui semel. ver. post triennium c. quomodo & quando, &c.

2 Ampliari debet hæc doctrina: primò, quòd peremptio iudicij per lapsum temporis, etiã acta iudicij ordinatoria, videlicet citatio, libelli oblatio, litis contestatio, satisdatio, &c. pereant, & de nouo assumi debeãt, vti docent in l. 2. Digesta, iudicatũ solui. Secundò, quòd sententia post lapsum temporis lata ipso jure irrita sit, cùm desit causa efficiens, videlicet iudicandi potestas, quippe adempta per legem, nisi nouus processus inchoetur, ita Gl. recepta in cit. l. properandum. & Sebastianus Vantius, vbi de defectu jurisdictionis n. 115. Tertiò, quòd tempus instantiæ consensu partium prorogari non possit secundùm Gloss. in cit. l. properandum, est enim definitum ob publicam vtilitatem, ne lites immortales sint, jus autem publicum priuatorum pactis tolli non potest. l. priuatorum, C. hoc tit. Quartò, quòd peremptio instantiæ locum etiam habeat in causis summarijs, quippe quæ citiùs expediri debent, item si judex ex mero officio procedat per inquisitionem, vti hîc resoluit Abbas n. 22. & 23.

3 Limitatur autem doctrina: Primò, si ob iudicij negligentiam causa vltra tempus statutum extrahatur, is puniendus est, actor verò si dolo caruit, contra lapsum temporis restituendus, l. sed etsi 26. §. ait prætor, ff. ex quibus causis maiores, & docet Abbas n. 9. Vantius n. 116. Verumtamen Iudex culpandus non est, si actor non institit, teste Abbate hîc n. 19. Sin autem propter multitudinẽ causarum, vel aliud impedimentum legitimum causa expediri non potuit, non videtur currere tempus, vti docet idem Abbas n. 10. Secundò, si dolo aduersarij alteriúsue personæ tempus extractum fuit, dabitur actio de dolo, vt recuperet actor, quanti suâ interest. l. arbitrio 18. §. dolo, ff. de dolo. Tertiò, tametsi Iudex peremptâ instantiâ iudicij nequeat iudicare de negotio principali, potest tamen de accessorijs, v.g. an culpâ rei tempus extractum sit, vt si ita est, eum ad expensas condemnare oporteat, sicut ex communi docet Felinus hîc n. 2.

NOTANDVM Vnicum. Instantia iudicij secundùm jus canonicum per temporis lapsum non perimitur. Hæc est explicatio huius capituli fermè communis cum Gloss. in not. vn. Ratio dari debet, quia lex illa ciuilis modum ac finem præscribens iudicijs suapte vi extendit se tantùm ad tribunal ciuile, neque pro Ecclesiastico foro vnquam approbata fuit, cùm neque id expediat, quandoquidem lites ita non minuuntur, sed magis perpetuantur, quando post peremptam iudicij instantiam processus de nouo institui deberet, ac si nihil actum fuisset. 4

QVÆRITVR 1. Quid dicendum, si clericus contra laicum litem moueat in foro seculari? Resp. Hoc casu post lapsum temporis perire circumstantiam iudicij iuxta leges fori secularis. Verumtamen si Ecclesia litiget coram judice seculari, non videtur instantia perimi, quia gaudet priuilegijs fisci, sicuti DD. notant in c. 1. & Abbas hîc n. 12. 5

QVÆRITVR 2. Quanto tempore causæ in foro ecclesiastico expediri debent? Resp. Seruandam esse constitutionem Conc. Trident. vt causæ omnes in primâ instantiâ coram Ordinarijs locorum cognoscantur, & saltem intra biennium à die motæ litis terminentur, alioquin liberum sit partibus vel parti, Iudicem superiorem aliàs competentem adire, qui causam in eius statu, quo fuerat, assumat, & quam primùm terminari curet. Id verò intellige, dummodò steterit per Iudicem ordinarium, quo minùs intra id tempus definierit. 6

CA-

CAPITVLVM VIt.

Significauerunt.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem & Conuentum S. Mariæ de Florentiâ, atque Communitatem alicuius castri controuersia erat super possessione, aut quasi possessione iuris eligendi Rectorem dictæ communitatis. In hac causa potestas Florentina pro Monasterio sententiam definitiuam protulit, sed cùm Abbas cum Conuentu Rectorem Capellanis constitueret, eum recipere recusarunt, mouentes controuersiam de proprietate iuris eligendi, & ad hanc ipsam litem coram se prolequendam potestas Florentina volebat cogere Abbatem & Conuentum. Cùm hæc relata essent Honorio III. is causam delegauit Episcopo Bononiensi, & quibusdam alijs, mandans eis, vt cogant Communitatem ad recipiendum Rectorem à Monasterio ipsis præfectum, deinde partibus citatis, audiant & cognoscant controuersiam super iure proprietatis, aut quasi. Verùm cùm Communitas exceptionem dilatoriam proponeret, quòd propter tempus feriarum vindemiarum respondere coram delegatis de iure non teneretur, Syndicus autem Monasterij replicaret, id malitiosè obijci ad causam protrahendam, Papa his intellectis respondit, exceptione non obstante in negotio procedendum esse.

SVMMARIVM.

1. *Impeditus in exercitio iuris, quod possidet, censetur veluti spoliari possessione.*
2. *Si actor & reus diuersi fori sint, acta agens in possessorio coram iudice rei, non tenetur coram eodem iudice super proprietate respondere, sed debet conueniri coram suo iudice.*
3. *Si magistratus secularis immunitatem ecclesiasticam ladere præsumat, querela deferri potest ad Papam.*
4. *Aduersarius irrationabiliter recusans, vt in feriis messium aut vindemiarum iudicium exerceatur, si cogat publica necessitas, aut periculum in mora sit, cogi potest ad respondendum.*

NOTANDVM I. Rerum incorporalium seu iurium non censetur esse propriè possessio, aut dominium, sed quasi, quanquã de his vocabulorum subtilitatibus non multùm curandum, præsertim in foro canonico. Nihilominus ne pars litigans iuris & Curiæ stili imperitam se ostendat, consultum est, modum vsitatum loquendi retinere, sicuti & Papa hic fecit.

NOTANDVM II. Si quis impediatur in exercitio iuris, quod possidet, cẽsetur veluti spoliari possessione, quare Monasterium, cùm non admitteretur ad eligendum Rectorem, sicuti antea eligere solebat, iudicio possessorio egit contra Capellanos coram iudice eorum, & obtinuit. Vide hic Innocent. & quæ dixi in c. querelam, 24. de elect 1

NOTANDVM III. Qui in possessione eligendi est, cum bonã fide eligere potest, & electus recipi debet, non obstante, quòd de iure proprietatis quæstio postea mouenda sit, argum. c. consultationibus, 19. de iure patronatus, & dixi in disp. de elect. q. 21.

NOTANDVM IV. Si actor & reus diuersi fori sint, non ideò, quia actor iudicio possessorio egit coram iudice rei, eo finito respondere cogitur super iure proprietatis apud eundem alienum iudicem, sed debet conueniri coram suo iudice. Hic est casus huius capituli, & tradit Gl. recepta hic ver. super proprietate. Nec obstat l. nulli, C. de iudicijs. vbi Bartolus n. 2. & alij docent, quòd finito iudicio possessorio, si causa proprietatis agitanda sit, ad eundem iudicem deferri debeat, quippe qui causam totam citiùs expediet, cùm in eâ iam instructus sit, vti Abb. notat n. 14. Respondeo enim, omnino ita faciendum & curandum, si fieri possit, vt causæ possessionis & proprietatis sub eodem iudice terminentur, vti docui lib. 4. tr. 9. c. 2. n. 12. Interdum verò necessitas cogit causam diuidere, non enim propter commo- 2

dum illud accidentale, quia prior iudex melius instructus censetur, maius aliquod incommodum admitti debet, vt videl. aliquis ad forum alienum trahatur, præsertim clericus ad forum seculare cõtra ecclesiasticam immunitatem, & ideò hanc limitationem affert Alexander super Bartolo in cit. l. nulli. & ipse Bartolus in l. incommodati. §. duabus. ff. commodati.

3 NOTANDVM V. Si magistratus secularis immunitatem Ecclesiasticam lædere præsumat, trahendo personas Ecclesiasticas ad tribunal suum, querela deferri potest ad Papam, vt tanquam supremus Ecclesiasticorum defensor remedium adhibeat.

4 NOTANDVM VI. Si appareat, quòd aduersarius nõ rationabili causâ impeditus, sed solùm ad litem extendendam consentire recusat, vt in ferijs messium aut vindemiarum iudicium exerceatur, tum si necessitas præsertim publica postulare videatur, aut periculum in mora sit, cogi potest ad respondendum. Ita Gl. hîc ver. propter vindemiam. Intererat enim, vt Rector electus administraret, ne res communitatis negligerentur; administrare autem non poterat, si possessionem non cœpisset, vt hic notat Abb. n. 6. non poterat autem communitas compelli, videl. per censuras, ad recipiendum Rectorem, nisi priùs citata & audita fuisset coram delegatis, cùm alia causę cognitione hîc opus non fuerit, quandoquidem iam pro possessione Monasterij sententia lata erat à potestate Florentinâ, quamobrem eius executio tantùm facienda erat, priusquam de iuris proprietate disceptaretur, vti Imola hîc notauit.

CAPITVLVM I. eod. Tit. in 6.

Iuris.

PARAPHRASIS.

Certum esse debet, quòd delegatus Papæ non possit cogere partes, vt personaliter in iudicio cõpareant, nisi in rescripto delegationis id expressum sit, vel nisi causa sit criminalis, vel vt iuramentum dicendæ veritatis præstetur vel de calumnia, vel denique alia iuris necessitas id requirat.

SVMMARIVM.

1. *Papa aut Rex præcipere potest, vt partes, si in iurisdictioni suæ subsint, personaliter compareant.*
2. *In causis ciuilibus partes ordinariè litigare possunt per procuratorem.*
3. *In causis criminalibus reus personaliter ad iudicium venire debet, si in ijs corporis pœna afflictiua imponenda est.*
4. *In ijs autem, in quibus pœna relegationis, vel alia minor imponenda est, Procurator interuenire potest; licèt ob rationabilem causam compelli possit reus, vt in propria persona se sistat iudicio.*
5. *Accusator plerumque procuratorem in causa criminali constituere potest.*

HOc loco quæstio tractari debet, an partes cogi possint, vt personaliter iudicio se sistant, an verò satis sit, vt procuratorem mittant. Respondeo & Dico I. Princeps, Papa, Imperator, Rex præcipere potest, vt partes, si iurisdictioni suæ subsint, personaliter veniant. Ita sumitur ex hoc c. & notat Gl. ver. speciale, nam subditus comparere tenetur, si Superior eius causam habeat extraiudicialiter eum vocandi. Tametsi verò leges facultatem tribuant litigantibus mittendi procuratorem loco suo; Princeps tamen hac lege non adstringitur. 1

Dico II. In causis ciuilibus partes ordinariè litigare possunt per procuratorem, nec compelli debent, vt personaliter veniant. Ita habetur in l. 1. C. de procurat. vbi Gl & Francus hîc monet n. 3. quòd in omni citatione, si non expressum est, vt citatus personaliter compareat, intelligenda sit subalternatio, vt veniat per se, vel per Procuratorem. 2

Dixi, *ordinariè*: sunt enim casus, qui excipiuntur, primò & præcipuè, si iuris necessitas exigat, quia Iudex ex causa rationabili

citationi

citationi etiam insertâ præcipit, vt actor vel reus personaliter veniat, quia statum & veritatem rei magis perspectam habet, vel aliàs magis idoneus est, iuxta cit. l. vlt. iun. Gl. ver. iuramento. Denique si specialiter commendanda sit qualitas personæ, v.g. eius doctrina, ætatis maturitas, mentis discretio. argum. l. 2. C. de his, qui veniam ætatis. Secundò, vt iuramentum de veritate, vel de calumnia præstetur. Veruntamen si procurator speciale mandatum habeat de iurando etiam in personam domini, admittendus est. c. 2. & 3. de iuramento calumniæ, & dixi lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 5. n. 1.

3 Dico III. In causis criminalibus, quibus corporis pœna afflictiua imponenda est, reus personaliter ad iudicium venire debet. Ita sumitur ex l. 3. ff. an per alium causæ. c. tuæ, 5. de procuratoribus. Ratio est, quam adfert Dominic. hîc col. 5. Clarus q. 32. n. 3. quia si contra reum absentem sententia condemnatoria ferretur, ea frequenter illusoria fieret, & executioni mandari non posset, cùm reus fugâ sibi consuleret. Et bene Menoch. lib. 1. qq. arbitrar. casu 80. n. 77. monet, idem dicendum esse, si secundùm statuta loci in pœnam criminis decreta sit publica infamatio personæ, v. g. vt in theatro populo proponatur, vel fune circa collum ligatus reus è ciuitate educatur. Sed limitari assertio debet, nisi reus absens personaliter accedere non possit, vt quia est infirmus, senex ac valetudinarius, & adeò debilis, vt neque equis vehi possit, & qui capitales inimicitias in loco iudicij timet, & qui alibi ob debita incarceratus est, tali casu admitti debet Procurator, seu mandatarius, seu potius defensor, saltem ad causam absentiæ allegandam & probandam. Ita Gl. & DD. in l. 3. C. de accusat. Gl. c. 4. ver. præsentia, de Procuratoribus.

Deinde Procurator in tali causa criminali admitti potest, vt exceptiones opponat contra iudicem, aduersarium, aut testes, vt accusatoris libellum de ineptitudine arguat, dilationes petat &c. Sicuti notauit Gl. margin. in cit. l. 3. Gl. in cit. c. 4. Denique si Vniuersitas ob delictum ad iudicium vocetur, procuratorem mittere potest, quandoquidem tota per se comparere nequit, vti notauit Ancharanus hîc not. 4. si tamen aliqui è Communitate, tanquam specialiter criminosi, personaliter citentur, parere debent.

Dico IV. In causis criminalibus, quibus 4 pœna relegationis, vel alia minor imponenda est, procurator interuenire potest. Ita sumitur ex l. 1. ff. an per alium &c. & docet Ancharan. hîc col. 1. Dominic. col. 12. vbi ait esse communem, & exinde infert n. 16. quòd in causis, in quibus agitur ad pœnam priuationis ab ordine, beneficio, aut dignitate, reus per procuratorem se defendere possit.

Sed nunquid in tali casu Iudex cogere potest reum, vt personaliter veniat? Dissentiunt DD. apud Ancharanum hic not. 4. arbitror respondendum ex ijs, quæ docent in l. vlt. iudicem allegatâ causâ rationabili imperare posse reo, vt personaliter veniat, videl. si procurator considerată qualitate causæ nõ ita instrui bene possit, vt ad omnes interrogationes respondeat, item si iudicia contra reum vehementia adsint, quandoquidem accedente præsentiâ rei, & inspecto vultu eius, consideratísque responsis, veritas facilius deprehendetur.

Dico V. Accusator in causa criminali ple- 5 rumque procuratorem loco suî constituere potest. Ita in praxi obseruari testatur Clarus n. 23. Ratio est, quòd hodie nulla sit necessitas, vt accusator præsens sit, cùm ad pœnam talionis se inscribere, atque obligare non soleat. Dixi autem *plerumque*, quia negandum non est, ob causam rationabilem, vt veritas magis innotescat, compelli posse accusatorem, vt personaliter adsit.

CAPITVLVM II.

Mulieres.

PARAPHRASIS.

Non debent mulieres ob causam ferendi testimonij, aut aliam quamlibet, quę in iure expressa

expressa non est, ad iudicium trahi inuitæ, sed si earum testimonium necessarium sit, iudex tabellionem vel alium mittat ad habitationem earum expensis partis producentis, aut si talis causa sit, vt testium receptio alteri committi non debeat, tum ipsemet Iudex ad eas accedet, dummodò status & conditio personæ id permittat. Veruntamen si iudex fingat necessitatem, vt ipsemet mulierem malo fine conuenire possit, excommunicationem incurret. Porrò mulieres religiosæ, præsertim quæ sub clausurâ viuunt, extra claustrum personaliter vocari non debent ad iudicium ex quacunque causa, imò nec volentes admittendæ sunt. Quòd si verò aliquid iudicialiter attentatum fuerit contra præsentem constitutionem, ipso iure irritum censeri debet.

Svmmarivm.

1. *Mulieres ad iudicium ecclesiasticum causâ testimonij ferendi compelli non debent; possunt tamen personaliter illuc venire, si velint, exceptis mulieribus religiosis.*
2. *Neque etiam ordinariè cogi possunt, vt accusatæ in iudicio personaliter compareant.*
3. *Mulier aduocationis officio fungi non potest.*
4. *Examen testium committi potest in iudicio ecclesiastico tabellioni, vel in eius defectum alijs viris honestis.*

1 Notandvm I. Mulieres ad iudicium Ecclesiasticum causâ testimonij ferendi compelli non debent, sed si opus sit, alius ad eas accedere debet, vt iuramentum excipiat. Ceterùm hoc ipsis priuilegij loco concessum est, quo proinde vti non coguntur, sed si velint, personaliter ad iudicium venire possunt, exceptis mulieribus religiosis, sicut in textu dicitur.

2 Notandvm II. Neque ordinariè cogi possunt mulieres, vt accusatæ in iudicio, personaliter compareant. Excipitur, si causæ in iudicium deductæ qualitas; adeóque iuris necessitas personalem præsentiam postulet, v. g. si de graui crimine accusentur; deinde intelligi debet, si mulieres honestæ sint, sicuti ijsdem priuilegium datum, vt ob delicta ciuilia in carcerem detrudi non debeant. Auth. hodie, C. de custodia reorum, talia autem priuilegia ad mulieres inhonestas extendenda non esse docet Francus.

3 Qværbs. Vtrùm mulier possit pro altero postulare in iudicio, seu aduocatricis munere fungi. Resp. Id ei non esse permissum iuxta l. 1. §. sexum, ff. de postulando. Excipiunt verò hic Ioann. Andr. & Ancharanus, quòd mulier tutrix in causa filij per seipsam in iudicio stare possit, quia cùm lex ei administrationem bonorum deferat, videtur etiam concedere, vt pro eorum defensione in iudicio stare possit. argum. c. ex parte, 67. de appellat.

4 Notandvm III. Examinatio testium in tribunali Ecclesiastico committi potest tabellioni, vel in eius defectum alijs viris honestis. Ita sumitur ex hoc c. & c. quoniam 11. de probation. & tradit Francus n. 2.

CAPITVLVM III.

Si annum.

Svmmarivm.

1. *Maior* XIV. *annis per se & procuratorem potest agere in causis spiritualibus, atque his annexis.*
2. *Minor* XIV. *annis per se non agit, sed per curatorem datum ei ad litem à iudice ecclesiastico.*
3. *Iudex vniuersim potest personæ, quæ in iudicio legitimè stare non potest, litis curatorem dare.*
4. *Filiusfamilias clericus manet in potestate patris quoad iura temporalia aduentitia, ante clericatum acquisita.*
5. *Non potest is regulariter in causis ciuilibus stare in iudicio sine assensu patris, licèt maior natu sit; potest tamen in causis spiritualibus, & his connexis, si pubes sit. Si impubes, dandus est ei curator ad litem à iudice ecclesiastico.*

Qui

1 QVi XIV. ætatis annum compleuit, in causis beneficialibus, aliisque spiritualibus, atque his connexis per se, vel per procuratorem, arbitratu suo constitutum, contendere in iudicio potest.

NOTANDVM Vn. Licèt masculus pubes ordinariè personam standi in iudicio non habeat, nisi ei curator datus sit, seu generalis seu specialis ad litem l. in vniuersis, 11. C. qui dare tutores; Excipi tamen debet, quòd minor (de hoc enim loquimur) pubes, seu qui XIV. annum superauit, in causis spiritualibus atq; his connexis per se agere, atq; respondere in iudicio possit, & consequenter procuratorem constituere suo arbitratu; etenim hæc est regula recepta apud Ancharan. hîc not. 3. Qui per se in iudicio agere potest, is etiam procuratorem constituere. Cetèrùm si talis masculus minor XXV. annis in iudicio lęsus est, petere potest restitutionem in integrum secundùm Gl. communiter receptam in l. vn. C. si de momentanea &c. vbi ait, quòd minor in ijs, quæ gerit vt maior, læsus restituatur, cùm alioquin priuilegium ei concessum in eiusdem damnum redundaret

QVÆRITVR I. Quæ sint illa dependentia seu connexa causæ spirituali, v. g. beneficiali. Resp. Si clericus minor natu, sed pubes alicuius ecclesiæ Canonicus aut Præpositus sit, per se vel per alium agere ac respondere in iudicio potest, non tantùm de ipso beneficio, sed etiam de redditibus eius, & annexo iure patronatûs, ac similibus.

QVÆRITVR II. An hæc responsio etiam ad laicos minores pertineat, si vel ius patronatûs ipsis competat, vel ius decimarum clericalium, aut ius electionis ex Ecclesiæ concessione, vt in tali casu, si annos pubertatis attigerunt, in iudicio stare possint? Responsio est affirmatiua cum Rota Romana antiqua, de iudic. decis. 2. aliàs 46. quia textus generaliter loquitur nihil destinguens, ergo nec nos distinguere debemus. Accedit, quòd ob hanc causam de muliere natu minore iudicatur in c. ex parte, 14. de restitut. spoliatorum, quòd in causa matrimonij, quippe spirituali, procuratorem constituere possit.

§. Si verò.

PARAPHRASIS.

Minor XIV. annis super causis spiritualibus in iudicio per se agere aut respondere non potest, sed Episcopus vel Officialis eius curatorem ipsi ad litem dare debet, vel ipsemet impubes, modò maior infante sit, cum auctoritate Episcopi vel Officialis procuratorem deputare potest. Et quod dico de Episcopo, idem sentiendum de delegato Papæ, quoad eas causas spirituales impuberum, quæ ipsi delegatæ sunt.

NOTANDVM I. Licèt impubes beneficium obtinere possit Ecclesiasticum sine dispensatione papali, siue communi iure, si XIII. annum superârit, & beneficium simplex sit, tamen non potest circa illud in iudicio contendere sine curatore ad litem.

NOTANDVM II. Si impubes litiget in causa beneficiali, aut aliâ ecclesiasticâ, tutor eius immiscere se non potest, sed curator ei ad litem ab Ecclesiastico iudice dari debet. Ita Gl. hîc, ver. eiusdem, ibid. Ioann. Andr. n. 2. Francus n. 6. vbi monent, quòd iudex secularis non possit dare curatorem impuberi ad litem causæ Ecclesiasticæ, & quòd tutor seu curator, seu legitimus, seu testamentarius, seu datiuus, causis ecclesiasticis pupillorum, tametsi clericus sit, immiscere se non debeat: quam esse causam ait Petr. Ancharanus, cur in iure canonico, tit. de tutela & cura, non reperiantur, quia tutorum & curatorum generalium potestas ad negotia Ecclesiastica, administrationémque eorum non extenditur. 2

Colliges. Si causa vertatur circa susceptionem Religionis aut Ordinis clericalis, tutor se interponere non debet, sed ipsemet minor natu, si pubes est, causam suam agere potest: sin autem impubes, dandus est ei ad hanc causam à Iudice Ecclesiastico curator. Ita Francus hîc, n. 5. Dominic. super Gl. ver. maior infante.

His adde, quod probabiliter docet Francus n. 3. etiam delegatum ab inferiore ordi- 3

nario v. g. Episcopo posse curatorem dare ad litem. argum. l. vlt. §. Sed etsi. C. de administratione tutorum. Vbi generaliter permittitur iudici, vt personæ, quæ in iudicio legitimè stare nó potest, litis curatorem det.

§. In huiusmodi.

PARAPHRASIS.

Tametsi filiusfamilias in alijs causis absque patris assensu in iudicio stare nequeat, potest tamen in causis Ecclesiasticis, & dependentibus seu connexis, cùm pater in ijs immiscere se non debet.

4 NOTANDVM I. Filiusfamilias tametsi clericus factus sit, aliquatenus tamen manet in potestate patris, videl. quoad iura temporalia, ita vt bona eius aduentitia, quæ ante clericatum ipsi acquisita sunt, pater administret, vt vsumfructum inde capiat, non autem, quæ post clericatum acquirit. Qua de re dixi lib. 3. Th. mor. tr 4. c. 8. n. 2.

5 NOTANDVM II. Filiusfamilias, tametsi sit maior natu, in iudicio regulariter stare non potest sine assensu patris. l. vlt. §. Necessitate. C. de bonis, quæ liberis. Intellige, quòd suo nomine seu in causa propria agere, aut respondere non possit absque consensu patris, sed potest nomine alieno, seu vt procurator, si maior natu est. c. qui generaliter, 6. de Procurator. in 6.

Dixi autem *regulariter*, sunt enim casus aliqui, quibus filiusfamilias sine consensu patris agere potest, videlicet de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, item si pater absens sit, & procuratorem non reliquit, aut si demens, vel qui rebus præesse non potest. Denique secundùm quosdam in causis bonorum aduentitiorum, quorum administratio patri non competit, & in omnibus causis summarijs & extraordinarijs, vti latiùs tradit Durandus in speculo lib. 1. part. 2. tit. de actore. §. 1. n. 22. Et hæc quoad causas politicas. In spiritualibus verò filiusfamilias, si pubes sit, liberè in iudicio agit, non requisito patre, cùm patria eius potestas ad iura spiritualia & his connexa se non extendat; si autem filiusfamilias impubes sit, tum curator ad litem ei dabitur à Iudice Ecclesiastico, quemadmodum etiam in causa ciuili agenti, v. g. circa peculium castrense, si ætatem legitimam, videl. xxv. non habet, procurator ad litem à Iudice ciuili dandus est, intellige, si ordo iudiciarius cum litis contestatione seruandus sit. Qua de re Durandus l. c. n. 3.

TITVLVS II.

DE FORO COMPETENTE.

SI ad Iudicem partes veniant, ante omnia attendendum, an is iurisdictione præditus sit, seu num Iudex sit competens, & ius dicat in loco competēte seu iurisdictioni suæ subiecto. Et hoc dicitur forum competens, nam licèt forum primæuâ institutione significet locum publicum, ad quem res venales feruntur, postea tamen translatum est ad significandum locum, in quo lites publicæ exercentur, iuxta c. forus 10. de verborum significatione.

CAPITVLVM I.

Si clericus.

PARAPHRASIS.

Si clericus contentionem habeat aduersus clericum, in prima instantia deferatur ad proprium Episcopum; non prohibentur tamen partes cum Episcopi sui consensu etiam alium Ecclesiasticum iudicem sibi deligere.

NOTAN-

SVMMARIVM.

1. *Consilium interdum accipitur pro consensu.*
2. *Episcopus & alius Ordinarius potest causam alteri delegare, non requisito consensu partium.*
3. *In prima instantia clericus conueniri debet coram suo proprio Episcopo, qui est ordinarie Episcopus domicilij, & originis: illud tamen principalius est, cuius etiam maior habenda est ratio in ordine ad iurisdictionem.*
4. *In Germania per constitutionem domicilij extra locum originis amittuntur iura originalia.*
5. *Factus Religiosus non amittit iura originis. Idem de clericis dicendum.*

1 NOTANDVM Vn. Consilium interdum accipitur pro consensu; nam in textu dicitur, quòd clerici controuersias suas cum consilio Episcopi ad alium Iudicem deferre possint, id verò propter materiam subiectam, vt iura iuribus concordent, explicari debet de assensu iuxta c. significasti, 18. hoc tit. & Gl. notauit hîc, ver. consilio, licèt alioquin, si propriè loquendum sit, consilium differat à consensu.

2 QVÆRITVR I. Vtrùm Episcopus vel alius Ordinarius causam alteri delegare possit, non requisito consensu partium. Resp. Affirmatiuè, quia potestas delegandi competit ex lege, non ex partium voluntate; textus autem noster non loquitur de delegatione causæ, sed de prorogatione iurisdictionis alienæ, quam clerici facere non possunt sine Ordinarij sui assensu.

3 QVÆRITVR II. Quis censeri debeat proprius Episcopus clerici conueniendi, ad quem actor, siue clericus, siue laicus sit, actionem vel accusationem in prima instantia deferre debet. Resp. Ordinariè esse Episcopum domicilij, seu vbi clericus habitationem habet animo permanendi. argum. l. incola, 29. ff. ad municipalem, & habetur infrà in c. dilecti, 17. Dixi *ordinariè*, si enim clericus in alia diœcesi, in qua non residet beneficium habeat, tum in causis ad beneficium spectantibus coram Ordinario eius loci conueniendus est, quemadmodum & vasallus clericus vel laicus, licèt alioquin subiectus non sit, tamen in causis pertinentibus ad feudum coram domino feudi conueniri debet. c. ceterùm, 5. hoc tit.

Deinde præter domicilium habitationis est etiam domicilium originis cit. l. incola, vbi dicitur, incolam non tantùm iurisdictioni eorum subiectum esse, apud quos habitat, sed etiam eorum, apud quos ex natiuitate ciuis est. Ex quo etiam inferri potest, clericum conueniri posse coram Episcopo originis, præsertim si etiam ab eo ordinatus sit.

Verùm inprimis notanda est doctrina Gl. in c. statutum, 11. ver. vnam diætam, de rescript. in 6. Quòd in pertinentibus ad iurisdictionem maior habenda est ratio domicilij, quàm originis. Et Nauarrus lib. 1. consil. 4. de constitut. n. 5. ait, licèt domicilium originis firmius sit, quàm domicilium habitationis, quippe quod arbitrariâ migratione mutatur. l. domicilium, 20. ff. ad municipalem, tamen domicilium habitationis est principalius in ordine ad iurisdictionem; discrimen autem hoc est iuxta Bartol. in cit. l. assumptio, n. 2. ff. ad municipalem, quòd subiectus iurisdictioni ratione domicilij etiam absens citari possit ad parendum iurisdictioni, sed subiectus ratione originis conueniri non potest, nisi in loco præsens sit.

His verò addendum, quod notauit Gaill lib. 2. obseru. 36. n. 10. In Germania nostra 4 per constitutionem domicilij extra locum originis omninò amitti iura originalia, eo ipso, inquit, quòd ciuis originarius domicilium aliò transfert, desinit esse ciuis, tum quoad munera seu præstationes, tum quoad iurisdictionem, adeò vt quibusdam vrbibus ob hanc liberationem aliquid tributi iuxta æstimationem bonorum pensitandum sit, quod vocant die Nachſteurung.

Neque verò his obstat speculatio Pauli Iurisconsulti in cit. l. assumptio, quòd ius 5 originis immutabile sit, quippe naturale: verum enim id est quoad hoc, vt qui origine Dilinganus v. g. est, non possit hanc patriam

migrando tollere, sed bene, vt iura patriæ amittere possit. Cõsentiunt cum his, quę dixi lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 9. in fine. Videri etiam potest Abbas, vbi ait, quòd factus religiosus non amittat iura originis, licèt ab oneribus ciuitatis liberetur, in qua natus est, idémque de clericis dici debet.

CAPITVLVM II.

Nullus.

Paraphrasis.

Nemo Iudicum secularium Presbyterum, Diaconum aut quemcunq; clericum vel minorem Ecclesiæ absque permissu Episcopi capere aut condemnare præsumat, quòd si id fecerit, ab Ecclesia, cui iniuriam irrogauit, tamdiu eiectus maneat per excommunicationem, donec reatum suum agnoscens se emendârit.

Svmmarivm.

1. *Iudex secularis immunitatem ecclesiasticam violans, Clericos vel Religiosos capiendo, aut constringendo, sacrilegiũ committit si quidem per se, & propria auctoritate hoc facit; non item si ex Episcopi commissione aut mandato saltem tacito.*
2. *Per minores Ecclesiæ intelliguntur Clerici in minoribus, laici oblati, & clerici coniugati, si cum vnica eáque virgine copulati in habitu & tonsura clericali alicui ecclesiæ seruiant.*

   Et hi in causis criminalibus & ciuilibus gaudent priuilegio fori & canonis, etiã coniugati; horum autem vxores gaudent quidem priuilegio fori, non autem canonis.
3. *Excommunicatio, quæ hîc infertur iudici seculari, ecclesiasticas personas capienti aut constringenti, est sententia latæ.*

1 Notandvm I. Iudex, qui Ecclesiasticam immunitatem violat, clericos aut Religiosos capiens, ad tribunal suum trahens, aut condemnans, iuiuriam Deo & Ecclesiæ eius infert, ideóque sacrilegium committit, quippe potestatem inconcessam in personas sacras contra iura diuina pariter ac humana sibi vsurpans.

Notandvm II. Licèt Iudex secularis per se, seu suâ auctoritate ecclesiasticam personam capere aut constringere nequeat, potest tamen id facere ex Episcopi commissione, aut mandato saltem tacito, ita vt minister sit Ecclesiastici Iudicis, vti docui lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 4. n. 6.

Qværitvr I. Quinam intelligantur 2
per minores Ecclesiæ. Resp. Vel intelliguntur clerici in minoribus, si habitum & tonsuram gerentes in Ecclesiæ seruitio sint, isti enim fori Ecclesiastici priuilegio gaudent, teste Concil. Trident. sess. 23. c. 6. de reformat. & explicaui lib 2. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 3. Vel intelliguntur laici oblati, id est, qui edito voto continentiæ ad perpetuum alicuius Ecclesiæ seruitium se addixerunt, de quibus mentio est in Clem. 1. de decimis, in fine. & dixi cit. c. 5. n. 4. §. Similia. Huc etiam annumerantur clerici coniugati, si cum vnicâ, eáque virgine copulati in habitu & tonsurâ clericali alicui Ecclesiæ seruiant, iuxta Trident. l. c. & c. vn. de Cler. coniug. in 6.

Addunt verò Imola n. 3. Abb. n. 7. quòd & vxores horum eodem priuilegio fori in criminalibus gaudere debeant. argum. l. cùm quædam, 19. ff. de iurisdict. & l. vlt. C. de incolis. quibus habetur, quòd vxor sequatur iurisdictionem mariti. Verùm non consequenter loquitur Ioann. Andreas, quem sequitur hîc Abb. n. 7. Couarr. in pract. qq. c. 31. n. 7. quòd oblati & clerici coniugati in criminalibus tantùm causis exempti sint, non in ciuilibus.

Contrarium verò rectè post Archidiaconum & Lapum docet Francus in cit. c. vnico, §. Et, n. 4. Doctor Maranta de iurisdict. p. 4. casu 157. Si enim persona exempta sit à Magistratu seculari, ita vt nec peculiariter puniri possit, sequitur omninò exemptam esse etiam quoad causas ciuiles seu pecuniarias. Atqui clericos coniugatos v. g. dicto

modo

modo exemptos esse, habetur expresse in cit. c. vnico. Ergo, &c Probatur maior: Si enim Iudex secularis jurisdictionem habeat in personam in ordine ad bona eius, poterit eam cõpellere per coërcitionẽ seu pœnam saltem pecuniariam, cùm alioquin eius potestas in personã frustranea esset, quamobrem exinde quòd dominus feudi in causis feudalibus jurisdictionem habeat in clericos vasallos, eósque proinde personaliter citare possit, consequenter infertur, quòd eosdem inobedientes & feudi legum transgressores mulctare possit, vti docui lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 5. n. 3.

Sed dubium est de dictis personis, num etiam priuilegio canonis, *si quis suadente*, gaudere debeant: Facilis est responsio, clericos coniugatos gaudere priuilegio canonis, vti docui cit. part. 2. c. 5. n. 3. At verò mulieres eorum non gaudent, cùm nec clerici sint, nec personæ religiosæ, vt pono. Quid verò sentiendum sit de personis conuersis, explicaui in cit. cap. 5. n. 4.

3 QVÆRITVR II. An excommunicatio, quæ hoc capite Iudici seculari clericum constringenti infertur, sit sententiæ latæ, an ferendæ. Posterius hoc docet Glossa hîc: sed dicendum est, esse sententiæ latæ, nam iste loquendi modus, excommunicatus, ab Ecclesiâ præcisus sit, significare potest sententiam latam secundùm Glossam celebrem in c. 2. ver. innodetur, de hæreticis in 6. quare ita explicari debet, si alia iura id continent, sicut in proposito casu, excommunicationem esse latæ sententiæ. c. nuper 29. de sententiâ excommunicationis, & alia.

CAPITVLVM III.

Sanè.

SVMMARIVM.

1. *Ratione rei, de qua agitur, sortitur quis forum, vbi res est.*
2. *Hoc autem intelligendum est in casu, quo controuersia sit in re, quæ sub alieno iudice sita est & de actione reali, non personali; item non de rebus mobilibus, sed immobilibus tantùm.*
3. *Malè hinc colligitur, quòd clerici in causis ciuilibus coram seculari iudice conueniri possint.*

SI duo Episcopi diuersarum prouinciarum controuersiam habeant v. g. de parochiâ, ad cuius diœcesin pertinere debeat, tum illis Primas seu Metropolitanus Iudices det ad agnoscendum, in cuius prouinciâ sit Ecclesia, de qua contenditur. Ex hoc c. colligit Glossa, ver. prouincia, quòd ratione rei, de quâ agitur, sortiatur aliquis forum, argum. l. vlt. C. vbi in rem actio. 1

Hoc dictum inprimis intelligi non debet absolutè, sed respectiuè, si videlicet controuersia sit de re, quæ sub alieno Iudice sita est, iuxta cit. cap. vlt. deinde intelligi debet, non actione personali, sed reali tantùm. Ita enim docent Legistæ cum Bartolo in l. vlt. quòd in actionibus personalibus aliquis nõ sortiatur forum ratione rei sitæ in territorio alieno. Idem quoq; docet Imola hîc n. 3. Felin. ver. ex dicto Innocentij, quòd ratione rei sitæ sub alienâ iurisdictione non possit persona constringi, v. g. Comes Imperij, qui habet ædes Vlmæ, non est magistratui Vlmensi subiectus in personâ, sed tantùm ratione ædium, consequenter coram magistratu non potest conueniri ad aliquid dandum, vel faciendũ actione personali, v. g. vt ædes, quas alicui donasse perhibetur, actori tradat, sed tantùm reali actione, si alius ædes vt suas vendicet, vel hypothecæ nomine obligatas asserat; deinde intentatâ reali actione non potest persona constringi seu obligari, sed tantùm res, vt videlicet, si Comes à Magistratu citatus non compareat, actor mittatur in possessionem rei petitæ, ipsemet verò Comes vt personaliter contumax damnari nunquam potest. 2

Denique intelligi debet regula non de rebus mobilibus, sed tantùm immobilibus, quippe quæ propriè sitæ seu positæ dicuntur, vti docet Bartolus & Baldus in cit. l. vlt. v. g. si ciuis Lauinganus transeat per hanc ciuitatem in equo Titij ciuis Dilingani, non potest cõtra illum ne realem quidem actionem instituere coram magistratu isto, cùm

nec secundùm personam, nec ratione equi subiectus sit huic iurisdictioni ciuis Lauinganus (nisi dicatur equum hinc abduxisse) si tamen suspectus sit de fugâ aut fraude, cogi potest, vt satisdet per pignora; sin nolit aut non possit, tunc sequestrari debet equus interim, donec causa cognoscatur à Iudice rei, vti docet Abbas in c. vlt. n. 14. Felinus n. 20.

3 Ex his iam apparet, quàm malè aliqui Legistæ allegantes dictam regulam, quòd aliquis sortiatur forum in loco, vbi res sita est, inde colligant, quòd clerici in causis ciuilibus coram seculari Iudice conueniendi sint contra expressum textum, statuimus, C. de Episcopis, cùm enim clerici exempti sint à iurisdictione seculari, proinde de illis iudicandum est, sicut de extraneis; qui autem extranei & personaliter subditi non sunt, conueniri non possunt actionibus personalibus, v. g. ex mutuo, emptione, sed neque realibus, ita vt personæ ipsæ cogantur ad comparendum, &c. Excipio causas feudales, eò quòd ratione feudi persona alioquin non subdita obligationem personalem contrahat erga dominum. Confirmatur, si Iudex in causis ciuilibus iurisdictionem habet in clericos, sequitur, quòd eos non tantùm citare, sed etiam vt contumaces declarare, punire, & ad obseruationem latæ sententiæ compellere possit; consequens autem sacris canonibus apertè repugnat, ergo & antecedens: probatur sequela, quia omnis iurisdictio inermis est, nisi habeat vim coërcitiuam seu coactionem aliquam iuxta l. vlt. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio.

Quod attinet ad textum huius capituli, perperàm plerique Canonistæ inde colligi putarunt, quòd reus alioqui non subditus conueniri possit coram Iudice loci, vbi res sita est. Causa errandi illis fuit, quia non inspexerunt integrum caput Concilij Africani sub Bonifacio & Cælestino cap. 88. & Concil. Mileuitanum relatum in c. placuit, 16. q. 6. quibus locis decernitur, vt expulsis tunc Donatistis & Pelagianis Episcopi Catholici non cunctentur recipere parochias ad suam diœcesin pertinentes; sin verò controuersia sit de aliqua Ecclesia, ad hàncne, vel illam pertineat diœcesin, nullus Episcopus sibi talem Ecclesiam etiam cum Metropolitani, aut Primatis assensu attribuere præsumat, sed per arbitros à Metropolitano datos vel à partibus cum eiusdem consensu electos componatur. Quòd si verò accidat, vt diuersarum prouinciarum Episcopi de parochia aliqua contendant, tum is Primas Iudices det, in cuius prouinciâ situs est locus sacer, de quo controuersia exstitit.

Secundùm hanc germanam huius capituli expositionem nulla est difficultas, cùm enim neuter Episcopus in possessione parochiæ fuerit, ideò coram neutrius Metropolitano causa juridicè decidenda esset, sed optimè constitutum à Concilio Africano nationali, vt talis causa per arbitros componeretur, quos is metropolitanus dare debeat, in cuius prouinciâ parochia sita est, quandoquidem is ratione rei aliquid plus potestatis habere videtur in causam, licèt non in personam Episcopi extranei. sin autem Episcopus extraneus fuisset in possessione parochiæ, quam alter Episcopus suam vendicaret, tum in optione actoris huius esse, num illum conuenire malit coram metropolitano rei, seu possessoris, qui illum personaliter constringere posset tanquam subditum, an verò coram metropolitano rei sitæ, qui tamen in possessorem nihil personaliter attentare posset, sed tantùm in rem.

CAPITVLVM IV.

Si quis contrà.

PARAPHRASIS.

Permittendum nequaquam est, vt clerici à laicis teneantur; sed si quispiam contra clericum querelam aut controuersiam habeat, Episcopum eius adeat, qui si suspectus sit actori, deputandus erit executor (seu ab ipso Episcopo, seu, si & hoc actor refugerit, à Vicario seu delegato Sedis Apostolicæ) qui partes cogat, vt communi consensu Iudices seu potiùs arbitros eligant, & ab his quidquid fuerit constitutum,

tutum, Episcopus vel Legatus curabit executioni mandari.

Hic est sensus huius capituli secundùm originalem lectionem apud B. Gregorium I. in registro lib. 7. epist. 74. quam ad Bonifacium scripsit Corsicæ defensorem, ac delegatum Sedis Romanæ.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus loci, & Apostolicæ Sedis Legatus in iurisdictione ordinaria concurrunt; Legatus autem susçipere causas subditorum non debet, nisi ob defectum Episcopi.*
2. *Iudex ordinarius v.g. Episcopus vt suspectus recusatus, si recusandi causa notoria sit, vel coram electis arbitris probata, debet dare delegatum partibus non suspectum, vel partes cogere, vt in arbitros compromittant, vel denique causam ad superiorem Archiepiscopum, vel Papam deferenda.*
3. *Arbitri iuris laudum seu sententiam à se dictam exequi non possunt, sed executio eius fieri debet à Iudice ordinario.*
4. *Delegatus Principis, v.g. Papæ ecclesiastico delegato potest per se sententiam suam executioni mandare.*

1 NOTANDVM I. Episcopus loci, & Apostolicæ Sedis Legatus in iurisdictione ordinariâ concurrunt, sed non debet Legatus causas subditorum susçipere, nisi ob defectum Episcopi, quia videlicet terminare negligit, vel quia recusatur, aut ab eo appellatur, vti colligitur ex hoc c. & habetur in Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de reform.

2 NOTANDVM II. Iudex etiam ordinarius, v.g. Episcopus vt suspectus recusari potest, quo casu, si recusandi causa notoria, vel coram arbitris communi consensu electis probata sit, iuxta c. speciali 6. de appellat. Iudex ordinarius supersedere debet, & vel delegatum ex consensu recusatoris deputare, vel partes cogere, vt in arbitros compromittant, vel denique causa ad Superiorem, videlicet Archiepiscopum aut Papam deferatur, vti colligitur ex hoc c. & cit. c. speciali iuncta Gl. causa 11. q. 1. licèt aliter hîc doceat Abbas deceptus falsa huius capituli lectione.

NOTANDVM III. Arbitri iuris, qui à Iudice ordinario cum partium consensu statuuntur, laudum seu sententiam à se dictã exequi non possunt, quia solùm constituti censentur ad pronuntiandum, ideóque pronuntiatione factâ extinguitur omnis eorum potestas, executio autem sententiæ latæ ab ordinario Iudice fieri debet, vt colligitur ex hoc cap. Verùm, quòd Iudex delegatus ab Episcopo sententiam suam exequi, atque actorem in possessionem mittere possit, rectè hîc docet Gl. ver. ipsius, Abbas n. 37. Imola n. 2. contra Alexandrum n. 34. Felinum num. 5. Quare cùm hæc res valde controuersa sit, vt videre est apud Menochium casu 74. ideò attendendum est tum ad consuetudinem loci, tum ad verba commissionis, num contineant mandatum faciendi iustitiam &c. Sed de 4
Principis, videlicet Papæ, ecclesiastico delegato dubitari non debet, quin sententiam suam exequi queat, c. pastorali, §. præterea, de officio delegati.

CAPITVLVM V.

Si clericus.

PARAPHRASIS.

Clericus rem aliquam tanquam suam vel Ecclesiæ suæ repetit à laico possessore; sed laicus ait rem illam clerici aut Ecclesiæ non esse: quæritur, ad quem Iudicem hæc lis deferenda sit. Respondit Alexander III. secundùm iuris communis præscriptum ad secularem iudicem pertinere, quia actor forum rei sequi debet, licèt in multis regionibus per consuetudinem aliud receptum sit.

SVMMARIVM.

1. *Laicus à clerico conueniendus est coram seculari Iudice actione personali, & reali, nisi causa profana ad Ecclesiasticum*

sticum deferantur ob defectum Iudicis secularis; vel causæ adhæreat qualitas, ob quam ad forum ecclesiasticum pertineat.

2. *Si qualitas fundans iurisdictionem Iudicis quæstioni principali intrinseca est, sufficit, si actor eam expressè vel implicitè alleget, ad hoc, vt Iudex ad causam principalem procedere possit.*

3. *Si autem talis qualitas non principaliter deducatur in iudicium, adeóque non sit causa intrinseca, sed accessoria, tunc priùs saltem summariè, seu potiùs extraordinariè cognoscenda est.*

1 NOTANDVM Vn. Si clericus contra laicum agat personali aut reali actione, ad proprium eius Iudicem, videlicet secularem, causam deferre debet, vti etiam habetur in c. cùm sit, hoc tit. & sumitur ex l. vlt. c. vbi in rem actio.

Excipe 1. Si consuetudine receptum sit, vt Iudices Ecclesiastici causas laicorum etiam profanas cognoscant. Et testatur Glossa hîc, quòd Papa frequenter clerico conquerenti de laico etiam in causa profana rescriptum impertiatur.

Excipe 2. Nisi causæ profanæ ob defectum Iudicis secularis ad Ecclesiasticum deferantur: de quo infrà in c. licet.

Excipe 3. Nisi causæ adhæreat qualitas, ob quam ad Iudicem ecclesiasticum pertinere possit. Exempli causa, si parochus agat contra laicum tanquam furem rei Ecclesiæ suæ, tunc qualitas hæc sacrilegij efficit, vt causa sit mixti fori, ideóque fundat etiam ecclesiastici Iudicis auctoritatem ac iurisdictionē, sicut docet Felinus hîc, n. 4. vbi ait, si in libello clerici agentis contra laicum tanquam possessorem rei ecclesiasticæ non allegetur vis, oppressio, aut furtum, remittenda est causa ad forum seculare. Neq; verum est, quod Abbas hîc ait, n. 12. ex eo solùm, quòd res, quæ ad Ecclesiam pertinebat, apud laicum reperiatur, præsumēdam esse fraudem; potuit enim laicus rem tenere in feudum, vel vt emptam, vel vt bonâ fide præscriptam (dummodò non sit sacrata) vti notauit Imola hîc col. vlt.

QVÆSTIO est, si qualitas aliqua fundet iurisdictionem judicis, num sufficiat, vt eam actor expressè proponat, ad hoc, vt Iudex ad causam principalem procedere possit; an verò necesse sit, vt priùs de qualitate saltem summariè, vel potiùs extraiudicialiter cognoscatur, si reus conuentus illam neget ad huius judicis forum declinandum. Multa hîc docent Antonius, Imola, & alij, existimantes hanc ipsam Quæstionem in hoc capitulo examinari, quod verum non est, vt rectè notauit hîc Felinus, quare ex hoc cap. nullum pro hac quæstione argumentum desumi potest.

Resp. tamen I. Si qualitas fundans jurisdictionem Iudicis quæstioni principali intrinseca sit, sufficit, si actor eam expressè vel implicitè alleget. Exemplum iam posui: si clericus laicum accuset, quòd ex Ecclesiâ aliquid surripuerit, & laicus neget, fundata est iurisdictio Ecclesiastici iudicij; non enim laicus crimen negare potest in ordine ad declinandum forum huius Iudicis, cùm hæc ipsa causa seu quæstio directè in judicium deducatur, & super eâ inter actorem & reum lis contestanda sit. Ita docet Innocentius in c. ceterùm, 5. de iudic. Gl. in Clem. dispēdiosam c. vsuris, Gaill lib. 1. obseru. 31. ex quorū doctrinâ sumitur, quod dixi: si dubium de qualitate fundante jurisdictionem Iudicis principaliter in judicium deducatur, non esse ante litis contestationem examinādum, cùm super eo lis contestanda sit. Ceterùm si postea in litis processu appareat, furtum sacrilegum commissum non esse, tum ab hoc judicio reus absolui, & actor in expensas cōdemnari debet, sicuti notat Innocentius in cit. c. cùm sit. 2

Dico II. Si qualitas fundans iurisdictionem Iudicis non principaliter deducatur in judicium, ideóq; non sit controuersiæ intrinseca, sed accessoria, tunc priùs saltem summariè, seu potiùs extraordinariè cognoscenda est, quàm ad causam principalem deueniatur. Ita docet Dominicus in c. 1. §. contrahentes. 3

hentes, ibid. Francus n. 6. de iudicijs, Gaill l. c. Exemplum habes, si extraneus coram magistratu isto conueniatur super contractu venditionis, ille autem absolutè neget se contraxisse, tunc hæc exceptio non subleuat illum, quia hæc causa principaliter in judicium venit iuxta primam assertionem; sin autem excipiat se contraxisse extra territorium, tum Iudex priùs examinare debet, vbi contractum fuerit: cùm enim hæc loci circũstantia directè non deducatur in iudicium, ideo antequam lis contestetur, seu iudicium incipiat, ea examinari debet, vt appareat, num Iudex ad causam principalem procedere possit, nécne. Simile est, si quis aliquem vt clericum conueniat super debito pecuniario, is autem excipiat se clericum non esse. Eâdem ratione docent Logici, quòd propositâ quæstione, an homo risibilis sit, prægnoscendum non sit, quale est subiecti, quia hoc in quæstione versatur, ideóque demonstrari, non prægnosci debet, sed propositâ quæstione, cur homo risibilis sit, prægnosci debet qualitas subiecti, quia ea in quæstione supponitur, seu super eâ quæstio fundatur.

CAPITVLVM VI.

Ex transmissâ.

Paraphrasis.

Nobilis quidam Rudolphus tres milites Ecclesiæ Trecensi subiectos conuenire voluit coram Episcopo Trecensi super quadam possessione, sed Comes de Capra (seu vt alia lectio habet de Campis) prohibuit militibus sub fidelitatis obligatione, ne super feudali possessione, quam ab ipso haberent, coram Iudice ecclesiastico respondeant; nihilominus Episcopus Trecensis in eosdem tanquam cõtumaces excommunicationem promulgauit. Quamobrem ipsi Alexandro III. questi sunt. Is rescripsit ad Archiepiscopum Senonensem, vt inprimis milites ab excommunicatione absoluat, deinde iubeat controsiam inter milites & nobilem terminari per dominum feudi, sin autem is malitiosè differat, tum ipsemet Archiepiscopus tanquam Papæ delegatus definiat. Hic est verus sensus huius cap. sicuti legi potest in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. part 47. vbi de potestate judicum, c. vlt. textus autem capituli nostri vitiatus est, quamobrem Canonistæ variè legunt & intelligunt, suspicor causam errandi inde ortam, quia cùm in veteri exemplari scriptum esset Ecclesiæ Tau, aliqui legerunt Tuæ, cùm legendum esset Trecensis, nam ita in quibusdam exemplaribus reperiri testatur Alexander, tunc verò omnis sublata est difficultas.

SVMMARIVM.

Quæstio feudalis inter clericum & laicum à domino feudi cognoscenda est; neq; eo inuito vasallus subijcere se potest alieno Iudici, prorogando eius iurisdictionem.

NOTANDVM I. Vasallus non potest super causâ feudali inuito domino subijcere se Iudici alieno, prorogando iurisdictionem eius, sicut nec clericus absque Episcopi sui consensu coram alieno Iudice conueniri potest, c. significasti 18. hoc tit. 1

Pro huius intellectu aduertenda est doctrina Bartoli in l. 1. n. 8. de noui operis nunciatione, quòd interdum aliqui præcisè subiecti sint magistratui ratione nudi exercitij iurisdictionis, vt quia in loco domicilium habent, & tales in certâ controuersiâ possunt se subijcere alteri Iudici sub eodem principatu; interdum verò aliqui strictiùs subiecti sunt iurisdictioni propter specialem obedientiam, quam alteri veluti domino aut Prælato suo debent, quomodo Vasalli obligantur domino in pertinentibus ad feudum. Clerici prę̃sertim beneficiati Episcopo suo, multò magis religiosi Prælato suo, & tales personæ non possunt se iurisdictioni alienæ subijcere sine consensu proprij Iudicis.

NOTANDVM II. Propter negligentiam vel malitiosam dilationem iudicis secu- 2

laris deuoluitur iurisdictio ad Iudicem ecclesiasticum. c. licet, 10. hoc tit.

CAPITVLVM VII.

Verum.

PARAPHRASIS.

Cùm cuiusdam Ecclesiæ Præpositus prædia quædam feudalia obtineret, circa ea lis orta fuit, & dubitabatur, coram quo Iudice agitanda esset. Respondit Alexander III. si feuda illa ad Ecclesiam pertineant, quòd Episcopus, postquam consecratus fuerit, cognoscere debeat, alioquin imperiali judicio causa relinquatur.

SVMMARIVM.

1. *Causa feudalis coram immediato Domino feudi cognosci debet.*
2. *Si feudum est merè ecclesiasticum, & Prælatus ecclesiæ, v.g. Episcopus negligat administrare iustitiam, ad eius superiorem Archiepiscopum, vel Papam recurrendum est. Si autem feudum non est merè ecclesiasticum, sed originaliter seculare, Imperator supplebit negligentiam Episcopi.*
3. *Si feudum non est patrimoniale seu paternum, sed Ecclesiæ, ob crimen Prælati non amittitur. sed Prælatus priuari potest in tempus vitæ suæ perceptione fructuum omnium, si ad mensam eius spectat, vel partis competentis, si ad mensam Prælati & Capituli pertinet, & Capitulum delicti particeps non fuit.*
4. *Si feudum alicuius clerici patrimoniale seu proprium sit, eo priuari potest ob crimen, v g. proditionis, parricidij, &c.*
5. *Clericus habens feudum à laico, censetur vt laicus; & potest à domino feudi ad tribunal vocari, & ob crimen, vt alij vasalli, puniri.*
6. *Quæstio feudalis ad ecclesiam pertinens orta, vacante sede episcopali, cognosci à Capitulo non potest, sed expectari debet, dum nouus Episcopus consecretur, nisi feudum communiter ad Episcopum & Capitulum pertineat.*

NOTANDVM I. Si quis litem habet cum vasallo circa bona eius feudalia, tunc attendendum est, qui eius dominus immediatus sit, coram eo enim causa feudalis cognosci debet, vti dixi in c. ceterùm, 5. de iudicijs. Quamobrem respondit Papa hîc, ad Episcopum pertinere causæ feudalis cognitionem, si Præpositus feudum habeat in causâ cathedrali; sin verò non ab Ecclesiâ, sed ab Imperatore immediatè accepit, tum ad imperatorium tribunal litem deferendam esse. 1

Sed quid si feudum ecclesiasticum quidem sit, sed Prælatus Ecclesiæ videlicet Episcopus negligat iustitiam administrare, quis supplebit negligentiam eius? Resp. cum Antonio hîc & Alexandro n. 10. distinguendum esse, num feudum sit merè Ecclesiasticum, non acceptum à domino laico; hoc casu ad Superiorem Episcopi recurri debet, videlicet Archiepiscopum, vt compellat Episcopum; vel ad Papam, vt Episcopi negligentiam suppleat. An verò non sit feudum merè Ecclesiasticum, sed originaliter seculare, quia v.g. ab Imperatore datum est Ecclesiæ, ab Ecclesia autem subfeudatio facta Præposito; hoc casu Imperator supplebit negligentiam Episcopi circa causas feudales. 2

QVÆRVNT hîc 1. Si Episcopus aliúsue Præpositus crimen committat, ob quod secundùm leges feudorum puniendus, aut feudo priuandus sit, quod à domino seculari v.g. Imperatore habet, num is de hoc crimine cognoscere, pœnámque inferre possit.

Resp. & Dico I. Si feudum non sit patrimoniale seu paternum, sed Ecclesiæ, tum certum est, quòd ob crimen Prælati non amittitur, quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare, regula 76. in 6. nihilominus Prælatus priuari potest in tempus vitæ suæ fructuum perceptione, vel omnium, si feudum ad mensam eius spectat, vel partis competentis, si communiter ad men- 3

ad mensam Prælati & capituli pertinet, capitulum autem delicti particeps non fuit, vti notat hîc Alexander n.16. Rosenthal de feudis c.10.cap.3.n.2. Etenim, licèt in causâ communi, si ea indiuisibilis sit, socius à socio, qui damnari non potest, vel in integrum restitui debet, communionis commodum reportet, quâ ratione hîc Felinus ait, si duo fratres feudum indiuisum possideant, & vnus tantùm feloniam committat, neutrum priuari posse, & Gaill lib.1.obseru.37.n.2. quòd laicus ratione connexitatis cum Ecclesiastico gaudeat priuilegio restitutionis in integrum, argum.l.si is qui, 19. ff.de libertate legatâ, vbi Bartolus ait; quòd socius incapax legati vel hæreditatis capax fiat propter socium capacem, si videlicet cùm bonorum societatem haberent, ipsis aliquid relictum sit. Hæc, inquam, licèt vera sint, tamen ad casum nostrum non rectè aptantur, cùm fructus diuidi possint, ideóque Episcopus puniri, absque eo quòd capitulum puniatur.

4 Dico II. Si feudum alicuius clerici patrimoniale seu proprium sit, tum haud dubiè priuari potest ob crimen v.g. proditionis, parricidium, ita Innocent.hîc n.2.

Sed id dubitatur, an de crimine clerici in ordine ad amissionem feudi cognoscere possit dominus feudi secularis, videlicet Imperator aut Rex, an verò causa ad Iudicem ecclesiasticum deferri debeat, ita vt si ipse iudicet crimen commissum, postea dominus feudum auferat; sin verò clericus in foro ecclesiastico absoluatur, dominus feudi quiescere debeat. Hanc partem tradit Innocentius, & sequi videtur Ioan.Andreas n.4. Abbas n.3. quemadmodum clericus, inquiunt, si ex consensu Episcopi in foro seculari testetur, & testimonium falsum proferat, ad Iudicem ecclesiasticum mittendus est, vt eius crimen puniatur. Verumtamen praxis quorundam regnorum aliud obtinet, vt clerici, ipsique Episcopi, si ratione feudalium bonorum Imperatori aut Regi subiecti sint, ab ipso ad tribunal vocari possint, & ob crimen puniri, sicut alij vasalli & ministri, quam praxin Suarez defendit lib.4. defens. fidei catholicæ, cap.34. n.26. & dixi de hoc lib.4.tract.9. cap.5.n.3. Nam feuda, quæ à dominis laicis sunt, originaliter laica censentur, tametsi verò Ecclesiasticis quandoque conferantur, vel clericis ob consuetudinem loci relinquantur, id tamen fit eo pacto, vt omnia onera subeant, sicut laici, seu per se, seu per alios; ideò dici solet, quòd clericus habens feudũ à laico, censetur vt laicus. Quod autem de teste dictum est, non est simile, is enim testificando in judicio seculari nullam ibi voluntariam obligationem contrahit, sic. ut clericus acceptando feudum seculare. Consequenter dicendum est, si dominus feudi iudicarit, clericum ob crimen feudo priuatum esse, quòd sententiam suam exequi possit, adeò vt si clericus executioni se opponat, seu parere recuset, illum expellere queat, sine periculo excommunicationis, vt hîc Innocentius n.2. contra Abbatem n.23. dummodò id fiat cum moderamine inculpatæ defensionis, vt in personam clerici nil attentetur per se, sed solùm quatenus est necessarium ad executionem sententiæ iustæ, si clericus contraueniat. 5

Notandvm II. Si circa feudum ad Ecclesiam pertinens quæstio oriatur, vacãte sede episcopali, capitulum non potest esse Iudex, sed exspectari debet, donec Episcopus nouus consecretur. Ita Gl.hîc, ver.quæstio mota. Est autem intelligendum de ijs feudis, quæ à solo Prælato conferuntur, ita vt si feuda ob aliquem casum aperiantur, ad mensam episcopalem deuolui debeant. Ratio est, quia capitulum cathedrale vacante sede non succedit in ijs juribus, quæ Episcopo competunt jure speciali seu extraordinario, vti hîc notauit Ioan.Andreas n.9. vbi simili ratione ait cum Dominico in c.1. quòd facultas Doctores creandi Episcopo competens non transeat ad capitulum. Sed aliam rationem esse aiunt Ioan.Andreas, & Abbas n.9. Si feudum communiter ad Episcopum & capitulum pertineat, tum sede vacante de controuersiis ortis cognoscet capitulum, consequenter etiam dicendum, quòd capitulum, si vacante sede administrationem habeat, feuda ad Prælatum & capitulum simul spectantia, quæ communiter infeudari so- 6

lent, iterum infeudare possit; secùs autem, si ad solum Prælatum spectent: sin denique ad solum capitulum, tum etiam viuente Prælato, & non requisito eius consensu infeudare poterit, sicuti annotauit Rosenthal c. 4. concluſ. 26. num. 2.

CAPITVLVM VIII.

Cùm sit.

PARAPHRASIS.

Malefactores, qui Ecclesias spoliando, vel aliter iniuriando sacrilegi censentur, possunt à Rectoribus Ecclesiarum, sub quo ipsi maluerint judice, vel seculari vel Ecclesiastico conueniri.

SVMMARIVM.

1. *Crimina alia sunt merè ecclesiastica; alia merè ciuilia; alia denique mixti fori in quæstionibus facti, non iuris.*
2. *Furtum, rapina, iniusta rei occupatio pertinentis ad ecclesiam, vel quemlibet locum sacrum inter sacrilegij crimina iure canonico numerantur; non autem vis aut fraus illata ecclesiasticæ personæ in bonis suis priuatis.*
3. *Non rectè Magistratus secularis cognitionem de crimine sacrilegij sibi tanquã propriam vendicare potest.*
4. *Iudex ecclesiasticus in crimine mixto contra laicum procedere potest vsque ad capturam & carcerem.*

1 ADVERTE I. Quòd crimina alia sunt merè ecclesiastica, videlicet quæ versantur circa materiam propriè spiritualem, & explicaui lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 2. n. 2. v. g. Simonia, hæresis, sacrorum Ordinum abusus: ait tamen Felinus hîc n. 4. post Imolam, quòd Iudex secularis post latam sententiam contra simoniacum, eum in foro suo punire possit, quod intelligi debet, si in foro ecclesiastico non satis punitus videatur, iuxta ea quæ docet Farinacius q. 186. de hæresi. Alioquin verò quòd simoniæ crimen perinde ac hæresis verè ecclesiasticum sit, ex communi docet Clarus n. 7. Farinacius in praxi q. 8. n. 20. Alia verò crimina sunt merè ciuilia, quæ circa materiam ciuilem versantur, v. g. furtum rei profanæ, occisio hominis laici. Alia denique crimina mixti fori, quæ ad vtrumque Iudicem spectare possunt, ea videlicet, quæ cùm legibus ciuilibus prohibita sint, quia juri gentium aut naturali repugnant, interim verò specialiter etiam aduersantur fidei ac religioni, cuius curam Ecclesia gerit. Talia sunt sacrilegium, sortilegium, periurium, blasphemia, apostolicarum literarum falsatio.

ADVERTE II. Quòd dicitur, crimina esse mixti fori, intelligitur in quæstionibus facti, non juris, si, inquam, quæratur, num Titius laicus calicem ex Ecclesiâ furatus sit, vel talem blasphemiam dixerit, tum secularis æquè ac ecclesiasticus Iudex cognoscere, & punire potest; si autem juris quæstio principaliter aut incidenter in judicium veniat, videlicet, num talis elocutio periurij aut blasphemiæ crimen sit, tum eius cognitio ad solum Ecclesiasticum spectat, vti docui cit. cap. 2. n. 9. vbi id declaraui in crimine vsuræ, esse id merè seculare, nisi dubitetur, num contractus aliquis vsurarius sit, hoc enim casu Ecclesiasticus tantùm cognoscet.

ADVERTE III. Quòd furtum, rapina, iniusta 2
occupatio rei pertinentis ad Ecclesiam vel quemlibet locum sacrum, videlicet monasterium aut Xenodochium, Episcopi auctoritate erectum, inter sacrilegij crimina jure canonico numerêtur, vt hîc & in c. conquestus infrà hoc tit. quia cùm bona ista ad Dei cultum à fidelibus oblata sint, quodammodo sacra censentur, eorúmq; violatio aut raptus sacrilegium, vti explicaui lib. 4. Th. mor. tr. 10. c. 7. n. 14. Idq; magis locum habet, si persona sacra seu ecclesiastica violetur per fornicationem aut stuprum, vel indignè tractetur per verberationem. Verumtamen si clerico, seu ecclesiasticæ cuiuis personæ in bonis priuatis vis aut fraus inferatur, nõ potest id censeri sacrilegij crimen, quia bona clericorũ eò ipso, quòd propria eorum sunt, dici non possunt sacra, seu cultui diuino dicata.

Quamobrem non placet, quod Canonistæ com-

communiter hîc docent, Innocentius, Imola, Abbas, Alexander, quòd furtum aut quælibet fraus commissa à laico in bonis clerici sit mixti fori, ideóque reus sub vtroque Iudice conueniri possit, & detur locus præuentioni. Verùm nullus canon afferri potest, quo id decernatur de bonis proprijs clericorum, ergo stamus regulâ vtroque foro receptâ, quòd actor forum rei sequi debeat, quod etiam in plerisq; regnis pro consuetudine receptum est, vti testatur Couarruuias in pract. quæst. c. 10. n. 1.

3 His adde, tametsi communiter receptum sit, quòd sacrilegium sit mixti fori, vti videre est apud Farinacium in praxi q. 8. n. 132. Clarum q. 37. n. 6. quia tamen in ciuili foro furtum rei non consecratæ, tametsi ad Ecclesiam pertineat, vel in Ecclesia existat, inter sacrilegij crimina numerari non solet, hinc est, quòd eiusmodi criminis cognitionem aduersus laicum fermè magistratus secularis, tanquam propriam, vendicet: sed non rectè, vt ex hoc capitulo apparet, & ex cit. c. conquestus, imò verò in quibusdam regnis neque de propriè dicto sacrilegij crimine, v.g. si laicus calicem sacrum ex Ecclesia furetur, permittunt Ecclesiasticum iudicare, vti testatur Clarus n. 6.

4 Aduerte IV. Cùm Iudex Ecclesiasticus in crimine mixti fori v. g. Clerici percussione aut furto rei sacræ aduersus laicos iudicialem cognitionem habeat, sequitur, quòd reum citare, capere, incarcerare, eundem cõdemnare, ac pecuniâ aliisque pœnis conuenientibus mulctare possit. vti hîc docet Felin. n. 18. & certum esse id oportere tradit Couarruuias in pract. q. c. 10. n. 2. vt contraria opinio defendi nequeat, quia alioquin iurisdictio elusoria esset, si Iudex reum constringere & mulctare non posset: nihilominus Clarus docet, quòd Iudex Ecclesiasticus, videl. Episcopus, in crimine mixto v. g. sacrilegio contra laicum procedere tantùm possit ad censuras sine captura aut carcere, quamobrem Clarus n. 47. ait, quòd in hoc casu non detur locus præuentioni, nec vnus Iudex alterum impediat, quia vterque procedere potest aduersus reum, Ecclesiasticus per censuram, secularis ad pœnam fiscalem aut publicam. Sed huic doctrinæ repugnat textus huius capituli, cùm Pontifex æquiparet Iudicem Ecclesiasticum & secularem, & dicat in electione actoris esse, coram quo contendere malit, alioquin hæc crimina non essent mixti fori, cùm id omnibus mortalibus commune sit, vt Prælatus per viam denuntiationis procedendo satisfactionem imponere possit criminoso, cúmque reluctantem per censuras compellere etiam præmissâ cognitione iudiciali, quandoquidem excommunicatio, aliáue censura inferri non potest à iudice Ecclesiastico, nisi priùs citatâ parte, & cognitâ causâ, sicuti hîc docet Abbas. n. 9.

CAPITVLVM IX.

Quòd clericis.

Paraphrasis.

Cælestinus III. scribens ad Iudices Ecclesiasticos mandat eis, vt non patiantur clericos Parisijs commorantes ad iudicium seculare trahi, cùm id sacris canonibus repugnet, si clerici contra aliquos, vel aliqui contra illos etiam in causis ciuilibus seu pecuniarijs controuersiam habent, ea in foro Ecclesiastico secundùm ius canonicum decidatur.

Svmmarivm.

1. *Causæ non tantùm criminales, sed etiam ciuiles seu reales, quas vel clerici inter se, vel laici aduersùs clericos instituunt, coram Ecclesiastico, non seculari Iudice tractandæ sunt.*
2. *Si clericus laico litem moueat coram Iudice seculari circa ea, quæ pertinent ad ordinem procedendi, seu lites ordinationem, Clericus seruare debet leges & consuetudines fori secularis, in quo litigatur, modò rationabiles sint, nec libertati ecclesiasticæ repugnantes.*
3. *Circa decisionem causæ iudex in foro seculari etiam agente clerico, vel Ecclesiâ contra laicum iudicat secundùm leges seculares, saluâ tamen exemptione & libertate ecclesiastica.*

1 NOTANDVM Vn. Causæ non tantùm criminales, sed etiam ciuiles seu reales, quæ vel clerici inter se, vel laici aduersus clericos instituunt, coram Ecclesiastico non seculari iudice tractari debent, ita arbitror intelligenda esse verba huius c.

2 QVÆRVNT Canonistæ cum Gl. ver. aliquid, si clericus laico litem moueat coram Iudice seculari, vtrùm ea decidenda sit secundùm leges & consuetudines fori secularis, an canonici? Respondeo & Dico I. Circa ea quæ pertinent ad ordinem procedendi seu litis ordinationem, clericus seruare debet leges & consuetudines fori secularis, in quo litigatur, modò rationabiles sint, nec libertati Ecclesiasticæ repugnent. Ita Hostiensis in summa de consuet. n. 12. Imola, Abb. n. 10. & c. seq. n. 14. vbi generalem regulam tradit, quòd in præparatorijs & ordinatorijs iudicijs seruandæ sunt leges loci, in quo iurisdictio exercetur. Et Gl. in Clem. dispendiosam, ver. vsuris, de iudicijs, vbi ait, quòd Papa non potest iudiciarium ordinem fori secularis tollere, quamobrem clericus agens contra laicum, libellum offerre debet, cautionem præstare, ferias & tempus instantiæ litis seruare, sicuti in foro ciuili exigitur, quemadmodum & vice versà laicus in foro Ecclesiastico litigans eiusdem leges seruare tenetur. Vide quæ docet Baldus, & quæ dixi in c. Ecclesia, 10. de constitut. vbi similiter dictum est, si clericus contractum celebret, vel testamentum condat in loco subiecto seculari Magistratui, quòd eiusdem loci leges & consuetudines rationabiles seruare debeat.

3 Dico II. Quod attinet ad decisionem causæ, Iudex in foro seculari etiam agente clerico vel Ecclesiâ contra laicum iudicat secundùm leges seculares, saluâ tamen exemptione & libertate Ecclesiasticâ. Ita Gl. & Imola l. c. Declaratur exemplis. Si clericus in foro ciuili agat contra laicum ad præstanda sibi legata ex testamento minùs solemni, v. g. non habente testes; in tali casu iudicabitur contra clericum secundùm leges ciuiles, quippe quibus clericus etiam obligatur, vti dixi in cit. c. Ecclesia, & lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 13. Sin autem Ecclesia in foro seculari petat legata ex testamento minùs solemni, iudicari debet non secundùm ciuiles leges, quia causa Ecclesiæ in hac re priuilegiata est seu exempta, sed secundùm ius naturale & canonicum, vti dixi lib. 3. Th. mor. tr. 5. c. 2. Sed & vice versa, si clericus vel laicus contra clericum agat in foro seculari circa materiam profanam, plerumq; iudicabitur secundùm ciuiles constitutiones, v. g. si quis à clerico emptore prædiũ iure propinquitatis retrahere velit iuxta ea, quę dixi in c. constituti, 8. de in integrum restitut. Item si quis à clerico exigat legata ex testamento minùs solemni, repellendus erit iuxta sanctiones imperiales, licèt spectato iure canonico ea solemnitas v. g. tantus testium numerus non requiratur.

Neque obstat his responsio huius capituli, quòd iudex Ecclesiasticus causas clericorum canonico iure definire debeat, cùm enim ius canonicum leges ciuiles, quæ irrationabiles non sunt, admittat, & à clericis quoque obseruari velit, c. 1. de noui operis nuntiat. satis conuenienter iuri canonico Iudex ciuiles causas decîdit, quando partes ad obseruationem legum ciuiliũ compellit.

CAPITVLVM X.

Licet.

PARAPHRASIS.

Laici quidam Vercellenses declinantes ciuitatis suæ consules, super causis temporalibus literas à Papa quandoque impetrârunt. Qua de re apud Innocentium III. questi sunt consules; is autem scribit Vercellensi Episcopo, vt si contigerit tales à laicis literas impetrari, eas irritas esse declaret, dummodò consules parati sint conquerentibus iustitiam exhibere: si verò accidat, eos, qui causas suas & querelas ad tribunal seculare deferunt, à consulibus grauari, tum illis liceat, sicut hactenus consuetum fuit, ad Episcopum, aut, si malint, ad Papam appellare, & præsertim eo tempore, cùm vacante imperio ij, qui à iudicibus opprimuntur, ad superiorem magistratum recursum

cursum non habent: quòd si verò ijdem consules à partibus tanquam suspecti recusati fuerint, tum per arbitros communiter electos causa suspicionis cognoscenda erit, & si ea iusta fuerit iudicata, etiam hoc casu ad Episcopum vel Papam recurri debet.

SVMMARIVM.

1. *Rescriptum à laico contra laicum in causâ non ecclesiastica impetratum à Papa, est ipso iure irritum, nisi iudex secularis partes grauet, vel iustitiam eis administrare nolit; tum enim ad Episcopum vel Papam recurri potest.*
2. *In foro ciuili iudex ordinarius recusari non potest ad eum effectum, vt remoueatur, sed vt socius ei adiungatur.*

In foro autem canonico recusari potest etiam vt remoueatur, modò causa recusationis exprimatur; quæ si dubia sit, ab electis arbitris causa suspicionis cognoscenda est.

3. *Iudices delegati iure canonico & ciuili recusari possunt ob causam iustam.*

1 NOTANDVM I. Rescriptum à laico contra laicum in causa non Ecclesiastica impetratũ à Papa, est ipso iure irritum. Rationem dat Innocentius hîc, quia in causis temporalibus Christianorum Papa iurisdictionem non habet, nisi temporali suæ iurisdictioni subiecti sint.

Excipitur verò hîc, nisi Iudex secularis partes grauet, vel iustitiam eis administrare nolit, tum ad Episcopum vel Papam recurri potest: id verò (vti in textu indicatur) dicitur propter consuetudinem, quæ eo loco & tempore viguit, alioquin verò spectato communi iure si Iudex secularis inferior aliquem grauet, vel iustitiæ administrationem neget, ad Superiorem ipsius, videl. Imperatorem, vel Regem, eius querela deferri debet, vti hîc tradit Innocent. n. 1. Imola n. 10. sed tum demùm ad Iudicem Ecclesiasticum deueniendum est in causa temporali, si nullus Iudex secularis reperiatur, qui iustitiam administret, vti hîc notauit Abb. n. 9. & consentit c. si duobus, 7. §. denique, de appellat.

2 NOTANDVM II. Circa recusationem Iudicum ordinariorum variæ sunt tribunalium consuetudines, nam in foro ciuili Iudex ordinarius recusari non potest ad eum effectum, vt remoueatur, sed ut socius ei adiungatur, sicuti docet Bartolus in Authent. si verò contigerit. n. 1. & fusè Iason n. 4. C. de iudicijs. vbi addunt, opus non esse causam recusationis allegare aut probare. At verò in canonico foro Iudex etiam ordinarius recusari potest, ita vt remoueatur, dummodò causa recusationis exprimatur, de qua si dubitetur, num iusta sit, arbitri eligendi erunt, qui de causa suspicionis cognoscant, & si iusta sit, procedatur eo modo, quo dictum est in c. 4. hoc tit.

Quare hîc duo specialia erant propter loci consuetudinem: primum, quòd etiam in ciuili foro consules ex iusta causa, eáque probatâ recusari poterant, vt remouerentur, secundùm quod consules recusati non poterant causam alteri delegare, neque ad Superiorem, sed ad Episcopum vel Papam remittere debebant. Ita Gl. hîc, & Abb. in fine huius c.

3 Quòd verò attinet ad Iudices delegatos, ij non tantùm iure canonico ob causam iustam recusari possunt c. causam, 17. c cùm super, 23. c. suspicionis, 39. de offic. delegati, sed etiam ciuili iure, vti constat ex l. apertissimi, 16. C. de iudicijs. & l. vlt. C. eodem, vbi dicitur, si Iudex delegatus recusetur ob causam iustam coram ipso, aut, absente eo, coram loci præside propositam, tum partes cogendas esse, vt arbitros eligant, quorum sententiam exequetur Iudex à Principe delegatus, qui ob eandem causam executor ibi vocatur, interprete Gl. in cit. l. apertissimi; sin autem appellatum sit ab arbitris, non ad delegatum (quippe suspectum ac recusatum) sed ad Superiorem seu Principem appellatio deuoluetur.

* * *

CAPI-

CAPITVLVM XI.

Ex tenore.

PARAPHRASIS.

Vidua quædam controuersiam habebat cum aliquo super hæreditate sibi debitâ, eam Papa quibusdam Iudicibus Ecclesiasticis delegauerat, sed Comes de Britannia, sub cuius iurisdictione temporali contendentes partes erant, volebat, vt controuersia in suo tribunali definiatur, promittens se iustitiam plenè administraturum: sed cùm Iudices delegati acquiescere nollent, Comes questus est Innocentio III. qui respondit, viduis se ita patrocinium debere, vt tamen alijs iniustitiam non irroget, ideò mando, vt si causa, de qua agitur, Ecclesiastica non sit, eâ supersedeatur, quòd si verò vidua iustitiam obtinere nō possit apud Iudicem secularem, tum ipsi causam decidere aggrediantur.

SVMMARIVM.

1. *Papa iniustitiam committeret, si se immisceret causis temporalibus spectantibus ad forum secularis Principis, nisi propter necessitatem, quando in iudicio seculari superiori & inferiori iustitiæ administratio haberi nequit.*
2. *Causa dotis & alimentorum ad iudicem tantùm secularem pertinet, si per se ac principaliter tractetur in iudicio; si autem orta controuersia de diuortio, quod fori ecclesiastici est, accessoriè de ijs agatur, ad eundem illa iudicem ecclesiasticum spectabit.*

1 NOTANDVM I. Si Papa causis temporalibus spectantibus ad forum Principis secularis se immisceret, viâ ordinariâ & excluſa necessitate, iniustitiam committeret. Dico *secluſa necessitate*, quia si Principes iustitiam fidelibus non administrarent, tunc Iudex Ecclesiasticus, præsertim Papa, tanquam omnium Christianorum pater, succurrere ac supplere debet, quæ est communis omnium sententia.

De eo verò dubitatur, si inferior Iudex v. g. Consul vrbis, aut Comes iustitiam administrare negligat, num statim ad Episcopum vel Papam recurri possit, an verò priùs recurrendum sit ad superiorem Iudicem secularem, videl. Regem vel Imperatorem, vt Comitem compellat, vel causam ad se auocet. Resp. distinguendum esse, quòd aliæ sint personæ, quæ in iure miserabiles censentur, vt pupilli, orphani, pauperes, oppressi, & secundùm quosdam viduæ; aliæ autem personæ non miserabiles: de his certum esse debet, Iudicem Ecclesiasticum se nō immiscere, quamdiu recursus est ad Iudicem secularem superiorem, vti docet Innoc. in c. significantibus 38. de offic. delegat. Imola hîc n. 2. Quòd verò attinet ad personas miserabiles, variæ erant olim Canonistarum sententiæ, vti Innoc. refert. l. c. nam aliqui dicebant personis miserabilibus Iudicem Ecclesiasticum semper iustitiam administrare posse, etiam nullâ præcedente negligentiâ Iudicis secularis, vti Imola hîc, n. 2. Alij verò id admiserunt in causis modicis, non item in grauibus; alij denique vniuersim dicebant nec miserabilium personarum causas à Iudice Ecclesiastico cognoscendas esse, nisi propter necessitatem, quia in iudicio seculari tam inferiore quàm superiore patrocinium & iustitiæ administrationem consequi non possunt, & hæc sententia nunc fermè in praxi obtinet.

QVÆRIT hîc Abbas n. 6. si vidua hæc dotem suam petiuisset ab hærede mariti defuncti, ad quem Iudicem hæc causa dotis principaliter in iudicium deducta pertinuisset? Resp. cum Hostiensi, quòd causa sit mixti fori: idem docet Innoc. de donationibus inter virum & vxorē, quia ad Ecclesiam etiam spectat defensio dotium: sed contraria sententia tenenda est apud Sanchez lib. 10. de matr. q. 8. n. 15. Causam dotis sicut & alimentorū, cùm sit merè profana, ad Iudicem tantùm secularē pertinere, si per se ac principaliter agatur; sin autem ortâ controuersiâ de diuortio, quæ propriè ad tribunal Ecclesiæ 2

spe-

spectat.c.tuę.5.de procur.accessoriè etiam agatur de dote&alimentis mulieri prestandis, ad eundem Iudicem Ecclesiasticum spectat cognoscere, vti habetur expressè in cit.c 5. de procurator.& docui lib.4.Th. mor.tr.9.c. 2.n.5. §. illud.

CAPITVLVM XII.

Si diligenti.

Paraphrasis.

Archiepiscopus Pisanus in ea erat opinione, quòd clericus, præsertim aduersario suo volente, in causis ciuilibus seu temporalibus priuilegio fori renuntiare, & Iudicem sibi secularem constituere possit,ideóque obligare iuramentum super hoc editum à clerico; sed Innoc. III. hunc errorem redarguens miratur, quòd immemor sit legis 38.ff.de pactis: ius publicum priuatorum pactis mutari non potest, & eorum, quæ leguntur in Conc. Mileuitano (potiùs Toletano 3. c. 13.) & Carthaginensi 3.c.9. Si clericus clericum non ad Episcopum suum, sed ad ciuilem Iudicem traxerit, vt causam perdat,& à communione separetur,c.inolita 42. causa 11. q. 1. item si clericus in iudicio seculari conueniri elegerit,si quidem causa criminalis sit, deponatur, sin verò ciuilis, tum amittat id, quod ipsi in iudicio seculari adiudicatum est,c.placuit 43. causa 11. q. 1. ex quibus manifestum est, quòd clerici nec volentes nec coacti priuilegio fori sui renuntiare possint, cùm hoc priuilegium non sit eorum personis priuatim indultum, sed toti collegio clericorum, adeóque sit ius publicum,cui priuatorum factio derogare nequit, sed nec iuramentum obligat ad obseruationem, quòd illicitè & sacris canonibus reprobatæ pactioni adiungitur.

Svmmarivm.

1. *Repugnat S S,canonibus,vt clerici seu in criminalibus, seu in ciuilibus causis coram seculari iudice conueniantur; excipiuntur causæ feudales, in quibus clerici habentur vt laici.*
2. *Potest quis renunciare priuilegio dato in fauorem proprium ac priuatum, non autem dato in fauorem publicum; neque iuramentum tali renunciationi additum obligat.*
3. *Iudici naturali renunciari non potest.*
4. *Vti neque diuino, si præcipiens aut prohibens sit; neque humano ecclesiastico, aut ciuili si certam formam aut solemnitatem in actu necessariò obseruandam præscribit; si aliquid statuat ob publicum fauorem.*
5. *Si quid humano iure statutum est in fauorem plurium, vnus renunciare non potest cum aliorum præiudicio, si causa inseparabilis sit.*
6. *Quisque renunciare potest beneficio seu priuilegio priuatum suum fauorem concernenti.*
7. *Nisi beneficium ob ætatis imbecillitatem concessum sit,aut aliquid statutum, non tantùm in fauorem alicuius, sed etiam in odium aut pœnam alterius.*
8. *Renuntiatio contra mores bonos ciuiles aut naturales non tenet.*

NOTANDVM I. Sacris canonibus repugnat, si clerici seu in criminalibus seu in ciuilibus causis coram seculari Iudice conueniantur: excipiendæ tamen sunt causæ feudales,in quibus clerici cẽsentur vt laici,sicuti dixi in c.verùm,7.hoc tit. Vide plura, quæ congessit Gratianus causa 11. q. 1. 1

NOTANDVM II. Quisque renuntiare potest priuilegio dato in fauorem proprium ac priuatum, non autem dato in fauorem publicum,sed neque si eiusmodi renuntiationi seu pactioni iuramentum apponatur,obligationem aliquam parit. Ita Innocent.hîc & alij. 2

Pro pleniore huius materiæ intellectu ita distinguendum est cum Bartolo in l. si quis, ff. de pactis. Vel aliquis renuntiat iuri naturali,vel positiuo; si primum, irrita est renun- 3

tiatio, cùm ius naturale immutabile sit: hoc modo nemo renuntiare potest patriæ & origini suæ, quamuis renuntiari queat priuilegijs patriæ, quippe iure positiuo constitutis, vti dixi in c. 1. hoc tit. Simili ratione renuntiari non potest iuri sanguinis seu consanguinitatis, licèt renuntiari possit hæreditati ex hoc iure deriuatæ, nam ius agnationis immutabile est, l. 34. de pactis, sed ius hæreditatis prouenit ex gentium lege, adeóque iure positiuo, & ipsum ius gentium non præcipit hereditatem à proximis consanguineis acceptari, sed defert volentibus. Præterea renuntiare non potest filius alimentis necessarijs, sicuti nec filia doti necessariæ, quippe quæ loco alimentorum succedit. vti dixi lib. 5. Th. mor. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 7. & 8.

Eadémque ratione innocens in causa criminali non renuntiare potest necessariæ suæ defensioni, vti docet Gl. in l. pactum, 46. ver. cùm liceat, quia homo non est dominus vitæ ac membrorum, sed custos, l. liber homo, ff. ad legem Aquiliam, igitur ea ab interitu defendere debet, si sine suo & alieno incomodo graui possit. Nec obstat, quòd Glossator Felini hîc obijcit praxin iudicum secularium, qui maleficos examinatos & cõfessos de se faciunt renuntiare defensionibus & retractationibus; id enim à Iudicibus fieri potest ex præsumptione delicti, quæ ex iudiciaria confessione oritur, atque ad vitandam inconstantiam rei.

Nihilominus si quis crimen morte dignum falsò confessus sit, non obstante suâ non reuocandi promissione, reuocare tenetur, dummodò spes aliqua sit non frustrà reuocaturum, iuxta ea, quæ dixi lib. 3. Th. mor. tr. 6. c. 5. n. 24.

4 Venio ad ius positiuum, quod primò distinguitur in diuinum & humanum. In iure diuino si præcipiens aut prohibens sit, v.g. vt baptismus suscipiatur, ne matrimonij vinculum aut indiuidua societas soluatur, nemo renuntiare potest. Maranta 5. 19. 28.

De iure humano cùm ecclesiastico tum ciuili ponendæ sunt assertiones. I. Si ius certam formam seu solemnitatem in actu necessariò obseruandam præscribat, ei renuntiari non potest, v.g. vt testamentum habeat 7. testes, vt matrimonio parochus cum alijs testibus interfit, vt alienationi Ecclesiasticæ auctoritas Superioris & Capituli consensus adhibeatur; nam eiusmodi formæ seu solemnitates censentur substantiales, sine substantia autem res non consistit. & ita notauit Felinus hîc n. 7. vbi ait, quòd ijs, quæ à iuris aut iudicis auctoritate pendent, renuntiari non potest.

II. Si ius statuat aliquid principaliter ob publicum fauorem, ei renuntiari non potest. v. g. in Trident. sess. 25. c. 15. de regular. vbi decernitur, vt nemo religionem profiteatur ante annum 16. nemo item, nisi annum continuũ post habitum religionis susceptum in probatione steterit, nullam item donationem facere possit Nouitius vsque ad duos menses, qui professionem statim antecedunt. Vide quæ dixi in c. cùm accessissent, 8. de Constit.

III. Si quid statutum sit in fauorem plu- 5
rium, vnus renuntiare non potest cum aliorum præiudicio, si causa inseparabilis sit. Ita Innoc. c. ex conquestione, 10 n. 3. de restit. spoliatorum. Felinus hîc n. 32. & sumitur ex regula 29. in 6. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Hac ratione in l. vlt. statutum est, vt tutor tutelæ renũtiare non possit absque contutoris consensu, quia eius etiam interest. Sic frater, qui in communione consistit cum fratre suo, priuilegijs clericorum renuntiare non potest sine consensu alterius. Præterea si reus dilationes impetrauit, & postea pœnitens facti ijs renuntiare velit, non admittitur renuntiatio inuito actore, quia facta est dilatio communis, vt intra hoc tempus etiam actor probationes suas deducere possit, iuxta l. petendæ, 16. & singulariter notauit Durandus in speculo lib. 2. part. 1. de dilation. §. 4. n. 16. Cetertùm si fauor priuatus, cui quis renũtiat, separari possit, ita vt integrum maneat ius seu commodum publicum, aut personæ alterius, tum valet renuntiatio, argum. c cùm tempore, 5. de arbitris, vbi Gl. ver. abiurasse, ait, quòd beneficiatus renuntiare possit iuri sibi com-

competenti, quod eo nunquam ipsemet vti velit, dummodò Ecclesiæ & successoribus ius integrum maneat.

6 IV. Quisque renuntiare potest beneficio seu priuilegio priuatum suum fauorem concernenti, ita hîc, & in c. ad Apostolicam, 16. ad regular.

7 Excipe I. Nisi beneficium ob ætatis imbecillitatem concessum sit; sic enim beneficio restitutionis in integrum minor natu renuntiare non potest, nisi renuntiet, cùm iam maior factus est. Ita Durandus in speculo lib. 2. part. 3. veram rationem afferens, quia in hac ipsa renuntiatione læditur, ideóque contra eam ipsam restituendus esset, si valeret. idem docet Abb. hîc n. 12. Imola n. 10.

Excipe II. Si quidpiam statutum sit, non tantùm in fauorem alicuius, sed etiam in odium aut pœnam alterius, ei renuntiari nequit. Sic filiusfamilias Senatusconsulto Macedoniano recusare non potest, quo cautum est, vt ex mutuo accepto sine patris consensu aut mandato efficaciter non obligetur, quia id non tam in eius fauorem, quàm in pœnam creditoris decretum est, vti dixi in lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 15. n. 3. & docet Gl. recepta, in l. vlt. ver. sui iuris. C. ad Senatusconsultum Macedonianum. Innocent. hîc, & Ioann. Andr. n. 16. Veruntamen in cit. l. vlt. excipitur filiusfamilias miles, qui etiam sine patris voluntate ex pecunia sibi credita obligatur, quia in pluribus articulis filijfamilias milites non absimiles censentur hominibus, qui sui iuris sunt, & ex præsumptione omnis miles non creditur in aliud quidquam pecuniam accipere & expendere, nisi in causas castrenses.

8 Excipe III. Si renuntiatio censeatur esse contra bonos mores ciuiles aut naturales, v. g. pactum instituendi certum hæredē, non reuocandi testamentum, aut non reuocandi donationem secutâ ingratitudine donatarij, non reuocandi feudum secutâ felonià, alióue delicto vasalli, item non accusandi de facinore committendo, non puniendi iudicem, etsi malè iudicârit per culpam latam aut dolum, nō exigendi rationem administrationis à tutore &c. de quibus videri potest Felinus hîc n. 21. & quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 3. Vtrùm verò huiusmodi pactiones seu renuntiationes propter appositum iuramentum seruari debeant, dixi in c. 2. de pactis, & copiosè in cit. tr. 3. c. 6.

CAPITVLVM XIII.

Cùm contingat.

Paraphrasis.

Ex Honorio III. quæsiuit Episcopus Beluacensis, si clerici existentes in seruitio Capituli Cathedralis, aut aliorum clericorum delinquant, num permittere possit, vt accusatores querelam deferant ad eos, in quorum obsequio versantur, quia talem iudicandi de eorum causis ipsi potestatem sibi vendicant, licèt non ad excommunicandum, aut aliter coërcendum. Respondit Papa, quòd ad ipsum Episcopum tanquam ordinarium loci querelæ deferri debeant, maximè si clerici intra diœcesin delinquant, præterquam, si Capitulum, siue in quorum obsequio clerici existunt, per speciale priuilegium vel consuetudinem aliquam in eos iurisdictionem comparârint.

Svmmarivm.

1. *Dominus domûs, vel paterfamilias propriè non habet iurisdictionem in famulos & officiales suos, vti nec in vxorem & liberos; habet tamen ius cuiusdam gubernationis cum modica punitione iunctum.*
2. *Episcopus est ordinarius Iudex clericorum in diœcesi sua; Capitulum autem cathedrale de iure communi ne quidē in singulos Canonicos iurisdictionē habet.*
3. *Clericus, vt est persona priuata, non potest vsucapere fori externi iurisdictionem ad excommunicandum &c. sed tantùm ratione dignitatis, administrationis, seu officij, quod gerit.*
4. *Ad præscribendam iurisdictionem contra loci Ordinarium, si alius coloratus titu-*

lus concessionis desit, requiritur scientia & patientia eius, contra quem præscribitur.

5. *Prælati ecclesiarum conuentualium in vtroq; foro, interno & externo, iurisdictionem habent in Collegium, seu in eos, à quibus eliguntur.*

6. *Iurisdictio his Prælatis, si exempti non sunt, competit cumulatiuè cum Episcopo, vt in arbitrio actoris sit reos coram Prælatis, vel coram Episcopo conuenire.*

7. *Prælatus Episcopo inferior si habet territorium, intra cuius fines iurisdictio se extendit, extra eos iudicialiter procedere non potest: Si non habet territorium, sed tantùm ei iurisdictio cõpetat in personas secundùm se, tunc in omni loco diœcesis ius dicere potest.*

8. *Iurisdictio Prælatorum Religiosorum extenditur ad omnem locum.*

9. *Vicarius Episcopi seu Officialis certum tribunal habet, quod Consistorium Episcopi vocatur, ex causa tamẽ rationabili in quouis loco diœcesis honesto & idoneo iudicium exercere potest; modò partes non trahantur ad locum à Consistorio non nimis remotum.*

10. *Episcopi expulsi à sua diœcesi, ita vt nec per suum Vicarium in ea ius dicere ipsis liceat, possunt id dicere in aliena vicina diœcesi; modò subditi vltra duas diætas à fine diœcesis computandas non euocentur.*

11. *Possunt Episcopi clericos suæ diœcesis non tantùm punire ob crimina commissa intra, sed etiam extra diœcesin.*

1 NOTANDVM I. Dominus domûs vel paterfamilias propriè non habet iurisdictionem in famulos & officiales suos, sed neque in vxorem ac liberos; habet tamen ius cuiusdam gubernationis cum modica punitione iunctum, vti explicaui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 8. n. 7. & lib. 5. tr. 10. part. 3. c. 2. n. 7.

2 NOTANDVM II. Episcopus est ordinarius Iudex clericorum in diœcesi sua. c. cùm Episcopus, 7. de offic. Ordinarij in 6. Capitula verò Cathedralia quandoque per priuilegium vel consuetudinem iurisdictionem in clericos & officiales suos sibi vendicant, sed spectato iure communi ne quidem in canonicos singulos iurisdictione præditum est Capitulum Cathedrale, vti hîc docet Abb. n. 4. & colligitur ex c. irrefragabili. 13. §. Excessus, de officio ordinarij.

QVÆRITVR I. An quilibet clericus per consuetudinem acquirere possit iurisdictionem fori externi, adeóque excommunicandi potestatem, aliásque censuras ferendi. Resp. Clericus, vt est persona priuata, non 3
potest vsucapere talem fori externi iurisdictionem, sed tantùm ratione dignitatis, administrationis seu officij, quod gerit, ita colligitur ex hoc c. & docet Ioann Andr. n. 10. Abb. n. 16. nam clericus non potest vsucapere iurisdictionem Ecclesiasticam, nisi sub titulo saltem colorato factæ concessionis à Prælatis Ecclesiasticis, cùm omnis potestas iurisdictionis inde tanquam ex fonte deriuetur. Cùm ergo Prælati Ecclesiastici nunquam conferant iurisdictionem externi fori ad excomunicandum, &c. tanquam ordinariam aut quasi ordinariam, nisi ratione dignitatis vel officij, sequitur inde, quòd non nisi intuitu officij vel dignitatis aliquis cum bona fide propriè dictam externi fori iurisdictionem vsucapere possit.

QVÆRITVR II. Vtrùm ad præscri- 4
bendam iurisdictionem contra loci Ordinarium, si alius coloratus titulus concessionis desit, requiratur scientia & patientia eius, cõtra quê præscribitur. Resp. Affirmatiuè cum Bartolo in l. 1. §. deniq; n. 5. ff. de aqua pluu. & Abbate hîc n. 10. nam iurisdictio fori externi in alterius territorio habet se veluti ius seruitutis affirmatiuæ, v. g. itineris; seruitutes autem huiusmodi, si alius titulus desit, vsucapi non possunt absque scientia & patientia eius, contra quem præscribitur, vti dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 1. c. 8. n. 3. & docet Baldus in l. 2. C. de seruitut. & aquâ quotidianâ, vbi docet, quòd ad possessionem & vsucapionem rerum incorporalium seu iurium requiratur scientia & patientia eius, cõtra quê præscribitur, seu qui ius concedere potest, v. g. possessionem beneficij non vacantis

absque

absque expressâ concessione nemo acquirere potest in ordine ad vsucapiendum, nisi cum scientia & patientia eius, qui conferre debet. Rationem dat Baldus n. 18. quia ad acquirendam possessionem requiritur traditio, alioquin censebitur vsurpata & iniusta possessio; scientia autem & patientia domini in talibus est instar traditionis, seu quædam traditio. Exinde infert Bart. l. c. quòd ciuitas imperialis valde remota ab Imperatore præscribere non possit merum imperium aut regalia, quia Imperator censetur ignorare.

At verò sciente & patiente Superiore præscribi potest iurisdictio, nõ tantùm simplex, sed etiam quæ sunt imperij meri aut mixti, imò & ea, quæ Principi in signum cuiusdam prærogatiuæ reseruata sunt; vt potestas legitimandi, tabellionem creandi & alia, de quibus in c. 4. de officio Legati. Non item præscribi potest aduersus ea, quæ intrinseca sunt potestati Superioris v. g. vt ad obedientiam subditus nõ teneatur, c. cùm non liceat 12. de præscr. & videri potest Abbas hîc n. 14. & 15.

QVÆRITVR III. An & quatenus Prælati inferiores Episcopo iurisdictionem in foro externo habeant. De hac re variè canonistæ sentiunt, vt videre licet apud Abbatem
5 hîc num. 28. Respondeo & Dico I. Negari non potest, quin Prælati Ecclesiarum conuentualium, eo ipso quòd capita sunt, Ecclesiæ suæ iurisdictionem non solùm in interno, sed etiam externo foro habeant in collegium, seu eos, à quibus eliguntur, ita sumitur ex c. 3. de officio ordinarij, & docet Gl. ibi. Innoc. n. 2. Imola n. 6. argum. l. vlt. C. de iurisdict. omn. iudic. & ita quidem habent spectato iure communi, vt excommunicare, aliásque censuras inferre possint secundùm Gl. cit. Innoc. Ioan. Andream n. 16. ibid. Ratio iam data est, quia Prælati sunt capita Ecclesiarum ex legis præscripto per electionem constituti, ergo ab eâdem communi lege iurisdictionem habent in eos, quibus præficiuntur; in quibusdam tamen diœcesibus consuetudo viget, vt facultas excommunicandi Ecclesiarum secularium Prælatis & Rectoribus non concedatur, eò quòd hæ causæ censeantur arduæ.

DICO II. Iurisdictio his Prælatis, si exempti non sunt, competit cumulatiuè cum Episcopo, vt in arbitrio actoris sit reos coram Prælatis, vel coram Episcopo conuenire. Ita Innoc. cit. c. quanto, n. 2. Abbas hîc. Nam Episcopus est ordinarius Iudex clericorum totius diœcesis, ergo cõcurrit cum omnibus alijs in iurisdictione fori tam externi quàm pœnitentialis, præterquam si per speciale priuilegium vel consuetudinem Prælati aliqui exempti sint, vel etsi non simpliciter exempti, tamen iurisdictionem in suos clericos obtineant priuatiuè, seu excluso Episcopo, saltem in primâ instantiâ, aut donec defectus vel negligentia Prælati inferioris appareat, vti dixi c. irrefragabili 13. de officio ordinarij. Cuiusmodi iurisdictionem Prælati omnes regulares habent in suos religiosos, etsi alioquin exempti non sint: vti Innoc. in c. 3. de officio ordinarij, & dixi in c. quanto, eodem tit. 6

DICO III. Refert, vtrùm Prælatus Episcopo inferior territorium habeat, intra cuius fines iurisdictio eius se extendit, v. g. Archidiaconus, tum extrà eos fines iudicialiter procedere non potest: an verò territorium non habeat, sed tantùm ipsi iurisdictio competat in personas secundùm se, tunc neque proprium alicuius loci tribunal habet, sed in omni loco diœcesis iudicare potest, cùm enim non habenti propriam diœcesin conceditur iurisdictio in diœcesi Episcopi, consequenter etiam conceditur exercitium iurisdictionis in eâdem diœcesi, vti argumentatur hîc Abbas n. 3. monens tamen, quòd conuenientiùs aget Prælatus, si intra terminos Ecclesiæ suæ iurisdictionem contentiosam exerceat. Quod verò attinet ad Prælatos Ordinum, eorum iurisdictio in professos seu regulares prouenit ex personali obligatione per vota secundùm Sedis Apostolicæ approbationem facta, quare eorum iurisdictio ac potestas, vt v. g. religiosum fugientem capere, & constringere possint, extenditur ad omnem locum, quare dici solet, quòd totus mundus his Prælatis sit pro territorio. 7 8

Sed quid sentiendum de Vicario Episcopi, num in omni loco diœcesis jus dicere 9

possit? Resp. I. Necessarium est, & ita in Ecclesiis consuetum, vt Vicarius seu Officialis certum tribunal habeat, quod Consistorium Episcopi appellatur, plerumque in cathedrali ciuitate situm. ita Nauarrus. Cetèrùm ex causâ rationabili Vicarius in quouis loco diœcesis honesto & idoneo iudiciũ exercere potest, vt si cum Episcopo vel solus extra locum tribunalis, siue ad alias diœcesis partes se contulerit, vel ob aliam causam cõmodius ibi sit litem decidi, nam Vicarius generalis iurisdictionem episcopalem exercet; Episcopus autem in quouis loco diœcesis, dummodò exemptus non sit, iurisdictionem exercet, c. cùm Episcopus 7. de officio ordinarij in 6. ergo & Vicarius; modò id caueatur, vt partes litigantes ad locum non nimis remotum extra proprium Episcopi Consistorium trahantur, alioquin petere possunt, vt in loco ipsis propinquiore judicium habeatur, & si id negetur, appellare, sicuti ex Maranta docet Barbosa de potestate Episcopi allegat. 81. n. 5.

10 Dico IV. In Clemẽtina vnica hoc tit. permittitur Episcopis, vt, si è diœcesi suâ expulsi sint, ita vt nec per Vicarium iurisdictionem exercere possint, tum liceat eis in alienâ diœcesi vicinâ ius dicere, & eò etiam subditos quoscunque suos euocare, dummodò non euocentur vltra duas diætas à fine diœcesis computandas.

11 Notandvm III. Episcopus clericos diœcesis suæ non tantùm punire potest ob crimina commissa in diœcesi, sed etiam extra diœcesin, ita ex communi Abbas hîc num. 6. contra Gl. ver. maximè, quæ verbũ hoc *maximè* explicat impropriè, vt idem sit quod tantùm, cùm tamen verba constitutionis, nisi necessitas cogat, ad impropriam acceptionem trahenda nõ sint. Constat autem vocem *maximè* non esse excluſiuam, sed potiùs incluſiuam eius, cum quo alterum comparatur & antefertur, v. g. in quadragesimâ à carnibus abstinendum est, & ieiunandum, maximè religiosis & clericis, ex quo non sequitur, seculares à lege absolutos esse. Vide quæ dicentur in c. sequente & vltimo.

CAPITVLVM XIV.

Postulasti.

Paraphrasis.

Quæsitum erat ex Innocent. III. si beneficiatus v. g. parochus in loco beneficij sui resideat, sed domicilium patrimonij sui habeat in aliâ diœcesi, atq; inibi delinquat, num ab Episcopo eiusdem loci puniri possit, maximè si agatur de priuatione beneficij, aut depositione ab officio, quod in aliâ diœcesi habet. Respondit Papa, quòd ab Episcopo loci, in cuius diœcesi deliquit, sententia priuationis aut depositionis in eum ferri debet, sed ab altero Episcopo executioni mandari.

Svmmarivm.

1. *Clericus delinquens in alia diœcesi potest puniri ab Episcopo eiusdem loci, licèt in alia diœcesi resideat.*
2. *Si verba statuti directè disponunt circa formam testamenti, vel contractûs, v. g. vt ad solemne testamentum tantùm duo testes requirantur, valebit testamentum, siue ab incola, siue à peregrino sit confectum in eo loco, & quidem quoad omnia bona, vbicunque sita fuerint.*
3. *Si statutum habilitet personas ad contrahendum, vel testandum, probabile est etiam extendi ad bona sita extra territorium statuentium. Possunt etiam frui hoc veluti priuilegio talis loci incolæ & peregrini.*
4. *Si statutum inhabilitans & odiosum sit, non comprehendit aduenas ibi testantes.*
5. *Statutum in prouincia, vt masculi succedant, exclusis fœminis; vel primogenitus succedat, exclusis aliis liberis, non obligat in ordine ad bona sita extra prouinciam, si directè disponat de rebus: obligat autem extraneos, si in regione sedem habeant.*

Si verò statutum absolutè disponat de personis

sonis, peregrinos non comprehendit; extendit autem se ad bona alibi sita.

6. *Præceptum Superioris potest se extendere ad locum, & bona extra territorium.*

7. *Iudex non potest sententiam pœnæ inflictiuam extendere vltra territorium suum, nisi alter Iudex, ad cuius locum sententia dirigitur, requisitus sententiam exequi paratus sit, vel pœna decreta sit per legem vtrique communem; aut naturâ suâ afficiat absolutè personam, sine ordine ad locum, vti excommunicatio.*

8. *Si Episcopus non ex legis præscripto, sed propter hominis contumaciam proprio motu suspensionem inferat clerico à beneficiis, sententia eius non extendit se ad beneficium, quod reus habet in altera diœcesi.*

9. *Pœna confiscationis bonorum extenditur ad omnia bona, etiam quæ in diuersis locis sita sunt, modò eidem Magistratui immediatè subsint; si autem non ita subsint, vel pœna confiscationis illata est reo ex lege vtriq; loco communi, & tunc Magistratus loci, in quo reus damnatur, confiscabit bona sita in territorio iudicantis; alter verò bona sita in suo territorio. Vel est illata ex statuto proprio, & tunc bona sita extra territorium non sunt subiecta confiscationi.*

10. *Statutum magistratûs prouincialis, vt propter adulterium v. g. confiscentur bona criminosi, ad extraneos possessores non extenditur.*

11. *Extraneus habens sub hoc magistratu bona, & extra prouinciam eum offendens, vel eius subditos, non potest puniri in possessionibus, nisi priùs petita & negata satisfactione pro illata iniuria ab offendente, & eius Superioribus.*

1 NOTANDVM I. Clericus delinquens in aliâ diœcesi potest puniri ab Episcopo eiusdem loci, tametsi in aliâ diœcesi resideat, ratio est, quia ratione delicti subijcitur aliquis iurisdictioni.

Aduerte hoc loco, tametsi clericus in casu huius capituli habuerit domicilium paternum in diœcesi illâ, in quâ deliquit, & ideò duplici nomine ab eo Episcopo, dum ibi existeret, puniri potuerit, tamen in responsione Innoc. id vnicum æstimari, quòd deliquerit in diœcesi, & ita docet Abbas hîc. not. 1. Imola n. 3.

Sed difficultas est, qua ratione Episcopus delicti potuerit pœnam priuationis extendere ad beneficium in aliâ diœcesi situm; non enim potest Iudex iurisdictionem extendere vltra fines territorij sui, sicuti docent Legistæ in l. relegatorum 7. vbi Bartolus §. est quoddam, ff. quòd Iudex non possit aliquem relegare ad locum iurisdictioni suæ non subiectum, idémq; ex communi hîc tradit Felinus col. 2. Ad hoc respondet Glossa hîc ver. deliquit, quòd Episcopus delicti sententiam tantùm declaratoriam criminis promulgare debeat, videlicet hunc criminosum secundùm canones priuationem meruisse, & verò ab Episcopo beneficio eandem inferendam esse. Sed Hostiensis, & Ioan. Andreas hîc n. 4. Abbas n. 7. textui congruenter dicunt, quòd Episcopus delicti hoc casu sententiam priuationis ferat, at verò Episcopus beneficij eandem exequi debeat. Pro pleno huius materiæ intellectu

QVÆRITVR I. De statuto reddente aliquem capacem vel incapacem alicuius contractûs vel testamenti, num etiam extendatur ad bona sita extra territorium, idque respectu subditorum tantùm, an verò etiam respectu peregrinorum pro tempore ibi existentium, quam quæstionem copiosè Bartolus & Baldus tractant.

Respondeo & Dico I. Si verba statuti directè disponant circa formam testamenti aut contractûs, v. g. vt ad solemnitatem testamenti non plures testes requirantur, quàm duo, tunc valet testamentum, siue ab incolâ, siue peregrino confectum sit in eo loco, & quidem quoad omnia bona, vbicunque sita sint, ita Bartolus n. 25. & 37. Durandus de arte testandi; Antonius Gabriel. lib. 6. de statutis, concl. 8. n. 17. Ratio prioris partis est, quia peregrinus in fauorabilibus potest se accommodare statutis & consuetudinibus loci, in quo versatur, v. g. cùm incolis Catholi-

2

cis

cis carnes comedere, tametsi in patriâ id non liceat. Ratio posterioris partis est, quia magistratus directè tantùm disponit de contractu aut testamento valorem illi addens, vel auferens, si intra territorium suum instituatur, consequenter autem & indirectè dispositio etiam se extendit ad bona sita extra territorium.

3 Dico II. Si statutum habilitet personas ad contrahendum vel testandum, probabile est etiam extendi ad bona sita extra territorium statuentium, item non tantùm incolas, sed etiam peregrinos hoc veluti priuilegio loci frui posse: Exemplum est, si statutum vel consuetudo loci sit, vt filiusfamilias de bonis suis aduentitijs testari possit. Prior pars assertionis est Bartoli cit. l. 1. n. 32. vbi ait, si statutum fauorabile sit, latè interpretandum esse, vt se extendat ad bona vbique sita; sed arbitror non esse curandum, num statutum fauorabile sit, an odiosum, sed in vtroque casu extendi etiam ad bona alibi sita, vti docet Baldus n. 18. Lancellotus de statuto Alexandrino, Præfat. 7. n. 11. vt si statutum sit, quòd mulier viro per vltimam voluntatem nil relinquere possit, impedietur etiam, quò minùs in loco statuti condens testamentum relinquat illi bona sita extra territorium.

Posterior pars est contra Bartolum, Baldum & alios multos, qui rationem dant, quòd magistratus loci non possit habilitare personas non subditas. Sed contrarium est probabilius, quòd in loco, vbi filijsfamilias testamentum condere concessum est, (nisi statutum expresè limitatum sit ad incolas) etiam peregrinus validè testetur secundùm ea, quæ in simili docet Sanch. lib. 3. de matr. D. 18. q. 4. quòd incolæ locorum, in quibus Conc. Tridentinum obligat, egredientes ad loca, in quibus non obligat, validè contrahant absque testibus & parocho, & videri possunt, quæ dixi lib. 1. Th. mor. tract. 4. cap. 12. prope finem, consequenter dicendum est contra Legistas, si lex generatim inhabilitet personas, v. g. quòd vxor maritum hæredem instituere non possit, eâ subditos non obligari extra territorium, quare vt effugiant inhabilitatem testandi, egredi possunt ad locum, in quo ipsis testari, aut legare coniugi licitum est.

Ad argumentum in oppositum Resp. Discrimen esse inter Superioris præceptum aut Iudicis sententiam, & inter statutum seu legem; nam præceptum seu sententia per se ac directè tendit in personas subditas, earúmq; ossibus inhæret, quocunque ierint; at verò statutum non ita directè tendit in personas (alioquin non obligaret posteros aut postea aduenientes) sed potiùs in territorium, atque exinde in incolas seu commorantes intra territorium.

Si statutũ inhabilitans & odiosum sit, v. g. 4
vt mulier marito nil legare possit, non comprehendit aduenas ibi testantes. Ita docet Speculator lib. 2. part. 3. de sentẽtiâ. §. 5. n. 2. Felinus hîc n. 4. Bartolus n. 23. Baldus. Ratio est, quia licèt peregrinus in fauorabilibus possit conformare se statuto vel consuetudini loci, etsi in patriâ suâ alia lex vigeat, non tamen obligatur legibus loci, vt v. g. in festo eius loci proprio Missam audire debeat, cùm iurisdictioni subiectus non sit, sicuti docui cit. tract. 4. cap. 12.

Corollarium. Non est omninò eadem ratio de contractu & testamento, nam contractus instituitur cum altero, qui si ciuis aut incola sit, contrahere debet secundùm consuetudinem ciuitatis suæ, quemadmodum & mercatores aduenæ, si ibi officinam collocarunt, vendere debent secundùm consuetudinem loci, vbi recepti sunt. At verò si vnus peregrinus alteri peregrino donationem faceret vltra summam, quæ in eo loco prohibita est, ne fiat absque Iudicis decreto, si in patriâ, seu vbi peregrini domicilium habent, ea lex non vigeat, tum valida erit donatio, quádoquidem lex illa odiosa non obligat peregrinos. Similiter itaque sentiendum de testamento, quod condit peregrinus, posse eum aliquid relinquere vxori suæ, tametsi statutum in loco vigeat, ne coniux coniugi aliquid leget.

Exinde apparet, quid respondendum sit 5
ad hoc dubium: Est statutum in prouinciâ, vt masculi succedant, exclusis fœminis, vel primogenitus succedat, exclusis alijs liberis, ob-

ris, obligátne etiam in ordine ad bona sita extra prouinciam? & num peregrinos? Bartolus n. 42. ait distinguendum esse, num statutum directè disponat de rebus, v. g. possessiones vt perueniant ad masculos, non fœminas, tunc duo asserit. Primum, quòd non extendatur ad bona alibi sita, cùm de ijs magistratus directè nihil statuere possit, secundùm quod obliget etiam extraneos, si in regione sedem habeant, eò quòd dispositio proximè afficiat bona, & per accidens tendat in personas. An verò statutum absolutè disponat de personis, v. g. vt in hæreditate masculi succedant, non fœminæ, sed hæ dote contentæ sint, tum iterum duo ait: Primum, quòd peregrinos non comprehendat, quia edictis prohibitorijs, quale hoc est de excludendis fœminis, non ligantur peregrini, vt suprà dixi, & tradit Felin. n. 4. Secundum, quòd constitutio se non extendat ad bona alibi sita. In hoc vltimo non assentior Bartolo, quia vt suprà dixi, magistratus directè non disponit de bonis extra territorium, sed de persona ipsa, eiúsque testamento, & hæreditatis jure coarctans ad masculos, exclusis fœminis, atque exinde indirectè tendit ad bona dispositio magistratûs: & hæc de statutis.

Nunc quæritur de sententia Iudicis, an se extendere possit ad loca, vel bona sita extra territorium sententiam dicentis? Resp. &

6 Dico I. Præceptum Superioris potest se extendere ad locum vel bona extra territorium, vt si Episcopus clerico peregrinaturo prohibeat, ne extra diœcesin ludat, vel mandet illi ex iusta causa, vt vrbem alibi sitam ingrediatur, in eâ moretur, aut non moretur. ita docui lib. 1. Th. mor. tr. 5. part. 1. c. 4. n. 7. Nam tale præceptum immediatè tendit in personam subditam per accidens ad locum vel bona, dummodò alienæ jurisdictioni eà re nil præiudicetur.

7 Dico II. Iudex ordinariè non potest sententiam pœnæ inflictiuam extendere vltra territorium suum. Hæc est communis doctrina, vti dixi in principio huius capituli. Exempli causa, Iudex non potest reum damnare, vt in loco non subdito exul moretur, ibi virgis cædatur, capite plectatur, &c. Probatur, non potest Iudex actum jurisdictionalem exercere extra territorium c. 2. de constit. in 6. sed executio sententiæ est actus jurisdictionalis, vti dixi tit. de off. delegati, ergo. &c.

Ex quo apparet discrimen, cur Superior præcipere possit subdito, vt alicubi extra territorium negotij causa consistat, & tamen ad hoc non possit illum damnare per modum pœnæ. Iterum quòd frequenter Prælati ecclesiastici clericis vel religiosis ob crimen imponant per modum pœnitentiæ salutaris, vt ad locum extra diœcesin peregrinentur, ibi confiteantur, tot rosaria recitent: talia enim obligant per modum iusti præcepti veluti paterni; dummodò is, cui præcipitur, subditus maneat; quòd si verò Episcopus clerico ob crimen diœcesin interdicat, & insuper ipsi mandet v. g. vt Romæ Ecclesias visitet, aut ibi jejunet, &c. non videtur hæc praxis defendi posse tanquam juri conueniens.

Posui autem in assertione vocem *ordinariè*: nam excipi debet 1. Nisi alter Iudex, ad cuius locum sententia dirigitur, requisitus exequi paratus sit, sic potest aliquis damnari, vt in loco alienæ jurisdictionis terram fodiat, quia traditur postea judici loci, à quo ex alterius requisitione compelletur.

Excipitur 2. Nisi pœna decreta sit per legem vtrique Iudici communem, tum à Iudice delicti illata executioni mandari debet à Iudice domicilij aut beneficij, si ad eum locum dirigatur, qui est casus huius capituli, nam canon Ecclesiæ jubet, vt clericus v. g. adulter deponatur ab officio, & beneficijs omnibus: accidit autem, vt parochus diœcesis Frisingensis in hac ciuitate in adulterio deprehensus sit, potest quidem Episcopus Augustanus reum remittere ad proprium Ordinarium, sed non tenetur, cùm ratione delicti eius subditus factus sit. Igitur ipse infligit illi pœnam depositionis & priuationis secundùm canones præscriptam, Episcopus autem Frisingensis sententiam exequi, & hominem à parochiâ actualiter remouere debet, non ad imperium Episcopi Augustani, quippe qui ipsi, vt par, nihil imperare potest.

c. innotuit 21. de elect. sed ad imperium seu præceptum legis. Neque etiam hoc casu Episcopus Frisingensis hominem post peractam pœnitentiam restituere poterit, nisi consensus Episcopi Augustani accedat, quia sententiam Iudicis nemo relaxare potest, nisi superior, aut successor.

8 QVÆRES: Quid si Episcopus non ex legis præscripto, sed propter hominis contumaciam suo motu & arbitratu suspensionem inferat clerico à beneficijs, an sententia hæc extendat se ad beneficium, quod reus habet in alterâ diœcesi. Resp. negatiuè cum Felino hîc n. 4. Quia si Episcopus propriâ, & non juris communis auctoritate priuationem inferat, ea nec per se extenditur ad beneficia Episcopo non subiecta, (quandoquidem, vt initio dixi, sententia Iudicis pœnalis non extenditur extra territorium) nec per consequentiam seu connexionem cum ijs beneficijs, quibus Episcopus hominem priuare, aut ab ijs suspendere potest, eò quòd connexa non sint, sed separabilia, videlicet, vt aliquis suspensionem aut priuationem contrahat à beneficijs vnius Ecclesiæ, non item alterius, vti constat ex c. si compromissarius 37. de elect. in 6.

Excipitur 3. Si pœna per legem aut sententiam inflicta suapte institutione ac naturâ talis sit, vt afficiat personam absolutè sine ordine ad certum locum, talis est excommunicatio, quippe quâ homo absolutè priuatur communibus omnibus Ecclesiæ bonis; quare dici solet, quòd excommunicatio non clauditur territorio, sed sequitur personam, sicut lepra leprosum, idémque dicendum de interdicto personali, aut si alicui ingressus Ecclesiæ interdictus sit, iuxta c. is cui, 20. de sententiâ excommun. in 6. & tradit hîc Abbas n. 11. Sed & idem dicendum de positione simpliciter dictâ, si videlicet Episcopus clericum ob crimen non tantùm priuet beneficijs diœcesis suæ, sed absolutè ei depositionem ab officio & beneficijs inferat, tunc eò ipso inhabilis fit ad beneficium qualecunque retinendum, vel acquirendum, nisi cum eo dispensetur, sicuti ex cõmuni docet Suar. de censuris D. 31. sect. 21. n. 5. quamuis dici possit, quòd Episcopus tales pœnas depositionis non inferat, nisi secundùm præscriptum canonum, vt suprà dixi.

Eâdem quoque ratione damnatus ad mortem, adeóque libertate priuatus, & seruus pœnæ effectus, item condemnatus de crimine, quod infamiam infert, v. g. de furto, vbique locorum, tametsi post sententiam è manibus lictorum effugerit, infamis & pœnæ seruus manet, vti docent DD. in l. sunt quidam 19. vbi Bart. ff. de pœnis, Baldus in l. 1. Felinus hîc n. 5. Verumtamen sententiam à priore Iudice latam exequi non potest Iudex loci, in quo reus reperitur, nisi ad requisitionem illius, vel si vterq; sub eodem Præside aut Principe sit, vti docet Clarus in praxi q. 46. n. 6.

9 Restat quæstio, si pœna confiscationis bonorum alicui illata sit, vtrùm etiam extendatur ad bona alibi sita. Resp. Esse distinguendum, num bona diuersorum locorum eidem magistratui immediatè subsint: hoc casu omnia bona ipsi applicantur, vt si dux in suâ regione diuersa tribunalia habeat, & vnius Præses iuxta statutum prouinciæ condemnet v. g. veneficum ibi deprehensum bonorum confiscatione; omnia bona eius in ducatu sita applicabuntur duci. An verò non eidem magistratui subsint, tunc iterum distingue, num pœna confiscationis imponatur reo ex lege, quæ vtrique loco communis est, hoc casu magistratus loci, in quo reus damnatur, confiscabit in primis omnia bona mobilia, dein immobilia ea, quæ possidet in territorio judicantis; alter verò magistratus confiscabit bona sita in suo territorio. An denique Iudex inferat pœnam confiscationis ex statuto proprio, tum bona sita extra territorium non sunt subiecta confiscationi, ita ex communi Clarus, q. 78. n. 27. Farinacius de hæresi q. 190. n. 166. & videri potest Ancharanus & Dominicus c. cùm secundum, de hæreticis in 6.

10 Id verò improbabile est, quod post Innocentium hîc Abbas docet n. 16. Si magistratus prouinciæ statutum condat, v. g. vt propter adulterium possessiones criminosi confiscentur, eo statuto affici etiam possessores extra-

extraneos, alioqui non subditos, quia verba statuti, inquiunt, in rem, non in personas concepta sunt: sed Hostiensis & Ioan. Andr. hîc n. 6. rectè hoc reprobant, quia intentio statuentium & effectus potiùs considerari debet, quàm verba; apparet autem, qualitercunque verba concipiantur, causam statuendi esse crimen, adeóque statutum esse pœnale, tum in statuentium intentione, tum in statuti effectu, quare cùm magistratus non subditos ob crimen punire non possit, sequitur statutum illud ad extraneos possessores non transire.

11 Id verò rectè docet idem Innocentius hîc: si extraneus, qui sub hoc magistratu possessiones habet, extra prouinciam offendat magistratum, vel subditos eius, quòd propterea puniri non possit in possessionibus, sed magistratus priùs debet satisfactionem pro illatâ iniuriâ petere ab offendente & superioribus eius, qui si satisfacere negligant, tum demum est permissum apprehendere bona offendentis, donec satisfactum sit, quod ipsum etiam in tributis fieri consueuit, vt si extraneus in prouinciâ possessiones habens tributa non pendat Principi, possessiones apprehendere possit magistratus, cùm pro tributis debitis obligatæ esse censeantur, quâ de re Baldus l. jubemus, C. de SS. Ecclesiis.

CAPIT VLVM XV.

Ex parte.

Paraphrasis.

Regina Angliæ literas apostolicas impetrauerat ad Archiepiscopum, Decanum, & Archidiaconum Ecclesiæ Turonensis aduersus Wilhelmum nobilem, qui eam castro quodam, quod jure dotalitij, seu propter nuptias donationis, possidebat, per iniuriam spoliauit: nobilis excepit contra literas, quòd domicilium principale suum consistat in diœcesi Rodonensi, quæ vltra duas diætas distat à Turonensi, ideóque ad Iudices Turonenses trahi se non oportere. Sed replicatum est ex parte Reginæ, quòd nobilis etiam in Andegauensi diœcesi subinde moretur, eò quòd plura ibi castra habeat, & hoc ipsum castrum, de quo lis erat, in eâdem diœcesi existere, quę à Turonensi vltra 12. leucas non distat. Præterea objcit nobilis, literas papales irritas esse, partim, quia in eis mentio facta non est, quòd dominus feudi priùs requisitus justitiam administrare neglexerit, partim, quia in ijs falsum continebatur, cùm castrum illud Reginæ à marito suo nec in principio nuptiarum, nec postea propter nuptias donatum sit. Ad hæc Honorius III. respondit, quòd vidua spoliata irrequisito etiam domino feudi spoliatorem seu detentorē iniquum coram Iudice ecclesiastico cōuenire possit, eò quòd ad Ecclesiam pertineat viduas defendere. Quod verò objcitur, castrum nomine donationis propter nuptias non pertinere ad Reginam, hæc exceptio ad judicium petitorium spectat, non ad possessorium, quod hîc instituitur, quare mandat Papa, si vera sunt, quæ ex parte Reginæ proposita fuerunt, de domicilijs Wilhelmi & distantiâ diœcesis, tum Iudices illi in causa secundùm priores literas procedant.

Svmmarivm.

1. *Dignitas vxoris, quam à marito traxit, eo mortuo non extinguitur, nisi soluto matrimonio viro inferioris conditionis nubat.*
2. *Potest quis in duobus locis domicilium habere ad eum effectum, vt vtrobique subditus censeatur, & conueniri possit.*
3. *Viduæ, orphani, & similes personæ censentur esse sub Ecclesiæ speciali patrocinio, ideóque acta oppressæ vel spoliatæ ad iudicem ecclesiasticum causam suam deferre possunt, non requisito priùs iudice seculari, sub cuius iurisdictione sunt.*

Notandvm I. Dignitas vxoris, quam à marito traxit, eo mortuo non extin- 1

guitur. Ita Felinus hîc, & habetur l. fœminæ 8 ff. de senatoribus, & colligitur ex hoc cap. Nam hæc vidua bis regina appellatur, quia quondam veluti regalibus radijs ex consortio regis illustrata erat. Excipe, nisi dissoluto matrimonio inferioris conditionis viro nubat, docet Gl. in cit. l. fœminæ. Verùm è contrario, si mulier pœnam sustinere debuit ex consortio mariti, vt quia cum ipso tanquam rebelli exulare jussa fuit, post mortem eius redire poterit, quia causa exilij finita est, vti Felinus hîc notat.

NOTANDVM II. Tametsi propter nuptias donatio, spectato communi jure dissoluto matrimonio recuperetur à marito, vel hæredibus eius, aliud tamen obseruatur in quibusdam regionibus, maximè inter personas illustres, vt vxori certum oppidum aut castrum in prouincià dotalitij nomine designetur, vt ex eius redditib⁹ viuat post mortẽ mariti. Vide quæ dixi lib. 3. tr. 4. c. 13.

NOTANDVM III. Potest aliquis in duobus locis domicilium habere ad eum effectũ, vt vtrobiq; subditus censeatur, & conueniri possit. Ita habetur expressiùs in l. assumpt. 6. §. viris. ff. ad municipalem, & c. 2. de sepulturis in 6. Id verò duobus modis contingit, I. Si in vtroque loco magnam partem anni, adeóque fermè æqualiter habitare soleat, vti explicaui in lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. n. 6. II. Si maiorem partem bonorum in altero loco habeat, & sæpe ibi versetur, quasi domicilium habere censetur iuxta l. 2. C. vbi senatores, & tradit Abbas hîc n. 8.

NOTANDVM IV. Licèt computatio itineris duorum dierum, &, jure nouo, vnius diei (vltra quod per rescriptum apostolicum trahi aliquis nõ debeat ad Iudices delegatos) fieri debeat à diœcesi domicilij, vti dixi in c. dilectus 29. de rescrip. Excipitur tamen, nisi hæc concurrant, quòd res litigiosa sit in aliâ diœcesi, in quâ etiã reus possessiones aliquas habeat, & subinde eas inhabitet, tum ab hac diœcesi computatio itineris fieri potest, ita sumitur ex fine huius cap. & docet Abb. n. 9. Felin. n. 4.

3 NOTANDVM V. Viduæ, sicut & orphani, & similes personæ censentur esse sub Ecclesiæ speciali patrocinio, quare, si actualiter opprimantur, ad Iudicem ecclesiasticũ causam deferre possunt, non requisito priùs judice seculari, sub cuius jurisdictione sunt, idq; locũ habet, etsi causa sit feudalis. Ita docet Gl. magna hîc, Innoc. Imola n. 7. & alij canonistæ omnes, & est textus expressus hîc, licèt id negare ausus sit Couarruuias in pract q. c. 6. n. 1. & eum secutus D. Maranta de jurisdict. casu 21. Papa, inquit Couarru. aliúsq; Iudex ecclesiasticus nec debet nec potest cognoscere inter laicos, nec aduersus laicum reum super re temporali ad petitionem miseri alicuius oppressi & exspoliati, nisi Iudex secularis negligens fuerit in justitia administranda. Ego verò ita censeo Couarruuiam clarissimo textui frustrà se opponere; deinde falsum esse, quòd Iudex ecclesiasticus cognoscere causam nõ possit, si persona miserabilis actu oppressa vel spoliata sit, quia quòd causæ miserabiliũ oppressarum ad Ecclesiam spectent, saltẽ cumulatiuè, cõstat ex traditione Ecclesiæ apud Gratianum dist. 87. & in c. si quis 21. iuncta Gl. ver. pauperẽ, causa 24. q. 3. Si tamẽ non possessorio, sed petitorio tantùm judicio agatur, tunc fateor, quòd judex ecclesiasticus se immiscere non debeat, si causa temporalis sit, & reus conuentus laicus, nisi propter negligentiâ Iudicis secularis, sicuti ex textu nostro colligitur, & notat Innoc. in fine, Imola n. 7. Deniq; si de solo facto seu consuetudine loquamur, verum est propter Iudicũ secularium oppositionẽ, quam tamen malè Couar. defendit, eiusmodi causarum delationes ad Iudicem ecclesiasticũ minùs, quàm olim in vsu esse, quamuis frequenter Episcopi in synodis suis contra Iudices seculares in hoc & similibus casibus protestari soleant, ne juribus suis cedere videantur, quod nec facere possunt contra canones.

CAPITVLVM XVI.

Conquestus.

PARAPHRASIS.

Relatum est Gregorio IX. quòd jurisdictionem temporalem, quæ in quibusdam villis &

lis & castris Bononiensi ecclesiæ pleno jure competebat, & in cuius quasi possessione existebat potestas & communitas Bononiensis per violentiam vsurpare præsumpserit, cùm autem iniustum sit, vt quæ à fidelibus pro peccatorum suorum remedio Ecclesiæ relicta, vel alijs iustis titulis acquisita sunt, vsibus alijs applicentur, ideò consentaneum est, vt inuasores harum rerum tanquam sacrilegi anathemati subijciantur vsque ad satisfactionem congruam; quamobrem mandat Papa Canonico cuidam, si rem ita esse cognouerit, vt præmissa monitione per ecclesiasticam censuram Bononienses ab eiusmodi violentijs cessare, & de præteritis damnis satisfacere compellat.

SVMMARIVM.

1. *Quæ ecclesiis, vel monasteriis donata sunt, censeri debent collata pro salute animæ, vt inter causas pias referantur.*
2. *Sacrilegi censendi sunt non tantùm, qui Ecclesiam bonis aut iuribus suis spoliant, possessiones ei auferentes, sed etiam qui possessionem bonorum aut iurium inuadunt & perturbant.*
3. *Fures, raptores, aut inuasores bonorum ecclesiasticorum non sunt ipso iure excommunicati, sed excommunicandi, nisi desinant & satisfaciant.*
   Qui autem ecclesias cum effractione spoliant, ipso facto excommunicati esse videntur.

1 NOTANDVM I. Quæ Ecclesijs vel Monasteriis donata sunt, censeri debent collata pro salute animæ, vt inter causas pias referantur. Ita Imola & Abbas hîc n. 2. & habetur in c. 3. causa 12. q. 3.

2 NOTANDVM II. Non tantùm qui Ecclesiam bonis aut iuribus suis spoliant, possessionem ei auferentes, sacrilegi censeri debent, sed etiam qui possessionem bonorum aut iurium inuadunt, & perturbant: ita sumitur ex hoc c. nam Ecclesia Bononiensis manebat in possessione, consequenter non agebat interdicto vnde vi, ad possessionem recuperandam, sed interdicto vti possidetis, ad possessionem pacificè & indemniter retinendam; petebat enim, vt potestas Bononiensis compellatur cessare à violentijs, seu inuasionibus iniustis &c. Ita notauit Innocent. hîc, & ait, quòd fortasse senatores subditos Ecclesiæ citârint ad suum tribunal, & quia comparere nolebant, executio latæ sententiæ in bonis eorum facta fuerit per secularem potestatem. Hoc censeri debet crimen sacrilegij, quia iurisdictio Ecclesiæ donata, aut quocunque iusto titulo ipsi acquisita perinde sacra censetur, sicuti res corporales, v. g. prædia Ecclesiæ; quemadmodum itaque is, qui prædium Ecclesiæ armis inuadit, tanquam sacrilegus iure canonico damnatur, ita etiam, qui Ecclesiæ iurisdictionem temporalem violenter inuadit, aut sibi vsurpare attentat. Vide quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 10. c. 7. n. 14.

NOTANDVM III. Fures, raptores aut 3
inuasores Bonorum ecclesiasticorum non sunt ipso iure excommunicati, sed excommunicandi, nisi desinant & satisfaciant: Veruntamen qui Ecclesias cum effractione spoliant, ipso facto excommunicati esse videntur. c. conquesti, 22. de sententia excommun. Ita Imola hîc n. 5. & dixi lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 7. n. 19.

CAPITVLVM XVII.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Duo ciues Romani literas impetrarunt à Gregorio IX. ad Abbatem Parisiensem contra Rabanum Episcopum Dulmensem propter summam pecuniæ illis debitam. Eo mortuo Abbas vigore rescripti citauit successorē Episcopum: is excepit, Anglos à Sede Apostolica habere priuilegium, ne citra mare conueniri possint; quamobrem Abbas in causa progredi intermisit. Respondet hic Gregorius IX. exceptionem hanc non subsistere, quia tametsi ponamus priuilegium tale haberi, tamen non prodesset ijs, qui se certo

loco respõsuros aut soluturos aduersarijs promiserunt; cùm tales conueniri possint, tum in loco domicilij, tum in loco, vbi soluere promiserunt. Quare mandat Episcopo Dulmensi, vt dictis ciuibus satisfaciat, tum quoad pecuniam debitam, tum quoad æstimationem expensarum & damnorum, reiectis vsuris; alioquin mandatur Abbati, vt non obstante illo priuilegio in causa sibi commissa iuxta priores literas procedat.

Svmmarivm.

1. *Post rescriptum impetratum contra Prælatum in causa Ecclesiæ suæ, illo mortuo vel deposito successor conueniri potest.*
2. *Conueniri quis potest, vbi se soluturum promisit.*
3. *Priuilegium Apostolicum, vt aliquis per rescriptum papale non possit extra diœcesin, vel vltra mare trahi, intelligendum est iuxta materiam subiectam, & ordinariè; Secùs est, si in alio loco contraxit, aut quasi contraxit, seu deliquit; tunc enim ex speciali causa ibi sortitur forum, cui per generale priuilegium non derogatur.*
4. *Qui conueniri potest ratione domicilij vel contractus, aut debiti coram Ordinario, super eâdem causa conueniri potest coram delegato.*
5. *Qui in certo loco solutionem debiti promisit, si id non faciat, tenetur de expensis damnis ex causa factis.*

1 Notandvm I. Per rescriptum impetratum contra Prælatum in causa Ecclesiæ suæ, quia v. g. in eius vtilitatem mutuum acceperat, illo mortuo, vel deposito cõueniri potest successor; nec refert, quòd in rescripto proprium nomen Prælati expressum fuerit, si causa non personæ, sed Ecclesiæ erat, vti docui c. quoniam, 14. not. 2. de offic. delegati.

2 Notandvm II. In loco, vbi quis soluturum se promisit, conueniri potest ratione contractûs, quia veluti contraxisse vnusquisque in eo loco intelligitur, in quo vt solueret, se obligauit. l. 21. ff. de oblig. quare in actoris optione est, num debitorem in loco domicilij sui, an in loco destinatæ solutionis conuenire malit, vt hîc dicitur, & in l. 3. §. vlt. de iudicijs.

3 Notandvm III. Priuilegium Apostolicum, vt aliquis per literas seu rescriptum papale trahi non possit extra diœcesin, vel vltra mare, intelligi debet iuxta materiam subiectam, & ordinariè; secùs autem est, si in alio loco contraxit, aut quasi contraxit, vel deliquit; tunc enim ex speciali causa forum acquirit, cui per generale priuilegium derogatum nõ censetur. Accedit, quòd priuilegium, quatenus tendit in alterius, videl. actoris præiudicium, strictam interpretationem meretur; iuxta doctrinam Innocentij, priuilegium latè interpretandum esse, quatenus agitur de iure concedentis; strictè autem, quatenus agitur de iuribus aliorum, quibus præiudicatur.

4 Notandvm IV. Quicunque clericus seu ratione domicilij, seu ratione contractûs aut delicti conueniri potest coram Ordinario, videl. Episcopo loci, is etiam conueniri potest coram delegato Papæ super eâ causâ. Ita Innoc. hîc. n. 3.

5 Notandvm V. Qui in certo loco soluere promisit, si id non faciat, satisfacere debet de expensis & damnis eâ de causa factis. Ita docent DD. in l. 2. ff. de eo, quod certo loco. Et hoc Iudex arbitrari debet, petente actore, quanti eius interfit, solutionem in loco constituto factam non esse, dummodò debitor in culpa aliqua fuerit, vt ibi Gl. monet ver. arbitratoria actio.

CAPITVLVM XVIII.

Significasti.

Paraphrasis.

Clericus petente mercatore obligauerat se ipsi, nisi solutionem pecuniæ mutuò acceptæ faceret ad certum diem, quòd vellet se subijcere iurisdictioni ac sententiæ Abbatis Trecensis, alioquin non sui Iudicis. Dubitatum fuit, an talis promissio subsisteret: Ratio est, licèt alioquin per pro-

proprium ac priuatum consensum possit aliquis alterum, qui iurisdictioni præest, Iudicem sibi constituere, clerici tamen id facere non possunt, nisi Iudex, cui se subijciunt, ecclesiastica persona sit, & proprij Episcopi consensus accedat.

SVMMARIVM.

1. *Priuatæ personæ non possunt alicui iurisdictionem dare; possunt tamen prorogare, si non lege aliqua prohibeantur.*
2. *Clerici non possunt prorogare iurisdictionem, nisi accedat consensus proprij Ordinarij.*
3. *Religiosi exempti cum consensu sui Prælati se subijcere possunt Episcopo diœcesano in iurisdictione voluntaria, scil. absolutione à peccatis & censuris, dispensatione super irregularitatibus, votis, si Prælatus Ordinis tali facultate præditus non sit.*
4. *Clericus cum consensu Episcopi sui non potest prorogare iurisdictionem iudicis secularis, subijciendo se ipsi saltem in causa ciuili.*

1 NOTANDVM I. Priuatæ Personæ non possunt alicui iurisdictionem dare, possunt tamen iurisdictionem expresse vel tacitè prorogare, seu supra se ipsos extendere. l. priuatorum, 3. C. de iurisd. Excipe, nisi lege aliquâ prohibeantur: quo modo causæ feudales coram domino feudi tractari debent, & alterius iurisdictoni subijci nequeunt, vti dixi in c. ceterùm, 5. de iudicijs. Item in foro pœnitentiali non est permissa prorogatio iurisdictionis, vt videlicet extra mortis periculum ab alieno Sacerdote absq; proprij licētiâ absolutionem à peccatis mortalibus quis consequatur. c. 2. causa 9. q. 2. & c. omnis vtriusque, 12. de pœnitent. Sin autem proprius Sacerdos, videl. Episcopus vel Parochus, subdito licentiam det alium sibi confessarium eligendi, debet eligere expositum; quandoquidem, vt dixi, priuatus iurisdictionem dare non potest, licèt prorogare possit, si ei permittatur, vti hîc Abb. notauit n. 5. & Gl. in cit. c. omnis vtriusque, ver. alieno Sacerdoti. Quæ tamen in eo errat, quòd existimet, regulares à Papa priuilegiatos non posse audire confessiones fidelium absque licentiâ Episcopi aut Parochi. Qua de re dixi lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. n. 11.

Episcopus verò licentiam dare potest diœcesano suo confitendi Sacerdoti designato, licèt alioquin non exposito, nam hoc ipso illum approbat & exponit, saltem ad huius pœnitentis confessionem. Dixi, Sacerdoti designato, si enim Episcopus generatim daret licentiam eligendi Sacerdotem quemcunque in diœcesi, censeri hæc non potest approbatio, cùm ea cognitionem personę necessariò requirat, quamobrem talis facultas eligendi irrita esset, vti docet Suar. p. 3. tom. 4. disp. 18. sect. 8. n. 16. At verò Papa, qui adstrictus non est lege Concilij Tridentini requirentis approbationem Episcoporum sess. 23. c. 15. Is dispensatiuè talem facultatem concedere potest, quamuis non soleat, sed addit in Bullis Iubilei, & similibus facultatibus, vt fideles, nisi Religiosi sint, Sacerdoti cuilibet confiteantur, dummodò ab Episcopo approbatus & expositus sit, imò quamuis hæc verba non adderentur, tamen intelligi deberent, quia Papa non censetur iuri communi, præsertim constitutionibus Generalis Concilij derogare, sicuti docet Suar. disp. 25. sect. 4. n. 9. & 10.

2 NOTANDVM II. Clerici non possunt prorogare iurisdictionem, seu subijcere se alieno Iudici ecclesiastico, nisi accedat consensus proprij Ordinarij, videl. Episcopi, vel similem Episcopali iurisdictionem habentis. Sic habetur in c. non liceat, 14. causa 3. q. 6. Ratio reddi debet, partim quia ita visum fuit expedire ad bonum regiminis ecclesiastici, partim quia clerici Episcopis ac Prælatis suis peculiariter subditi censentur, plus quàm laici magistratui suo.

QVÆRITVR I. Vtrùm Religiosi exempti cum consensu Prælati sui se subijcere possint Episcopo diœcesis in iurisdictione voluntaria, videl. absolutione à peccatis & censuris, dispensatione super irregularitatibus, votis, si Prælatus Ordinis tali facultate præditus

ditus non sit? Negant hîc Antonius & Abbas n. 11. quia per priuilegium exemptionis acquiritur ius ipsi Romanæ Sedi, vti cõstat ex c. 2. de in integr. restit. ergo ei renuntiare aut derogare non possunt religiosi iuxta c. cùm tempore, 5. de arbitris. Et hæc sententia valde probabilis est, eámque veram censuit Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. de Votis. c. 11. n. 7. Nihilominus contrarium
3 cum pluribus alijs rectè defendit Sanch. to. 1. de Rel. l. 4. c. 39. n. 32. Cùm enim talia exemptionis priuilegia per se ac directè tendãt in fauorem Ordinum, æquum non est, neq; conforme intentioni Pontificum, vt ea in eorundem dispendium cedant, videl. vt deterioris ipsi conditionis sint, quàm alij non exempti eiusdem diœcesis clerici & religiosi, qui ab Episcopo secundùm facultates eius absolui possunt. Accedit I. Quòd exempti in eiusmodi casu non subijciunt se Episcopo omnimodè alieno, sed qui spectato iure communi, & sepositio priuilegio ipsorum Ordinarius est, facilè autem res redit ad primordialem naturam suam. Accedit II. Quòd ad omne dubium tollendum extant Apostolica priuilegia super hac re quibusdam exemptis ordinibus concessa apud Sanch. l. c. ex Corduba. Ad argumentum Abbatis Resp. Rectè extendi, quòd exempti subijcere se non possent absolutioni, aut dispensationi Episcopi diœcesani, nisi Papæ consensus, saltem tacitus, vel præsumptus, imò etiam per priuilegia expressus accederet.

QVÆRITVR II. An clericus cum con-
4 sensu Episcopi sui prorogare possit iurisdictionem Iudicis secularis subijciendo se ipsi saltem in causa ciuili. Videtur esse affirmandum, cùm sit ferè communis doctrina, vti dixi in c. 2. de iudic. quòd Episcopus laico delegare possit causam ciuilem aduersus clericum, eáque in praxi obseruatur, adeò, vt quandoque etiam vniuersitas causarum ciuilium erga clericos laico demãdetur. Nihilominus negatiuè respondeo cum Gl. fin. arg. c. si diligenti, 12. hoc tit. Ad argumentum resp. cum Gl. margin. hîc, cum Abbat. in fin. quòd sit aliud delegare, aliud iurisdictionem prorogare, nam delegans reseruat sibi iurisdictionẽ, quare à delegato appellari debet ad delegantem. At verò Episcopus consentiens in prorogationem transfert à se iurisdictionem in ea causa. Alijs verbis dici potest, quòd Iudex delegatus non suo, sed delegantis iure & auctoritate iudicat, eáque ecclesiastica, si causa ecclesiastica sit; At verò Iudex, cuius iurisdictio prorogatur, proprio iure iudicat, quod fieri non potest, si Iudex laicus sit, quippe iurisdictionis ecclesiasticæ incapax. Accedit, quòd prorogatio fieri debet ad similia, iurisdictio autem ciuilis nimis diuersa est & dissimilis ecclesiasticæ, ergo illa ad hanc extendi non potest.

CAPITVLVM XIX.

Proposuisti.

PARAPHRASIS.

Qui à Iudice suo ad instantiam aduersarij legitimè citatus, & ita in causa illa præuentus fuit, non potest mutando forum per translationem domicilij prius illud iudicium declinare.

SVMMARIVM.

1. *Præuentus à iudice competente per citationem, forum illius in ea causa declinare non potest.*
2. *Transferens domicilium ex loco, statim liberatur iurisdictione, quam primùm territorio egressus est; nisi in loco mutati domicilij contractum instituerit, tum in optione actoris est eum in alterutro loco conuenire.*

NOTANDVM I. Præuentus à Iudice 1
competente per citationem, forum illius in ea causa declinare non potest, nam vbi iudicium cœptum est, ibi etiam finiri debet. l. vbi, 30. ff. de iudic. Tametsi verò textus noster duntaxat loquatur de eo, qui ratione domicilij aut beneficij residentiam postulantis, ideóque absolutè subditus est, tamen idem quoque dicendum de eo, qui subditus est secundùm quid, videl. ratione debiti

biti aut contractûs, quòd per citationem præuentus effugere non possit Iudicis potestatem, quò minùs contra illum procedi possit tanquam contumacem, nisi se sistat & respondeat, vti dicetur in c. sequente.

2 NOTANDVM II. Transferens domicilium ex loco statim liberatur iurisdictione, quamprimum territorio egressus est, ita vt nisi per citationem antè præuentus fuerit, contra eum iurisdictio exerceri non possit. Excipe, nisi in loco mutati domicilij contractum instituerit, tum in optione actoris est illum conuenire, seu in loco domicilij acquisiti, seu domicilij relicti, vbi contraxerat. Ita intelligi debet lex secunda. C. de iurisd. & docet Speculator lib. 2. part. 1, de competentis Iudicis additione. §. 1. n. 33. Felin. hic n. 1. Qui rectè limitat, nisi vnà cum mutatione domicilij aut iurisdictionis mutetur etiá status personæ, vt si quis clericus ordinatus vel religiosus effectus sit, ratione contractus antea instituti conueniri debet coram Iudice ecclesiastico, non ciuili; idémque dicendum, si quis post commissum delictum ad statum ecclesiasticum se conferat, dummodò citatione præuentus non sit, alioquin enim Iudex secularis saltem ad mulctam pecuniariam procedere potest. Vide quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 4. q. 3.

Ex dictis soluuntur casus. Primus, Visitator Ordinis præcepit Priori vel Abbati Monasterij, vt è loco non discederet; quia eum visitare vellet: Prior post acceptum mandatum legitimâ auctoritate transfertur ad alterius Prouinciæ Monasterium: quæritur, an per hanc translationem liberatus sit à Visitatore prioris Prouinciæ. Rectè respondet Abbas hîc n. 10. vel Visitator Ordinis visitare voluit ratione officij, & depositò officio liberatus est; vel voluit eum visitare ratione commissi criminis, tum per mandatum permanendi censetur præuentus, quippe cùm sit instar citationis efficientis personam, sed in priore casu mandatum afficiebat personam.

Alter casus. Episcopus ob præcedens aliquod factum tulit sententiam, vel particularem, videl. nisi Titius, qui rem abstulit, intra mensem restituat, aut satisfaciat, in excommunicationem cadat,; vel generalem, videl. qui hanc rem abstulit, nisi intra mensem restituat, excommunicatus sit: vtroque casu in excommunicationem labetur iniustus rei detentor, nisi conditionem impleat, etsi interea forum mutârit, vti tradit Gl. in c prætereà, 40. ver. impedire, de appellat. Abb. cit. n. 10. Sayrus in thesauro, lib. 1. c. 11. n. 19. quia talis sententia censetur iudicialis, per quam persona præuenta & comprehensa est, ita vt mutatione fori non tollatur. Ceterùm, si nudum præceptum subdito nullà præcedente eius culpâ impositum sit, v. g. clerico Sacerdoti, vt quot diebus dominicis sacrificet, postquam is iurisdictione præcipientis solutus fuerit, etiam à præcepto liber erit, vti Sayrus l. c. notauit.

CAPITVLVM Vlt.

Licet.

PARAPHRASIS.

Cùm Episcopus quidâ Romæ vt peregrinus versaretur, aliquis ei litem mouit, sed ille exceptionem fori declinatoriâ opposuit, eò quòd nec ratione delicti, nec contractûs, neque domicilij, neque rei litigiosæ apud Sedem Apostolicam forum sortiretur. Hanc exceptionem reiecit Gregor. IX. quia licèt ordinariè his tantùm de causis aliquis forum sortiatur, tamen speciale hoc habet Ecclesia Romana, cùm sit omnium ecclesiarum magistra, quòd in ea reperti compelli possint ad respondendum, nisi ob necessariam causam eò aduenissent, tum enim ius habent, litem domum suam reuocandi.

SVMMARIVM.

1. *Ordinarius modus declinandi forum iudicis est, si reus conuentus dicat, se iurisdictioni subditum non esse; & dicitur hæc exceptio fori declinatoria ratione personæ, præter quam aliæ adhuc duæ sunt; vna, ratione causæ; altera, ratione loci.*

2. Quatuor modi sunt ordinarij acquirendi forum. 1. Ratione delicti. 2. Contractûs. 3. Domicilij. 4. Rei sitæ in territorio: præcipuus est domicilij, præsertim habitationis. Extraordinariè aliquis conueniri potest Romæ, si ibi existat; & per spontaneum consensum ac prorogationem possunt se laici subijcere iurisdictioni alienæ, etiam in causis criminalibus, saluo interim iure iudicis ordinarij.

3. Ratione delicti vnusquisque efficitur subditus eius, in cuius territorio deliquit.

4. Excipe primò, nisi consuetudo regionis obtineat, vt reus fugiens ex loco delicti ad ciuitatem confœderatam, ibi puniri possit, vel remitti.

5. Excipe secundò, si statutum loci sit, vt fur famosus, seu qui furta repetiuit, suspendatur, eius furtum in loco commissum aggrauatur ex furtis alibi commissis.

6. Excipe tertiò, vagabundus, vbicunque reperitur, puniri potest de delictis vbique commissis.

7. Excipe quartò, quòd ob grauissimũ crimen aliquis proscribi possit, facta potestate alijs eum occidendi, vbicunque deprehensus fuerit.

8. Si delinquens in diœcesi, aut territorio, inde discesserit, non præuentus citatione, desinit esse iurisdictioni subiectus, vt postea comparere non teneatur.

9. Si reus ex loco delicti fugiat in aliud territorium situm sub eodem principatu, tum iudex requisitus à iudice domicilij reum capere & remittere debet. In Germania autem huius remissionis nulla est obligatio, sed criminosus puniri potest in loco Imperij, vbi repertus fuerit.

10. Si territorium, ad quod reus fugit, est in alieno principatu, iudex delicti à iudice territorij, in quo moratur reus, petere potest, vt arrestando eum compellat ad satisfactionem. Neuter autem iudex personam secundùm se punire potest, nisi in casibus extraordinarijs.

11. Clericus, qui crimen commisit in hac diœcesi, si fugiat in aliam, potest ab Episcopo loci, in quo reperitur, citari, & capi, eumque remittere ad Episcopum delicti, vel potiùs domicilij seu beneficij.

12. Si iudicis officiales reum persequantur, dum in aliud territorium fugiendo saluare se nititur, debent post fines sui territorij desistere, nisi reus sit latro, prædo, aut publicæ pacis violator, religiosus fugitiuus vel apostata.

13. Peregrinus delinquens in territorio alieno puniri debet secundùm statuta loci, vbi deliquit, si factum prohibitum sit communi iure, tam in loco delicti, quàm domicilij.

14. Si factum tantùm est prohibitum in loco delicti per propriam legem, puniri non debet peregrinus, nisi scandalum dederit, aut leges sint, quæ specialiter concernant publicam tranquillitatem, aut pacificam communicationem peregrinorum cum incolis.

15. Quando dicitur ratione contractûs forum acquiri, nomen contractus latissimè sumitur, ita vt etiam quasi contractus tutelam, curam &c. comprehendat.

16. Non omnes peregrini contrahentes in loco, vbi contrahunt, conueniri possunt, sed ij tantùm, qui expressè vel tacitè se obligant ad rei traditionem, vel solutionem ibi faciendam.

17. Contrahens repertus in loco, vbi contraxit, ab eius loci iudice ordinario citari potest in illa causa, & compelli ad comparendum; & si contumaciter non compareat, nec satisfaciat, missio fieri potest in bona, & possessiones eius.

18. Iudex domicilij iurisdictionem habet in personam, etiam extra territorium commorantem, ita vt quoq; delinquentem extra illud, nisi præuentus sit, citare, punire, & ob contumaciam etiam excommunicare iudex ecclesiasticus domicilij possit, & concurrat cum iudice delicti.

19. Et hæc locum etiam habẽt in ijs, qui quasi do-

si domicilium habent in aliquo loco, videl. studiosi in Academia, milites præsidiarij, famuli & ancillæ, vt in eo conueniri possint super contractibus & delictis, etiam alibi commissis.

20. *Orta controuersia de re immobili in alio territorio sita, si res feudalis non sit, in optione actoris est, agere coram iudice domicilij, vel loci, in quo res sita est.*

21. *Aduena ex quacunque causa seu delicto, etiam alibi commisso, Romæ conueniri potest; accedentes autem illuc ex causa necessaria, vel quasi necessaria, v. g. in causa ecclesiæ suæ, vel vt legatus &c. petere potest, vt causa domum reuocetur, seu ad iudicem domicilij.*

1 NOTANDVM I. Ordinarius modus declinandi forum iudicis est, si reus conuentus dicat se iurisdictioni subditum non esse vno ex quatuor modis positis in textu; & dicitur hæc exceptio fori declinatoria ratione personæ, præter quam sunt aliæ duæ declinatoriæ exceptiones, vti docet Clarus in pract. q. 31, n. 1. videl. ratione causæ, vt si laicus conuentus coram Iudice seculari in causa decimarum, vel iuris patronatûs dicat eam ecclesiasticam esse, & ad forum ecclesiasticum spectare, ac denique ratione loci, videl. si aliquis in loco exempto vel extra tribunal iudicis ordinarij conuentus excipiat locum non esse competentem.

2 NOTANDVM II. Quatuor sunt modi ordinarij, quibus aliquis forum acquirat, seu iurisdictioni subijciatur, ratione delicti, contractûs, domicilij, & rei sitæ in territorio. Dixi hos esse modos ordinarios; extraordinariè autem aliquis conueniri potest Romæ, si ibi existat, cùm ea communis omnium fidelium patria sit, deinde per spontaneum consensum ac prorogationem subijcere se possunt iurisdictioni alienæ etiam in causis criminalibus, vti ex communiore docet Farinacius lib. 1. tit. 1. q. 7. n. 4. Ita tamen vt Iudici ordinario ius integrum maneat, ex officio procedendi contra criminosum. Inter quatuor illos modos acquirendi iurisdictionem præcipuus est domicilium, præsertim habitationis, vti dixi in c. præced. Verùm de singulis modis speciatim agemus.

De iurisdictione contracta in loco ratione delicti Dico I. Vnusquisque ratione delicti efficitur subditus eius, in cuius territorio deliquit. Ita habetur hîc, & c. postulasti, 14. hoc tit. & c. 1. de raptoribus. 3

NOTA verba singula. Primò dictum est *Vnusquisque*, nam etiam locum habet, si persona in dignitate constituta sit, vt, si Episcopus in aliena diœcesi, vel Archiepiscopus extra prouinciâ suam delinquat, ab ordinario eius loci Episcopo puniri poterit, quia iudicatur vt persona priuata, sicuti ex communi docet Abb. hîc n. 6. Clarus in praxi q. 35. n. 14. idémque tradit hîc Felinus de exemptis regularibus & secularibus, quòd ratione delicti cõmissi in loco secundùm se non exempto ab Ordinario loci citari & puniri possint, perinde vt peregrini. Verùm Tabiena ver. excommunicatio, monet, Archiepiscopos & regulares priuilegium Apostolicum habere, vt etiam ratione delicti à locorum ordinarijs exempti sint. Talibus verò priuilegijs, quod ad regulares attinet, nonnihil derogatum est in Trid. sess. 25. c. 14. de regular.

Secundò dictum est: Quòd aliquis subditus efficitur ratione delicti, quare cùm peregrini non obligentur statutis, & generalibus sententijs locorum, in quibus pro tempore versantur, ideóque eas non obseruando nihil delinquant; consequês est, quòd ob eam causam citari aut puniri non possint, sicuti explicaui lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 4. coroll. 2. Igitur tradita doctrina de acquisitione fori per delictum, locum tantùm habet in transgressione legum, quibus etiam peregrinus obligatur, seu quia diuini iuris sunt, seu quia positiui iuris communis, vt si peregrinus in ciuitate blasphemet, aut carnes interdicto die comedat.

Denique dixi necesse esse, vt in territorio delictum committatur, at verò ob delicta alibi commissa non potest peregrinus puniri, cùm eorum ratione non sit subditus, & ita ex communi docet Farinac. cit. q. 7. n. 5. Clarus in pract. q. 38. n. 16.

4 Sed excipiendum est I. Nisi consuetudo regionis obtineat, vt reus ex loco delicti fugiens ad ciuitatem confœderatam, inibi puniri possit, vel remitti. Qua de re Bart. in l. non dubito. ff. de captiuis. Farinacius cit. q. 7. n. 2.

5 Excipiendum II. Si statutum loci sit, vt fur famosus, seu qui furta repetiuit, suspendatur, eius furtum in loco commissum aggrauatur ex furtis alibi commissis. arg. l. 3. iuncta Gl. C. de Episcopali audientia, & docet Clarus lib. 5. sententiarum. §. furtum. n 10.

6 Tertiò excipitur, vagabundus, vbicunque reperitur, puniri potest de delictis vbinis commissis, quare dici solet, quòd vagus, id est, qui nullibi domicilium habet, vbique fortiatur forum. Ita Gl. recepta in l. 2. ver. reperiuntur, vbi de criminibus. Bernardus Diaz in practica criminali canonica. c. 9. in fine. Cauarruuias. & dixi lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 10. n. 7.

7 Excipitur IV. Quòd ob grauissimum crimen aliquis proscribi possit facta potestate alijs eum occidendi, vbicunque reperiatur. Qua de re dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. Sed

QVÆRITVR I. Si Titius existens in diœcesi Augustanâ famulo suo mandârit, vt clericum percuteret, qui eum percussit in diœcesi Constantiensi, vtri Ordinario Titius ratione delicti subiectus sit. Resp. cum Abbate hîc, n. 27. Felin n. 14. Claro. q. 38. n. 6. quòd Constantiensi, inspicitur enim locus, vbi delictum factum est, idémq; dicendum de ratũ habente, quod suo nomine in alia diœcesi homicidium commissum est, teste Claro cit. l. n. 7. Idem quoq; eâdem ratione tradit Bart. in l. libellorum, n. 7. de accusat. de iaculante ex diœcesi vnâ, & occidente existentem in diœcesi alterâ, subiectum esse Episcopo loci, vbi homo occisus est, & est probabilis sententia; sed altera communior, quam secutus sum lib. 5. Th. mor. tr. 5. c. 5. n. 7. quòd ab vtroq; Episcopo citari possit, & detur locus præuentioni, sicuti si quis in confinibus hominem occidisset. in eo verò omnes consentiũt, si vulnus homini inflixeris in hac diœcesi, qui abiens mortuus est in altera, præferendum esse iudicem loci, vbi percussio facta, quia ibi censetur delictum, ipsúmque adeò homicidium commissum, vbi causa efficax posita, & in subiectum deriuata est, vt docet Bartol. l. cit. argum. l. ait lex, ff. ad l. Aquiliam: & consentiunt, quæ dixi cit. c. 1. n. 8. de homicidio iniurioso.

Dico II. Si delinquens in diœcesi, aut territorio inde discesserit, nõ præuentus citatione, desinit esse iurisdictioni subiectus, vt postea citatus comparere non teneatur. Sumitur ex Clem. 2. de sent. & re iudicat. & docet hic Innoc. n. 1 Abb. n. 8. Fel. n. 1. Stephanus Auila de censur. p. 2. c. 3. dub. 2. concl. 2. Rationem dat Gl. in Clem. 1. hoc tit. Quia delinquens in territorio non est subditus absolutè, sed tantũ respectu loci, dum ibi existit, quare si egrediatur, desinit esse subditus quoad personam, quia tamen ratione delicti compelli potest ad satisfaciendum pro iniuria ac damno, ideo si bona ibi reliquit, ea occupari possunt à Iudice delicti, si requisitus satisfacere aliter nolit, vti Innoc. & Abb. hîc docent, Imola n. 7. 8

Dixi autem, nisi citatione præuentus sit, nam si præuentus sit, postea iterum etiam extra territorium existens citari potest, & propter contumaciam excommunicari, eò quòd per citationem in territorio factam comprehensus sit, & subiectus in ordine ad hanc causam, vti docet Dominicus in c. 1. colu. 3. & 4. hoc tit. in 6.

QVÆRITVR II. Quid agendum, si reus ex loco delicti fugiat in aliud territorium, manebítne impunitus? Resp. Vel territorium est sub eodem principatu, tum Iudex requisitus à Iudice domicilij reum capere & remittere debet, vt videre est apud Couarruuiam in pract. c. 10. n. 11. Francum in cit. §. contrahentes, n. 13. quamquam in Germania huius remissionis nullam obligationem esse, sed quemuis criminosum in loco Imperij, vbi repertus fuerit, puniri posse dixi lib. 3. Th. mor. tr. 6. c. 5. n. 15. 9

Vel territorium sub alieno principatu est, tum Iudex delicti instare potest apud Iudicem, in cuius territorio reus moratur, vt arrestando eum compellat ad satisfactionem pro damno & iniuria, sicut quilibet creditor id petere potest, si debitor de fuga suspectus sit, 10

vti

vti docet Couarruuias l.c. n.10. Sed personam secundùm se neuter Iudex punire potest (nisi in casibus suppositis suprà ante q. 1. dicendo 1.) idque per accidens censeri debet ob defectum jurisdictionis, vti docet Farinacius q.7. n. 30. & videri potest Clarus q.38. num 20.

11 Corollarium. Si clericus in hac diœcesi crimen committat, ob quod spectato communi jure puniendus sit, & inde fugiat in quamcunque diœcesin, ab Episcopo loci, in quo reperitur, citari & capi potest, non vt ipsum puniat (nisi regionis consuetudo permittat) sed vt eum remittat ad Episcopum delicti, vel potiùs ad Episcopum domicilij seu beneficij, vti hîc notauit Francus l. c. Ratio est, quia episcopatus omnes sub eodem Principe sunt, videlicet Papa, qui lege publicâ jubet facinorosos clericos constringi ac puniri: Igitur vnus Episcopus alteri auxilium præbere potest, & quandoque debet. Id verò tunc maximè locum habet, si reus in suspensione aut excommunicatione contumaciter persistat, quia ita continuò Ecclesiam offendit, consequenter subiacet quodammodo jurisdictioni Episcopi, in cuius diœcesi versatur, saltem vt ad emendationem & absolutionem petendam compelli possit.

12 QVÆRITVR III. Si Iudicis officiales reum persequantur, dum in aliud territorium fugiendo saluare se nititur, debéntne desistere post fines sui territorij? Videtur affirmandum, quia realem capturam exercendo in alienâ terrâ, jurisdictionem inuadere censerentur, quamobrẽ ita captus contra jura statim relaxari debet, sicut tradit Gaill l. 1. de pace publica, c. 16. n. 25. Qui excipit, nisi sint latrones, prædones, vel similes pacis publicæ violatores, quorum persecutio in Imperio extra territorium persequentis continuari potest constitutione imperiali Augustæ promulgata Anno 1559. §. Und wie wol. Multò verò id magis locum habet in religiosis fugitiuis aut apostatis, quòd à Prælato ordinis vel ex mandato eius ab alio quocunque Iudice vbiq; capi & reduci possint, ob personalem eorum obligationem, argum. l. 1. C. vbi quis de curiali, vbi id Baldus annotauit, generalem regulam tradens: omnes homines, qui debent obedientiam perpetuam, si ab obedientiâ fugiunt, possunt propriâ auctoritate capi, vt si monachus fugiat à monasterio, vel vxor à viro, quemadmodum & furem, vel debitorem alium fugientem persequi licet, & quæ portat, ei auferre. l. ait prætor 10. §. si debitorem, ff. quæ in fraudem, dummodò causa notoria sit, seu quęstio non sit de subiectione, aut de subtractione iniusta, alioquin Iudici loci præsentandus esset captus, vt causâ cognitâ ei res auferatur, aut persona fugitiua reducatur, vti docet etiam Bart n. 2. Rationem huius doctrinæ affert Auila cit. cap. 3. disp. 2. dub. 4. quoniam talis captio non est per modum jurisdictionis, sed potiùs vindicationis, aut necessariæ defensionis.

Alium casum affert Baldus in l. 1. n. 24. C. de Summâ Trin. quo liceat reum capere & punire extra territorium, videlicet si miles in exercitu delinquat, tunc belli dux militem punire potest, vel loci magistratui dare puniendum, quandoquidem generali consuetudine exercitus vniuersitatem constituit, vniuersitas autem jurisdictionem prorogare potest, ait Baldus.

QVÆRITVR IV. Num peregrinus delin- 13
quens in territorio alieno, puniendus sit secundùm statuta & consuetudines loci, an domicilij sui. Resp. & Dico I. Si factum in vtroque loco, seu communi jure prohibitũ sit, tunc puniri debet secundùm statuta loci, vbi deliquit. ita Bart. in l. 1. n. 20. Baldus n. 22. C. de Summâ Trinitate. Clarus q. 85. n. 3. in praxi. Ratio est, quia delinquendo fit subditus jurisdictioni, neque refert, etsi nesciat pœnam statuti, quia voluntariè delinquendo fit obnoxius pœnæ etiam nolens, vt notat Baldus ibidem, & docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. cap. 20. n. 6. cum quibusdam exceptionibus.

DICO II. Si factum prohibitum tantùm 14
sit in loco delicti per propriam legem, v. g. ne carnes comedantur in vigilia S. Wolffgangi, tum quia peregrinus eâ lege non adstringitur, puniri non debet, nisi scandalum

dederit. Excipiendæ autem sunt leges, quæ specialiter spectant ad tranquillitatem alicuius communitatis, aut pacificam communicationem peregrinorum cum incolis, v.g. vt nemo frumentum efferat, nemo noctu per plateas arma ferat, ignorantia tamen harum legum probabilis peregrinos excusat. Vide quæ dixi cit. tr. 4. c. 12.

Venio ad alterum modum sortiendi forum ratione contractûs, vbi tria disputari solent. I. De quibus contractibus hîc sermo sit. II. An omnes contrahentes in loco, vbi contrahunt, jurisdictioni subijciantur. III. Quis sit effectus huius subiectionis.

15 Ad 1. Resp. cum Gl. hîc, Nomen contractus latissimè accipi, vt comprehendat etiam quasi contractus, videlicet si quis tutelam, curam, negotia alicuius administret, vnde obligatio oritur, l. hæres 19. §. si quis, & l. seq. ff. de judiciis.

16 Ad 2. Resp. cum Gl. in c. 1. §. contrahentes, eod. tit. in 6. Abbate hîc n. 33. Felino n. 19. Non omnes peregrinos contrahentes in loco, inibi conueniri posse, sed si vel expresè vel tacitè se obligent ad rei traditionem, vel pecuniæ solutionem ibi faciendam. id verò præsumitur, si diu in loco moram trahant, vel inibi negotium aggressi sint, vel tabernam, aut horreum conduxerint ad vendendum, cit. l. hæres, §. proinde. Item, si consuetudo loci postulet, vt qui merces in foro, aut in tabernâ emunt, statim solutionē faciant, vt hîc Felinus notat n. 19. Denique si natura contractûs postulare videatur, vt videlicet emptori, cùm pretium pro mercede obtulit, statim eius traditio fiat, vti Francus notauit l. c. n. 4. Cessante verò tali præsumptione, si peregrinus in loco alieno contrahat, non ideò ibi conueniri potest, sed in loco domicilij sui, vti habetur cit. §. proinde, quare Gl. ait in §. contrahentes, quòd solius contractûs ratione, si nihil aliud concurrat, non sortiatur aliquis forum.

Ceterùm si peregrinus de fugâ, aut aliâ fraude suspectus sit, cogi poterit ad satisdandum, quòd soluere velit in loco domicilij secundùm Gl. in cit. §. proinde, ver. debebit, & sumitur ex l. 2. §. penult. iuncta Gl. ff. de judiciis. Et simile est, quod tradit hîc Felinus n. 20. Baldus in l. 3. C. vbi in rem actio. Si peregrinus in equo tuo transeat, quem tibi repetenti reddere non vult, quòd eum cogere possis, vt satisfaciat de sistendo se coram suo Iudice, alioquin sequestrabitur equus.

His adde, si quis institorem seu factorem in loco alieno constituerit, tum in pertinentibus ad eiusmodi negotiationem dominum conueniri posse coram Iudice loci, vbi negotium cum factore geritur, quia perinde est, ac si cum domino ibi contractum sit, cit. l. hęres, §. apud, iuncta Gl. ver. defendere, & §. vlt. Instit. quòd cum eo.

Ad 3. Resp. Si contrahens reperiatur in 17
loco, videlicet diœcesi, in quâ contraxit, tum ab Ordinario citari potest in illa causa, & cōpelli v. g. per censuras ad comparendum, postquam verò ex territorio excessit, tunc ad comparendum personaliter per citationes & censuras compelli nequit; si tamen requisitus seu citatus contumaciter non compareat, nec satisfaciat, fieri potest missio in bona & possessiones eius, si inibi habet; sin minùs, decernetur missio facienda in bona alterius diœcesis ad requisitionem Ordinarij eiusdem loci, Ita habetur in cit. §. contrahentes, & explicat ibi Gl. Ancharanus col. 1. Francus num. 1. & 3, Innoc. hîc in principio; Abbas n. 36.

Tertius ac præcipuus modus sortiendi forum est ratione domicilij seu habitationis permanentis; nam ratione eius absolutè aliquis subditus esse censetur, sicut docet Gl. in Clem. vn. ver. subditos, hoc tit. Imola hîc n. 9. vbi ait, quòd domicilium habitationis sit proprium & naturale forum. Consistit autem hæc proprietas præcipuè in duobus. I. Quòd Iudex domicilij jurisdictionem habet 18
in personam, etiam dum extra territorium moratur, cùm enim absolutè subditus sit, non tollitur eius subiectio per egressum, quamobrem personam etiam absentem constringere potest, non quidem reali citatione seu captura (cùm iste actus judicialis sit, per quem aliena jurisdictio violaretur) sed citatione verbali, hæc enim in proprio territorio decernitur, licèt eius intimatio per nuntium

tium foris fiat, vti bene docet Ioan. Monachus in cap. 1. n. 8. eod. tit. in 6. Felinus hîc n. 24. Abbas n. 42. vbi concludit, quòd subditus v.g. clericus beneficiarius per præceptum ac sententiam Episcopi sui etiam extra territorium præcipienti existens excommunicari possit, sicuti latè explicaui lib. 1. Th. mor. tract. 5. p. 1. c. 4. n. 7. & 8. licèt contradicat Auila de censuris p. 2. cap. 3. D. 2. dub. 2. concl. 4 & 5. Alterum est, quòd subditus ratione domicilij, nisi extra territorium delinquens præuentus sit, citari ac puniri possit, atque ob contumaciam etiam absens excommunicari à Iudice domicilij, vti docui cit. n. 7. & tradit Abbas cit. n. 42. Imola in c. 3. hoc tit. Gl. in l. 1. ver. conueniũtur. C. vbi de crimin. quamobrem Iudex domicilij concurrit cum Iudice delicti, ita vt detur locus præuentioni, atque in optione actoris sit, coram quo hominem conuenire malit, vt ex communi docet Francus cit. §. contrahentes, not. 2. & sumitur ex cit. l. hæres. §. vlt.

19 Quæstio est, vtrùm, quæ dicta sunt, etiam locum habeant in ijs, qui quasi domicilium tenent in aliquo loco, videlicet studiosi in Academiâ, milites præsidiarij, famuli & ancillæ, licèt alibi domicilium fixum habeant, quod interim, dum in loco quasi domicilij morantur, ibi conueniri possint super contractibus & delictis etiam alibi commissis. Responsio est affirmatiua cum Gl. in l. 2. C. vbi de crimin. Farinacio in præxi, cit. q. 7. n. 5. Abbate in c. quòd clericis n. 5. & videri possunt, quæ dixi lib. 5. Th. mor. tract. 6. cap. 10. num. 5.

Vltimum modum sortiendi forum ratione rei sitæ in territorio explicaui in c. 3. hoc
20 tit. Neque hic aliud notandum, nisi quòd ortâ controuersiâ de re immobili in alio territorio sitâ (si ea feudalis non sit) etiam Iudex domicilij adiri potest, ita vt in actoris electione sit, coram quo agere malit. Quòd si verò ad Iudicem domicilij reum traxerit, isque eum condemnarit, tum ex denuntiatione huius Iudicis sententiam latam exequi debet Iudex loci, vbi res sita est.

21 NOTANDVM III. Aduena ex quacunque causa seu delicto, etiam alibi commisso, Romæ conueniri potest, cùm ea communis omnium patria censeatur, l. Roma 33. ff. ad municipalem, & videri potest Farin. cit. q. 7. n. 12. Clarus q. 38. n. 25.

Ceterùm si quis ex causa necessaria vel quasi necessaria eò accesserit, v. g. in causa Ecclesiæ suæ, vel vt Legatus, vel causa testimonij ferendi, aut appellaturus contra sententiam; tali casu petere potest, vt causa domum reuocetur, seu ad Iudicem domicilij, quia ibi melius instructus sit, & hæc facultas concedi solet, nisi periculum in morâ sit, vt in causâ electionis Prælati, quæ diu differenda non est.

CAPITVLVM PRIMVM eod. Tit. in 6.

Romana.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus vel Officialis eius de causis subditorum Suffraganei sui cognoscere non potest absque licentiâ Suffraganei; quamuis vtraque pars litigantium velit, idque locum habet, siue ad Archiepiscopum appellatum sit, siue non.

SVMMARIVM.

1. *Clerici sine consensu Episcopi etiam iurisdictionem Metropolitani prorogare nequeunt.*
2. *Si ad Archiepiscopum, vel alium Superiorem appellatum sit, debet is priùs de iustitia appellationis cognoscere, quàm de causa principali.*

Neque partes possunt consentire in iudicem appellationis Papâ inferiorem, vt hic ordo prætermittatur.

3. *Et hæc locum habent etiam in delegato Papæ.*
4. *Clerici absque consensu Episcopi in quoscunque arbitros compromittere possunt in ordine ad bona patrimonialia, & ea, quorum alienatio ipsis interdicta non est.*

5. Con-

5. *Contrahens, si in foro persistit, citari, & si contumax est, etiam carcerari potest; si autem absens est, citari quidem, & in contumacia constitui potest, sed tantùm in ordine ad effectum missionis in bona.*

6. *Non potest aliquis auctoritatem iudicialem contractûs præbere extra territorium suum, nec Notarius instrumentum authenticum conficere extra territorium eius, à quo potestatem accepit; factum tamen ab eo legitimè instrumentum vbique fidem habet.*

1 NOTANDVM I. Clerici sine consensu Episcopi etiam jurisdictionem metropolitani prorogare nequeunt, vide quæ dixi c. 18. suprà hoc tit.

2 NOTANDVM II. Si ad Archiepiscopum, vel alium Superiorem appellatum sit, debet is priùs de justitiâ appellationis cognoscere, quàm de causâ principali; neque possunt partes consentire in Iudicem appellationis Papâ inferiorem, vt hic ordo prætermittatur, sicuti hîc docet Dominicus col. 2. Francus not. 1. Etenim Superior, si appellationem friuolam esse intelligat, causam remittere debet ad Iudicem à quo, præterquâ si is appellationi detulerat, seu in eam consenserat: hoc casu tametsi causa appellandi minùs legitima judicetur à Superiore, remittere eam non tenetur, quamuis possit, c. cum appellat. 5. de appellationibus.

3 QVÆRITVR I. Quæ hîc dicta sunt, num etiam locum habeant in delegato Papæ. Respondeo affirmatiuè, si Papa solùm causam appellationis, non item principalem delegauit, quia vniuersim verum est, quòd clerici non possint absque consensu Ordinarij prorogare jurisdictionem alterius Iudicis, vti bene hîc docet Francus n. 2. Vide quæ dicentur in c. 1. de appellat. in 6.

4 QVÆRITVR II. Vtrùm clerici absque consensu Episcopi in quoscunque arbitros compromittere possint. Affirmat Glos. hîc ver. judice. & rectè quidem, si sermo sit de bonis eorum patrimonialibus, & ijs redditibus, quorum alienatio ipsis interdicta non est, at verò cum præiudicio Ecclesiæ clericos compromittere non posse, constat ex c. 3. extrà de arbitris.

§. Neque.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus non potest cogere subditos Suffraganei, vt delegationem alicuius causæ suscipiant, vel præcepta aut sententiam exequantur, neque vt in causis ad ipsum per appellationem deuolutis testimonium perhibeant, præterquam si consuetudo loci aliud obtineat.

RAtio reddi debet, quia Archiepiscopus non habet jurisdictionem in subditos Suffraganei, nisi in causâ appellationis, & alijs casibus specialibus, vt alibi dixi. At verò Suffraganeo mandare potest Episcopus, vt sententiam v. g. in causâ appellationis latam exequatur contra subditum suum, item vt compellat subditum ad ferendum testimonium, seu in causâ appellationis, seu in alia; nam id generale est in omni judice, si testimonio aliquorum indigeat, qui subditi ei non sunt, vt mittat ad Superiorem ipsorum, eúmque roget (vel si ipsi subiectus est, sicuti in hoc casu, præcipiat eidem) vt testes audiat, & attestationes eorum remittat, l. Iudices, C. de fide instrument. vel si commodè fieri possit, ipse testes ad alienum Iudicem venire jubeat.

§. Nec etiam.

PARAPHRASIS.

Si Archiepiscopus causas Prelatorũ, aut subditorum ex diœcesi Suffraganei ad se deuolutas per viam appellationis cognoscat in curiâ suâ, non ideò etiam contra eosdem admittere & cognoscere debet querelas pro salarijs aduocatorum.

OBijcies. Iudex cognoscens de causâ principali cognoscere etiam debet de eiusmodi accessorijs, si videlicet salarium in eâ causa Procuratori promissum non soluatur, argum. l. procurandum, 13. ille procul, C. de judiciis. Respondet Gl. hîc ver. in causis, id lo-

id locum habere in judice proprio & ordinario; secùs est in judice appellationis; partim ne causa principalis diutiùs protrahatur, partim quia causæ hæ non sunt connexæ, sed facilè separari possunt, vt expeditâ causâ principali, altera de salario ad ordinarium Iudicem remittatur, ita Ioan. Monachus hîc n. 4. & 6. Ceterùm si clientulus procuratori suo expresè aut præsumptiuè promisit salarium se soluturum in curiâ Metropolitani, videtur ibi conueniri posse, siue promissio facta fuerit in diœcesi Archiepiscopali, siue in diœcesi Suffraganei, quia non attenditur locus promissionis, sed destinatæ solutionis, vti dictum est in c. vlt. vbi ita respondet Abbas n. 32. neque contradicit Innoc. IV. in hoc c. cùm id solùm respondisse videatur, cognitionem de salariis non esse per se connexam cum causâ principali.

§. Contrahentes.

PARAPHRASIS.

Si alienigenæ, seu qui alienæ diœcesis sunt, contrahant in diœcesi Archiepiscopali, cogi non possunt ad respondendum coram Metropolitano, nisi ibi reperiantur; verùm si citati comparere nolint, vel malitiosè se occultent, ne citari possint, tum in bona eorum missio decernetur, si in diœcesi Archiepiscopali habeant, sin minùs, tum denuntiabitur diœcesano ipsorum Episcopo, vt missionem faciat.

5 NOT. vn. Discrimen est inter eum, qui contrahens in loco persistit, & eum, qui discessit, aut non comparet, quòd si præsens sit, citari, & si contumax sit, etiam carcerari possit; at verò si absens, tum citari quidem, & in contumacia constitui potest, sed tantùm in ordine ad effectum missionis in bona, ita gl. magna hîc. Francus n. 2. & dixi suprà c. vlt. videri etiam hîc potest Ioan. Monachus, qui admonet ex communi doctrinâ, in contractibus non esse locum remissioni, sicuti in delictis, id est, qui in alieno territorio contraxit, & inde discessit, non est remittendus ad Iudicem contractûs, sicuti spectato communi Iure, qui in alieno territorio deliquit, & inde fugit, remittendus est ad Iudicem delicti, si sub eodem principe sit, vt dixi cit. c. vlt.

§. Nec Clericos.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus suos Clericos ne mittat in diœcesin Suffraganei, vt auctoritatem præbeant contractibus ibi ineundis aut recognoscendis, nec eâ occasione aliquem subditum Suffraganei ad suum tribunal citare potest, sed nec censuram inferre, si citatus ab ipso aliquis Suffraganei officialis aut subditus, vt coram se ad instantiam querelantis respondeat, accedere recuset.

NOT. vn. Non potest aliquis auctoritatem judicialem contractui præbere extra territorium suum; & simile quiddam est de tabellione, qui non potest instrumentum authenticum conficere extra territorium eius, à quo potestatem accepit, v. g. Notarius imperialis extra imperium: sed quod legitimè à Notario aut Iudice in proprio territorio instrumentum factum est, vbique fidem & auctoritatem habet; ita hîc Francus *n. 2. & c. seq. n. 3.* ibidem Dominicus *arg. c. Cùm dilectus 9. de fide Instrumentorum.* 6

CAPITVLVM II.

Sæculares.

PARAPHRASIS.

Quodam loco Iudices sæculares, si quis coram eis aduersus personas Ecclesiasticas exhibuisset instrumenta, aliásue probationes, damnabili præsumptione compellebant Ecclesiasticos ad soluenda debita, cùm tamen nulla ipsis laicis jurisdictio competat in personas Ecclesiasticas. Eo intellecto mandat Bonifacius VIII. vt per Ordinarios locorum censuris ab eiusmodi temeritate arceantur.

SVMMARIVM.

1. *Etsi propria Confessio, aliáue probatio liquida producatur coram Iudice incompe-*

tente, non tamen is potest executionem facere, aut imperare.

2. *Ordinarij locorum per censuras coërcere debent Iudices seculares, ne Ecclesiasticam immunitatem violent.*

1 NOTANDVM I. Tametsi propria confessio, aliáue probatio liquida producatur coram Iudice incompetente, non tamen is potest executionem facere aut imperare. Ratio est, quam dat Io. Monachus hîc, quia talis probatio nullius roboris est. *argum. c. 4. de judiciis.* cùm ergo laicus in causis etiam ciuilibus Iudex sit incompetens aduersus Clericum; sequitur, quòd nec probationes recipere, nec secundùm recepta executionem facere queat. Adde, licèt contra Clericum lata sit sententia à suo Iudice, tamen potestatem secularem exequi non posse absque mandato, vt Anchoranus hîc monet, quia executio sententiæ est actus judicialis. Idem docet gl. hîc. verb. *compellunt.* vbi ait, quòd Bononienses habuerint tale statutum, vt contractum inter Clericos celebratum cum auctoritate Rectoris ipsorum, illi executioni mandarent, v. g. captis pignoribus, vel arrestatis bonis: verùm hoc statutum tanquam illicitum reuocatum fuisse testatur Francus hîc n. 5.

2 NOTANDVM II. Ordinarij locorum per censuras coërcere debent Iudices seculares, ne ecclesiasticam immunitatem violent; idque tametsi diuturnam consuetudinem prætendant, cùm hæc sit corruptela & temeritas potiùs, quàm consuetudo, vti hîc gl. monet; vel tametsi super eâ re laici statutum habeant: quia sicuti sententia laicæ potestatis Ecclesiasticos non ligat, ita nec tale statutum, cùm vtrobique desit jurisdictio, vt hîc gl. margin. ex Anchorano notauit.

CAPITVLVM III.

Cùm C.

PARAPHRASIS.

Soluisti certam pecuniæ summam in defectum debitoris laici, pro quo fidejusseras, & qui te indemnem seruare juratus promisit, postea verò cùm satisfacere tibi recusaret, conuenire eum volebas coram Iudice Ecclesiastico. Quæritur, vtùm id jurefiat, an verò laicus ille exceptionem fori declinatoriam opponere possit. Respondet Bonifacius, causam hanc ratione appositi juramenti pertinere ad forum Ecclesiasticum, quare laicum illum per censuram Ecclesiasticam præuiâ monitione compellendum esse, vt fidejussorem suum indemnem seruet.

SVMMARIVM.

1. *Ratione juramenti appositi, causa quæ aliàs ad forum seculare propriè spectaret, efficitur fori ecclesiastici.*
2. *Neque tamen appositio juramenti mutat forum, ita vt causa ad solum ecclesiasticum Iudicem spectet; sed accumulat forum foro, ita vt ad vtrumque Iudicem cognitio pertineat, sitque in optione actoris, coram quo debitorem conuenire malit.*

NOTANDVM I. Causa, quæ alioquin 1
ad forum seculare propriè spectat, propter appositionem juramenti efficitur fori ecclesiastici, ita etiam habetur in c. *Nouit.* 13. Exemplum habes hîc, nam fidejussor, si pro debitore soluere coactus fuit, actione mandati repetere potest omne damnum & interesse, ita vt indemnis seruetur. c. 2 *de fidejuss.* & ad id à Iudice seculari compelli debet debitor, si laicus sit, nisi is jurauerit, quòd vellet indemnem seruare fideiussorem, tum ratione periurii vitandi ad Iudicem Ecclesiasticum trahi potest.

Sed quæritur, num appositio juramenti 2
mutet forum, ita vt causa ad solum Iudicem Ecclesiasticum spectet, an verò accumulet forum foro, ita vt ad vtrumque Iudicem cognitio pertineat, & in arbitrio actoris sit, coram quo debitorem conuenire malit. priorem partem tenent Monachus & gl. finalis hîc. sed contrarium rectè docent hîc Andreas n. 9. Francus n. 9. quia licèt Iudex secularis incompetens sit, si de juramenti valore agatur, tamen si de juramento constet, ad eius obseruationem compellere & periurum punire debet, l. *Si quis.* 41. *C. de transact.*

verum-

Verumtamen, si circa obseruationem juramenti Ius Canonicum discrepet à ciuili, quia ciuile negat tale juramentum necessariò obseruandum esse, Canonicum autem affirmat, tum Iudex secularis sequi debet Ius Canonicum, & ad id à Iudice Ecclesiastico per censuras compellendus est. *c. 2. De jureiurando*, vbi ratio affertur, quia periculum animæ vertitur.

TITVLVS III.

DE LIBELLI OBLATIONE.

SI appareat Iudicem competentem, seu jurisdictione præditum esse, proximum est, vt libellus ei offeratur, & per hunc reo tradatur, vt sciat is, quid ab ipso petatur, sicuti explicaui in c. *Dilecti. 6.* De judiciis, ideò post Titulum de foro competente, subiungitur iste de libelli oblatione.

CAPITVLVM I.

Ignarus.

PARAPHRASIS.

Cùm quidam Clerici vel monachi ad Synodum in monasterio S. Medardi habitam, accusationem deferrent, Ignarus Episcopus dixit eam secundùm SS. Can. recipi non posse, nisi in scripto libello, quod cùm ipsi audiissent, scripserunt, & Synodo porrexerunt.

SVMMARIVM.

1. *Duplex est libellus, conuentionalis & querimonialis; ille in ciuilibus porrigitur, iste in criminalibus.*
2. *In quo differant hæ duæ libellorum species.*
3. *Libellus necessariò offerri debet in ordinario judicio, ita vt ad eius substantiam requirantur.*
4. *Iudicium summarium est, quod figuram seu solemnitatem ordinis judicialis, videl. libelli oblationem, litis contestationem, non requirit; sed ea tantùm, quæ ad rei veritatem cognoscendam Iudici necessaria sunt.*
5. *Si causa exigat, potest Iudex judicium ordinarium instituere, licèt, absolutè loquendo, sufficeret summarium, etiam partibus inuitis; nisi Princeps aliter mandârit.*
6. *Iudicia summaria instituí solent ob duplicem rationem. Prima est, quòd tales causæ sint, quæ celerem expeditionem postulant. Secunda, si modicæ sint, seu in quibus de paruo & facilè reparabili præiudicio agitur.*
7. *Discrimen inter duos hos modos Summarij processûs.*
8. *Modus formandi positiones.*

NOT. I. Duplex est libellus, querimonialis & conuentionalis, secundùm gl. verb. *reclamationis.* Conuentionalis libellus dicitur, qui in causis ciuilibus porrigitur, vti dixi in cit. c. *Dilecti.* querimonialis autem libellus, qui in causis criminalibus. De eo hîc agitur, & in l. Libellorum. 3. *ff. de accusat.* quæ refertur in causâ. 2. q. 8. 1

Differunt hæ duæ libellorum species, quòd in conuentionali contineri debet conclusio seu petitio, sed in accusationis libello sufficit, si factum seu crimen, v. g. homicidij narretur adiunctis circumstantiis personæ, loci, temporis, sicuti præscribitur in cit. l. libellorum; nam cognito & probato crimine, Iudex ex officio pœnam imponere cogitur, seu, quam lex definiuit, seu quam ipse arbitrabitur, si definita non est. Ceterùm si pœna applicanda sit actori v. g. iniuriam passo, tum ea in libello peti debet, similiter si juxta consuetudinem regionis pœna seu mulcta partim fisco applicetur, & partim parti læsæ, tum etiam peti debet, & quidem absolutè, vt pecuniaria pœna decernatur, nam exacta postea diuidetur inter fiscum & actorem, sicuti notauit *Angelus.* §. *pœnalis. vers. vnum* 2

tantùm, Instit. de actionibus. Verumtamen, si pœna ipso jure incursa sit, ita vt solùm criminis declaratoriâ sententiâ opus sit, tunc necesse non est pœnam in libello petere, vti notauit *Jo. Tilmannus.* de benignis *in Syndromo, Decad. 4. not. 7. n. 12.*

3 NOTANDVM II. Libellus necessariò offerri debet in ordinario judicio, ita, vt ad eius substantiam requiratur, neque sine libelli oblatione judicium subsistat. Ita docet gl. fin. hîc. Bart. in Authent. *offeratur, C. de lit. contest.* nam solemnitates actuum, quæ ob publicam vtilitatem introductæ sunt, partium conuentione tolli aut remitti non possunt, vti docent DD. *in l. 2. §. sed quia veremur. C. De jureiurando propter calumniam.* Verùm si partes in Iudicem tanquam arbitratorem compromittant, tum ipsi modum procedendi, non exactis solemnitatibus, præscribere non prohibentur, perinde acsi in alium quemuis compromittant, vti docui in Rubricâ tit. de arbitris, & tradunt *Bart. & Abbas ll. cc. Georgius Euerhardus tom. 2. consil. 29. n. 21.*

Deinde locutus sum tantùm de judicio *ordinario*, nam in summario judicio, seu, in quo de plano, & sine figurâ judicii proceditur, non est necessarius libellus, sed sufficit, si actor petitionem coram Iudice faciat, Notario, vel alio in scriptum referente, juxta Clem. *Sæpe, de verb. significat.*

4 Dicitur itaque judicium summarium seu de plano, quod figuram seu solennitatem ordinis judicialis, videlicet libelli oblationem, litis contestationem non requirit, sed ea tantùm, quæ ad rei veritatem cognoscendam judici necessaria videntur, cuiusmodi sunt, citatio rei, juramentum de calumniâ, aut veritate dicendâ, necessariæ item, non superfluæ probationes, exceptiones, dilationes.

5 Verumtamen, si causa aliqua postulare videatur, potest Iudex etiam ordinarium judicium instituere, tametsi absolutè loquendo sufficeret summarium, idque partibus etiam inuitis, præterquam, si Princeps causam delegârit adiecto mandato, vt de plano procedatur, tum partibus, aut alterâ tantùm contradicente non potest Iudex aliter procedere. Ita *gl. in Clem. 2. v. Valeat. & cit. Clem. Sæpe.* verb. *Partibus.*

Porrò ob duplicem rationem judicia ista 6
summaria instituí solent. Prima est, quia tales causæ sunt, quæ celerem expeditionem desiderant, videlicet, beneficiales, decimales, matrimoniales, vti videre est in *cit. Clem. & apud Marantam p. 4. dist. 8. n. 42.* Huc etiam spectat causa vsurarum propter odium vsurarij *cit. Clem.* item exceptiones & causæ incidentes, summariè cognosci possunt, teste *gl. in c. vlt. verb. procedendum, vt lite non contestatâ* &c. item lites mercatorum, quæ ob frequentiam & alias causas citò expediuntur, teste *Maranta dist. 9. n. 48.* causæ tributorum, alimentorum, dotis, item causæ naufragorum, pauperum, & miserabilium personarum, causæ mercedum, si agatur de tutore dando, filio adoptando aut emancipando, vt videre est apud *Marantam n. 48. Spec. de jurisd. omnium Iudicum, §. postremò.*

Altera causa judicii summarii instituendi est, si causæ modicæ censeantur, seu in quibus de paruo & facilè reparabili præiudicio agitur, tales sunt causæ ciuiles quibus de debito non magno spectatâ personarum qualitate agitur, aut inter personas viles & juris imperitos, videlicet rusticos in pago, vti colligitur ex *Auth. nisi breues. C. de sententiis* ex breuicolo recitandis, & tradit *Abbas hîc. n. 17.* deinde in delictis leuibus, & non multùm infamantibus, præsertim inter religiosos, adolescentes, & similes personas, de plano & sine figurâ judicii inspectâ veritate facti procedi solet juxta *l. leuia 5. ff. de accusat.* vbi Bart. ait, quòd in criminibus leuibus non sit necessaria solennitas judiciarii processûs; item si agatur judicio possessorio solùm præparatoriè ad judicium petitorium subsequens, ideóque de paruo, & facilè reparabili damno, vti videre est apud *Farinacium tract. de testib. lib. 2. tit. 6. q. 63. n. 33. Maranta, cit. dist. 9. n. 43.*

Discrimen autem magnum est inter hos 7
duos modos Summarii processûs annotatum à Bartolo *in l. 1. §. quod si sit. ff. de Prætoria*

toriâ adstipulatione, *Marant. c. l. n. 46.* si enim summarius processus instituatur propter causæ leuitatem seu modicitatem, tunc ordinariè non requiritur probatio plena, sed sufficit semiplena per vnum testem aut juramentum, talis videlicet, quæ sufficiat ad judicis animum informandum pro causæ decisione; sin autem summarius processus instituatur propter celeritatem expeditionis, tum, si causa alicuius momenti seu præiudicii non facilè reparabilis sit, plenâ plerumq; probatione opus est, dummodo talis haberi possit, idque sumitur ex cit. *Clem. sæpe*, vbi dicitur in tali processu summario requiri probationes, quæ necessariæ videntur, consideratâ qualitate seu grauitate causæ, consequenter etiam dilationes dari debent, quæ ad adornandas huiusmodi probationes judicis arbitratu requiruntur, ita tamen vt causa diu protrahatur, quâ de re legi potest *Speculator. cit.* §. *postremò n. 15.*

Aliud discrimen est, quòd causæ leues, & quæ parui momenti sunt, aut inter personas rudes, per judicis interrogationes in partium præsentiâ frequenter expediri solent: At verò causæ grauiores licèt summariè & sine libelli oblatione tractari possint, postulant tamen, vt positiones ex facti narratione formentur, reóque tradantur. Exempli causa, primò pono verum esse, & probabo, quòd Titius possessor beneficii parochialis ante mensem Iulium 24. annos non complêrit. Secundò pono verum & probabo, quòd idem Titius in parochiali Ecclesiâ ante mensem Iulium institutus sit contra Canones, nullâ præcedente dispensatione. Tertiò pono verum, quòd eadem parochia legitimâ auctoritate mihi vigore huius Breuis tanquam de jure vacans collata sit.

Ex his positionibus vnam fortassè fatebitur Caius, vt probatione opus non sit, aliam verò negabit, efficiétque actum seu partem causæ probatorialem. Videri potest *gl. verb. obseruari*, vbi monet non tantùm in causis summariis positiones & articulos ad faciliorem probationem formandos esse, sed multò magis in ordinariis judiciis. Exempli causa: pono verum esse, quòd Titio defuncto in censum dedi mille florenos ante annum. Secundò pono verum, quòd idem Titius promisit annui censûs nomine soluere 50. ad S. Georgii, & solutio nulla facta est. Tertiò pono verum, quòd Titius Caium conuentum instituit hæredem bonorum suorum. Quartò pono verùm, quòd idem Caius hæreditatem voluntariè acceptauit, & ideò sese ad debita defuncti obligauit. plura de positionibus vide apud *Lanfrancum in praxi c. 6.*

CAPITVLVM II.

Significantibus.

PARAPHRASIS.

Cùm fratres duo germani ab Vdalrico per rescriptum Apostolicum super quadam terra actione reali coram delegatis judicibus conuenirentur, petierunt ab illis, vt juberent terram ab actore designari, quæ peteretur, quandoquidem plures terras possiderent; quòd cùm judices facere recusâssent, illi ad Innocentium III. appellârunt, qui respondit, si ita res se habeat, omnia, quæ post appellationem attentata sunt, in irritum reuocanda esse.

SVMMARIVM.

1. *Cùm agitur actione reali, debet res in libello ita designari, vt appareat, quidnam petatur.*
2. *Subsistit autem libellus etiam sine eiusmodi designatione, si de re constet.*
3. *Valet etiam, si libellus conuentionalis, quamuis generaliter, aut obscurè conceptus à Iudice, parte non reclamante, receptus sit, & in processu litis appareat, quid petatur, &c.*
4. *In libello actionis realis sufficit exprimere se dominum rei esse, nec opus est, vt exprimatur titulus dominij acquisiti.*
5. *In actione seu judicio vniuersali, in quo petitur vniuersitas rerum, non est necesse, vt singula in libello designentur.*
6. *Vti nec in aliis actionibus, quæ dicuntur generales, v.g. super tutela administratione, negotiis gestis, &c.*

7. *Discrimen inter iudicium vniuersale & generale.*
8. *Actor porrectum libellum emendare & mutare potest ante litis contestationem, non post.*
9. *Licet tamen post litis contestationem libellum declarare, si quid in eo obscurius dictum fuit.*
10. *Permissa etiam est eiusdem libelli mutatio secundùm imminutionem.*
11. *Actor post libellum reo per Iudicem porrectum, litem prosequi cogitur.*

1 NOT. I. Cùm agitur actione reali, debet res in petitione seu libello designari, vt appareat, quidnam petatur. idem habetur in *l. 6. ff. de rei vend.* si in rem aliquis agat, debet designare rem, & vtrùm totam, an partem, & quotam petat, vt nimirum & reus conuentus sciat, super quo controuersia futura sit, si contendere velit, & Iudex super quo sententiam ferre debeat. Quamobrem consuetum est, vt fundus, qui petitur, per circumstantias loci designetur, v. g. peto restitui mihi ædes, quæ sitæ sunt in hoc pago, inter domum parochialem & hospitium publicum, *Argum. l. forma. 4. de censibus*, vbi præcipitur, vt fundi tributarij tali formâ designentur, & in censum (seu librum censualem) referantur.

2 Limitari debet primò, quòd constiterit libellus etiam sine eiusmodi demonstrationibus, si de re constet, quia v. g. reus vnicum agrum possidet, qui petitur, etenim si res nota sit, non est opus demonstratione, vti hîc rectè Abbas docet n. 5.

3 Secundò, si libellus conuentionalis, quamuis generaliter aut obscurè conceptus à Iudice, parte non reclamante, receptus sit, atque in litis processu appareat, quid petatur. Ita *Imola in c. 2. n. 2. de ordine cognitionum, Felinus hîc n. 3.*

Tertiò, quòd re principali designatâ, quæ accessoria sunt, & facilè designari omnia non possunt, concomitanter seu incidenter peti possint secundùm *Bart. in l. 1.* v. g. peto mihi restitui ædes cum rebus, quas in ijs positas habebam, aut peto restitui agrum vnà cum fructibus perceptis aut percipiendis.

Alias doctrinas vtiles Gl. hîc affert *verb. Significantibus.* Prima est, quòd in libello 4
actionis realis seu vindicationis sufficiat exprimere se dominum rei esse, nec opus sit, vt causa exprimatur, siue titulus, quo dominium comparatum est; imò verò reo magis consultum est, titulum dominij non specificari; quia tunc actor omne jus suum in judicium deduxisse censetur, ita vt si succumbat, postea ei exceptio rei judicatæ obsit, quò minùs denuo agere possit, *l. & an. 14. §. Actiones.* vbi Bart. videri potest. *ff. de exceptione rei judicatæ.* Si verò actor certum dominij acquisiti titulum in judicium deduxisset, v. g. peto mihi equum meum restitui, quem olim emptione comparaui, ac postea intelligat ex alio titulo hæreditatis v. g. ad ipsum peruenisse, alio judicio experiri poterit. *c. 3. de re judicatâ. in 6. l. Si mater 11. §.* Denique. *ff. de exceptione rei judicatæ.*

Quemadmodum in personali actione evenit, in quâ titulus seu causa, ex quâ alterum mihi obligatum dico, exprimi debet; peto vt Titius compellatur ad tradendum equum, quem ab eo emi: postea si intelligam non ex empto deberi, sed ex donato, nouâ illum actione conuenire potero, *cit. §.* Idémque pari modo dicendum, si actione hypothecariâ in rem agam, vbi gl. ibidem admonet, cùm res v. g. domus non ex vnâ tantùm causâ, sed ex pluribus hypothecæ nomine obligata mihi esse possit.

Altera in actione seu judicio vniuersali, 5
id est, in quo petitur vniuersitas rerum, seu quidpiam plures res particulares in se complectens, necesse non est singula in libello designari; vt si vxor dotem sibi restitui petat, aut si hæres institutus, vel ab intestato succedendi jus habeat, petat hæreditatem, seu judicialiter hæredem se declarari, & consequenter possessorem condemnari ad restituenda omnia, quæ ex hæreditate possidet, vel etiam post litis contestationem possidebit juxta *l. 4. & l. Si quid tempore 41. ff. de petit. hæred.* & tradit *Abbas hîc n. 21.* simile est, si petam mihi restitui parochiam aut feudum vnà cum juribus ac pertinentiis ejus, quâ de re *Felinus hîc n. 12.*

Porrò

6 Porrò præter judicia & actiones vniuersales sunt aliæ, quæ dicuntur generales, v. g. super tutelæ administratione, negotiis gestis, societate: in his etiam non est necesse res singulas specificare; sufficit, si factum & causa actionis generatim proponatur, v. g. peto, vt Titius, qui tribus annis tutor meus fuit, tutelæ administrationem reddat, & quod reliquum est, restituat.

7 Discrimen autem inter judicium vniuersale ac generale secundùm *Bart. l. c. n. 9.* est, quòd in illius prosecutione necesse non sit res specificari, quia sententia solùm feretur super jure actoris, quòd videlicet hæreditas, parochia, feudum ad ipsum pertineat; at verò in judicio administrationis tutelæ aut negotiorum gestorum, saltem antequam sententia feratur, species obligationum seu debitorum explicandæ sunt, vt sciat Iudex, ad quænam condemnare debeat reum conuentum, juxta *l. 2. C. de judiciis.*

8 Tertia, Actor porrectum libellum emendare & mutare potest ante litis contestationem, *l. 3. C. de edendo*, necesse tamen est, si causæ & actionis qualitas mutata est, vt reo nouæ induciæ concedantur ad deliberandum & instruendum se pro lite futurâ, præterquam, quòd si reus ob talem variationem maiores expensas facere debuit, ei compensandum sit, vti gl. monet in *cit. l. 3. Baldus ibid. n. 3.* vbi excipiunt, nisi personæ ignoscendum sit, quia minor, rusticus, mulier libellum non rectè compositum mutat. At verò post litis contestationem concessum non est libellum mutare, siquidem libellus per litis contestationem formatur, & transit in quasi contractum inter partes.

Exemplum mutationis: si in libello actionis realis dixerim me dominum esse rei petitæ, postea verò intelligens difficile esse probare dominium, muto libellum dicendo mihi dominium aut quasi dominium competere, juxta c. 3. de re judicata. in 6. vt nimirum sufficiat ostendere me bonæ fidei possessorem fuisse, licèt is, à quo rem olim emi, fortasse dominus non fuerit, neque ego vsucapionem complerim; talis mutatio fieri potest ante litis contestationem, non post.

Verumtamen etiam post litis contestationem libellum declarare licet, si quid obscuriùs dictum fuit, qui enim declarat, nihil de nouo dicit, *argum. l. hæredes. 21. §. Si quid. ff. de testamentis*, sed & accidentalis mutatio, per quam causæ status non immutatur, permissa est, *argum. cit. §. Si quid*; vt si in nomine rei petitæ, aut in loco vel tempore obligationis contractæ erratum sit, ita vt idem jus, eadémque actionis qualitas permaneat, sicuti docet *Lanfrancus cap. 5. n. 21. Mynsing. in §. Si minus. n. 22. Institut. de act.* vel si actor oblitus sit petere accessoria, videlicet fructus, expensas, saltem per Iudicis officium petendo consequetur. 9

Præterea immutatio fieri potest secundùm imminutionem, vt si centum petita fuerint, actor post litis contestationem corrigendo dicat 50. deberi; *Argum. l. Quidam. 21. ff. Si certum petatur*, & tradit hîc *Abbas n. 24.* sin autem actor postea cognoscat plus deberi, quàm petitum erat, in praxi obseruatur, vt litis contestatæ instantia soluatur, relictâ facultate actori, nouo oblato libello aliud judicium petere, vti Abbas hîc docet in fine c. sed non multùm aberraret Iudex, præsertim in foro canonico, si etiam hoc casu libellum mutari permitteret, & ita Mynsingerus putat responsum fuisse in cit. §. *Si minus.* 10

Quarta. Actor post libellum reo per Iudicem porrectum, litem prosequi cogitur. *Auth. semel.* Verùm Authentica hæc loquitur de actore se absentante, quòd per tria edicta (si personaliter conueniri non possit,) citari & in contumaciâ constitui possit, alioquin verò liti, seu ea contestata sit, seu non, etiam inuito aduersario, si eius nihil interfit, renuntiare potest actor. *l. Postquam. 4. de judiciis.* sin autem interfit Rei conuenti, vt lis certa perficiatur, tum cogere potest actorem, vt prosequatur, vti docet *Lanfrancus cit. c. 5. in fine.* 11

CAPI-

CAPITVLVM III.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Prior & Conuentus S. Mariæ ad carceres impetrârunt à Sede Apostolicâ rescriptum super debito pecuniario contra fratres Ecclesiæ de Hispidâ: isti comparentes coram Iudicibus delegatis, excipiendo dixerunt, quòd respondere non teneantur, eò quòd in libello expressum non sit, ex quâ causâ pecunia illa deberetur: sed cùm Iudices exceptionem hanc admittere nollent, illi appellârunt. Eo cognito Greg. IX. respondit, si ita res se habeat, vt narratur, quæ post appellationem acta sunt, irrita esse oportere.

SVMMARIVM.

1. *In libello actionis personalis exprimenda est causa debiti; aliàs reus respondere, & litem contestari non tenetur.*
2. *Consultum est, vt libellus citationi inseratur, licèt non sit necessarium.*

NOT. vn. In libello actionis personalis exprimenda est causa debiti, quia v. g. mutuo datum, aut venditum fuit; alioquin reus respondere & litem contestari non tenetur, quâ de re dixi in *c. Dilecti. 6. de judic.* Hîc autem quæritur, vtrùm libelli copia vnà cum citatione reo à Iudice transmitti debeat, seu, num tenor libelli literis citationis inserendus sit, negatiuè DD. respondent. *Bart. in l. Inter accusatorem n. 2. De publicis judiciis. gl. fin. in Clem. 2. vt lite pendente. Gail. lib. 1. Obseru. 51. Felin. in c. 1. n. 2. hoc tit.* Verumtamen consultum est, vt libellus citationi inseratur, partim ne alioquin, si reus non instructus adveniat, nouæ ipsi delationes concedendæ sint, vti notauit gl. partim quia libelli traditio facta reo litis pendentiam inducit, vt ex eo tempore circa rem petitam nihil innouandum sit, vti colligitur ex *cit. Clem. 2.* juncta gl. *verb. plenè.* 1 2

TITVLVS IV.

DE MVTVIS PETITIONIBVS.

ACcidit interdum, vt postquam reus petitionem ac libellum judici, & per hunc reo obtulit ad conuentionem eius, reus vicissim factâ petitione seu oblato libello conueniat actorem, quamobrem hîc agitur de mutuis petitionibus seu reconventionibus.

CAPITVLVM I.

Ex litteris.

PARAPHRASIS.

Plebanus & Clerici Maturenses à Papâ impetrauerant rescriptum ad Iudices contra Abbatem & Conuentum Monasterii Maturensis super quibusdam controuersiis; eo oblato rescripto, Abbas & Conuentus vicissim capitula proponebant, ad quæ Plebanum & Clericos respondere sibi coram eisdem delegatis Iudicibus petebant; hanc eorum petitionem justam esse respondet Alex. III. ideò mandat, vt priùs monachos jubeant respondere positionibus Clericorum, eóque facto in continenti compellant Clericos ad respondendum monachis super ipsorum petitionibus ac articulis, ac deinde, si partes ad concordiam redigere non possint, super vtroque negotio sententiam proferant.

SVMMARIVM.

1. *Non tantùm coram Iudice ordinario, sed etiam corã delegato locus est reconuentioni.*
2. *Qui alterum conuenit coram Iudice non suo, is suppositâ hac legis constitutione prorogat jurisdictionem, debetque esse contentus,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tus, vt & ipse vicissim conueniri possit in causis etiam diuersis secundùm quantitatem, non autem secundùm speciem.

3. *Clericus, vel etiam laicus coram judice seculari reconueniri non potest in causa spirituali, aut annexa.*
4. *Nec coram eo Clericus in causa criminali.*
5. *Communior est DD. sententia, quòd Clericus in causâ merè ciuili coram judice laico conueniri possit.*
6. *Spectato jure, clericus in causa ciuili coram judice seculari reconueniri non potest.*
7. *Reus conuentus volens reconuenire actorem, debet id facere ante litis contestationem, vel statim post eam, antequam vlteriùs procedatur.*
8. *Actor aliàs priuilegiatus reconuentus à reo non potest liti à se intentatæ, reo inuito, renuntiare, licèt lis nondum contestata sit.*

I

NOTANDVM I. Non tantùm coram judice ordinario, sed etiam coram delegato locus est reconuentioni, ita etiam habetur *in Authent. C. De sententiis & interlocutionibus.* Ratio est, quia qui sponte eligit sibi judicem contra alterũ, is pati etiam debet, vt alter contra ipsum eundem sibi judicem deposcat. *l. penult. ff. de sententiis & interlocut.* quanquam id primitus Papiniano visum fuerit in eodem negotio seu causa, ita vt qui alterum actione mandati conuenit, etiam mandatario in eodem respondere teneatur, si quid fortè causâ mandati expendit; sed Imperator Iustinianus extendit in cit. Authent. placitum Papiniani, quòd reus conuentus actorem suum non solùm super eâdem, sed etiam diuersâ causâ statim reconuenire possit apud eundem judicem, ita vt reus contra ipsum tanquam incompetentem excipere nequeat, addit verò Iustinianus, licèt reus conuentus non obligetur actorem suum reconuenire (quia nemo ad agendum compellitur, tit. *Vt nemo invitus agere &c.*) si tamen eum vicissim conuenire velit, quòd id agere debeat coram eodem judice; quia coram alio non admittetur, nisi lite illâ, quam actor mouit, per sententiam terminatâ, & hæc etiam secundùm jus canonicum procedat cum limitationibus postea adducendis.

Obiicies, quòd delegatio stricti juris esse censeatur, ideóque non extendenda de personâ ad personam, aut de casu ad casum. *c. P. & G. 40. de off. delegat.* Resp. hanc extensionem vtroque jure fieri propter æquitatem, quòd ægrè ferre non possit, vt qui judicem pro se impetrauit, eundem etiam pro se sustineat. c. *Dilectus 6. De arbitr.*

Corollarium. Qui alterum conuenit coram judice non suo, is suppositâ hac legis constitutione prorogat jurisdictionem, quia contentus esse debet, vt & ipse vicissim conueniri possit. Ita *Bartolus, Maranta de ord. judiciario p. 4. dist. 6. n. 23.* qui rectè admonent, id intelligendum esse de prorogatione, 2
quæ fit erga personas alioquin jurisdictioni non subiectas, juxta *l. Est receptum. 14 juncta gl. v. jus dicis. ff. De jurisdictione*, vbi dicitur, quòd etiam maior possit ita se subiicere judici minori. Sin autem loquamur de prorogatione seu extensione ad causas alioquin judici non competentes, tunc est distinguendum, vtrùm sit diuersitas secundùm speciem, an secundùm quantitatem. Hoc posteriore casu concessa est prorogatio per reconuentionem, vt si judex constitutus sit ad judicandum de causis non excedentibus 10. duggatos, poterit is de maiore etiam summâ cognoscere per viam reconuentionis. *argum. l. Si idem 11. §. Sed etsi. ff. De jurisdict.* & tradit *Maranta n. 24.* nam talis prorogatio ad quantitatem maiorem, partium expresso consensu fieri potest, *l. De quâre. 74. §. Iudex. ff. De judic.* ergo etiam consensu tacito, sin autem causarum diuersitas sit secundùm species, tum prorogatio seu extensio jurisdictionis fieri non potest, nam ea ad similia tendit, seu quæ eiusdem generi sunt, vti etiam Durandus docet *lib. 2. part. 1. tit. de reconuentione. §. Nunc dicamus.*

Exempla sunt, si judex pedaneus constitutus sit ac judicandum de causis minoribus tantùm, non potest conuentus coram eo actorem reconuenire in causâ meri, aut mixti

imperii, vel in quâ agitur de hominis statu ac libertate: & conuentus coram judice constituto ad causas tantùm ciuiles, non potest reconuenire alterum in causâ criminali.

Neque his obstat, quòd judex, qui de causâ ob eius arduitatem cognoscere principaliter nequit, cognoscere tamen possit incidenter *l. 3. C. de judiciis. & 2. C. de ord. cognitionum*, vbi ponitur exemplum, si quis hæreditatem petat, & excipiatur coram eo quòd sit seruus, ideóque incapax hæreditatis, quòd judex de statu hominis incidenter cognoscere possit, ergo simili modo judex pedaneus cognoscere poterit de causâ maiore per reconuentionem, cùm veluti per accidens in judicium veniat. Resp. cum Marantâ *l.c.n.26.* negandam esse consequentiam, quia causa reconuentionis non est necessariò connexa cum causâ conuentionis, ita vt hæc absque illâ expediri nequeat, sicuti frequenter causa incidens necessariò priùs expediri debet, quàm ad causam principalem procedatur, cùm verò judici causæ principalis permissum est, vt de incidente cognoscat, priusquàm principalem aggrediatur, dummodò cognitionis de principali capax sit, sicuti explicatur in *c. tuam, 4. ff. de ord. cognit.* habemus igitur vnam, eamque potissimam exceptionem, quòd prorogatio jurisdictionis ratione reconuentionis fieri non possit ad causam alterius generis vel altioris indaginis. Alias verò exceptiones reperies apud *Durandum cit. §. Nunc dicamus. Marantam. n. 28.* videlicet si causa, pro quâ agitur, notoria aut liquida sit, ita vt solùm oporteat sententiam ferre, vti Baldus obseruauit in auth. & consequenter *n. 8. c. De sententiis & interlocut. Marantan. 31.* vbi exemplum afferunt de instrumento debiti, quod vel ex formâ verborum, vel ex vi statuti paratam habere debet executionem in bonis debitoris. Item. Si officium judicis extraiudicialiter imploretur, vt, cùm petitur testamentum aperiri, donationē decreto judicis confirmari, possessionem sibi manu armatâ conseruari: præterea si causa propter periculum celerem expeditionem desideret, vt videre est apud Menochium de *arbit. qq. casu 44.* in fine, aut cùm aliquis suam aut suorum iniuriam in judicio persequitur, *l. 2. §. Sed etsi. ff. De judiciis.* denique in causâ appellationis reconuentioni locus non est, quia judex appellationis ex necessitate quadam aditur propter iniuriam judicis à quo de qua re quam videri potest *Maranta. n. 15. & seq.*

Restat autem præcipua controuersia, si Clericus laicum coram judice suo conueniat, num per modum reconuentionis & ipse coram eodem judice respondere cogatur. 3
Resp. & Dico I. Certum est, quòd Clericus vel etiam laicus coram judice sęculari reconueniri non possit in casu spirituali, aut annexâ, nam judex sæcularis de tali causâ cognoscere non potest incidenter *c. Tuam suprà cit.* ergo multò minùs per modū reconuētionis.

Dico II. Certum etiam esse, quòd Clericus coram judice sæculari reconueniri non possit in causâ criminali, siue agatur ad pœnam criminalem: siue ciuilem, ita docent Ca- 4
nonistę *c. vnico. de Cleric. Coniug. in 6. Ioan. Andr. hic n. 3.* nam prorogatio jurisdictionis per viam reconuentionis fieri non potest ad genus causarum omninò diuersum, cuius judex etiam incapax est: tales autem sunt causæ criminales Clericorum & Religiosorum; quia jurisdictio & judicium circa personas Deo sacratas non minùs imò magis Ecclesiasticum est intrinsecè & ex obiecto, quàm illud, quod est de sacris vasis, jure patronatûs &c. ergo jurisdictio judicis laici non potest se ad has causas extendere, idque nec incidenter quidem, vti hîc docet Felinus *n. 10. Ioan. Andr. c. At si Clerici. n. 14. de judiciis.*

Dico III. Communior est DD. sententia, quòd clericus in causâ merè ciuili coram ju- 5
dice laico conueniri possit. Ita *gl hic. verb. super. Ioan. Andr. l. c. n. 14. Decius n. 25. Bartolus in cit. auth. & consequenter. n. 19. Barbat. n. 25.* quamobrem hæc sententia & praxis damnari non potest, tum propter DD. auctoritatem, tum propter plurium regnorum consuetudinem, quæ præter immemorialis temporis decursum (quod solum in hoc casu non sufficeret ad præscribendum) habet etiam scientiam & tolerantiam Pontificis.

Dico 4. Spectato jure, vera est sententia,

Abbas

quam tenuit Archidiaconus in *cit. c. vnico. Abbas hic n. 22.* quòd Clericus coram judi-
6 ce sæculari ne quidem in causâ ciuili reconueniri possit. Probatur: A regula generali prohibitoriâ discedere non licet, nisi habeamus casum in jure exceptum, *c. 2. de translatione Episcopi. c. 1. de supplenda neglig. Prælat. in 6.* Est autem regula generatim prohibitoria, quòd Clericus à judice sæculari etiã in causâ ciuili judicari nequeat, vt passim videre est, præsertim causâ 11. q. 1. & quòd nec inviti nec voluntariè subiicere se possint jurisdictioni judicis laici etiam in causâ ciuili. *c. Si diligenti. 12. de foro competente*; ab hâc autem vniuersali prohibitione casus reconventionis exceptus non reperitur; cùm enim in jure canonico reconuentio approbatur, sermo est de foro Ecclesiastico, seu de partibus coram judice Ecclesiastico contendentibus, non coram sæculari. At verò Iustinianus Imperator, qui primitùs legem reconventionis introduxit, ita vt actor alioquin exemptus à judice, coram quo litigat, judicium contra se quoque sustinere debeat, non potuit id statuere, nisi erga subditos suos, non item erga Clericos omnimodè à foro sæculari exemptos. Sed nec Ecclesia tales leges ciuiles, quatenus Clericis onerosæ sunt, & libertati Ecclesiasticæ adversantur, suscipere solet, vti dixi in *c. Ecclesia. de Constitut.* Quòd verò aliqui existimant legem illam Iustiniani canonizatam fuisse in decreto Gratiani, *3. n. 8. c. 1. §. Nullam.* nimis ridiculum est, cùm verba illa Codicis ad epistolam Zephirini Papæ I. non spectare, sed insigni alicuius insciti à adiectam esse manifestum sit.

Confirmatur ex *c. 1. de juramento calumniæ*, vbi tametsi vtroque jure statutum sit, vt in exordio litis juramentum calumniæ ab omnibus præstetur, quia tamen speciatim reperitur, ne Clerici jurent (intellige coram judice sæculari) rectè exinde tum Imperator Henricus, tum Honorius II. collegerunt, & interpretati sunt, Clericos à juramento calumniæ immunes esse oportere.

Obiicies I. Id naturaliter æquum est, vt qui à me quidpiam coram judice petit, paratus esse debeat, vt & ego viciſſim postulem, quod mihi ab ipso petetur, cùm par vtriusque litigantium conditio esse debeat. Resp. Vel loquimur de eodem negotio, eóque merè ciuili, tunc fateor, quòd judex laicus in causâ, quam Clericus coram ipso proposuit, cognitionem habeat, si quid à reo per modum exceptionis opponatur, v. g. compensandi in jure, aut si quid per modum connexionis petatur, videlicet, vt expensæ litis solvantur, de talibus judicem sæcularem adversus Clericum cognoscere æquum est, vti monet *Imola cit. c. At si clerici. n. 5.* quamuis executionem sententiæ facere non possit contra Clerici personam, seu ipsum personaliter compellere ad soluendum, cùm id à proprio eius judice fieri conueniat, vti hîc docet *Felinus n. 10.* Vel loquimur de causis diuersis & minimè connexis, tunc æquitas naturalis id non postulat, quando partes contendentes sub magistratib⁹ omninò diuersis positę sunt; potest enim dicere actor Reo conuento, sicut ego te conuenio coram tuo judice, ita, si quid querelæ habes, conuenias me coram judice meo, & par erit vtriusque conditio.

Obiicies II. Si clericus à laico coram judice Ecclesiastico conuentus sit, potest viciſsim clericus laicum coram eodem judice conuenire, ergo & laicus clericum coram judice seculari. Resp. nego consequentiam, quia judex Ecclesiasticus est capax jurisdictionis super personas laicas, & potestas sæcularis talem reconuentionem non prohibet; at verò judex sæcularis censetur esse incapax.

Notandvm I. Reus conuentus, si actorem reconuenire velit, facere id debet ante litis contestationem, vel statim post eam, antequam vlteriùs procedatur; tum verò ita procedet judex, vt super causâ conuentionis priùs lis contestetur, & in continenti, id 7
est, priusquàm ad alia pergatur, litis contestatio fiat super causâ reconuentionis. Vlteriùs respondeat reus ad positiones actoris, eóque facto viciſsim etiam actor respondeat ad positiones Rei, & sic deinceps vsque ad sententiam, quæ simul seu eodem contextu & ex eadem scriptura à judice proferri de-

bet; alioquin à processu & sententiâ eius appellari potest. Ita sumitur ex hoc *c. iuncta gl. verb. in continenti, & ex Auth. de Executorib. §. Sancimus. collat. 7. & cit. Auth. Et consequenter. iuncta gloss. Bart. n. 12. & ex l. Qui prior. 29. ff. de iudiciis.*

Rectè tamen *Bart. admonet l. c. Francus in c. 3. §. Reus. de rescript. in 6.* quòd Reus actorem etiam in progressu litis vsque ad sententiam definitiuam conuenire possit, ita vt de incompetentiâ iudicis nequeat opponi, non tamen cum hoc priuilegio, vt vtraque causa conuentionis & reconuentionis simul tractandæ sint, sed vnâ expeditâ, ad alteram progressus fieri debeat. Ita colligitur ex *cit. c. 3. & cit. Auth. Et consequenter.*

§ Corollarium. Si actor alioquin priuilegiatus seu exemptus, à reo reconueniatur, non potest deinde liti à se intentatæ Reo invito renuntiare, tametsi lis nondum contestata sit, ita docet Baldus in *cit. Auth. Et consequenter, n. 14.* quia jus acquisitum est reo, quando ab ipso actor per legitimam reconuentionem occupatus est, ergo is pati debet, si reus velit, vt causæ simul examinentur ac definiantur.

CAPITVLVM II.

Prudentiam.

Paraphrasis.

Si alicui judici à Papâ causa delegata fuerit, remotâ appellatione, & Reus coram eodem judice actorem reconuenerit, quæritur, vtrùm causa reconuentionis similiter expediri debeat, remotâ appellatione, ita vt Actor audiendus non sit, si appellet. Affirmatiuè respondit Cœlestinus III. Quia Actoris & Rei eadem conditio esse debet, & quomodo sibi justitiam administrari desiderat Actor, ita contentus esse debet, vt justitia erga ipsum administretur.

Summarium.

1. *Clausula opposita in rescripto conuentionis, vt procedatur appellatione remota, obseruari debet etiam in causa reconuentionis.*
2. *Modus procedendi in causa reconuentionis imitatur modum procedendi in conuentione.*

Notandum Vnic. clausula apposita in rescripto conuentionis, vt procedatur, appellatione remotâ, obseruari debet etiam in causâ reconuentionis. Id verò gl. finalis intelligit duntaxat, si ad instantiam partis rescriptum cum tali clausulâ datum sit, sed magis placet sententia *Imolæ hîc. n. 1. Abbatis n. 8.* idem dicendum esse, tametsi motu proprio Principis clausula apposita fuerit ob rationem textûs, quia quo jure Actor vtitur aduersùs Reum, etiam erga ipsum procedi debet. 1

Imò hinc generalis regula infertur cum Abbate, Imolâ, Felino, quòd modus procedendi in conuentione, siue, quòd causa reconuentionis ex ciuilis & canonici juris constitutione æquiparata est causæ conuentionis, idque propter connexionem, quam habent, vt simul tractari ac definiri debeant. Quamobrem, si causa conuentionis summaria tantùm fuit, etiam reconuentio ita expediri debet, licèt alioquin ordinarium processum pòstularet, sicuti docet *gl. in Clem. sæpe. verb. si quid petere. de verb. signif. Abbas hîc. n. 10.* quamuis non pauci contrarium sentiant, inter quos *Durand. tit. de reconuent §. Nunc dicamus. n. 11.* deinde si Reus vigore rescripti tractus fuit vltra duas diætas, aut 12. leucas, potest etiam ipse eodem fauore vti aduersùs Actorem, vti hic Abbas monet. 2

TITV-

TITVLVS V.

DE LITIS CONTESTATIONE.

POst libellum datum ab actore, vel etiam vicissim receptum, (si Reus eum reconuenire velit) datis si opus sit, dilationibus seu induciis, sequitur litis contestatio, de quâ hoc & *seq. tit. agitur.*

CAPITVLVM VNIC.

Olim.

PARAPHRASIS.

Inter Episcopum Nouiensem & Capitulum Ecclesiæ S. Quintini controuersia erat super quibusdam causis. Iudices receptis positionibus Actoris & responsionibus Rei, causam ad Sedem Apostolicam miserunt, constitutis Romæ vtriusque partis procuratoribus; Gregorius IX. respondit acta præcedentia irrita esse, eò quòd litis contestatio facta non sit, siquidem ea non per positiones & responsiones, sed per positionem in judicio propositam, atque aduersæ partis responsionem fieri debet.

SVMMARIVM.

1. *Absque litis contestatione judicium ordinarium subsistere non potest; potest autem summarium.*
2. *Consistit litis contestatio in petitione actoris coram judice facta, & opposita responsione Rei animo contendendi.*
3. *Contestatio partes per mutuum consensum in ordine ad hoc judicium obligat, & habet vim cuiusdam veluti contractûs.*
4. *Effectus contestationis huius.*
5. *Differt litis contestatio à positionibus, ac responsionibus, quæ post eam fieri debent.*
6. *Quid positio?*
7. *Quid articuli?*
8. *Discrimen positionum & articulorum plerumque in praxi non obseruatur, sed libellus articulatus post litis contestationem, & præstitum juramentum de calumnia (in summario judicio statim initio litis) ab actore offerri solet.*
9. *In summario judicio vnà cum positionibus facti etiam jus ac titulus agendi, ipsáque petitio annecti potest.*
10. *Circa incidentem causam statim positiones fieri debent ante litis contestationem.*
11. *In judicijs summarijs, iisque leuibus, petitiones ac positiones, & vicissim responsiones Rei verbo fieri possunt, redigente Notario in acta.*
12. *Index ex officio procedens per inquisitionem loco positorum tradit Reo capitula, super quibus infamatus aut suspectus est, vt ad ea respondeat.*

NOT. I. Absque litis contestatione judicium ordinarium subsistere non potest, seu non præmissâ litis contestatione reliquus processus irritus est; in summariis autem judiciis non requiritur litis contestatio, cùm ne libelli oblatio requiratur. *Clem. sape. de verb. significatione.* 1

NOTANDVM. II. Litis contestatio consistit in petitione actoris coram judice factâ, & oppositâ responsione Rei animo contendendi, vti etiam habetur in *c. penult.* & videre est *in gl. hic. verb. responsione, apud Marant. de ord. judicario. part. 6. memb. 10. & Legistas in l. vn. & adiunctis authenticis. cit. hoc tit.* 2

Pro pleno intellectu aduerte, postquam actor libellum & actionem suam in judicio edidit, isque libellus Reo citato exhibitus fuit; conceditur ei tempus ad deliberandum, & exceptiones si velit dilatorias, aut declinatorias opponendum:

eo tempore transacto, comparere debet coram judice, & nisi cedere, seu petitioni actoris satisfacere paratus sit, litem contestari eâ formâ, vt actor vel interrogâte judice, vel per seipsum, narrata & petita in libello repetat, ac vicissim reus respondeat vera non esse, aut se non credere vera, prout narrantur, aut prout in libello petitur, & ita censetur facta contestatio litis, quæ ideò sic dicta est, quia vtriusque partis coram judice præsentis simul factam testationem continet.

Corollarium. Litis contestatio partes per mutuum consensum in ordine ad hoc judicium obligat, habetque vim cuiusdam veluti contractûs secundùm gl. magnam. Ex quo plures effectus sequuntur. I. Quòd judex 3 post litis contestationem recusari non possit nisi ex noua superueniente causâ. II. Post litis contestationem libellus mutari non potest juxta ea, quæ dixi in *c. 1. de mutuis petit.* III. Procurator post litis contestationem reuocari non potest absque causâ rationabili, cùm dominus litis effectus sit. *c. 2. De procuratoribus in sexto.* IV. Si pars litigans post 4 litis contestationem contumaciter se absentet, proceditur ad definitiuam sententiam, vt apparebit tit. seq V. Post litis contestationem juramentum calumniæ præstare recusans, habetur pro confesso, vt infra dicetur de juramento calumniæ.

Notandvm III. Litis contestatio dif- 5 fert à positionibus ac responsionibus, quæ post litis contestationem fieri debent.

Pro maiore intellectu aduerte priùs, quid sit positio, & quid articulus. Positio est breuis asseueratio alicui⁹ facti, super quâ petitur 6 ab aduersario responderi. Inuentæ sunt positiones, vt actor releuetur ab onere probationis secundùm *gl. magnam in c. De confessis*, nam in litis contestatione reus generatim contradicit intentioni actoris, negans verum esse, quod in libello narratum & petitum est, sed vt specialiùs appareat, quidnam actor probare debeat, ideò libellum per partes disponit, & reo offert. Sunt itaque positiones veluti partes materiales libelli; differunt autem tum à libello, tum à litis contestatione; quia positiones nullam petitionem continent, sed nudas assertiones factorum, quæ censentur esse confessiones actoris, vti dicetur in tit. de confessis, & debet operam dare actor, vt positiones afferat claras, breues, ad rem pertinentes, seu intentioni suæ subseruientes, alioquin ea reiiciet judex seu ex officio, seu petente aduersario, vti videre est in *gl. cit. c. 1. apud Durandum lib. 2. speculi. p. 2. tit. de positionibus. §. 7. & 10. Gail. lib. 1. obseruat. 81.* In dubio tamen, num ad causam pertinentes sint positiones, seu vtrùm juuent actorem, si probatæ fuerint, judex eas admittere debet, sicut hoc ipsum dixi in *c. Dilecti 6. de judiciis.* Multò magis cauendum est actori, vt positiones non sint contrariæ intentioni eius, v. g. si agens rei vindicatione ponat se in possessione esse. *c. Examinata. 15. de judicijs.*

Articuli aliud non sunt, quàm eæ positiones, quas reus conuentus negat; postquam enim is respondit ad positiones, singulas confitendo, aut negando: acceptatis 7 confessis, si ex iis solis intentionem suam obtinere actor non possit, positiones negatas denuò offert judici, vt appareat super quibus testes, & aliæ probationes adducendæ sint. Verumtamen hoc discrimen positio- 8 num atque articulorum plerumque in praxi non obseruatur, sed ob velociorem litium expeditionem, ne plures dilationes dare necesse sit, libellus articulatus, qui & articuli seu positiones probatoriales vulgò appellantur, post litis contestationem & præstitum juramentum de calumniâ (vel in causis summariis statim in initio litis) ab actore offerri solent, vt si Titius hæres Sempronii ab intestato, actione vniuersali seu petitione hæreditatis agat contra Caium, qui pro hærede possidet, cùm hæres non sit, ita formabit articulos. Primò ponit actor verum esse, & probare vult, quòd Sempronius absque hæredibus necessariis seu legitimis decesserit. Secundò ponit verum, quòd ipse actor frater Sempronii germanus existat, adeóque proximus consanguineus. Tertiò verum ponit, quòd Caius bona, quæ Sempronius vsque ad vitæ exitum possederat, occupârit

rit & adhuc possideat, tanquam hæres ipsius sit.

Et sic vides, quòd positiones seu articuli ea, quæ facti sunt, comprehendant, non quæ juris, quippe quod judici notum est, nec probari debet. Attamen jus singulare vel consuetudinarium cùm in facto consistat, & sæpe ignotum sit, juxta *c. 1. De constitut. in 6.* poni potest vt articulus probatorius, v. g. pono verum, Ordini nostro tale priuilegium competere, aut talem in prouinciâ consuetudinem vigere, vt masculi exclusis fœminis succedant.

9 Præterea si summario iudicio agatur, v. g. in causis beneficialibus tunc vnà cum positionibus facti etiam ius ac titulum agendi, ipsamque petitionem annecti nihil impedit. Exemplum: si Titius à Papâ impetrauit beneficium curatum, quod de jure vacauit per adeptionem alterius, ita contra Caium possessorem coram delegato, seu executore sedis Apostolicæ format articulos probatoriales. Primò pono verum, quòd Caius beneficium curatum seu parochiam Ecclesiæ S. Mariæ canonicè obtinuerit, & possessionem eius nactus sit. Secundò pono verum, quòd idem Caius in alio similiter curato beneficio videlicet Ecclesia S. Nicolai se inuestiri fecerit. Tertiò pono verum, cùm Caius nullam dispensationem pontificiam exhibere possit, prius eius curatum beneficium ipso jure vacâsse. Denique dico narrata alia in Breui Apostolico vera esse, & me quatenus opus erit, probare paratum, vt quòd sim clericus Presbyter nullo Canonico impedimento irretitus &c.

10 His paucula addenda sunt. Primum. Licet positiones & articuli probatoriales circa causam principalem fieri debeant post litis contestationem, tamen circa incidẽtem, v. g. si reus exceptionem dilatoriam opponat, vt quòd actor excommunicatus sit, statim positiones fieri debent, vt datis responsionib⁹ ab aduersario appareat, an & quatenus exceptio probãda sit, nec ne, vti monet *gl. in c. 1. De confessis in 6. & ibi gl.* magna, vbi regulam affert, quandocunq; probatio facienda est, positiones fieri possunt ad releuandã probationem.

Secundum in judiciis summariis iisque le- 11
uibus petitiones ac positiones & vicissim responsiones Rei verbo fieri possunt, redigente notario in acta, quòd si tunc partes in causâ concludant, & nihil probandum restet, quod negatum sit, statim sententiam proferet judex, alioquin articuli formabuntur probatoriales, super quibus datâ competente dilatione, probatio recipienda sit, v. g. testes producendi. Sed & in causis ordinariis judex etiam ante litis contestationem, imò quandoque ante libelli oblationem ad actoris instantiam interrogationes præparatorias format juxta *tit. ff. De interrogat.* ait *iuncta gl. in rubr. & c. Penult de juramento calumniæ. & tradit Tancredus. de ordine judiciario, cap. vlt.* vt si actor aliquem conuenire volens rei vendicatione, roget eum interrogari, num possideat; interrogatus respondere cogitur, adeò, vt si possidere se neget, & actor eum mendacii conuincat, statim possessio ipsi auferatur, seruato jure petitorio judicio experiendi, ita vt ex possidente & reo fiat actor, *l. vlt. ff. De rei vend & docet gl. cit. c. penult.* titulum tamen possessionis suæ possessor ordinariè edicere non tenetur, *l. Cogi, 11. c. De hæreditatis petit.* aut si ex lege 12. tabularum agere volens quærat, vtrùm quadrupes quæ pauperiem seu damnum intulit, ipsius sit, respondere tenetur *l. Si quis. 7. ff. De interrogat.* sed & post litem contestatam, si æquitas postulat, vt pars alterutra interrogetur ad instantiam alterius, judex interrogationem formabit, *l. Vbicunq; 21. ff. eodem. & docet gl. cit. c. penult. verb. interrogationibus.*

Tertium. Si judices contra aliquem pro- 12
cedant ex officio per inquisitionem, tum loco positionum seu articulorum tradunt illi capitula, super quibus infamatus aut suspectus est, vt ad ea respondeat, sicuti videre licet in *c. Qualiter. 24. de accusat. vers. debet. & apud Marantam. dist. 6. memb. 10. actu 4. n. 2.*

Capitvlvm I.

Eodem Titulo in Sexto.

Paraphrasis.

Exceptiones peremptoriæ seu quæuis defen-

siones

siones, quæ merita causæ respiciunt, litis contestationem non impediunt, aut retardant, nisi de re judicatâ, transactâ, & vno verbo, lite finitâ; alioquin verò, tametsi reus conuentus obiiciat; si delegans causam & obiectiones sciuisset, quòd rescriptum daturus non fuisset, non obstante hâc obiectione, lis contestanda est.

SVMMARIVM.

2. *Dilationes aliæ sunt dilatoriæ, quæ solùm tendunt ad judicij processum impediendum; aliæ sunt peremptoriæ, quæ merita & justitiam causæ infringunt ac primunt.*
2. *Dilationum præcipua est dilatio declinatoria fori, quæ primo loco proponenda est, ne reus jurisdictionem prorogare velle videatur. Aliæ exceptiones sumuntur ex parte actoris, aut procuratoris, vt quòd personam standi in judicio non habeat, quia infamis, excommunicatus, &c.*
3. *Exceptiones dilatoriæ ante litis contestationem proponendæ sunt; nisi exceptio sit de nullitate processûs; si reus suo consensu non possit tollere impedimentum processûs; si post litem contestatam primùm orta est causa excipiendi, vel licèt antè fuerit, probabiliter tamen ignorata; nisi lis contestata sit cum protestatione seu adiunctâ clausulâ,* saluis omnibus exceptionibus ac defensionibus; *si denique grauamen, ob quod exceptio dilatoria opponi potest, tractum successiuum habeat.*
4. *Peremptoriæ exceptiones reseruandæ sunt post litis contestationem, & vsque ad sententiam opponi possunt.*
5. *Nisi notorium esset, talem exceptionem reo competere, aut in continenti eam probare posset.*
6. *Aut opponatur exceptio litis finitæ.*
7. *Exceptio ipso jure exclusiua actionis ante litis contestationem opponi & discuti debet.*
8. *Exceptio, quæ litem finitam aut actionem efficaciter nunquam ortam declarat, post litis contestationem differri debet, si intricationem habeat, & altiorem indaginem requirat.*
9. *Iudex tacente reo, ex officio exceptionem obijcere non potest, si ea ex facto, & non ex jure nascatur.*
10. *Exceptio peremptoria etiam post latam sententiam, plerumque opponi potest ad impediendam executionẽ eius, si ea non oppugnet sententiam.*
11. *Si per sententiam damnatus obijciat defectum nullitatis, audiri debet, nisi appareat, vel præsumi possit, exceptionem malitiosè obijci ad differendam executionem.*
12. *Si exceptio contra executionem, aut contra sententiam notoria sit, non debet executor exequi: si autem non sit notoria, & tendat contra sententiam quasi iniustè latam, de ea executor cognoscere non potest; potest autem, si tendat solùm contra executionem, & altiorem indaginem non requirat.*

ADuerte, quòd exceptiones aliæ sunt, quæ solùm tendunt ad judicii processum impediendum, sed justitiam causæ secundùm se non infringunt, & vocari solent dilatoriæ *c. Pastoralis. 4. de Except.* aliæ verò exceptiones, quæ merita & justitiam causæ infringunt ac perimunt, ac dici solent peremptoriæ. 1

Inter dilatorias exceptiones eæ præcipuæ sunt, quæ dicuntur declinatoriæ fori, si quis id solum opponat, se coram hoc judice, aut in hoc judicii loco conueniri non posse: de quibus dixi in *c. vlt. de foro compet.* & talis exceptio primo loco proponenda est, ne alioquin reus conuentus jurisdictionem prorogare velle videatur, sicuti admonet Tancredus *lib. 2. c. 5. §. 1.* 2

Præter has aliæ exceptiones dilatoriæ sunt, quæ sumuntur ex parte Tutoris aut procuratoris, vt quòd personam standi in judicio non habeat, quia infamis, excommunicatus, aut legitimâ ætate destitutus, de quibus exceptionibus ante litis contestationem videndum est, vt si tales non opponantur, personæ legitimatæ censeantur.

De his exceptionibus talis regula tradi potest. Exceptiones dilatoriæ ante litis contestationem opponi debent, postea verò non auditur reus, si opponere velit; ita sumitur ex *cit. c. Pastoralis. l. penult. & vlt. de Except.* ratio prioris partis est, cùm enim hæ exceptiones 3

ten-

tendant ad impediendum processum judiciarium, rectè statutum est, vt initio statim processûs opponantur. Posterior pars partim nititur tacitâ renuntiatione, partim legis & judicis decreto punientis etiam transgressorem, vt postea etiam audiendus non sit, qui tempore debito non excepit. Sed

LIMITANDVM est I. Nisi exceptio sit de nullitate processûs, seu vt alij loquuntur, quæ judiciarium processum retrò ipso jure nullũ reddat, vt videre est apud Vantium de nullitate, & alios *in l. Licet. 24. C. De probat.* vbi exemplum est, si quis obiiciat, procuratorem mandatum non habere, aut si quis obijciat judicem incapacem esse jurisdictionis, quia si homo omninò priuatus vel excommunicatus, vitandus, aut amens, item quia causa Ecclesiastica, aut reus conuentus persona Ecclesiastica est, judex autem sæcularis, tales exceptiones licèt in initio opponi deberent, si tamen oppositæ non sunt, etiam post litis contestationem, imò post latam sententiam opponi possunt.

LIMITANDVM II. Si reus suo consensu non possit tollere impedimentum processûs, si v. g. actor excommunicatus vitandus sit, etiam post litis contestationem ante latam sententiam obiici potest, quia scientia & patientia, aut etiam expressus consensus aduersarij efficere non potest, vt actor excommunicatus vitandus licitè in judicio contendat, tametsi acta judicii, si nihil oppositum fuerat, valida sint, vti dixi *lib. 1. Th. Mor. Tract. 5. part. 2. cap. 2. n. 14.* Similiter feriis in Dei honorem institutis, partes renuntiare non possunt. *c. Conquestus, de feriis.* quare & in litis progressu reus excipere potest diem, in quo v. g. testes producendi sunt, esse feriatum, quâ de re Lanfrancus in praxi *c. 12.*

LIMITATVR III. Si exceptio seu causa excipiendi orta sit post litem contestatam, vel licèt anteà fuerit, tamen probabiliter ignorabatur. *argum. Insinuante, 25. de off. delegati.*

LIMITATVR IV. Nisi lis contestata sit cum potestate seu additâ clausulâ, *saluis omnibus exceptionibus ac defensionibus*, per eam tamen tantùm præsumptio tacitæ renuntiationis tollitur, non item fit, vt cesset lex prohibens dilatorias exceptiones post litis contestationem recipi, quia protestatio contra id, quod jure statutum est, nihil operatur, quâ simili ratione dicunt DD. clausulam adiecto libello saluo jure addendi, minuendi parùm operari, quia intelligi tantùm debet de ijs mutationibus, quas fieri lex non prohibet.

LIMITATVR V. Si grauamen, ob quod exceptio dilatoria opponi potest, non momentaneum sit, sed successiuum tractum habeat, hoc casu exceptio etiam post litis contestationem opponi potest, v. g. judicii locum tutum non esse, vti docet *Gail. lib. 1. obseru. 52. n. 3. Felinus hîc n. 13.*

Venio nunc ad exceptiones peremptorias, seu quæ merita causæ secundùm se respiciunt, de ijs hæc regula traditur. Peremptoriæ exceptiones reseruandæ sunt post litis 4
contestationem, & vsque ad sententiam opponi possunt, vt hîc dicitur, & in *l. Penult. C. Sententiam rescindi non posse.* Exemplum: si equi venditor actione ex vendito te conueniat ad soluendum pretium, tu autem excipias, quòd pretium tibi donârit; hâc exceptione non discussâ, aut non probatâ lis contestari potest super causâ debiti; post litis contestationem Venditor, tanquã qui prior ad judicem appellauit, positiones formabit, sed reus conuentus excipiendo dicet sibi pretium donatum esse, tum verò ipse reus excipiens partes actoris sustinebit, exceptionémque suam probare cogetur, iuxta *l. 1. ff. De excep.* vbi dicitur, quòd reus excipiendo fit actor.

EXCIPE ET LIMITA I. Nisi notorium esset, talem exceptionem competere reo, aut 5
appareret, quòd eam in continenti probare posset, hoc casu, vt citò liti finis imponatur, ante litem contestatam exceptio admitti potest, præsertim in Canonico foro, vti docet *Ancharanus hîc col. 2. & Ioan. Monach. n. 2.*

LIMITA II. Si opponatur exceptio li- 6
tis finitæ, ea ante contestationem litis tractari potest, siue lis finita sit per sententiam judicis, siue per partium transactionem, seu nihil petendi pactum juratum; quãdoquidem

& transactio & juramentū non minùs quàm judicis sententia finitæ litis exceptionem pariunt. huc etiam spectat legitima præscriptio, per quam actio exclusa esse dicitur, item huc spectat amicabilis partium compositio & arbitri laudum; item exceptio factæ solutionis &c. videri potest. *gl* hîc *v. finito. Io. Andr. n. 2. Bart. in l. Nam posteà ff. de jureiurando.*

7 LIMITA III. Quotiescunque opponitur exceptio, per quā actio ipso jure exclusa seu potiùs nunquam nata ostenditur, ea ante litis contestationem opponi & discuti debet. ita *Bart. communiter receptus in l. Nā posteà. n. 7.* Ratio est manifesta, quia nemo sine actione in judicio contendere permittitur. *l. Si pupillus 6. §. Videmus ff. De nuptiis gestis.* Et habet locum hæc doctrina, seu exceptio perpetua sit, seu temporalis, vti colligitur ex §. *appellantur, Institut. de Exceptionibus.* Exemplum perpetuæ exceptionis est, si mulier pro altero fideiusserit, exceptionem Senatusconsulti Velleiani etiam ante litem contestatam opponere potest, quò minùs soluere cogatur, quia actio in tali casu contra mulierem denegatur, *l. 2. ff. ad Senatusconsultum Velleianum.* Exemplum posterioris est: si hæres à creditoribus conueniatur intra tempus conficiendi inventarij, iuxta *l. vlt. §. Donec. C. De jure deliberandi*; item si creditor agat actione hypothecariâ, contra tertium possessorem antequam excusserit bona eorum, qui ipsi personaliter obligati sunt iuxta *authent. de fideiussoribus. §. Sed neque*; vel si lex aut statutum, vel partium conuentio terminum præscripserit, intra quem agi, seu res in judicio peti non debeat, *l. Certi. 9. ff. De rebus creditis.* & videri potest *Francus n. 23.*

Ad hanc limitationem etiam pertinet, si actio v. g. ex empto instituta contra venditorem ad tradendam merce dem nondum omninò nata sit, quia pretium, idque integrum nondum numeratum. *l. Julianus. 12. §. Offerri. ff. De actionibus empti.*

8 Porro limitationibus his sub-limitatio adhiberi debet, quod exceptio perēptoria, quæ litem finitam ante actionem efficaciter nunquam ortam declarat, post litis contestationem differri debet, si intricationem habeat & altiorem indaginem requirat, vti docet *Bartolus in cit. l. Nam posteà. n. 1.* vt si mulier, quæ fideiussit, objiciat beneficium Senatusconsulti Velleiani, sed actor replicando dicat, quòd huic beneficio priùs bene edocta renunciârit; hoc casu lis contestari potest, & actor ad positiones faciendas admitti. deinde, si contra actorem objiciatur tempus legitimæ præscriptionis, sed id difficilè probari possit, quia præsumptio est contra reum, ideóque exceptio altiorem indaginem requirit, ad litis contestationem accedi potest, vti *Ancharanus hîc docet.* Multò verò magis, si conuentum fuerat inter partes, vt actio non moueretur intra annum, & actor priùs agat, exceptio ei obiecta differri potest post litis contestationem, iuxta *l. Exceptionem. 19. C. De probat.* vbi talis exceptio dicitur declinatoria, sed pertinens ad merita causæ, ideóque mixta. quandoquidem pactum hoc non omninò perimit actionem, sed differt, dummodò exceptio opponatur. Si tamen pactum juratum sit, propter periculum periurij priùs de exceptione hac cognoscendum est, quàm lis contestetur.

QVÆRITVR I. Vtrùm judex tacente reo 9
& officio exceptionem actori objicere possit. Resp. non posse, si exceptio ex aliquo facto nascatur, posse autem, si exceptio ex jure oriatur, seu obligationi & actioni suapte naturâ insit: secundùm doctrinam *Baldi in l. Si pater, C. de Actionib.* vt si emptor in judicio agens pro re vendita sibi tradendâ, fateatur, se pretium integrum non soluisse, judex sententiam moderari potest, ita vt condemnet venditorem, si pretium solutum fuerit, & non ante, vt mercem tradat. Ratio dari debet, quia judex supplere potest ea, quæ juris sunt, non item ea, quæ facti, quare dicunt DD. quandocunque etiam in processu judicii apparet, nullam actionem competere actori, eum à judice repelli posse.

QVÆRITVR II. Vtrùm exceptio perem- 10
ptoria etiam post latam sententiam opponi possit ad impedimendam executionem. R. & dico, si sententiam exceptio non oppugnet,

gnet, plerumque opponi potest ad impediendam executionem eius, ita ex communi *Gail. lib. 1. obseru. 113.* v. g. si venditor ad mercem tradendam condemnatus obijciat pretium solutum non esse, vel debitor ad soluendum condemnatus obijciat, compensationis aut factæ solutionis exceptionem, item si mulier opponat exceptionem Senatusconsulti Velleiani, aut filiusfamilias exceptionem Senatusconsulti Macedoniani. *l. Tamen. 11.* & videri potest *Tancredus de ordine judiciario. lib. 2. tr. 5. §. 3.*

11 DICO II. Si per sententiam damnatus obijciat defectum nullitatis eius, v. g. judicem jurisdictione caruisse, sententiam die festo tulisse, procuratorem litis falsum fuisse, seu mandatum non habuisse; tali casu audiri debet, nisi appareat vel præsumi possit, exceptionem malitiosè obijci ad executionem differendam, ita docet *Durand. tit. de except. §. 13. n. 14.*

12 Sed potestne ipsemet executor de tali exceptione cognoscere, aut executionem differre. Respondet *Gail l. c.* Si exceptio contra executionem, aut contra sententiam notoria sit, non debet executor exequi, si autem non notoria, tunc refert, vtrùm tendat contra sententiam, quasi injustè lata sit, tunc executor cognoscere non potest, cùm is exequi sententiam, non de eâ iudicare debeat. *l. Si vt, 6. & l. Executorem. 8. C. De executione rei judicatæ.* Si tamen non apparet, quòd malitiosè excipiatur, tum ad judicem causa remitti debet. An verò exceptio tendat solùm contra executionem, vt si obiiciatur pretium venditori solutum non esse, de tali exceptione executor frequenter cognoscere & pronuntiare potest, si videlicet altiorem indaginem non requirat.

CAPITVLVM II.

Si Ablato.

SVMMARIVM.

1. *Per exceptionem non fit litis contestatio.*
2. *Reus, si accepto ab actore libello, & elapsâ dilatione deliberatoriâ nolit litem contestari, judex ad receptionem testium & sententiam definitiuam procedere non potest. sed reum cogere debet ad litem contestandam.*

REus excipiendo contra actoris intentionem non ideò litem contestari censetur. Ratio est, nam qui litem contestatur, negare debet actoris intentionem; qui tamen excipit, non eo ipso confitetur, aut negat intentionem actoris. Prior pars habetur *in l. Non vtique, 9. ff. De except. & reg. juris 63. in sexto. Exceptionem obijciens non videtur de intentione aduersarij confiteri.* Exempli causâ: Si quis à me petat 100. mutuò mihi datos, & ego excipiam, quòd etsi mihi dedisset, tamen tutus essem exceptione, quia omne debitum mihi condonauit; hoc casu non fateor intentionem actoris, quamobrem non cogor exceptionem eam statim probare, sed ad litis contestationem deueniam; dicendo non constare, quòd ipsi aliquid debeam ex contractu mutui; quòd si post litis contestationem actor in probatione defecerit, tum absoluar, etsi exceptionem meam non ostenderim. Sin autem actor probauerit intentionem, tum demùm exceptioni meæ obiiciendæ & probandæ locus erit. *l. Si quidem. 9. c. de præscript.* 1

Atque hinc liquet altera pars, quòd ita excipiens non neget aduersarii intentionem, si tamen ita respondeat: non credo narrata, prout narrantur, aut petita, prout petuntur, vera esse, & tametsi vera essent, tamen hac exceptione tutus sum; hoc casu lis contestata censebitur, quia in tali responsione non mera exceptio continetur, sed etiam contradictio, vt apparet animo contestandi litem; idémque est, si reus dicat, nescio an tua petitio vera sit, quia censetur velle, vt ad probationem accedat, quæ non nisi contestatâ lite recipitur. *argum. cit. l. Siquidem, juncta gl. verb. dubitas.* Quòd si autem reus conuentus initio statim fateatur intentionem aduersarii, v. g. pecuniam sibi mutuò datam esse, excipiátque de donatione postea factâ, tum ex reo fit actor, vt suprà dictum.

mili ratione si conventus ex mutuo excipiat de compensatione, quia videlicet ab actore vicissim ex simili contractu pecunia ipsi debeatur; mox in se actoris & probatoris officium transfert.

Sed quid si reus post acceptum libellum & elapsam dilationem deliberatoriam, nec confiteri velit actoris intentionem, nec negando litem contestari? tum Resp. judex procedere non potest, tanquam lis contestata sit ad receptionem testium & sententiam definitiuam, sicut constat ex *Tit. seq.* sed cogere debet reum ad contestationem, & renitentem punire aut censuris constringere, iuxta *c. 1. & 2. tit. seq.* aut missionem in bona eius decernere, iuxta *Gloss. in Authent. Qui semel. & Francum hic in fine.*

Ad extremum pro declaratione, quæ hoc & præcedente capitulo dicta sunt, soluenda est obiectio, si opposita exceptio ostendat nullam actionem competere, tunc lis contestanda nō est, sed exceptio probanda, vti dixi in c. 1. reg. 2. limit. 3. hoc lib. & tit. sed exceptio peremptoria ostendit, seu dicit nullam actionem competere eò ipso, quòd eam perimit, ergo, si exceptio peremptoria opponatur, de eâ primò cognosci debet, non lis contestari. Resp. exceptiones peremptorias esse in triplici differentia, nam aliæ ostendunt actionem nunquam natam esse, seu nunquā competiisse, de his rectè conuincit obiectio, vti dixi in *cit. limit. 3.* Aliæ sunt, quæ ostendunt actionem, quæ aliquando erat, modò non competere, sed extinctam esse, eò quòd lis finita sit per judicis sententiam, per transactionem aut compromissum, & de his exceptionibus itidem convincit obiectio, vt dixi eâdem *reg. 2. limit. 3.* Aliæ denique, quæ solùm ostendunt actionem seu jus agendi, infringi ac perimi posse, & hoc casu, cùm non negetur, actionem competere, licet dicatur inefficacem seu fragilem esse, ad litis contestationem ac reliqua acta judiciaria procedi potest.

TITVLVS VI.

VT LITE NON CONTESTATA NON PROCEDATVR AD TESTIVM RECEPTIONEM, VEL AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

CAPITVLVM. I.

Ad hoc.

PARAPHRASIS.

BArbara contra Remigium maritum coram delegatis Papæ agebat in causa adulterij ad separationem tori, & receptionem dotis â marito adultero; sed procurator oblato libello noluit respondere, donec advocatus adveniret, ideóque inducias postulauit, sed cùm eas frequenter postulando judicibus illuderet, litémque tantùm protrahere videretur, denique comparuit, ac dixit se responsurum ad libellum; die autem constitutâ cùm responsurus putaretur, petiit, vt priùs restitutio fieret vxoris, quàm vlteriùs procederetur, alioquin se ad Papam appellare. Verùm cùm mulier contradiceret, se virum ob eius sæuitiam suspectum habere, & procurator super hoc cavendo mulierem securam reddere nollet, atque à judicibus discessissent, ipsi à muliere testes receperunt. His cognitis Innocentius III. respondit, tametsi in causis matrimonialibus, quibus de valore matrimonij agitur, ordo judiciarius non exactè obseruandus sit, aliud tamen dicendum, si agatur de adulterij crimine ad separationem tori &c. quamobrem in hac causâ tametsi ex parte mariti appellatum non fuisset, non potuerunt lite non contestatâ judices ad testiū receptionem procedere; potuissent verò mari-

maritum, si contumax comparuit, aut etiam ob procuratoris contumaciam, si eam sciens non purgauit, excommunicationis sententiæ subiicere.

SVMMARIVM.

1. *In causa criminali, si ciuiliter agatur, reus procuratorem constituere potest.*
2. *Causa matrimonialis, in quâ de valore matrimonij agitur, summariè tractari debet.*
3. *Si de adulterio criminaliter, siue ciuiliter agitur, opus est processu ordinario.*
4. *An actori inducia concedendæ sint, donec Advocatus absens adueniat, judicis prudenti arbitrio committitur.*
5. *Si Domino ex legis aut judicis præcepto incumbebat aliquid facere, quod procuratori demandauit, isque intermisit, domino imputatur.*
6. *Si tamen dominus ob negligentiam procuratoris, vel alterius mandatarij soluere debuit, ab illo recuperabit per mandati actionem, nisi casus fortuitus, vel ineuitabile impedimentum interueniisset, quod ipsum etiam domini absentiam excusâsset.*
7. *Si procuratori ipsi ex legis vel judicis præcepto aliquid erat faciendum, quod omisit, ita vt omissio cadat in delictum, aut pœnam mereatur, domino imputari non potest; nisi sciat & toleret, aut res vertatur modici præiudicij, in qua domino etiam ignoranti præiudicari potest.*
8. *Si omissio eius, quod facere poterat procurator, non cadat in delictum, nec pœnam mereatur, tunc præiudicat domino.*
9. *Factum vel dictum procuratoris, nisi præsumi possit, quòd fines mandati procuratorij excedat, domino præiudicare debet.*
10. *Ex facto procuratoris illicito, aut pœnæ obnoxio non obligatur dominus, nisi ad pœnam conuentionalem, si ea communiter adijci solet conuentioni.*

1 NOTANDVM I. In causâ criminali, si ciuiliter agatur, reus procuratorem mittere potest, *cap. 5. Tuæ. de procurat.*

NOTANDVM II. Causæ matrimonialis, in quâ de valore matrimonij agitur, summariè tractari debet. *Clem. 2. de judiciis*, quia causa matrimonialis fauorabilis est, celerémque expeditionem desiderat, vt videlicet coniux concedatur coniugi, si matrimonium consistit; non concedatur autem, aut concessa separetur, si non constitit. Et idem dicendũ 2 de causa sponsaliorum, quia sponsalia referuntur ad matrimonium, & ideo etiam fauorabilia censentur, vti docet *gl. in cit. Clem. verb.* matrimonij. ibidem. *Zabarella q. 26.* Sin autem de crimine adulterij agatur, si- 3 ue criminaliter ad pœnam publicam, siue ciuiliter tantùm ad tori separationem, opus est processu ordinario, quia agitur de graui præiudicio partis accusatæ, imò ipsius quoque matrimonij, cuius indiuidua societas dissolui petitur. Ex quo apparet, quantò fauorabilior est causa matrimonij, si agatur de eius valore; tanto odiosiorem esse, si supposito valore agatur de dissolutione quoad forum. Id verò rectè docent *Gl. cit. & Zabarella q. 28.* Si Iudæus aut gentilis baptizatus agat ad dissolutionem matrimonij, quia coniunx alter infidelis sine iniuria creatoris cohabitare, aut ad fidem Christi conuerti nõ vult, iuxta ea quæ dixi *lib. 5. Th. mor. Tract. 10. p. 2. cap. 3.* Summariè procedendum esse, quia etiam hæc causa fauorabilis est, ne alioquin coniux fidelis seruituti subiectus sit, cũ infideli coniugi cohabitare non possit, neque ad alias nuptias transire permittatur.

Occasione huius textûs quæritur I. Num actori inducię concedendæ sint, donec Advocatus absens adveniat. *Gl. hic.* verb. *Aduocatus*, affirmat; sed meliùs glossa marginalis, & Abbas n. 10. dicunt, judicis id arbitrio cõmitti, qui ex parte actoris, ipsiúsque causæ considerabit, quantum præiudicium aut damnum eius sit, si diutius exspectari debeat; ex parte verò Rei, num culpa aliqua in ipso reperiatur, quòd Advocatum instructum non adduxerit, vel iterum dimiserit, & quàm graue eius damnum futurum sit, si alium non ita versatum & in causa instructum adsciscere cogatur. 4

QVÆRITVR II. Vtrùm procurator agendo, vel omittendo, domino noceat. Resp. & Dico I. ex doctrinâ *Bartoli in li. vn.*

si domino ex legis aut judicis præcepto incumbebat aliquid facere, quod procuratori demandauit, isque intermisit, domino imputatur, quia is facere debebat per se, vel per alium, & in effectu non fecit. Verumtamen si dominus ob negligentiam procuratoris, alteriúsve mandatarij soluere debuit, ab illo recuperabit per mandati actionem. Ita sumitur ex *l. Si procuratorem. 8. §. Si tutores, ff. Mandati.* Exemplum: si dominus misso libello à judice jussus est comparere ad certum diem, sed procurator in viâ moratus, & non accessit, dominus condemnabitur in expensas & damna aduersario præstanda.

Excipe nisi hoc casu casus fortuitus seu impedimentum moraliter ineuitabile, quod etiam dominum excusâsset, procuratori acciderit, sicuti notat *Felinus hîc n. 5. argum. l. Cùm à matribus 8. C. Qui petunt Tutores*, vbi mater excusatur, quæ cùm filio petere Tutorem deberet, procuratorem misit ad petendum, qui in viâ à latronibus occisus est; Sin autem procurator in culpa fuit, dominus ab ipso repetet expensas actione mandati, qui si soluendo non sit, & principalis priuilegiatus, videlicet Ecclesia, petere potest in integrum restitutionem.

6 Dico II. Si procuratori ipsi ex judicis aut legis præcepto aliquid facere incumbebat, quod intermisit, ita vt omissio cadat in delictum, aut pœnâ mereatur, domino imputari non potest. Ratio est, quia mandatum quamuis generaliter datum sit, non censetur se extendere ad delinquendum. ita *Bart. cit. loc. Abbas hîc. n. 18. & habetur in l. cit. vn.* Exemplum habes hîc, si procuratori ad judiciũ constituto judex jubeat litem contestari, isque contumaciter recuset, ipse, non dominus puniri & constringi debet. Excipe 1. nisi dominus sciat ac toleret, ideóque tacitè consentiat, vti habetur in fine huius cap. Excipe 2. quòd in re modici præiudicij domino etiam ignoranti præiudicari possit, vt si propter contumaciam procuratori missio custodiæ causâ decernatur, sicuti constat ex *l. 3.* quòd ob negligentiam curatoris aut administratoris non defendere volentis, missio decernatur, v. g. in bona pupilli, aut minoris.

Dico III. Si omissio eius, quod facere 7
poterat procurator, non cadat in delictum, nec pœnam mereatur, tunc præiudicat domino. Exemplum, si procurator à sententiâ appellare intermisit intra decendium, transit ea in rem judicatam, vt dominus postea appellare volens, audiendus non sit. *l. 1. in fine. ff. Quando appellandum sit*, quia sibi imputare dominus debet, quòd negligentem aut imperitum procuratorem miserit, *l. Tum mandata. 23. ff. De minorib.* Ceterùm si procurator in culpâ fuit, dominus contra ipsũ actione mandati institutâ, damna, seu id, quod interest, recuperabit. *l. Si procurator cit. & l. Licet. 42. §. ea obligatio. ff. de procurat. l. à procuratore, 13. C. eodem. vbi dicitur*, quòd procurator de dolo & omni culpâ teneatur. Quòd si verò procurator, cuius culpâ aut dolo aliquid neglectum est, soluendo non sit, tum domino restitutio in integrum concedenda. *argum. l. & elegante, 7. §. penult. & docet gl. recepta in cit. l. 1. & in c. 2. verb. Restituimus. de in integrum restitut. Gail l. c. obseru. 45. n. 6.* quẽadmodum in simili ait *n. 8.* sententia lata contra maritum agentem rei vendicatione pro re dotali, non nocet vxori, si eius procurator in culpa fuerit, sed potest petere restitutionẽ in integrum, quod intellige, si maritus soluẽdo non sit, quia extraordinarium restitutionis remedium tum demùm cõceditur, si ordinarium remedium desit. *l. In causa. 16. ff. de Minorib.*

Dico IV. Factum vel dictum procu- 8
ratoris, nisi præsumi possit, quòd fines mandati procuratorii excedat; domino præiudicare debet, ita *Tancredus lib. 1. c. 11. §. 2. & sumitur ex c. 2. vbi dicitur*, quòd procurator instructus cum mandato venire debet, vt quæ cum eo acta fuerint, jure subsistãt. Quare confessio procuratoris in judicio ordinariè domino nocet. *c. Diui. 20. de censibus*, idque maximè verum est post litis contestationem, vt hîc monet *Abbas n. 29.* Sin autem in ipso statim ingressu in judicium, seu post libellum oblatum procurator vltro fateatur intentionem actoris; aiunt Abbas & Anton. non præiudicare talem confessionem, cùm

cùm ea absque necessitate facta prodigalitas ac veluti donatio, seu renuntiatio juris videri possit, quæ absque mandato speciali procuratori non competit, potest enim dicere dominus, quòd procuratorem miserit ad litigandum, non ad liti renuntiandum, aut condonandum.

9 Præterea ex facto procuratoris illicito, aut pœnæ obnoxio, non obligatur dominus, vti docet *Bartol. in cit. l. 1. n. 5. ff. Si quis jus dicenti.* Abbas & Felinus hîc, circa secundum membrum: quia præsumitur excedere fines mandati. Exempli causâ, si procurator generaliter constitutus ad eligendum, personam indignam elegerit, dominus non incurret pœnam *c. Cùm in cunctis 7. de elect.*

Verumtamen, quod de pœnâ dixi, limitari debet, quòd dominus à procuratore ad pœnam conuentionalem obligari possit, si talis pœna communiter adiici soleat conventioni. vti *Felinus hîc docet n. 10.* Sic v.g. Legatus ad componendam pacem missus, consentire potest in pœnam fœderis transgressorii statuendam; quia generatim loquendo dominus mandâsse censetur, vt actus expediatur, sicut communiter expediri solet.

CAPITVLVM II.

Accedens.

Paraphrasis.

Archiepiscopus Tyrenensis à Pontifice tres judices impetrauit super causâ restitutionis contra Plebanum S. Marci, sed Plebanus noluit respõdere, appellans ad sedem Apostolicam: Iudices cùm Plebanum cõtumacem viderent, testes ex parte Archiepiscopi productos receperunt, & cogere voluerunt Plebanum, vt ad depositiones testium responderet; illo autem recusante, processerunt ad sententiam definitiuâ, possessionem juris parochialis adiudicantes Archiepiscopo, eúmq; integrè restituẽtes prohibuerunt, ne quis in posterum possessionem eius turbaret. His cognitis respondit Innocent. III. se cassare judicum sententiam, imò verò cassam & inanem declarare, eò quòd Plebanus justè appellârit, & judicium declinârit, quando notorium erat, quòd duo judicum essent Suffraganei Archiepiscopi, ideóque Plebano suspecti. Accedebat, quòd prius rescriptum ad judices per veri suppressionem obtentum fuerit: tametsi verò ponamus appellationẽ friuolam fuisse, tunc judices contra reum potuissent fortasse propter contumaciam procedere ad excomunicationem, tamen definitiuam sententiam ferre nequaquam potuerunt ante litis contestationem, quare mandat Papa, vt Archiepiscopus Ecclesiæ S. Marci instrumẽta & alia omnia, quæ occasione eius sententiæ per se vel per alios occupauit, plenè restituat.

Svmmarivm.

1. *Ecclesia per negligentiam intermittens jura sua exigere ab Ecclesia sibi subiecta, ideóq; constituta in quasi possessione immunitatis, illa petere potest, vt ex judicis officio restituatur ad integram possessionem.*
2. *Subinde lis contestanda etiam est, si judicis officium imploratur.*
3. *Literæ subreptitiæ censentur, si in ijs subticetur exceptio dilatoria.*
4. *Exceptio dilatoria causam notoriam continens non debet specificè in judicio obijci.*
5. *Extincto jure reddenda sunt instrumenta.*

Not. I. Si Ecclesia per negligentiam intermittat jura sua exigere ab Ecclesiâ sibi subiecta, ideóque hæc constituatur in quasi possessione immunitatis, illa petere potest, vt ex judicis officio restituatur ad integram possessionem. Ita Hostiensis apud Abbatem hîc. *n. 8. & facit ad hoc cap. Redintegranda. 3. causa 3. q. 1. iuncta Gl. verb. aut dolo,* & tradit ibi Archidiaconus, quòd Ecclesia, si possessionem aut quasi possessionem rei aut juris sui amiserit, per simplicitatem juris Canonici petere possit restitui se judicis officio, dummodò præscriptio cum bonâ fide completa non sit. Glossa tamen hîc, Abbas & alii existimant, in casu huius capituli actum fuisse *interdicto possessorio vnde vi*, ideóque colligunt, quòd etiam in judicio possessorio, si magni aut non facilè reparabilis præ-

præiudicij sit, lis contestari debeat, & ordinarius processus obseruari. Quod licèt secundùm se verum sit, & tradatur à Glossa in *c. Consultationibus. 10. verb. Nisi is. de officio delegati*, tamen textui nostro casus is non congruit, tum quia nulla omnino de spoliatione actio fuit, tum quia in fine dicitur: Ecclesiæ S. Marci instrumenta &c. restituenda esse, ergo de juribus parochialibus, & non de spolio plebani agebatur.

2 NOTANDVM II. Quandoque etiam lis contestanda est, si judicis officium imploretur, vt hîc ad restituendam amissam possessionem, quia cùm deficit actio, officium judicis loco actionis est.

3 NOT. III. Literæ subreptitiæ censentur, si in ijs subticetur exceptio dilatoria, v. g. quòd judex impetratus sit suffraganeus aut Vicarius Archiepiscopi impetrantis, si tamen nihil contra eas excipiatur, processus valet, vti notat hic *Abbas n. 7. gl. in c. Ad audientiam. 31.*

4 NOT. IV. Si exceptio dilatoria v. g. judicis recusatoria causam notoriam habeat, necesse non est eam specificè obiicere in judicio, sufficit dicere, se non obligatum respondere, vel se absentare; si tamen nihil objiciens responderet, & litem contestaretur, processus valeret, nec postea exceptio objici posset, quia censeretur renuntiâsse juri suo.

5 NOT. V. Cùm princeps in rescripto ait, se actum aliquem cassare, interdum explicari debet iuxta materiam subiectam, se ipso jure cassum & inanem esse declarare, ita sumitur etiam ex *c. Scriptum. 40. de elect.* ibi: *plebani electione cassatâ*; intelligi enim debet, vt cassa declarata.

6 NOT. VI. Extincto jure per sententiam condemnatoriam aut absolutoriam, vel per solutionem debiti, reddenda sunt instrumenta, cùm nihil prosint parti, & si penes ipsam maneant, alteri damno esse possint. *l. 2. Cod. De condictione ex lege. cap. Ecclesia 4. iuncta Glossa* vt lite pendente.

& tradit *Abbas hîc*

n. 11.

CAPITVLVM III.

Tuæ.

PARAPHRASIS.

Si Reus ante litis contestationem contumaciter se absentet, tum actor in possessionem rei petitæ causâ custodiæ mittendus est, sin autem talis causa non sit, in quâ missio in possessionem fieri queat, vt si de adulterio agatur ad separationem tori, tunc per censuram Ecclesiasticam compelli debet, vt in judicio se sistat ad litem contestandam.

SVMMARIVM.

1. *Contumax quis dicatur.*
2. *Remedia & pœna decreta in Iure contra contumacem.*
3. *Si lite non contestatâ missio in bona rei cõtumacis decerni nequit, vlteriùs procedi in causa non potest, sed contumax erit excommunicandus; secus est in actore.*
4. *Si causa beneficialis sit, vel de electione, aliáque simili agatur, qua ob periculum moræ citò expediri debet, reo seu possessore contumaciter absente, procedi potest ad sententiam definitiuam.*
5. *Idem fieri potest si post litis contestationem pars litigans, & ipse reus se absentet.*

PRo intellectu huius Capituli adverte 1. quòd contumax dicitur, qui tribus edictis, vel vno, vice trium citatus non comparuit. *l. Contumacia. 53. ff. De re judicatâ.* Est autem alius verus contumax, si quis personaliter citatus sit, vel citatio facta ad domum eius, aut publicas valuas ipsi intimata seu cognita fuerit. Alius contumax fictus, qui citatus est per edictum affixum ad domum eius, aut valuas, sed nescitur, an citatio ad ipsum peruenerit. quâ de re *Bart. in l. vlt. ff. De in integrum restitut. Zabarella, Marant. de ord. part. 6. memb. 2. vbi de contumacia. n. 36.* vbi bene monet, intelligenda hæc esse de citatione cogente ad comparendum, non de citatione voluntariâ, quâ significatur alicui, vt

veniat

veniat ad judicium, si putet sua interesse; hæc enim comparere nolentem in contumaciâ non constituit, ideóque eo etiam non accedẽte judex procedet *iuxta authent. Qui semel. C. quomodo & quando.*

2 Adverte 2. contra contumacem plura remedia ac pœnæ in jure decretæ sunt, quæ ad instantiam partis alterius inferri possunt. I. Potest capi & incarcerari, secundùm *Bartolum. in l. consentaneum. n. 13. Abbatem in cap. ult. n. 7. hoc tit.* idque etiam locum habet in eo, qui in judicio comparuit quidem, sed ad respondendum & litem contestandam adigi non potest, cùm & ipse verè contumax sit, uti docet *gl. margin. in cit. auth. Qui semel.* II. Potest aliter mulctari & puniri, si verus contumax sit secundùm *DD. in l. 1. §. vlt. ff. si quis in jus vocanti.* III. Debet refundere expensas, quas adversarius facere coactus est. *l. Sentimus. 16. C. de judiciis.* quin imò tametsi semel tantùm citatus sit, & absque legitimo impedimento venire neglexerit, ad expensas obligatur. *argum. c. 2. de procurat. vbi gl. v. rationabili causa.* IV. Amittit jus appellandi, si verus contumax sit. *l. Properandum. 13. §. sin autem reus. C. de judiciis. l. ex consensu. §. vlt. ff. de appellat.* V. Verus contumax censuris, ipsâque excommunicatione constringi potest, ut hîc, & *c. vlt. hoc tit.* Simile est, quòd in imperio peremptoriè citatus, petente adversario pœnâ banni cõdemnari, feudóque priuari potest. teste Baldo *in l. 1. n. 9. & 17. C. de hared. instituendis, Gail. lib. 1. obser. 61. n. 10.* VI. Missio decerni potest in bona eius, vt hîc, *& in c. vlt. hoc tit. & infrà tit. De eo qui mittitur &c.*

3 His positis difficultas præcipua est, si in aliqua causa missio fieri non possit in bona rei contumacis, num ad instantiam actoris lite nondum cõtestata testes recipi, & ad definitiuam sententiam procedi possit. Affirmativam partem tenet *Bart. in auth. si vos. n. 2. C. si minor se ab hæred.* &c. sed idem *Bartolus in auth. qui semel*, ait legistas communiter cõtrarium dicere, idque sumitur ex hoc *cap. & c. 1. hoc Tit.* & tradunt *Dominicus & Ancharanus in c. vnico.* Si talis causa sit, vt missio in bona rei contumacis decerni nequeat, si lis contestata non sit, vlteriùs procedi non posse, sed alterum remedium adhibendum, vt reus contumax excommunicetur; sed alia ratio est de actore, qui si post oblatum libellum se absentet, & ad instantiam Rei citatus contumax est in comparendo, etiam absente eo & lite non contestatâ defensiones Rei judex susciperе, & causam definire potest, *iuxt. cit. auth. qui semel*, imò in tali casu, in quo absente parte judici causæ cognitio concessa est, etiam ipsemet supplendo probationes afferre poterit, uti colligunt *DD. ex cit. auth. v. perquisita veritate.*

Hæc verò authentica nouum jus continet, cùm anteà neque ob actoris contumacis absentiam lite non contestatâ judici procedere liceret, cùm autem in eâ authenticâ duntaxat decernatur de contumaciâ actoris, non possumus nos extendere ad contumaciam rei, vt bene Imola hîc monet, *& gl. in c. causam. 3. v. ad bonum. de dolo.* nam præterquam quòd fauorabilior causa Rei est quàm actoris, turpior etiam ac detestabilior contumacia & fuga actoris, quippe qui prior litẽ mouit, reúmque prouocauit.

Excipe, nisi causa beneficialis agatur, aut 4
de electione vel alia simili, quæ ob periculum moræ citò expediri debet, tum reo seu possessore cõtumaciter absente procedi potest ad sententiam definitiuam. *c. vn. de eo, qui mittitur in possessionem, in sexto*, & videri potest *Ancharanus columnâ 2.*

Cæterùm si post litis contestationem pars litigans & ipse reus se absentet, tum procedi posse ad definitiuam: constat ex *cit. l. Properandum §. sin autem reus. & c. 2. de confessis in 6.* & videri potest *Gail lib. 1. obseruat. 60. & 80. Abbas in c. vlt.*

CAPITVLVM. IV.

Accedens.

PARAPHRASIS.

Causa impedimenti matrimonialis propter consanguinitatem vertebatur inter Guilielmum Vicecomitem & vxorem eius, eam Papa delegauit Archiepiscopo, Archidiacono, & M. Petro, à quibus citatus

Guilielmus excepit, quòd comparere & respondere non teneretur, 1. quia judices ipsi justis de causis suspecti essent, nam Archiepiscopus erat proximus cõsanguineus Comitis Britanniæ, qui capitalis tum inimicus fuit Vicecomitis, eiúsque uxorem, atque terram notoriè detinebat: Archidiaconus autem fuit commensalis ejusdem Vicecomitis, & M. Petrus oriundus è regione vxoris eidem nimis fauebat. 2. quòd judices ipsum citarent ad terram inimicorum, quò sine mortis periculo accedere non posset, præsertim cùm litteræ citationis de saluo conductu mentionem nullam fecerint, quamuis etiam cum promisso saluo conductu se capitalibus inimicis committere non deberet, sed judices nihilominus procedentes lite non contestatâ testes receperunt. His intellectis Innocẽtius III. causam aliis judicibus committens mandat, vt vocatis partibus, si intelligant testes ante litem contestatam, vel post interpositam appellationem nullâ procedente contumaciâ Rei conventi contra matrimonium receptos fuisse, acta & contestationes irritas esse decernant, & ante omnia uxorem ac terram restituant Vicecomiti, posteà verò cùm plenariam restitutionem acceperit, causam ipsi canonicè definiant.

SVMMARIVM.

1. *Iudex sanguine vel amicitiâ cõjunctus inimico tuo capitali, recusari justè potest. (tur.*
2. *Citatus ad locũ non tutũ comparere nõ tenetur.*
3. *Ad judicem ecclesiasticũ pertinet causa dotis si incidẽter veniat cũ causa matrimoniali.*
4. *Maritus uxorem, quam in facie Ecclesiæ duxit, prætextu impedimenti dirimentis à se ablegare non potest propriâ auctoritate. Si ablegavit, judex ecclesiasticus illum compellet, ut eam recipiat, donec causa cognoscatur, & definiatur.*

NOT. I. Si judex sanguine vel amicitiâ valde conjunctus sit inimico tuo capi-
1 tali, justam causam habes eum ut suspectum recusandi. ita notat *Abbas hîc n. 2.* Dicitur autem inimicitia capitalis, quæ videtur usque ad hominis necem inclinata; quæ autem aliæ graves aut gravissimæ inimicitiæ censeri debeant, judicis arbitrio relinquitur secundùm Abbatem hîc.

NOT. II. Citatus ad locum non tutum comparere non tenetur, sed petere potest, ut locus judicii tutus assignetur, alioquin appellare potest, tametsi in litteris scriptum sit 2
appellatione remotâ, *c. ex parte. 17. de appellat.* videri potest *Gail. lib. 1. observ. 52.* vbi addit exceptionem loci non tuti procedere etiam respectu Procuratoris, Advocati, testiũ & personarum omnium, quæ judicio interesse debent. Porrò, vtrùm salvus conductus sufficiat ad periculum avertendum, ac securitatem præstandam tum personis, tum causæ, de quâ agitur, ex circũstantiis loci ac personarum colligi debet. quâ de re *Felinus hîc.*

Not. III. Ad judicem Ecclesiasticum pertinet causa dotis, si incidenter veniat cum causâ matrimoniali, colligitur ex *hoc c. & habetur in c. 3. de donatione inter virum & vxorẽ.*

Not. IV. Maritus vxorem, quam in facie 3
Ecclesiæ duxit, prætextu impedimenti dirimentis à se ablegare non potest propriâ auctoritate, quod si fecit, recipere eam compellitur, donec Ecclesia causam cognoscat ac 4
definiat. ita etiam habetur *in c. 3. de diuortiis.*

CAPITVLVM VLT.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Regulariter verum est, quòd testes recipi nõ possunt ante litis contestationem, sed limitari debet, nisi periculum in morâ sit, quia testes sunt senes aut valetudinarij, aut ex aliâ causâ ipsis mors timetur; tunc si ciuilis causa sit, ne veritas occultetur, & probationũ copia amittatur, testificationes recipiendæ sunt, cùm pars altera contumaciter abest, vel ob aliam causam accersiri non potest. Verumtamen actor intra annum ab eo tempore numerandum, quo Reus cõueniri potest, tenebitur eum conuenire, vel attestationes receptas ad ipsum transmittere, alioquin ipso jure irritæ erunt, idque propterea, ne, si contestationes diu lateant Reum, legitimas cõtra eas non possit opponere exceptiones.

SVMMARIVM.

1. *Ante litis contestationem in absentia Rei non potest*

potest procedi, excepto casu necessitatis, si periculum in mora sit.

2. *Et in hoc ipso casu testificationes in absentia partis non sunt recipiendæ, vt statim ad definitiuã procedatur, sed vt asseruentur, donec Reus conueniri possit, vt excipiat; si quidem testes directè deponant præiudiciũ alterius, cui defensiones competere possunt: secùs est, si recipiantur tantùm ad cautelã, vel directè nõ agatur contra certã personã.*

3. *Si periculum sit, ne testes interim obliuiscãtur donec litis contestatio fieri possit, licet interea testificationes recipere; plerumq; tamen in tali casu pars altera citari debet.*

R ADverte 1. Hîc non disputari, in quibus causis litis contestatio necessaria non sit, de quo suprà egimus *in c. 1.* de libelli oblatione; sed posito, quòd lis contestata non sit, seu quia non debuit contestari in summariis judiciis, seu quia nõ potuit contestari Reo absente, vtrùm nihilominus procedi possit ad testium receptionẽ. Responsio est negatiua: in absentia Rei nõ posse procedi, præterquã in casu necessitatis, si periculum in mora sit.

2 Adverte 2. hoc ipso casu testificationes in absentia partis non esse recipiendas, vt statim ad definitiuã procedatur, sed vt asseruentur, donec Reus cõueniri possit, vt ipse excipiat, & exceptiones eius audiãtur, sed hæc intelligi debent de iis causis, in quib⁹ testes directè deponunt in præiudiciũ alteri⁹, cui defensiones competere possint, secùs verò est, si testes recipiantur tantùm ad cautelã, cùm alioquin factum notoriũ existat, *iuxt. c. Bonæ. 23. §. Licet, de elect.* etenim in facto notorio & legib⁹ jam prohibito, procedi posse ad cõdemnationem etiã in absentiâ partis, dicam *in c. 1.* de causâ possess. item secùs est, si directè nõ agatur cõtra certam personã, quamuis indirectè etiam aliorum interesit, si citati non veniant. Hoc casu procedi posse ad definitiuã, habetur *in Auth. si omnes. C. Si minor ab hared. &c.*

3 Quæritur. Si periculum sit, ne testes interim obliuiscantur rei gestæ, donec litis cõtestatio fieri possit, (quia v.g. prælatura diu vacatura esse creditur) vtrùm interim testificationes recipere liceat. ℟. affirmatiuè cum *Hostiensi & Abbate hîc n. 6.* nam mortis periculũ *in h. c.* attenditur, ne copia probationis pereat; potest autẽ spectatâ qualitatè causæ idem esse periculũ propter obliuionẽ, vt si aliquid promissum sit sub conditione, cui⁹ eventus diu exspectari debeat, poterũt testes recipi, dum recens memoria adest, idq; propter æquitatẽ, imò etiã testimonia publicari poterunt ad perpetuã rei memoriam, vt in casu *c. Significauit. 41. de testib.* & notat *Imola hîc n. 1. & 2.* Simile est, quod habetur *in c. 4.* de confirmatione vtili, vt instrumenta, si ob nimiã vetustatem corrumpenda videantur, judicis auctoritate revocentur. Verumtamen in his casibus plerumq; necesse erit, vt pars altera citetur, præterquàm si ob potentiã aut sæuitiã conueniri non possit, nec denuntiatio ei fieri, quo tamen casu judex vices partis absentis diligenter supplebit, ne qua fraus interueniat, quâ de re *Felin. hîc n. 7. Abbas n. 10.*

§. Porrò.

PARAPHRASIS.

Speciales causę sunt, in quib⁹ ob contumaciam Rei procedi potest tũ ad receptionẽ testiũ, tum ad sententiã definitiuam, si videlicet periculũ in morâ sit, vt cùm agitur de electionis aut cõfirmationis vel matrimonij carnalis valore, tum si is, cõtra quem actio tendit, contumax sit, seu quia peremptoriâ receptâ citatione venire recusat, seu quia malitiosè se occultat, aut impedit, quò minùs citatio ad ipsum perueniat, his casib⁹ proceditur etiam ad definitiuam; si autem Reus contumax nõ sit, sed aliter absens, vt comparere in judicio nõ possit, tunc vel agitur contra Prælatum post acceptã confirmationẽ, & seruari debet, quod sacris canonibus super exspectatione talium personarum definitũ est, vel agitur contra electũ ante confirmationem, tunc 6. mensibus exspectandus est, nisi spectatis circumstantiis tẽpus hoc prorogãdum superiori videatur. Quòd si verò de valore carnalis matrimonij agatur, tamdiu alter coniugũ absens exspectari debet, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumi possit, cùm enim vt ponim⁹ absq; culpa sua & cõtumaciâ absens sit, ita vt facilè citari & advenire non possit, nõ est prejudicandũ, quia habet fortassè exceptiones, quib⁹ intentionẽ contrariã elidere

queat: neque obstare debet, si alter coniux periculum lapsûs obijciat, si tamdiu exspectare debeat, quandoquidem plures casus occurrere solent, quibus coniuges absque culpâ, sed non absque causâ continere se debent.

SVMMARIVM.

4. *Tres modi recensentur, quibus reus in contumacia constituitur.*
5. *Si agatur contra electionẽ, obijciendo contra defectum formæ, aut vitium personæ, ea citari debet, si sciatur vbi sit. Quæ si designato termino non compareat per se, vel procuratorem, aut legitimi impedimenti excusatorem mittat, proceditur ad testium receptionem, & definitiuam.*
6. *Si mota actione contra electum, nesciatur, vbi sit, tum expectari debet regulariter per sex menses.*
7. *Si contra confirmatum, vel prouisum actio criminalis instituatur ad eius depositionem, etiam positâ contumaciâ, lite non contestata, procedi non potest ad testium receptionem.*
8. *Potest tamen ita procedi contra eum, si agatur ad illum amouendum, imò neque tunc, si non contumaciter, sed justa de causa absit.*

4 NOtandum. duo modi, quibus reus in cõtumaciâ constituitur, sunt, vti etiam indicatur *in c. 3. de dolo.* 1. Si citatione trinâ, aut vnâ, quæ vice trium citationum sit, ad judicium vocatus venire intermittat: alter, si se occultet, vagetur aut alia ratione impediat, quò minùs personaliter citari possit. Hoc casu locus est citationi per edictum ad domum rei vel ad valuas Ecclesiæ aut curiæ affixum, secundùm *gl. in cit. c. 3. verb. ad domum. Gail. lib. 1. obseru. 57.* his verò tertium modum cõtumaciæ addit *gl. in c. de illicita. 6. verb. peremptorio. 24. q. 3.* si citatus post primam citationem dicat se nolle venire, non esse iterùm citandum, cùm tum eius contumacia satis declarata sit. Pro declaratione textûs quæritur, quomodo procedendum sit, si institutâ actione aut querelâ contra electum vel confirmatum, is non compareat.

Resp. & Dico I. Si agatur contra electionem, obijciendo defectum formæ, aut vitium personæ, tum citari debet, si sciatur vbi sit, designato ei temporis termino, ad quem advenire possit: eo elapso, si non venit, nec procuratorem, aut legitimi impedimenti excusatorem misit, proceditur ad testium receptionem & definitiuam &c. Neque verò in his causis summariis, & quæ celeritatem desiderant, opus est trinâ citatione, cùm sufficiat vna, secundùm *gl. in Clement. Sæpe. verb. Citationem. de verb. signific. Lanfranc. de ordine judiciar. c. 1. n. 8.* quia trina citatio pertinet potiùs ad solennitatem & figuram, quæ in summariis prætermitti potest, consultum tamen est, vt judex in citatione protestetur, si Reus ad diem præfinitam non compareat, se nihilominus processurum, quia talis comminatio inducit peremptorium, *teste Lanfranco n. 9. ex l. peremptorio. ff. de judic. & c.* limitari debet assertio, si contra alicuius electionem, confirmationem aliámve prouisionem ad sedem Apostolicam appellatum sit, eo casu obseruari debet, quod præscribitur *cap. 1. & vlt. de elect. in 6. videatur Anchoranus, Colum. 2.* 5

Dico II. Si motâ actione contra electum, nesciatur ubi sit, tum expectari debet sex mensibus, ut in textu dicitur. Excipe nisi electus ad cathedralem, vel non cathedralem Apostolicæ Sedi immediatè subiectam, intra tempus trimestre, aut quod in *c. Cupientes. 16. de electione.* designatur, ad dictam Sedem pro confirmatione & jure electionis suæ defendendo venerit, aut justi impedimenti excusationem attulerit, electio ipso jure irrita est.

Dico III. Si contra confirmatum aut prouisum actio criminalis instituatur ad depositionem eius, tum posita etiam contumacia ante litem contestatam procedi non potest ad testium receptionem. *arg. cap. eod. tit.* vbi hoc idem dicitur de coniugio carnali, si agatur ad separationem tori.

Dico IV. Si contra confirmatum aut prouisum agatur ad amotionem eius, quia non canonicè institutus sit, v. g. per Simoniam: tum si Reus contumax sit, sed justa de causa

absens

absens v. g. Episcopus ab hæreticis eiectus extra Provinciam, expectari debet, donec de eius morte aut renuntiatione aut contumacia verisimiliter cognoscatur, aut præsumatur; ita colligitur ex his, quæ hîc, & in cit. cap. 1. dicuntur de carnali coniugio, si de eius fœdere & valore quæstio sit.

§. Sunt & alij.

PARAPHRASIS.

Alij etiam casus sunt, in quibus lite non contestatâ testes produci possunt; ut si inquisitio super crimine, aut publicatio testium fieri debeat.

SVMMARIVM.

1. *Si judex procedit ex officio per modum inquisitionis generalis, recipit testes ante litis contestationem.*
2. *Si inquisitione speciali citanda est pars, sed contra contumaciter absentem, eodem modo proceditur.*
3. *Etiam in contractibus & alijs negotijs recipi possunt testes ad perpetuam memoriam, lite non contestata, citatis tamen quorum interest.*

NOTA I. Si judex per modum inquisitionis ex officio procedat, non requiritur contestatio litis, ut testes recipi & audiri possint, uti tradit *gl. c. Cùm ij. de sent. & re judic.* Sed bene distinguit *gl. marginalis. 16. & Panorm. n. 4.* Vel judex generalem inquisitionem instituit, & opus non est litis contestatione, ut patet ex specialiter præcedente infamiâ alijsue indicijs sufficientibus: vel adversùs certam personam inquirit, & tunc ea citari debet; si compareat & neget delictum, tum judex procedet ad testium receptionem, quia lis quasi contestata censetur; Sed & tunc procedet, si Reus contumaciter se absentet, uti habetur in *c. Qualiter. 24. de accus.*

Nota II. Si quis timeat, ne super aliquo contractu, aut aliâ re gestâ controversia sibi moveatur, petere à judice potest, ut statim vocatis ijs, quorum interest, testes qui negotio interfuerunt audiantur, testimonia promulgentur & in publicum instrumentum redigantur ad perpetuam memoriam, *c. Significavit. 41. de testibus. & authent. de test. §. penult. Collat. 7.*

§. In alijs.

PARAPHRASIS.

Si Reus lite non contestatâ contumax sit, distinguendum videtur, num actio realis mota sit, an personalis; si realis, mittitur actor in possessionem rei petitæ custodiæ causâ, postea verò, si Reus intra annum compareat & cautionem præstet de parendo juri, & expensis restituendis; possessionem suam recuperat, sin minus, elapso illo anno actor verus possessor constituitur, neque auditur Reus nisi super proprietate.

Cæterùm si conventus actione reali, nomine alieno possideat, is mox in judicio cogetur Dominum nominare, cui postea denuntiandum erit certo temporis spatio constituto, intra quod per se vel per procuratorem in judicio respondere teneatur, quòd si is in comparendo contumax sit, tum ex eo die quo possessor ille in judicium vocatus erat, lis pro contestata haberi debet ad longi temporis præscriptionem interrumpendam, Dominum verò Judex tribus edictis advocabit, eóque in contumacia persistente, causâ summariè examinatâ, actorem in veram possessionem mittet, salvo interim judicio proprietatis.

Sin autem actio personalis instituta sit, & Reus contumax appareat, tum actor pro modo debiti mittitur in possessionem rerum mobilium, sin mobilia non habeat aut non sufficiant, etiam immobilium, vel judex contumaci inferet censuram Ecclesiasticam; ita tamen, ut in principio una tantùm harum pœnarum inferatur, crescente autem contumaciâ, altera quoque addatur, tum verò nihilominus si accesserit intra annum, vel post annum, fiet ei sicut suprà de Reo contumaci circa realem actionem dictum est.

SVMMARIVM.

1. *Si Reus, lite non contestata sit contumax, tunc in actione personali mittitur actor in possessionem rei petitæ, custodia causâ.*
2. *In actione personali mittitur pro modo debiti in primis in possessionem mobilium, deinde etiam immobilium, vel Reus afficitur censura Ecclesiasticâ.*
3. *Missus in possessionem per primum decretum, acquirit solam custodiam rei, non possessionem.*
4. *Differentia missionis in possessionem, ex actione reali, & ex actione personali, illa fit absolutè, hæc pro modo debiti.*
5. *In illa actor post elapsum anni sit verus possessor & lucratur fructus rei; non item in istâ, nisi interveniat secundum decretum Judicis.*
6. *Quod fieri debet cum cognitione causæ, saltem summariâ, & pro maiore vel minore probabilitate debiti.*
7. *Missus ex actione reali in possessionem, incipit post eam verè adeptam, usucapere rem ipsam, non item ex actione personali missus in eam, tantùm ut rem pignoris loco teneat.*
8. *Actionem tamen contra se de indebito instituendam elidit præscriptione 30. vel 40. annorum.*
9. *Si actio realis instituatur contra possidentem alieno nomine, tunc iste nominando Dominum, evitat judicium, nisi de ipsa possessione agatur.*
10. *Quod si conventus possessor sit laicus, & Dominus rei sit clericus, non tenetur iste coram sæculari judice illius, se sistere,*
11. *Sicut tamen tenetur, si emptorem laicum velit contra evictionem defendere.*

NOtabis I. Ex Missione in possessionem per primum decretum ob contumaciam Rei, actor non acquirit veram rei possessionem, sed solam custodiam ac detentionem. *cap. 10. De eo, qui mittitur in possess.* quare nec fructus rei detentæ lucratur, nec alia possessionis commoda habet. *l. Fulcinius, 7. ff. Ex quibus causis in possessionem eatur.* Discrimina tamen sunt inter actionem realem & personalem. 1. Intentatâ reali actione, actor ob contumaciam Rei, absolutè mittitur in possessionem rei petitæ, sed in personali pro modo seu quantitate debiti, primum in detentione mobilium, si illa non sufficiant etiam immobilium, sicuti hoc ipsum observari solet, si ad executionem rei judicalæ pignora distrahi debeant. *l. à Divo. 15. §. In venditione. ff. de rejudicata.* 2. Elapso anno post decretam Missionem, si Reus non compareat caveátque, Actor fit verus possessor, ita ut fructus rei lucretur, quin imò etiam ante lapsum anni, vel in primo statim decreto; si nimia appareat Rei contumacia, potest judex actori plenam possessionem unà cum commodis eius tradere. *cit. l. Fulcinius. §. ult.* Postea autem si Reus compareat, & petitorium intentet, priusquam contra ipsum præscriptum sit, onus probandi incumbet Reo, quod antea incumbebat Actori: at verò personali actione actor missus in custodiam, non acquirit veram possessionem, nec fructus lucratur, nisi interveniat secundum decretum judicis, quod ordinariè post anni lapsum, interdum citiùs aut seriùs, spectatâ qualitate causæ, & gravitate contumaciæ interponitur. Fieri autem debet secundum decretum præcedente causæ cognitione (juxta authent. *Et qui jurat. C. De bon. autoritate judic. possid.*) saltem summariâ, per quam judex animum aliquo modo informare possit de vero debito, & secundùm maiorem vel minorem probabilitatem formabit decretum, ut explicat *gl. final. & Panorm. n. 36. hic.* interdum verò si actor debitum plenè demonstrâsse videatur, res ei in solutum dabitur, vel factâ venditione pretium adiudicabitur, ita ut Reus contumax omnino excluſus sit, interdum verò ita ipsi res adjudicabitur, ut pignoris loco teneat, donec Reus veniens ostenderit indebitum, seu nihil à se debitum esse, & ita Reus si postea compareat, fiet actor sustinens onus probandi. Exinde 3. oritur discrimen, nam in actione reali actor missus in possessionem, postquam verus possessor constitutus est, rem usurpare incipit, quia bonâ fide ut suam possidere præsumitur, secundùm *gl. hic, verb. reservatâ.* Sed missus in

in pos-

possessionem ex actione personali, ut pignoris loco teneat, usucapere non potest, cùm non ut sua teneat, uti annotavit *gl. fin. hîc.* Veruntamen si per 30. annos debitor non compareat, ad ostendendum indebitum, tum cadit jure suo, cùm omnis actio longissimi temporis præscriptione tollatur. *l. 3. C. de præscriptione 30. vel 40. annorum.*

Nota II. Qui non suo sed alieno nomine rem possidet ut depositarius, commodatarius, colonus, creditor tenens rem in pignus, si reali actione conveniatur, Dominum, seu eum ad quem respertinet nominando judicium evitat. Excipe si non de ipsa re secundùm se, sed de jure pignoris v. g. agatur, quia actor dicit se priorem potioremque hypothecam habere, hoc casu ipsemet creditor se defendere debet, quemadmodum & in emphyteuta, si de emphyteusi, adeóque proprio eius jure agatur, si tamen præiudicium etiam Domini vertatur, tum is vocari debet. Videatur *Panorm. hîc. n. 23.*

Restat quæstio. Si Clericus suum aut Ecclesiæ prædium locavit agricolæ, & aliquis illud ut suum vendicare velit, colonus autem laicus denuntiet hoc Clerico locatori, utrùm is teneatur se sistere coram judice sæculari ipsius coloni. Resp. Negativè, cum *Joan. Andrea* hîc & *Imol. colum. 2.* Quia judicium, cum colono, qui nominando Dominum declinatoriam excepionem opponit, nondum cẽsetur cœptum esse, quare novus libellus offerri debet clerico Domino apud suum judicem, videlicet Ecclesiasticum. Sed alia ratio est, si Clericus prædium laico vendiderit, quod postea tertius tanquam suum vendicet, nam hoc casu actio mota est contra emptorem laicum, quem si defendere velit Clericus venditor, ne ille evincatur, coram judice Rei id agere debet, cuius causâ directè ac principaliter agitur, quæ est mens glossæ in *cap. Clericum. 17. 9. q. 1. Panorm. hîc. n. 28.*

TITVLVS VII.

DE JURAMENTO CALUMNIÆ.

POst litis contestationem, proximum est, ut juramentum de Calumnia (supple, non inferenda) præstetur, uti colligitur ex *c. 1. & penult. h. tit. & lib. 2. Cod. tit. 59.* Ubi dicitur jusjurandum propter Calumniam (supple vitandam) quo sensu & Apostolus dixit. *1. Cor. 7. Propter fornicationem autem* (evitandam) *vnusquisque suam vxorem habeat*, id est, secum habeat, & non se separet.

CAPITVLVM I.

Inhærentes.

PARAPHRASIS.

Quæstio exorta erat, utrùm Clerici in judicio jurare debeant, quam Honorius II. ait inter graviores causas numerãdam, & ideò ab ipsomet Pontifice decidendam esse. Ex una parte in Cæsareo Cod. à Martiano Imp. cautum reperitur, ut Clericus in judicio Iusjurandum non præstet. *l. Quod Clericis. 25. Verb. quod si lis C. de Episc. & Cleric.* sed alibi, videl. in authent. *Principales. C. de juramen.* propter Calumniam Iust. Imperat. jubet, ut principales personæ in litis exordio juramentum præstent, quamobrem quibusdam visum est, Martiani rescriptum speciale censendum esse, quia non ad omnes clericos, sed solùm ad Constantinopolitanos emanavit. Sed ait Honorius II. Henricum Imperatorem rectè interpretatum fuisse: quam interpretationem ipse quoque suâ authoritate corroborat, videlicet, decretum illud Martianum, ad universum

versum Clerum pertinere, cùm enim Iustinianus dixerit, quòd Canones vim legum obtinere debeant, *authent. de Eccles. fiast. titulis in princip. junct. gl. Collat. 9.* at verò factis Canonibus statutum reperiatur, ut Clerici omnino jurare non debeant; ita directè infertur, quòd totus ordo Clericalis à juramento calumniæ immunis sit; tenor autem constitutionis Henrici Imperatoris est iste: Definimus: ut nec Episcopus, nec Presbyter, nec cujuscunque Ordinis Clericus, nec Abbas, nec Monachus nec Sanctimonialis, in quacunque controversia, seu criminali seu civili jusjurandum subire compellatur, sed alijs idoneis defensoribus (seu Syndicis) si Ecclesiæ suæ expedire judicaverint, huiusmodi jurandi officium delegare liceat. Adhibet verò moderationem Pontifex, quòd Episcopum jurare non oporteret, nisi ei Papa licentiam dederit, alios verò Clericos jurare non posse, nisi Prælatus eorum consenserit.

SUMMARIUM.

1. *Quæstiones de Iuribus, obligationibus & immunitatibus Clericorum definire, spectat ad Pontificem.*
2. *Iuramentum Calumniæ ordinariè statim post litis contestationem fit.*
3. *Quandoque etiam ante, & qua in hoc differentia.*
4. *Rescriptum Principis maximè favorabile ab una persona vel communitate extendi debet ad aliam similem, nisi ex speciali causa prodijt.*
5. *Nomine Clericorum intelliguntur etiam religiosi in favorabilibus.*
6. *Iuramentum Calumniæ quid sit, & quid involvat?*
7. *Clericis non est absolutè prohibitum jurare.*
8. *Episcopi tamen & Presbyteri non facilè debent jurare.*
9. *Nullus autem Clericus privilegio fori gaudens debet sine Prælati sui licentia juramentum præstare coram judice laico; quamvis possit extra judicium, v. g. in contractu, & coram Iudice Ecclesiastico etiam debeat.*
10. *Apud judicem Laicum interponit juramenti loco suam fidem & ordinem suorum; vel si per procuratorem agit, jurat etiam per illum, & quanam ratione?*

NOTA I. Si de juribus, obligationibus, aut immunitatibus ordinis Clericalis quæstio oriatur, ad Pontificem pertinet definire.

Nota II. Juramentum Calumniæ in Principio litis præstandum est, videlicet post litis contestationē antequam positiones ab actore afferuntur. *Authent. Hoc Sacramentum C. de Iureiur. propt. Calum. dando.* Quare dicunt DD. quòd positiones medio juramento, seu juratò judici exhiberi debent, & similiter responsiones Rei tanquam informatas juramento fieri oportet. Qua de re *Gailius l. 1. observ. 19. num. 10.* Verumtamen, si talis ordo non observetur, ut videlicet juramentum Calumniæ post positiones edatur, non ideò vitiatur processus, uti constat ex *cap. 1. h. t. in 6.* & notat *gl. in c. 2. Not. 1. de Confessis. in 6.* Cæterùm etiam ante litis contestationem, si Reus exceptionem dilatoriam opponat, juramentum de Calumnia exigitur, videlicet ut juret, quòd non subterfugiendi causâ excipiat, sed putans se justam causam habere, uti docet Tancredus *lib. 3. t. 2. §. 3.* & sumitur ex *c. Literas. 13. verb. propterea. de restitut. spol.* Verùm in eo differt juramentum, quod ante litis contestationem præstatur, ab eo quod postquam illud specificè fit super una v. g. exceptione, quæ lite nondum contestata probanda est, hoc autem fit super totâ causa seu controversia. Verumtamen etiam in litis progressu, quoties judici videbitur, juramentum malitiæ exigi poterit, videlicet, quòd non malitiosè petatur dilatio, aut proponatur exceptio. *c. 2. §. ult. junct. gl. h. t. in 6.*

Nota III. Rescriptum Principis præsertim favorabile, datum ad certam personam aut communitatem extendi etiam debet ad alias similes, seu quæ eiusdem generis ac juris sunt, nisi appareat ex speciali causa aut favore

favore prodijsse, ita docent *DD. inl. 1. ff. de Constitut. Princ.*

Nota IV. Nomine Clericorum in materia favorabili comprehenduntur etiam religiosi, ita sumitur ex h. c. quia Constitutio Gratiani, quòd Clerici ad jurandum in judicio compelli non debeant, Henricus Imperator, & post eum Honorius II. interpretantur etiam de Religiosis utriusq; sexûs. pro majori intellectu,

Quæritur I. Quid sit Juramentum de Calumnia. Resp. Cùm actor jurat, non calumniandi animo se litem movere, sed existimando se habere bonam causam, & vicissim Reus, quòd resistat Actori, existimando se jus habere *l. 2. C. h. t junct. Authent.* alia quędam huic juramento annectuntur, & Glossa his versibus comprehendit:

Illud juretur, quòd lis sibi justa videtur,
Et si quæretur, verum non inficietur.
Nil promittetur (pro victoria litis) *nec falsa probatio detur,*
Vt lis tardetur dilatio nulla petetur.

Quæritur II. Vtrùm Clericis jurare prohibitum sit?

Resp. & Dico I. Absolutè loquendo, non est eis prohibitum juramentum, cùm sit actus bonus & Religiosus, si tres Comites habeat, Veritatem, Justitiam & Judicium. *cap. Etsi Christus. 26. de jureiurando.*

Dico II. Episcopi & Presbyteri, facili de causa jurare non debent, sed si maior aliqua necessitas postulet. ita *S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 10.* & habetur *in c. 4. cit. q. 5.*

Dico III. Clerici qui fori priuilegio gaudent, non debent absque Ecclesiastici Prælati licentia juramentum præstare coram judice laico, ita habetur *in c. penult. 22. q. 5.* Nec desunt, qui existimant, id solùm hoc capitulo vetari, ne Clerici coram judice seculari litigantes, ad jurandum in propria persona compellantur, uti videre est apud *Innoc. hîc, & Siluest. verb. juramentum. 2. q. 9.* nam juramentum judiciale, est coactiuum & necessariũ, quod cum auctoritate judicis partibus imponitur, non est autem conueniens, vt laicus sibi in Clericos autoritatem vsurpet sine consensu Prælati, vti tradit *glan cit. c. penult. Verb. Laico.* At verò in contractibus cum laico institutis, nihil vetat Clericum jurare. *arg. c. 2. de fideiussor.* Cùm tale juramentum voluntarium sit, vt *Innoc. hîc notauit n. 2.*

Dico IV. Certum est, quòd Clerici in judicio Ecclesiastico, exigente superiore suo juramentum calumniæ, & similia judicialia præstare debent, vti constat ex *cap. In pertractand. & c. Cæterùm. h. t.* Sin verò coram Prælato non suo litem habeant, videntur indigere Ordinarij sui licentiâ, ad jurandum de Calumnia. *Arg. h. c.* & habetur expressiùs *in Concil Lateran. sub Alexandro III. in appendic. vbi de juramento Calumniæ.* Verùm id in plerisq; Ecclesiis nõ obseruatur, sed indifferenter ab omnibus in foro Ecclesiastico litigantibus juramentum calumnię exigitur.

Dices, æqualis vtriusque litigantis conditio esse debet; si itaque laicus Reus coram judice seculari de calumnia jurare cogitur, sequitur quòd & Actor Clericus similiter jurare debeat. Resp. Huic rei duobus remediis succurri posse. 1. Vt à Sacerdotibus aliisque personis sacris in judicio seculari personaliter agentibus, fides seu sponsio petatur, **Bey jhren Geistlichen Ehren vnd Würden**/juxta *cit. cap. Si quis Presbyter.* Vbi apertè significatur, talem fidei interpositionem non esse juramentum, quamuis non minùs à talibus excellentibus personis obseruari debeat, quàm alij juramenta sua obseruant. 2. Vt per procuratorem in judicio agant, tunc verò distinguendum est, num Ecclesiæ causa agatur, an propria ipsius Clerici, si primum, necesse non est, vt ipse Clericus v.g. Abbas Monasterij juret, sufficit si Syndicus vel Procurator Ecclesiæ generaliter constitutus, juramentum calumniæ præstet, vti habetur *in c. Imperatorum, & c. vlt. h. t.* Sin autem secundum, tum Clericus Procuratorem constituere potest cum speciali mandato jurandi in animam etiam ipsius constituẽtis, juxta *cap. vlt. h. t. in 6.* Id enim minùs indecens censetur, vt Clericus per aliam personam juret, quàm si ipsemet coram judice sæculari juramentum præstet, vt hîc obseruat *Panorm. n. 20.*

CAPITVLVM II.

Literas.

PARAPHRASIS.

In causis beneficialibus, decimalibus, & aliis spiritualibus, de Calumnia jurari non solet. quia tales causæ non secundùm legum rigorem, sed æquitate canonica discuti & definiri solent, at enim in sacris Canonibus non reperitur præceptum, sed nec Ecclesiæ consuetudine receptum, vt in eiusmodi causis de Calumnia juretur.

SVMMARIVM.

1. *In causis spiritualibus olim tantum juramentum de veritate præstabatur.*
2. *Postea autem constitutum fuit, vt in illis etiam præstaretur juramentum Calumniæ.*
3. *Illud non tantùm ad ea, quæ jurans scit esse vera, sed etiam ad ea, quæ credit esse vera se extendit, adeóque in hoc non verè distinguitur à juramento calumniæ.*

NOtandum vnicum. Tempore Honorij II. in causis spiritualibus non rejiciebatur juramentum propter calumniam, sed tantùm de veritate dicenda. *c. Dudum. 54. de Elect.* Rationem dare debemus, quia causæ spirituales, cùm propriè Ecclesiasticæ sint, quàm fieri potest simpliciter, & non secundùm legum solemnitates tractandæ sunt; juramentum autem de veritate longè simplicius est, & antiquius, quippe id solùm complectens, quòd jurans vera dicere velit; At verò juramentum calumniæ plura alia capitula ex legum inventione complectitur, & hoc potissimum, quòd actor existimet se bonam causam habere; Reus autem, se jure resistere. Id verò longè plus, & implicatius quid est, quàm si simpliciter aliquis juret, quòd verum dicere velit, cùm fieri etiam possit, vt dum vera allegat, tamen indebita petat, atque ob Judicis vel adversarij simplicitatem consequatur. Accedit, quòd non deceat Clericos præsertim in spiritualibus causis juramenta multiplicare, quandoquidem in personis sacratis suspicio fraudis abesse debet, ideóque etiam non jurantibus fides habenda sit, quare *Innoc. hîc n. 2.* ait, non in omnibus spiritualibus causis olim de veritate juratum fuisse, sed si ob aliquam causam judici visum fuit necessarium. Verumtamen quia temporis progressu, crescente hominum cupiditate animadversum fuit, quòd etiam in spiritualibus causis, aliqui calumniandi animo litem mouerent, constitutum fuit, vt in his quoq; de calumnia juramentũ edatur, sicut & de veritate dicendâ. *Cap. 1. §. vlt. h. t. in 6. Clem. sæpe. de verb. signif.*

Quæritur, vtrùm vera sit doctrina *Innoc. III. hîc n. 1. Durandi in speculo. h. t. Bald. in l. 2. §. quod observari. C. h. t.* Juramentum Calumniæ etiam in eo differre à juramento veritatis, quòd hoc comprehendat tantùm scientiam, videl. quòd jurans dicere velit, quæ vera esse scit; sed juramentum Calumniæ comprehendat etiam credulitatem, quòd jurans dicere velit, quæ vera esse scit aut credit, seu putat. Resp. Licet hæc doctrina communis sit, arbitror tamen paruæ esse vtilitatis, constat enim, quòd tum Actor tum Reus non de omnibus articulis exactam scientiam habere possit, sed frequenter opinionem tantùm seu credulitatem; tum verò si vel suo motu, vel judice interrogante dicat ita esse, profectò veritatem dicit, si credit ita esse; falsitatem autem, si non credit ita esse; consequenter juramentum de veritate dicenda etiam ad credulitatem se extendit, vti docet *Io. de Lignano apud Panorm. n. 12.* Consultius tamen est, vt judex exprimat & petat jurari, quòd jurans vera dicere velit, aut quæ vera credit, secundùm doctrinam *Hostiensis, apud Anchar. cit. § vlt.*

CAPITVLVM III.

In pertractandis.

PARAPHRASIS.

Juramentum Calumniæ non semper Principales personæ præstant, at interdum Syndici seu Oeconomi, qui in animam suam jurant, dummodo causæ & negotij ignari non sint.

SVM-

SVMVMARIVM.

1. *Syndicus generaliter constitutus ipse jurat in judicio de calumnia in animam suam, sicut & alij habentes legitimam administrationem.*
2. *Nisi minor v. g. habeat personam standi in judicio,*
3. *Vel nisi eiusmodi Syndicus & Administrator non sit satis instructus in causa.*
4. *Principalis orari potest ad jurandum de calumnia, si melius nouit justitiam causæ, quàm Administrator; & ad jurandum tantùm de veritate dicenda, si melius novit, ea quæ sunt facti.*
5. *Prælatus debet jurare in animam conuentûs, quando solus non potest præiudicare Ecclesiæ.*
6. *Principalis non habens personam standi in judicio, etsi justitiam causæ melius nôrit, non tamen vocatur ad jurandum de veritate, nisi etiam melius nôrit, quæ sunt facti.*

NOta I. Syndicus Ecclesiæ, & cuiusque Vniuersitatis, si generaliter ad quaslibet causas constitutus sit, agens in judicio nomine Vniuersitatis, ipsemet jurat de calumnia, ita habetur *in Authent. Principales. h.t. §. Quomodo observari.* Vbi idem dicitur de omnibus legitimam administrationem habentibus, seu à lege, seu à judice concessam, quales sunt tutor, curator Orphanorum, aut hospitalis præfectus, Pater in bonis adventitiis filijfamilias, eóque casu necesse non est, vt persona principalis juret, vti colligitur ex *cit. Authent.* & ex communi docet *Dur. in speculo h.t. § Restat. n. 2.*

Excipi debet 1. Si Minor personam standi in judicio habeat, v.g. in causis spiritualibus. Item filiusfamilias in causis Castrensibus, tum ipsimet per se, vel per Procuratorem in animam jurare suam de Calumnia debent; vti notauit *Bart. in cit. §. n. 16. & 17.*

Excipi debet 2. Si Syndicus, Curator, aliúsve Administrator, causæ statum satis cognitum non habeat, tunc admitti non debet ad litis contestationem, multò minùs ad juramentum calumniæ, priusquam instructus sit, idque obseruandum esse monet hîc *Innocentius, & Panorm. n. 2.* contra eos qui mittunt Syndicos aut Procuratores in judicium non instructos in causa, ajúntque, aduersario expensas restituendas esse, si idcirco majores facere debuit. His adde, si persona Principalis causam meliùs nôsse censeatur, quàm Syndicus, vel Administrator; tum distinguendum est, num justitiam causæ meliùs nouerit, & insuper in judicio stare possit, tunc vocari potest, vt de Calumnia juret, v. g. Prælatus Monasterij, si in causa graui coram Judice Ecclesiastico litigat. *Arg. l. vlt. C. de Procurator.* Videatur *Dur. in cit. §. Restat. num. 2.* an verò justitiam causæ non satis cognouisse videatur, sed tantùm ea quæ facti sunt, meliùs nouisse, vt persona indiscreta, minor, prodigus; tum à judice vocari potest, vt juramentum de veritate præstet antequam ad positiones & judicis interrogationes respondeat; vti docet *Bart. n. 10. Panorm. in cap. penult. n. 11. h.t. Io. Andr. in c. 3. in fin. h.t. in 6.* Idémque dicendum est, si causæ justitiam cognitam habeat, sed non multo meliùs, quàm Syndicus, quippe in quo nullus defectus apparet, tunc si quæ facti sunt meliùs cognoscat Abbas, vocari potest ad præstandum juramentum de veritate dicenda, vti docet *Dur. loco cit. Argum. l. Municipes. 14. ff. ad Municipalem*, vbi dicitur, quòd tales Prælati Communitatis plerumque meliùs sciant veritatem. Adde huc. *c. 2. De testibus in 6.* Vbi dicitur, quòd Prælatus etiam jurare cogendus sit in animam conventûs, aut maioris partis, si nimirum talis causa sit, vt solus agendo præiudicare Ecclesiæ non possit, vti *gl. ibidem monet. Not. 2.*

Denique, & si justitiam causæ meliùs nouisse censeatur Principalis, quàm Administrator, si tamen personam standi in judicio non habeat, v. g. filiusfamilias, adultus vocari non potest, nisi vt juret de veritate, si in facto meliùs instructus sit, vti docet *Bartol. cit. loco.*

CAPITVLVM IV.

Imperatorum.

PARAPHRASIS.

Cùm intellexisset Eugenius Papa quòd ab

bate & Fratribus Clareuallis iuramentum Calumniæ ſicuti ab aliis in judicio contendentibus exigeretur, Reſpondit: Ad id eos ſecundùm Imperiales & Canonicas ſanctiones cogi non oportere, verumtamen ne ob id, quòd jurare nolunt, ipſi aliena jura illicitè detinere videantur, vel ne tanquam cauſam iniquam foueant, à judice pro confeſſis habeantur & condemnentur; præcipit Pontifex, vt in Monaſterio ipſorum idoneus Syndicus conſtituatur, qui pro juribus in judicio agat ac defendat, & cùm neceſſe erit, de Calumnia juret.

SVMMARIVM.

1. *Abbas, vti & Conuentus poteſt juramentum Calumniæ præſtare per Syndicum in animā ſuam jurantem. Imò & per ſe,*
2. *Et per Procuratorem ſpecialem jurantem in animam Abbatis vel Conuentûs. Idem eſt de aliis Vniverſitatibus & Collegiis.*
3. *Decens tamen eſt, vt Prælati propterea conſtituant Syndicum, poſſúntque etiam ad hoc cogi.*

1 NOta I. Abbas & Conventus cogi non poſſunt, vt ipſimet in judicio jurent de Calumnia, ſed poſſunt mittere Syndicum, qui in animam ſuam juret, modò idoneus ſit, & cauſæ ſtatum perſpectum habeat. Verumtamen non prohibetur Prælatus ipſemet jurare, ſi videlicet in judicio perſonaliter compareat, vel Procuratorem ſeu Actorem ſpecialem mittat, is enim in animam Prælati jurabit, quin & in animas conventûs aut maioris ſeu principalioris partis, ſi talis cauſa ſit (videlicet ardua aut præiudicialis conventui) quam Prælatus ſolus, ſeu ſine Conventu agere aut defendere non poſſit, ſed debet Actor ſeu Procurator ſpecialis, habere mandatum ſpeciale de juramento in animas alienas, vt infrà patebit, & quod dictum eſt de Monaſterio, intelligi etiam debet de aliis Univerſitatibus aut Collegiis, ſi Syndicum ſeu Actorem generalem habeant, quod eius juramentum in propriam animam ſufficiat, ſin autem non habeant, tum principaliores univerſitatis. v. g. Conſul & Senatores per ſe vel per Procuratorem ſpecialem jurare debent in proprias animas. Videatur *Panorm. n. 5.* Et propter hoc ipſum vitandum incommodum, ne videlicet multi jurare cogantur, cuiuſdam priuilegij loco conceſſum univerſitatibus, vt Syndici in judicio agentis juramentum ſufficiat; quare valde decet, vt Prælati Eccleſiarum præſertim Regularium Syndicum habeant, atque ad hunc conſtituendum, ſi facultates ſuppetant, & non rarò litigare debeant, etiam cogi poſſunt à Superioribus. *Cap. vnic. de Syndico.*

CAPITVLVM V.

Cæterùm.

PARAPHRASIS.

Si Clerici coram judice ſuo Eccleſiaſtico litigent, compelli debent ad juramentum propter calumniam vtrinque præſtandum, non obſtante contrariâ conſuetudine.

SVMMARIVM.

1. *Actor & Reus tenentur præſtare juramentum Calumniæ.*
2. *Id vt omittatur, an & quomodo conſuetudine introduci poſſit.*

NOta I. Non tantùm Actor de Calumnia jurare debet, ſed etiam Reus, priùs autem ille, qui ad litem prouocauit. 1

Nota II. Conſuetudo, vt partes de Calumnia non jurent, non poteſt prævalere adversùs legem, quod intellige, ſi occaſione talis conſuetudinis appareat veritatem occultari, & viam calumniis patere, eſſet enim irrationabilis conſuetudo, & bonis moribus repugnans, ſin autem ob hominum alicuius Regionis probitatem & fidelitatem ſimplex, non calum- 2

lumniandi promissio, aut juramentum de veritate sufficere videatur, præsertim in causis non arduis, tum consuetudine præsertim immemoriali, *l. De juram. Calumn.* abrogari potest. *cap. vlt. de Consuetud.* Potest etiam aliter explicari hoc capitulum, nimirum non posse per consuetudinem introduci, vt judice vel ad instantiam partis, vel ex officio, juramentum Calumniæ exigente, ob causam quæ ipsi justa visa est, recusari queat, potest tamen per consuetudinem introduci, vt si pars non exigat, judex ordinariè hoc juramentum non deferat. *Argum. cap. 1. loco citato in 6.*

CAPITVLVM VI.

Cùm Causa.

PARAPHRASIS.

Controversia erat inter Archiepiscopum Ravennatensem & Commune Faventinum, quam Innocent. III. quibusdam judicibus delegârat, qui cùm in negotio procedere cunctarentur, causam avocauit, & partibus contendentibus mandauit, vt apud Sedem Apostolicam comparerent, cùm itaque Procuratores partis vtriusque, cum mandatis de rato adessent, jussit Pontifex petitionem Archiepiscopi per Procuratorem eius exhiberi alteri parti, ad eámque responderi, atque factis quibusdam interrogationibus ac responsionibus, jisque in scriptum redactis, adeóque lite coram Pontifice plenissimè contestatâ, à Procuratoribus Calumniæ juramentum vtrinque exigi.

SVMMARIVM.

1. *Delegans potest, non tamen solet facilè à delegato avocare causam.*
2. *Syndicus etiam vocari potest Procurator.*
3. *Vt interrogationes Rei fiant, potest Actor petere ante libelli oblationem.*
4. *Et adhuc etiam post contestatam litem.*

NOta I. Si judices delegati causam expedire recusent, justa adest ratio, vt delegans illam ad se revocet, vel aliis committat, at verò sine causa quamuis possit Superior, non tamen facilè solet causam delegatam revocare. Vt dixi *tit. de Offic. delegat.*

Nota II. Syndicus Universitatis, vocari etiam potest, Procurator, ita sumitur ex textu. Nam Procuratores istos non fuisse specialiter constitutos ad illam causam, sed generaliter ad omnes causas, tum Archiepiscopatûs tum Communitatis Faventinæ, adeóque fuisse Syndicos exinde colligitur, quia juramentum eorum, in propriam animam partibus principalibus absentibus tanquam sufficiens receptum fuit. Videatur *Cap. Petitio vestra. 9. De Procuratoribus.*

Nota III. Actor pro plena libelli formatione & actionis expressione ante litem contestatam petere potest, vt per Iudicis officium Reus interrogetur de aliquo facto, v. g. vtrùm pro hærede defuncti se gerat, & ex quotâ parte hæres sit? Ita *glossa hîc, verb. Interrogationibus.* Porrò consultum esse monet *Panorm. hîc n. 19.* vt Actor ante libelli oblationem petat interrogationem formari, v. g. Num Reus conventus possideat, vt sciat Actor qualem actionem edere debeat, non prohiberur tamen etiam post libellum oblatum petere vt Reus interrogetur, imò etiam post litis contestationem, uti docet *glossa in l. Qui petitorio. 27. ff. De Rei Vind.* vel quia dubium ad causæ decisionem postea emergit, vt docet *Durandus de Positionibus. §. 4. n. 3.* vbi bene addit, quòd judex etiam postquam in causa concluſum fuit, ex officio partes interrogare possit, si dubium occurrat super actis antecedentibus, de quo informari debeat, ad sententiam justè ferendam. Ita habetur expressè *in cap. Cùm Ioannes. 10. De fide Instrumentorum.*

CAPITVLVM. VLT.

Cùm in causa.

PARAPHRASIS.

Cùm Episcopus Beluacensis controuersiam pecuniariam haberet cum Rabano, dubitabat an juramentum calumniæ in judicio edere deberet, ad id respondit Gregor. IX. Si per se ipsum in judicio litigaturus sit, quòd jurare teneatur, non tactis sed propositis tantùm Sacris Evangeliis; sin autem per Syndicum seu Actorem litigare maluerit, per ipsum præstari juramentum sufficiat.

SVMMARIVM.

1. *Quamuis magis deceat ab Episcopis & Prælatis Ecclesiasticis Syndicos mitti, qui personaliter eorum nomine agant, & de Calumnia jurent, si tamen per se litigent in judicio, juramentum calumniæ personaliter edere tenentur.*
2. *Non quidem tactis Evangeliis, sed his tantum propositis: nec propriè jurando, sed promissionem faciendo per sanctam suam consecrationem, nisi causæ essent graviores.*
3. *Actor litigans si de Calumnia jurare nolit, causa cadit: Reus verò nolens hoc juramentum deponere, pro confesso habetur; ita tamen vt vtrobique, judicis sententia interuenire debeat.*
4. *Ecclesiæ tamen, vniuersitati aut pupillo &c. non nocet si Prælatus, Syndicus, tutor vel procurator &c. juramentum Calumniæ præstare nolit.*
5. *Hæres partis litigantis, quæ jurare de Calumnia noluit, & ante sententiam declaratoriam, aut condemnatoriam mortua est, non prohibetur præstito calumniæ juramento causam prosequi.*

1 NOta I. Si Episcopus aliúsve Prælatus per se litiget in judicio, etiam in causa Ecclesiæ (qualis hæc fuisse videtur) juramẽtum calumniæ personaliter edere debet, sed quia id non satis decens est, ideò Syndicum mittere deberet, *iuxta cap. vlt. 5. q. 3. junct. gl.* quemadmodum simili ratione statuitur *in l. penult. junct. Authent. hoc jus. C. De Procurator.* Vt personæ Illustres non per se, sed per Procuratorem in judicio litigent, eam etiam maximè ob causam, quia Actor & Reus stare debent coram judice sedente, tales autem personas illustres, multóque magis Episcopos, sedere, non stare oportet; quamobrem contradictio quædam hinc oritur iuxta *Authent. Vt ab Illustribus. Collat. 5.* Ceterùm in causa Criminali, Episcopi & Personæ Illustres per se comparere atq; stare debent coram Principe vel delegato eius. Vide quæ diximus *cap. 1. sub finem. & c. Imperat. hoc tit.*

Nota II. Si Episcopus per se litiget, de ca- 2
lumnia jurare debet Evangeliis non tactis, sed tantùm propositis. Existimo autem, non esse hîc sermonem de propriè dicto juramento, sed promissione per sanctam Consecrationem, uti colligitur ex *cap. 4. Si quis Presbyter. 2. q. 4.* talis enim fides, seu data sponsio, à Sacerdote instar juramenti esse debet. Verumtamen in causis grauibus etiam Presbyter & Episcopus jurare tenentur, & quidem tactis Evangeliis, sicuti alij juramenta edunt, uti hîc docet *Panorm. n. 6.*

§. Pœna.

Si alter litigantium de Calumnia jurare 3
recuset, pœna hæc est, vt si actor sit, actione suâ cadat, sin Reus, habeatur pro Confesso; idem habetur suprà in *cap. Imperatorum*, & *in l. 2. §. Quòd si Actor juncta Auth. Principales. verb. Si quis autem. C. eod. t.* Vbi significatur, tametsi hæc pœna ipso jure decreta sit, opus tamen esse sententiâ judicis, per quam Reus Actore recusante juramentum, absoluatur, vel si Reus jurare nolit, tanquã confessus condemnetur Actori ad præstandum id, super quo lis contestata est, vti *gl. hîc* monet, *Verb. Pœna. Gail l. 1. obseru. 86.* Vbi rectè addit, moram & contumaciam purgari posse, si pars litigans se offerat ad jurandum, antequam sententia seu declaratoria incur-

incursæ pœnæ, seu absolutoria aut condemnatoria super quæstione principali à judice, lata sit. *Arg. l. & si post tres, 8. ff. Si quis cautionibus.*

Quæstio est, si Ecclesiæ Syndicus, Tutor, Prælatus, aliúsve Administrator, juramentum calumniæ præstare recuset, vtrùm id noceat, Ecclesiæ, vniuersitati, pupillo, ita vt causâ cadere debeat; Videtur esse affirmandum, *1. ex cap. Imperatorum. cit. 2.* quia confessio expressa tutoris v. g. nocet pupillo, vti docet *Bartol. in l. 2. §. Quod obseruari. n. 6. C. h. t. ex l. Quoties. 9. §. Sicut. ff. De administratione Tutorum*, ergo etiam confessio tacita, seu jure præsumpta.

4 Sed contrarium dicendum est cum *Dur. h. t. §. vlt. n. 4. Panorm. hîc. n. 21.* Nam hæc est pœna requirens delictum, at verò delictum administratoris non debet redundare in detrimentum alterius, cuius causa agitur & consentit *lex vnica. ff. Si quis jus dicenti.* vbi ita legitur: Si Procurator tuus, vel Tutor, vel Curator jus dicenti nō obtemperauerit, hoc edicto ipse punitur, non Dominus, aut pupillus, ratio dari debet, quia Dominus seu Principalis nō censetur mandâsse delictum. Quare hæc responsio locum etiam habet in Procuratore, vt si ipse post litem contestatam in propriam animam jurare recuset à judice puniri debeat, non autem pro confesso haberi in præiudicium Domini, qua de re *Gail. l. 1. obseru. 89.* ad Capitulum *Imperatorum.* Resp. ibi sermonem esse in casu, si tam Prælatus, quàm Conventus intermittant in judicio præstare juramentum, cùm de jure deberent, talis enim culpabilis omissio aut cunctatio, ut & alia delicta totius Corporis seu Collegij, nocent Ecclesiæ. Ad alterum concesso antecedente, negatur consequens, quia confessio tacita juris fictione hic introducitur in pœnam delicti, delictum autem personæ non debet in Ecclesiæ alteriusve universitatis aut pupilli detrimentum redundare. *Reg. 7. juris, in 6.* Ex quo obiter colligitur limitatio ad Regulam, quòd exexpressi & taciti eadem vis sit, videlicet non habere locum, si consensus tacitus non sit ex natura actûs, sed à jure præsumptus in pœnam.

Denique ex dictis, sequitur, si pars litigans 5
quæ jurare recusauit, ante judicis sentētiam declaratoriam aut condemnatoriam mortua sit, quòd hæres eius causam prosequi non prohibetur, præstito priùs calumniæ juramento. Ita *Gail. l. 1. obseru. 86 n. 7.* Quia pœna legis ob contumaciam incursa, ad hæredem non transit. *l. Eius. 29. ff. De jure fisci*; accedit huc, quòd juramentum calumniæ licet præstitum sit à defuncto, tamen iterum præstari debeat ab hærede litem inchoatam prosequente, vt docet *Bald. in Authent. Principales. h. t.* & sumitur *ex Authent. Generaliter. de rebus Cred.*

CAPITVLVM 1.

Eodem Tit. in 6.

Si de Calumnia.

SVMMARIVM.

1. *Juramentum Calumniæ, quod initio litis præstitum non est, in qualibet parte litis præstari potest.*
2. *Imò à parte litigante exigi potest, vsquedum in causa conclusum sit; à judice verò ex officio, etiam postquam in causa conclusum est, ante sententiam tamen latam.*
3. *Possunt partes remittere sibi hoc Calumniæ juramentum, non quidem pactione expressâ, quod nec per consuetudinem introduci potest, sed tacitè, non exigendo.*
4. *Vitiatur processus, si judex juramentum Calumniæ præstari non jubeat, parte litigante id exigente.*
5. *Nec in causis spiritualibus semper sufficit jurare tantùm de veritate, sed potest etiam exigi juramentum Calumniæ.*

SI Juramentum Calumniæ aut de veri- 1
tate dicenda præstitum non sit in principio litis, videlicet statim post litis contestationem, postea in qualibet parte litis poterit jurari, quia ordo iste, vt juramentum ab initio præstetur, non est de judicii substantia.

§. Propter.

PARAPHRASIS.

Si non petatur juramentum Calumniæ, adeóque

deóque tacitè remittatur, nihilominus valet processus.

2 NOta I. Si juramentum initio præstitum non sit, postea exigi potest, à parte quidem litigante, donec in causa concluſum sit. Postea verò nihil petere aut allegare potest, quod vel ad jus vel ad factum pertineat, vti docent *DD. in Cap. Cùm dilectus. 9. de fide Instrum.* à judice verò ex officio exigi potest juramentum, si ita necesse videatur, etiam postquam concluſum fuit, antequam sententiam ferat. teste *Joan. Andreâ hîc. n. 2. Phil. Franco n. 1. Gail. l. 10. obseru. 83. n. 6. arg. 6. Cùm Ioan. De fide Instrum.*

3 Nota II. Iuramentum Calumniæ aut Veritatis partes remittere non possunt pactione expressâ, vti hîc indicatur & habetur *in l. 2. §. Sed quia. h. t.* possunt tamen remittere tacitè seu non exigendo. Ratio est, quia si juramentum expressâ pactione remittatur, videtur concedi facultas calumniandi, non item si tacitè prętereatur; quare nec consuetudo introduci potest, ut juramentum calumniæ expressè liceat remittere, quia turpitudinem continere videtur; sed vt non juretur de Calumnia, si partes non exigant, adeò vt neque judex ordinariè exigere teneatur, videtur per consuetudinẽ introduci posse, vt docet *Gail. l. 1. Obseru. 85.*

4 Si tamen pars altera petat juramentum calumniæ præstari, & judex non jubeat jurari, vitiatur processus. Ita *ex communi Bartol. in cit. §. Sed quia. n. 3.* Francus hîc *n. 4.* vbi ait, quòd callidi procuratores de industria petant à principe pręstari juramentum calumniæ, sed nec multum vrgeant, vt in fine judiciarium processum nullitatis arguere possint: propter juramentum petitum non præstitum. Vide quæ docet *Gail. loc. cit. & obseru. 80.* vbi excipit Procuratorem fisci imperialis, quòd ad juramentum calumniæ cogi non debeat, quia & personæ qualitas & officij necessitas calumniæ præsumptionem excludit.

§. Quamvis.

5 Tametsi secundùm priores Canones juramentum calumniæ exigi non debuerit in causis spiritualibus, sed tantùm de veritate, quia tamen etiam in his causis frequenter calumniæ irrogantur, ideò visum est Bonifacio VIII. decernere, quòd eo jam tempore à plerisque obseruabatur, vt in dictis causis tam de veritate, quàm de calumnia juretur.

Nota. Expedit quandoque propter temporum & hominum mutationem, statuta Canonum mutare. Est autem sermo de Canonibus pertinentibus ad mores, quæ propriè dictæ leges sunt, at verò fidei Canones seu decreta, cùm infallibilem veritatem habeant, mutari haud possunt.

Quæritur: Si principio litis de calumnia juratum sit à partibus, num etiam necesse sit jurare de Veritate. Resp. Juramentum calumniæ interdum sumitur latè, vt etiã comprehendit juramentum de dicendâ veritate, interdum verò strictiùs, prout distinguitur à juramento illo, nam sæpe fit vt Procurator, Tutor, aut Syndicus tantùm juret de calumnia, sed Dominus seu persona principalis, si meliùs scire videatur, quæ facti sunt, de veritate jurare compellatur, vt docet *Francus in cap. seq.* Vult itaque dicere Pontifex, non sufficere in causis spiritualibus juramentum de veritate, seu quòd partes vera dicere velint, sed exigi etiam posse juramentum calumniæ, quòd existiment, se causam justam, seu probabilem habere, & probationes, exceptiones &c. afferre nolint, nisi quas justas esse arbitrentur.

CAPITVLVM II.

In Appellationis.

1. *Juramentum calumniæ etiam in secunda instantia coram Judice appellationis prastari debet.*
2. *Prater juramentum, quod de calumnia in animam suam præstat Dominus, etiam Procurator in propriam animam jurare cogitur.*
3. *Quod idem de Advocatis etiam dicendum est, nisi consuetudine fortassis introductum*

tum sit, vt ab his talia juramenta non exigantur.

4. *Potest Judex ex rationabili motiuo sæpiùs à partibus in eadem causa quo ad facta quædam particularia juramentum calumniæ exigere, eandem pœnam quoad factum tale particulare incurrente eo, qui contumaciter hoc juramentum recusat, quam incurreret quoad totam causam, si de ea jurare nollet.*

1 TAmetsi in Causa Principali seu primæ instantię juramentum calumnię aut veritatis præstitum sit, tamen iterum edi debet in secunda instantia coram judice Appellationis. Rationem dat Dominicus hîc Not. 3. quia cùm mutantur personę judicii, vt judex in causa appellationis, tum pertinentia ad ordinem seu solennitatem judicii repeti solent, videlicet, libelli oblatio, litis contestatio, juramentum calumniæ.

§. Procuratores.

2 Si postquam persona principalis de Calumnia jurauit, Procuratorem ad litem prosequendam constituerit, ipse quoque Procurator jurare de Calumnia cogitur, tametsi in causa instructus venerit, seu cum mandato, quid ponere, respondere, aut agere debeat.

Nota, præter juramentum, quod Dominus in animam suam præstat, etiam Procurator in propriam animam jurare cogitur, quia etiam ipse calumniam infert, si sciens causam esse injustam, aut non credens esse
3 justam, defendendam suscipiat. His adde, quòd etiam Patroni causarum seu Advocati, de Calumnia jurare debeant. *iuxta l. 2. h. t. & l. Rem non nouam. 12. de judic.* Sed id non obseruari, ait *Panormit. in cap. 1. n. 5. extra h. t.* fortasse ne perjuriis occasio præbeatur, quia frequenter Advocati precibus aut pecuniis adducti causas suscipiunt, quas justas aut probabiles esse non existimant, quâ in re grauiter peccant, etiam contra justitiam.

§. In omnibus.

Tametsi de Calumnia aut veritate juratam sit, potest tamen judex in omni causa, quotiescunque videtur, à partibus exigere juramentum malitiæ.

Adverte, quòd, quamvis juramentum 4
calumniæ semel tantùm præstãdum sit. *Authent. hoc Sacramentum. h. t.* quia se extendit ad totam causam, omnésque eius articulos, nihilominus tamen in progressu causæ, si suspicio sit, quòd Reus vel Actor malitiosè aliquid proponat, aut excipiat, aut dilationem aliquam petat, judex jubere potest, vt de malitiâ juret, id est, quòd id non faciat malitiosè, sed existimans justam se causam habere, ideò nimirum, quia cautio specialis plus timetur, quàm generalis; volo dicere, etsi generatim juratum fuerit, tamen magis timeri speciale juramentum super articulo particulari, vti Ancharanus hic obseruat. Not. 3. Sed quid si Actor aut Reus jussus de malitia jurare, contumaciter renuat. Resp. tunc præsumptio contra ipsum est, ob quam ad articulum illum v. g. exceptionem objiciendam, non admittendus est, imò quandoque pro confesso habendus. *Arg. cap. De Confess. in 6.* Videatur *Gail. l. 1. obseru. 87.*

CAPITVLVM III.

Nullam.

Procurator afferens mandatum speciale de jurando in animam Domini, admitti debet.

SVMMARIVM.

1. *Procurator qui speciale mandatum habet, ut de calumnia juret in animam Domini, admitti debet, ita tamen vt insuper etiam de calumnia juret in animam suam.*
2. *De jure quidem non sufficit vt Procurator generatim constitutus ad lites cum mandato jurandi in animam Domini admittatur in quacunque causa speciali; consuetudo tamen hoc obtinet saltem si longiùs absit Dominus.*

DE hac re olim magna erat inter DD. 1
controversia, num persona principalis per se de calumnia jurare debeat, an verò id facere possit per Procuratorem, quam quæ-

stionem hîc decîdit Bonifacius. Si Procurator speciale mandatum afferat de jurando, admittendum esse, quamobrem tali casu Procurator duplex juramentum calumniæ edere debet, vnum in animam Domini ex mandato eius, alterum in animam suam, & est id peculiare in juramento calumniæ, teste Franco *in cap. 2. n. 2. & 5. h. t.* Nam in aliis juramentis sufficit, si Procurator juret, in animam Domini ex mandato eius speciali. Excipe, nisi sit Syndicus, huius enim juramẽtum in animam suam sufficit. Aliam exceptionem affert *Gailius l. 1.* Quòd Procurator parti datus ex officio judicis, calumniæ juramentum, saltem quatenus ad justitiam causæ refertur, præstare non cogatur. *Arg. Reg. 24. in 6.* quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur cùm habeat parére necesse.

Quæritur, si Procurator generatim constitutus sit ad lites, cum mandato seu potestate jurandi in animam Domini, an admitti debeat. Negat *gl. magna hîc*, & id de jure verum videtur, quia juramentum calumniæ requirit, vt causæ justitiam determinatè cognoscat, atqui Dominus Procuratori generali dans mandatum jurandi de calumnia in quibuscunque litibus, determinatè non censetur cognoscere justitiã causæ seu litis posteà exorituræ, quare si causam iniquam esse appareat, excipere posset, quòd mandatum jurandi indeterminatè datum, ad hanc causam iniquam extendere non voluerit, vti monet Bartolus, *in cit. l. 2. §. Sin autem. n. 3.* Nihilominus secundùm consuetudinem tribunalium sufficere mandatum jurandi indeterminatum, non expressâ causâ seu lite, testatur *Joan. Andr. n. 1. Franc. n. 3.* Et hæc consuetudo saltem eâ ratione defenditur, quia si Dominus absens sit, & breui tempore ab eo mandatum jurandi in causa speciali haberi nequeat, tum ne excludatur Procurator generalis, introductum fuit, vt sufficiat mandatum jurandi generale, imò in tali casu sine mandato jurandi, Procuratorem admitti posse, præstito juramento in propriã duntaxat animam, arbitratur *Bartolus loco citato n. 5.* Videatur *Francus hîc n. 4.*

TITVLVS VIII.

DE DILATIONIBUS.

DILATIO dicitur concessio seu indultum temporis, intra quod aliquid agi possit, & est alia dilatio legalis, seu quæ datur à lege v.g. ad appellandum intra decendium *c. Quod ad consultationem. 15. De sent. & rejudic.* Alia conventionalis, quæ datur ex partium conventione, v.g. ad solutionem faciendam. *l. Cedere. 213. ff. De verb. signif.* Alia denique judicialis, quæ datur à judice in judicio, & hæc ferme arbitraria est, seu judicis arbitratu definienda, considerată tum loci distantiâ, tum causæ ac personarũ qualitate, vti docet Tancredus. *l. 2. t. 18. Maranta p. 6. Memb. 2. actu 3. n. 15.* Tametsi enim in jure certa dilationum tempora statuta reperiantur, vt *lege 1. C. h. t. cap. 2. 3. q. 3.* tamen à judice moderari possunt, & secundùm exigentiam causæ, longiores vel breuiores concedi, vti notat *gl. recepta, in cap. 1. h. t.* Dilationum judicialium variæ species sunt, nam aliæ sunt exspectatoriæ (aliàs citatoriæ dicuntur) quæ dantur Reo absenti, vt ad judicium veniat, de his agitur *in Authent. qui semel, C. Quomodo & quando. cap. 1. h. t.* Aliæ sunt deliberatoriæ, quæ Reo post oblatum libellum dantur, ad deliberandum, cedere, an contendere malit. *c. 2. h. t. Authent. auferatur. de litis contestatione.* vbi dicitur, has inducias 20. dierum esse; sed judicem hoc tempus moderari posse, docet Tancredus, *lib. 2. t. 18.* Nam sicuti frustra protraheretur judicium, si tanta temporis mora necessaria non esset, ita & vice versâ,

versâ, si nimis brevis dilatio daretur, consideratâ gravitate causæ, tum illa postea prorogari, aut noua dilatio concedi deberet, & ita judicii processus magis impediretur. Aliæ dilationes recusatorię (aliàs dicuntur dilatoriæ) quæ dantur ad proponendum omnes exceptiones dilatorias, priusquam lis contestetur. *Cap. Pastoral. 4.* Aliæ verò sunt probatoriæ seu præparatoriæ, quæ dantur ad positiones & articulos probatoriales formandos, vel ad eis respondendum aut excipiendum, item ad testes & instrumenta quęrenda ac paranda, *cap. 2. & 3. cit. q. 3. l. 1. Cod. de induciis.* Aliæ sunt dilationes allegatoriæ, nam postquam judex partium probationes & exceptiones audiuit, quærit an quid ampliùs allegare velint, tum si vna allegationibus renuntiet, altera verò plura sibi proponenda esse affirmet, dantur ei induciæ ad allegandum. *Authent. Jubemus juncta gl. de induciis.* Aliæ sunt definitiuæ, quæ tunc peremptoriæ dicuntur, si cum termino peremptorio præfigantur, vt nisi ad eum diem quis compareat ad audiendam sententiam definitiuam, etiam in eius absentia procedendum sit. *l. Ad peremptorium. 68. ff. De Iudic. c. Consului 24. De Off. Deleg.* Aliæ denique sunt executiuæ, quæ dantur Reo condemnato ad solutionem faciendam, & est tempus quatuor mensium, quod tamen à judice prorogari aut breuiari potest. *cap. Quod ad. 15. cit. l. De debitoribus. 31. ff. De judiciis.* Discrimen est inter Dilationes citatorias & definitorias, atque inter dilationes probatoriales & pleraſque alias suprà recensitas, quòd illæ suâpte naturâ non sint peremptoriæ, sed vna concessâ dilatione, altera ac demum tertia quæ peremptoria est, concedi debeat *l. Ad peremptorium. ff. De judiciis.* potest tamen ex causa rationabili judex vnam citationem peremptoriam facere, quæ ad trinam citationem sufficiat. *l. Consentaneum. (quando & quomodo. l. Contumacia. ff. De sententia & re judicata.* de cuius rei praxi videatur *glossa magna in cap. Constitutionem. de sententia excommunicationis in 6. gl. in c. 1. h. t.*) At verò Probatoriæ & aliæ pleræque dilationes peremptoriæ esse censentur, ita vt vnâ concessâ & elapsâ, judex procedere debeat, nec aliam dare possit, tametsi vocem, *peremptorium*, in cõcessione non apposuerit. Ita sumitur *ex lege 1. C. De dilationibus, & l. finali ff. De Feriis*, vbi id docet *Bald. n. 1. Bartol. in cit. l. 1. n. 2. Gail. lib. 1. obseru. 91.* Excipi debet, nisi pars litigans justum impedimentum allegando & probando, quò minùs intra tempus præfixum probationes v.g. instruere potuerit, aliam nouam dilationem petat, tum causa cognitâ judex, alteram dabit, imò & tertiam. *l. Oratione 7. ff. De Feriis. c. 4. de Except.* quin & quarta dilatio probatoria, sed cum cognitione legali post ostensam legitimam petendi causam & editum juramentum, quòd malitiosè non petatur, concedi potest. *Authent. de test. §. Quia verò. Collat. 7. & c. In causis. 15. de test. junct. gl. verb. Productione.* Vlterior verò, seu quinta dilatio, nunquam dari solet. *Authent. Atqui semel. C. De Probationibus*, vt litium denique aliquando finis sit, *l. Properandum. 11. C. De judiciis.* Præterquam in casu quo nulli adhuc testes producti sunt, tum probato impedimento legitimo, etiam quinta, imò vlterior dilatio danda esset, secundùm Tancredum *loc. cit. §. 2.* Exinde aliud discrimen oritur, quod dilationes citatoriæ, si pars absens sit, ex necessitate dentur, sed dilationes probatoriæ non necessariò, quare etiam pro primâ vice opus est aliquâ saltem leui cognitione causæ, vti constat ex *lege 1. & 4. h. t.* & plerumque judex eiusmodi dilationes dat ad instantiam partis, quamuis dare possit ex officio nemine petente, si expedire judicaverit, teste *Bart n. 1. h. t.*

Id deniq; adverte, quæ dicta sunt de Probatorjis dilationibus non nisi vnicis ordinariè dandis, locum tantùm habere in causis pecuniariis, & ciuilibus, at verò in criminalibus, Actori duæ dilationes, Reo tres concedendæ sunt, idque ex quacunque causa, dummodo præsumi non possit, malitiosè, peti. *l. vlt. junct. gl. ff. De Feriis.* Imò *Maranta cit. p. 6. Actu 3. n. 3.* censet, quòd judex ante latam sententiam Reo petenti dilationem, ad ostendendam innocentiam, semper concedere possit, si præsumptio non adsit, quòd ma-

litiosè petat. His ita explicatis, apparet dilationes quasdam, videlicet Citatorias, Recusatorias, & Dilatorias ante litis contestationem dandas esse, alias verò & præcipuas dilationes ad probandum, excipiendũ &c. concedi post litis contestationem. Quam ob rem compilator Canonum habitâ harum rerum ratione, titulum hunc isto loco posuit, imitatus Ordinem, qui in C. Justiniani obseruatur.

CAPITVLVM I.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Causam, quæ vertebatur inter Abbatem, & Conventum ex vnâ parte, & moniales ex altera parte super quadam Ecclesiâ Alexander III. delegauerat judicibus, qui Abbati & Convẽtui nimis breuem, cúmque peremptorium terminum assignârunt ad comparendum, quare cùm ij se hac in re grauari intelligerent, ad sedem Apostolicam appellârunt. Respondet Pontifex, id esse contra juris ordinem, præsertim in causis Ecclesiasticis, si terminus peremptorius ita maturetur, nisi necessitas postulet, quare aliis mandat judicibus, si res ita se habeat, ut rescissis, quæ ante appellationem acta sunt, iuxta priores literas procedant.

SVMMARIVM.

1. *Superfluæ dilationes in causis ecclesiasticis amputandæ quidem sunt, necessariæ tamen ad veritatem indagandam concedendæ.*
2. *Sufficiens causa appellandi est, quòd dies peremptorius sine justa causa nimium abbreuietur.*
3. *Hinc ad excludendam appellationem consultum est, vt Judex causam abbreuiatæ dilationis afferat, & peremptoriæ citationi inserat.*
4. *Prodest litiganti, statim protestatum fuisse, si breuis nimium citatoria aut probatoria dilatio absque causa concessa sit à Judice.*
5. *Potest tamen vtraque pars litigans grauari, non tantùm ex nimis breui, sed etiam ex nimis longa dilatione concessa.*

NOTA I. Licet in causis spiritualibus seu Ecclesiasticis superfluæ dilationes amputandæ sint, *Clement. sæpe. de Verb. signific.* tamen quæ necessariæ sunt ad veritatis indagationem, magis etiam in his, quàm in aliis causis debentur, cùm in foro Ecclesiastico, præsertim si causa spiritualis agatur, veritas & æquitas præ oculis habenda sit. 1

Nota II. Si dies peremptorius nimis abbreuietur, justa est causa appellandi. Ita *gloss. hîc. Innoc. & Panorm. n. 1. & 12.* vbi notant, appellari non posse quòd judex vnam citationem, eámque peremptoriam fecerit, sed quòd nimis breuem, seu non concesso tanto tempore, quod alioquin ad trinam citationem sufficeret. Porrò tametsi numerus dierum, quem citationes seu edicta singulà requirunt, in jure expressus sit, videlicet decendium. *l. Ad peremptorium 68. ff. De judiciis*, tamen judex spectatâ distantiâ loci, & causæ ac personarum circumstantiis, dilationes producere ac breuiare potest, ut desumitur *ex l. Nonnunquam 71. & ex hoc capitulo*, vbi exceptio ponitur, *Nisi necessitas postulet, vt dies siue terminus peremptorius breuietur.* Causas autem justas abbreuiandi, numerat hîc *Panorm.* videlicet; si periculum in mora sit, quia res alioquin peritura est, aut non nisi impensis alenda, nisi lis breui tempore finiatur. Item si causæ mo icæ sint. *Argum. Authent. Nisi breues, de sententiis ex periculo* &c. aut si personæ in propinquo sint, & facilè instruere se possint ad parendum & respondendum. Denique postquam in causa concluſum est, facilius abbreuiare licebit peremptorium ad audiendam sententiam, ut debitus liti finis imponatur. Quare ex his documentum capi potest, quòd si quidpiam judicis 2

arbitrio 3

arbitrio commissum sit, atque is non ut vir bonus arbitrari & decernere videatur, pars tanquam grauata appellare possit: quam ob rem in tali casu consultum est, ut judex terminum seu dilationem abbreuiaturus, causam eius afferat, & peremptoriæ citationi inserat, quia tunc maior aderit præsumptio pro justitia judicis ad excludendam appellationem; qua de re *Innoc. c. 10. Panorm. n. 12.*

4 Duo his adde. I. ex *Maranta. p. 6. Memb. 2. act. 3. num. 17.* Si judex absque causa, nimis breuem dilationem citatoriam, aut probatoriam dederit, Consultum est litiganti, ut statim contradicat seu protestetur contra illam, ne alioquin consentire videatur, *argum. cap. quod ad. 15. de sent. & re judicata.* Prodest autem protestatio, quia lapsâ dilatione, potest deinde alia noua dilatio, etiam sine causæ cognitione peti, cùm prima non fuerit integra.

5 II. Ex *Nauarr. cit. cap. 2.* sicuti pars litigans grauari potest, & ideò appellare, quòd nimis breuis dilatio, eáque peremptoria data sit, ita & vice versâ pars altera, si nimis longa dilatio concedatur, & locum id habet, etiamsi dilatio probatoria sit, ideóque parti utrique communis, *iuxta l. Petendæ. 6. C. de temp. in integr. restitut.* quia nihilominus graue accidere potest Actori vel Reo jam instructo, si lis absque necessitate ptotrahatur.

CAPITVLVM II.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Titius impetrauit Rescriptum à sede Apostolica contra Caium; hunc proinde citat judex delegatus, tenorem rescripti Citatorio inserens, ut eo lecto deliberare possit, cedere an contendere velit, nihilominus Reus comparens in judicio, inducias deliberatorias petit, sunt ne ipsi concedendæ? Resp. Cæle-

stinus III. Si ex rescripto ipsi transmisso sufficienter instrui possit circa qualitatem causæ & actionis, inducias seu dilationem deliberatoriam dandam non esse, sed ad causæ cognitionem & definitionem procedendum.

SVMMARIVM.

1. *Noua dilatio deliberatoria non est danda Reo, si ex rescripto Delegati plenè instrui possit, neque dilatio citatoria sit breuis nimiùm.*
2. *Tenetur tamen Delegatus, vt citatum obliget ad comparendum, rescriptum delegationis ordinariè submittere citato.*
3. *Quænam exprimenda sint in citatorio, vt citatus comparere teneatur.*

NOTA I. Si Reus ex rescripto quod judex delegatus ipsi transmisit, plenè instrui potuit, noua deliberatoria dilatio ipsi non conceditur. Dummodo dilatio citatoria seu tempus intra quod comparere debet, fuerit tantum, ut super causa deliberare, amicos, advocatos, & alios peritos spectatâ grauitate rei consulere potuerit, & dummodo ex rescripto sufficienter instrui potuerit, quidnam & ex qua causa petatur, *teste glossa hic, verb. plenè potuit.* Alioquin etiam libellus Actoris, vel saltem specificatio actionis simul mitti deberet; vel nisi id fiat, dilatio deliberatoria postea concedi. 1

Nota II. Dilatio Deliberatoria censeri debet peremptoria, ita vt nisi vnica concedi non debeat, præterquam si legitimum impedimentum ostendatur, vel causa noua incidat, ob quam inquirere ac deliberare oporteat, ut dixi in Rubrica huius tituli.

Quæritur 1. An judex delegatus teneatur rescriptum delegationis vnà cum citatione mittere, ut citatum obliget ad comparendum. Resp. Affirmatiuè cum *Innoc. hic, Column. 1. Panorm. n. 5.* quia nisi delegatus fidem authenticam faciat delega- 2

tionis, necesse non est ei parere. teste *Innoc. c. Cùm jure. n. 4. de elect. Gail. l. 1. obseru. 48. n. 17. Maranta de Ord. p. 5. n. 75.* Non quòd Originale Papæ rescriptum mittere teneatur, sed manu Notarij transumptum. Excipe nisi agatur de præiudicio non graui, quia facilè & sine magnis expensis accedere potest citatus ad videndum rescriptum, præsertim si delegatus magnæ authoritatis sit, aut cui talia rescripta frequenter mittuntur, tali casu sufficiet citatio, non inserto rescripto, vti monet *Panorm. arg. l. 5. ff. De judiciis.*

Quæritur 2. Quomodo citatio seu citatorium à judice formari debeat, vt citatus comparere teneatur. Resp. In citatorio hæc necessariò exprimi debent. 1. Nomen Judicis citantis, vt citatus dispicere possit, num judex competens sit, & an eum recusare possit. 2. Nomen & cognomen citati exprimendum, vt is determinatè cognoscat, se & non alium citari; si verò Abbas nomine Monasterij, aut Consules nomine ciuitatis citentur, sufficit ita citare: Citamus Abbatem Monasterij S. Viti. Citamus Consules ciuitatis Augustanæ; vti docet *Gail. l. 1. obseru. 49.* 3. Nomen & cognomen eius, ad cuius instantiam aliquis citatur, nisi causa sit, in qua Iudex ex officio procedere potest. Hac de re *Felinus in c. 1. De judiciis.* 4. Causa citationis exprimenda est, vt *sup. dixi in 1. Not. cum gl. verb. Plenè.* 5. Locus judicii exprimendus, præsertim si judex delegatus citet, qui certum tribunal non habet, sin autem ordinarius judex, quia talis stabile habet plerumque tribunal; expressione hac opus non est, teste *Sancio t. De nullitate ex defectu citationis. n. 63. Gail. l. 1. obseru. 53.* 6. Dies in qua citatus comparere debet, designanda est, oportet autem citare ad diem non feriatam, sed plerumque addunt judices, vt si dies in citatorio designata juridica non sit, seu in qua judicium non agitatur, sistere se debeat citatus in die sequenti juridica, teste *Gailio l. 1. obseru. 53. n. 2.* 3

CAPITVLVM III.

Literæ.

PARAPHRASIS.

Presbyter Ecclesiæ S. Priscæ, in vrbe nomine eiusdem Ecclesiæ, agens contra duos Nobiles coram Episcopo Florentino, obtulit libellum in quo continebatur, pensionem ex quibusdam possessionibus debitam tribus annis & ultrà, solutam non esse; sed cùm dicti Nobiles peterent explicari, quantum temporis spatium significaretur particulâ *& vltra.* Presbyter respondit, septem annis in pensionis solutione cessatum fuisse. Tum verò Nobiles dilationem longiorem ad deliberandum petierũt, eò quòd libellus per hanc temporis septenalis expressionem mutatus sit, & cùm Episcopus concedere denegaret, ipsi ad Pontificem appellârunt. Sed Honorius III. hanc appellationem friuolam esse dixit, ac mandauit, vt eâ non obstante in negotio iuxta prioris rescripti formam procedatur.

SVMMARIVM.

1. *Ex declaratione eorum, quæ ex abundante adiecta fuerunt libello, non mutatur huius status.*
2. *Si tamen ex declaratione adiunctorum notabiliter immutetur causæ status, quæ nec à parte conuenta præuideri potuit, noua dilatio deliberatoria dari debet.*

CAsus iste duobus modis intelligi potest, 1
secundùm *gloss. & Innoc. hìc.* 1. Quòd intentio Actoris fuerit, vt nobilibus judicis sententiâ declararetur, eos jure possessionũ emphiteutico excidisse, propter pensionem triennio non solutam, quandoquidem hæc pœna commissi incurritur, per tanti temporis cessationem, in quauis etiam priuatâ emphiteusi. *l. 2. C. De jure emphyteut.* Imò in Emphyteusi Ecclesiastica sufficit biẽnium, nisi quòd moram oblatis celeriter pensionibus purgare emphyteutæ concessum sit. *c. vlt. de locat.* & dixi *l. 3. tract. 4. c. 23. n. 8.* Secun-

cundùm hunc intellectum, Notandum est vnicum: Quæ vt superflua seu ex abundante adjiciuntur libello, eorum declaratione non censetur libellus mutatus, quia non pertinent ad substantiam, nec probandi necessitati subiacent. v. g. Si agens interdicto possessorio recuperandæ, titulum Dominij aut quasi Dominij, inseruerit: qua de re in *c. Ex parte. 15. De foro compet.*

2 2. Sensus est, quòd pensiones à pluribus annis non solutæ in hoc casu repetantur, quia possessiones non erant emphyteutę, sed Ecclesiæ censuales, discrimen verò inter emphiteuticum & censualem contractum attuli *cit. cap. 23. n. 2.* Secundùm hunc intellectum nota vnicum, si per daclarationem libelli causæ status notabiliter afficiatur, vt nouâ deliberatione opus esse videatur, tum noua dilatio deliberatoria dari debet, non item si causæ status non ita afficiatur, quin pars conuenta prævidere potuerit, vt in casu nostro. Facilè enim ipsi nobiles recordari, vel ex libellis suis censualibus cognoscere poterant, quanto tempore pensiones solutæ non fuerint, atque ita, quousque se extenderit particula, *& vltra*; siquidem in proprio facto, nisi diuturnum tempus interceserit, ignorantia non præsumitur, *iuxta c. Ab excommunicato 41. junct. gl. verbo: De facto suo.* De rescriptis, & ita hîc explicat *Panorm. n. 13.*

CAPITVLVM. VLT.

Exposuit.

Paraphrasis.

Inter Bituricensem, & Burdegalensem Episcopos controuersia erat super jure Primatiæ, quam ob rem Greg. IX. citauit Archiepiscopum Burdegalensem ad initium quadragesimæ, terminum ei peremptorium assignando, vt vel per se, vel per Procuratorem Apostolico conspectui se præsentet, sed postea ab eodem Pontifice personaliter vocatus, consilij seu subsidij alicuius afferendi causâ Romam venit, vbi etiam Bituricensis Episcopus constitutus instanter postulauit, vt in dicta controuersia procederetur. Sed Burdegalensis domum abiens, procuratorem ad eam causam reliquit, qui saluis exceptionibus, sibi respondendo ac defendendo competentibus omnia agere posset, quæ ipse Archiepiscopus in propria persona. Cùm igitur Bituricensis Procuratorem urgeret ad respondendum, ipse excepit, se ad id non teneri, cùm Burdegalensis Archiepiscopus jus haberet, causam domũ revocandi, quandoquidem ob aliam publicam causam vocatus Romam adveniisset, sed neque cum Coëpiscopis & aliis quorum consilium in causa tam ardua requirendum est, consultatum fuisse, quia tantùm tempus non suppetebat Archiepiscopo, ut ad vtrumque negotium instructus Romam accederet. Ex parte verò Bituricensis replicatum fuit, quòd Papa jam antè Burdegalensem citârit ad causam istam peragendam, neque hoc citatorium suum per posterius personaliter veniendi, mandatum revocâsse, tantum quoque spatiũ temporis habuisse Burdegalensem, ut sufficienter deliberare potuerit, quod ipsum etiam cum quibusdam facere jam aggressus esset. His vtrinque auditis, Gregor. IX. adhibito Cardinalium consilio dilationem aliam usque ad Natiuitatem Domini indulsit. Vide quæ circa hanc controuersiam habentur *in cap. vlt. De Maioritate.*

Svmvmarivm.

1. *Citatio fieri potest per terminum primâ statim vice peremptorium ad totã causam, si longè absit citandus, modò etiam sufficiens illi tempus detur ad deliberandum & causam instruendam.*
2. *In casu impedimenti supervenientis citationi peremptoriæ noua dilatio dari potest.*

NOta I. Si aliquis ex loco valde remoto 1
citandus sit, citatio fieri potest ad totam causam, & ita ut terminus peremptorius statim primâ vice designetur, ita sumi-

tur

tur *ex cap. Tum ex literis 5. in fine, de in integr. restit.* Imò *Gail. l. 1. obseru. 51. monet*, in quibusdam tribunalibus id ferme ordinarium esse, ut citationes fiant ad totam causam, dato tamen temporis interuallo, quod sufficiat ad deliberandum, & causam instruendam, si ex loco remoto peremptoriè aliquis vocetur *iuxta c. 1. h. t.*

2 Nota II. Si dilatio peremptoria ob superueniens impedimentum non fuit sufficiens, dari potest noua dilatio, ita etiam supra in *c. 2. Not. 2.*

Quæritur I. Quid sibi velit, quòd procuratorium mandatum datum sit saluis exceptionibus? Resp. Referendum id esse potissimum ad exceptiones dilatorias, ne enim Archiepiscopus videretur mandâsse Procuratori, ut super causa principali responderet, protestatus est, exceptiones omnes etiam dilatorias saluas sibi manere.

Quæritur 2. Quid sibi velit, quòd Procurator dixit Archiepiscopum pro absente reputandum fuisse, & reuocandi domum priuilegium habuisse? Resp. Id solùm dicere voluisse, quod præsentia, quam pro publica necessitate Romæ exhibuit, ei damno esse non debeat, ut ibi respondere teneatur non instructus, ideóque perinde censendum esse, ac si Romæ nunquam fuisset. Cetertùm cùm ratione suę profectionis impeditus fuerit, quò minùs causam adeò arduam instruere potuerit, ideò nouam ei dilationem necessariò tribuendam esse, quod & Pontifex justum esse decreuit.

TITVLVS IX.

DE FERIIS.

FERIÆ à dilationibus, de quibus præced. tit. differunt 1. Quia dilationes dantur ob cõmodum, & plerumque etiam ad instantiam partium, ut se ad litem instruere possint. Feriæ autem legibus institutæ sunt, potissimùm ob publicum bonum, vel Dei honorem. 2. Dilationes dantur secundùm exigentiam causæ plerumque judicis arbitrio, sed feriæ definitæ ac stabiles sunt, nihilominus & ipsæ feriæ dilationes quædam judiciorum sunt, ut propter hanc genericam conuenientiam, hi tituli non incongruè coniungantur, uti *ex l. 1. ff.* Videre est, *titulis De Feriis & Dilationibus.*

CAPITVLVM I.

Omnes.

OMnes Dominica omni cum Veneratione seruari debet, à Vespera ad Vesperam, ita ut non liceat mercatum aut judicium instituere, vel aliquem condemnare, aut juramentum præstare, nisi pro pace, aut alia necessitate.

Quòd hîc dicitur de obseruatione Dominicæ & Festorum à Vespera ad Vesperam, id accipi debet secundùm consuetudinem quarundam prouinciarum; at verò spectato Communi Ecclesiastico jure, cuiuslibet festi obseruatio est à media nocte, usque ad alterius noctis medium. De Mercatu diebus festis non instituendo, & non agitandis litibus judicialibus, egi eodem *tract. 7. cap. 2. assert. 8. & 9.* vbi etiam dixi. *n. 8. limit. 4.* Non omnia juramenta die festo prohiberi, v. g. quæ fiunt in inauguratione Doctoris, pro Confirmatione contractûs, sed tantùm judicialia, quamuis & hæc non minùs quàm alij judiciales actus propter necessitatem aut pietatem permittuntur. *c. vlt. h. t.* Videatur *Tancredus l. 2. c. 19.*

CAPITVLVM II.

Quoniam.

TRia hîc dicit Alex. III. Primũ. Licèt Judæi Sabbata celebrârint à Vespera usq; ad Vesperã, tamen Christiani in festis suis inchoan-

choandis, & finiendis attendere debent partim ad qualitatem festi (quia vt Ioan. Andreas hîc explicat, quæ maiora festa sunt, vt Paschatis, Pentecôstes &c. citiùs inchoantur, & tardiùs finiuntur) partim verò ad consuetudinem locorum. 2. In diebus Dominicis, atque inter pascha & pentecosten genuum flexio fieri non debet in publicis orationibus, domi autem siue in secreto genua flecti ex devotione nihil prohibet. Dein in consecrationibus Episcoporum, & Ordinationibus Clericorum, Consecrans & consecratus, Ordinans & ordinatus, secundùm quod Ecclesiasticus ritus postulat, genua flectunt. 3. Festiuitas SS. Trinitatis in quibusdam Regionibus celebratur in Octava Pentecostes, in quibusdam autem in Prima Dominica ante Adventum Domini, sed Romana Ecclesia pro veneratione eius festiuitatis, diem specialem non instituit, cùm omnibus diebus SS. Trinitatis mysterium venerari soleat, peculiariter id agit diebus Dominicis, ut ex officiis Ecclesiasticis liquet, & obseruauit Micrologus *de Ecclesiasticis obseru. 10. Suar. l. 2. De Festis. c. 4. n. 16.* Postea verò Ioannes XXII. SS. Trinitatis festum à Romana etiam Ecclesia in propria Dominica, quæ est proxima post Pentecosten peculiariter ab omnibus coli præcepit, uti testatur *Suarez n. 17. Siluest. verb. Dominica. q. 1. Dicto 7.*

CAPITVLVM III.

Licet.

Paraphrasis.

Alexander III. scribens ad Archiepiscopum Triburiensem permittit eius Diœcesanis, si halecia (quod genus piscium rarò, & non nisi certis diebus comparet) terræ se applicare videatur, etiam in Dominicis & aliis festis, exceptis solemnioribus, capere liceat, ita tamen, ut adiacentibus Ecclesiis atq; pauperibus Christianis portio aliqua capturæ tribuatur.

Svmmarivm.

1. *Notoria necessitatis causa per se quidem exeusat à publica etiam festi obseruatione; si frequenter tamen ea recurrat, decens est, vt petatur dispensatio.*

NOta I. Piscatio si cum multi operis labore institui debet, opera inter seruilia, & festo die prohibita numeratur. 1

Nota II. Licet causa necessitatis notoria per se excusationem præbeat circa festi obseruationem, tamen si excusatio seu impedimentum non pro vnâ vice occurrat, sed frequenter aut ordinariè, tum decens & consuetum est, ut dispensatio petatur, uti hîc patet. Eodem modo agricolæ, si propter superventuram pluviam ruri laborare velint, priùs ab Ordinario v. g. Parocho licentiam petunt, ac veluti dispensatio est. 2

Nota III. Prælatus *in l.* v. g. obseruationis festorum aut jeiunii dispensans, aliquid per modum eleemosynæ pauperibus aut Ecclesiis applicandæ imperare potest. 3

CAPITVLVM IV.

Capellanus.

CIrca tempus feriarum, quibus solemnes nuptiæ in Ecclesia fieri prohibentur, variæ fuerunt disputationes & locorum cõsuetudines, nunc autem obseruari debet, quod in Concil. Tridentino decretum est. *Sess. 24. c. 10. De Reform.*

CAPITVLVM VLT.

Conquestus.

Paraphrasis.

Tametsi lites & judicia non protrahi, sed expediri magis deceat, nilominus judiciarius processus cessare debet festis ijs diebus, quos vel Ecclesia universalis in Dei & Sanctorum honorem obseruari præcipit, vel Episcopi singuli cum Clero ac populo constituerunt, & adeò quidem his diebus (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat (cessandum est à judiciis, ut ne consentientibus quidem partibus judiciarius processus subsistere, aut senten-

tia promulgari validè possit. Cæterùm iis feriatis diebus, qui ob hominum necessitates, gratiâ messium aut vindemiarum indulgentur, cum partium consensu judicia instituì nihil prohibet.

SVMMARIVM.

1. *Non debent exerceri actus judiciales diebus Festis in honorem Dei & Sanctorum institutis.*
2. *Potest tamen die festo fieri libelli oblatio; & à judice ex Officio contra suspectum inquisitio.*
3. *Citatio verò nec die festo, nec ad diem festum decerni potest, ut eo die compareat citatus, quamuis die Festo fieri possit intimatio citationis.*
4. *Testes examinari, & audiri possunt etiam in die festo, modò præcedente die non festo juramentum deposuerint, licet conformior juri sit contraria sententia.*
5. *Captura die festo fieri non potest, nisi periculum in mora sit, aut grauis criminis reus sit capiendus.*
6. *Probabilius etiam est, quòd executio sententiæ judicialis die festo fieri non possit.*
7. *Nec Arbiter Iuris procedere potest die festo, potest tamen Arbitrator.*
8. *Concessum est diebus festis non tantùm actus voluntariæ jurisdictionis exercere, sed etiam appellare & censuram infligere.*
9. *Feriis politicis ordinariis possunt partes ad judicium agendum validè renuntiare tam expressè quàm tacitè, quamuis cogi ad renuntiandum nemo possit nisi necessitas postulet, quæ minor in his Feriis politicis requiritur, quàm in Sacris.*

1 NOTA 1. Diebus festis ob honorem Dei aut Sanctorum institutis actus judiciales exerceri non debent, ita habetur hîc, & *in c. 1. h. t. l. Omnes. vlt. C. de Feriis. l. penult. ff. eodem*, videatur *Suar. l. 2. De festis. c. 29.*

2 Quæritur 1. Vtrum libellus offerri in judicio possit die festo. R. Affirmativè. *Cum Bart. l. Miles. §. 60. ff. ad legem Iuliam. de adulteriis.* Nam libelli oblatio non est actus judicialis, judicium enim incipit à citatione, at verò libelli oblatio antecedit citationem; idémque eâdem ratione dicendum de inquisitione, quam judex ex officio facit, antequam reum suspectum citat, aut incarcerat, quod festo die eam instituere possit, teste *Tusco. n. 10.*

Quæritur 2. Vtrum citatio à judice die festo promanare possit. Affirmat *Gailius l. 1. Obseru. 53. n. 5.* Vbi ait, magis communiter receptum esse, quòd citatio decerni possit die feriatâ ad non feriatam, quia est actus extra judicialis, ideóque domi fieri potest, nihilominus spectato jure, vera & communis sententia est contraria apud *Panorm. hic. n. 2. Imola n. 12.* Negari enim non potest, citationem esse actum judicialem, cùm sit fundamentum processûs judiciarij, atque eo occupetur judex præmissa aliquâ cognitione causæ non quidem inter partes facienda, vt pro tribunali sedere debeat, sed intra se. Intimatio verò citationis per nuntium seu oblatio citatorij fieri potest festo die, cùm iste actus judicialis non sit, quia etiam extra territorium fieri potest. De eo etiam dubitant Authores, an valeat citatio decreta ad diem feriatam, videlicet, compareat ad diem 19. Martij, quam eo anno feriatam esse contingat. Multi Canonistæ affirmant, vt videre est apud *Ioan. Andr. hîc num. 2. Suar. c. 30. n. 13.* quia intelligi debet citatorium, vt citatus vsque ad terminum seu finem eius diei in loco præsens esse debeat, ideóque altero die illucescente respondere in judicio paratus. *Arg. c. Cùm dilecti. 7. de dolo.* Sin verò citatio ita facta sit, vt in die feriata, horâ v. g. septimâ, in consistorio se sistat citatus, irrita erit; ad cautelam verò supra dixi, quòd judices solent diem mensis definire, aut diem v. g. trigesimum numerandum à die in quo citatio præsentata fuit, hoc adjecto, vt si is feriatus sit, proximo die non feriato sistere se debeat citatus.

Quæ-

3 Quæritur 3. An examinatio testium die festo fieri possit? plerique affirmant, si antea videlicet die præcedente non feriatâ juramentum præstiterunt. Ita speculator *l. 2. p. 1. h. t. §. 2. Ioan. Andr. c. 1. n. 4. Panorm. ibid. n. 9. h. t.* quia non est actus judicialis, cùm per quemlibet ad id deputatum atque in loco priuato, seu non publici judicii fieri possit, & est sententia probabilis, & tuta in praxi, sed spectato jure, magis placet, ut dicamus, depositiones testium in die festo irritas esse, ut docet Suarez *cit. cap. 30. n. 7. Anton. apud Panorm. loc. cit. arg. l. vlt. Cod. h. t.* ibi: *ne nulla quempiam vrgeat admonitio:* Ex quo colligunt *DD. apud Panorm.* quòd testis in die festo cogi non possit ad respondendum: sed cur, nisi quia judex non juridicè interrogat, seu jus interrogandi hoc die non habet. Ad argumentum contrarium. Resp. Examinationem ac depositionem testium antè juratorum non esse actum judicialem strictè loquendo, cùm causæ cognitionem non requirat, esse tamen latè loquendo, tum quia procedere debet à judiciaria potestate, tum quia plurimum inseruit ad judiciarium processum & sententiam. Excipe nisi periculum in mora sit, quia testis postea examinari non poterit, si discessurus aut in periculo mortis constitutus sit. v. g. Tempore pestis, tum in festo die etiam exacto juramento examinari potest, ut docet *Speculator cit. §. 2. n. 6.*

4 Quæritur 4. Vtrùm captura seu carceratio festo die fieri possit. Resp. Negativè, ex Communi apud *Farinac. in praxi l. 1. t. 4. q. 27. n. 107. argum. l. vlt. Cod. h. t.* Excipe nisi periculum in mora sit, quia Reus debiti Ciuilis, vel Reus criminis de fuga suspectus sit, ut tradit idem *Farinac. num. 107. & 109.* Addens Reum Criminis grauis seu enormis, festo die indifferenter capi posse. *Arg. l. 3. Cod. De Episcopali Audient. & l. Actus 8. C. h. t.* Vbi dicitur latrones die festo tormentis subijci posse, & *gloss. 16. addit*, tales facinorosos & valde noxios Reipublicæ, die Dominico aut festo etiam morte puniri posse. Verùm tantam licentiam erga facinorosos jure canonico, quod in hac re utpote Ecclesiastica magis sequi oportet, non invenio concessam, sed potiùs prohibitum, ne quis in diebus sacris vel festis ad mortem vel pœnam judicetur. *cap. 1. h. t.* Neque excipitur aliud, nisi pietatis aut necessitatis causa aliud exigat, ergo hac cessãte, & si tortura aut supplicium in alium diem commodè differri queat, non erunt licita in die festo.

Quæritur 5. An executio sententiæ judicialis die festo fieri possit. Affirmat *Panorm. cap. 1. n. 22. de judiciis*, saltem validè fieri posse, cùm non sit actus judicialis requirens causæ cognitionem, imò *Fridericus de Sen.* & alij apud *Tuscum cit. Conclus. 100. n. 6.* absolutè aiunt meram sententiæ executionem festo die concessam esse. 5
Sed contrarium, spectato jure, est probabilius, imò verò expressum in *cit. l. vlt.* ut bene monet *Suar. c. 30. n. 11. Farinac. cit. quæst. 27. n. 107.* ubi ait: Pium V. pro urbe hanc sententiam approbâsse.

Quæritur 6. De Arbitris, num festo die procedere possint. Respondent ex communi. *Abbas hîc n. 10. Molina tract. 5. de Just. Suarez cit. cap. 3. n. 15. Ex l. Omnes. 7. Cod. h. t.* Quòd arbiter Juris procedere non possit, cùm judiciarium Ordinem seruare teneatur, sed Arbitrator & Compositor partium, omni die cognoscere & arbitrium dicere potest. Porrò voluntariè jurisdictionis actus non prohibentur die festo, tales sunt dispensare, absoluere, contractum approbare, ætatis veniam dare, pupillo tutorem designare, Magistrum creare, emancipare, adoptare, instrumenta conficere, consignare, ut docent *DD. in cit. l. Actus.* Videatur *lex 20. ff. h. t.* Sed & appellare die festo concessum est, etsi appellationem persequi tunc non liceat, uti docent *DD. in l. 1. C. h. t. gloss. hîc & Panorm. n. 13. Tuscus n. 10.* Quia vox prouocantis non est actus judicialis, sed magis recessus à judicio ob necessariam defensionem permissus, deinde est communior DD. sententia, quòd Excommunicatio & aliæ censuræ festo die 6 7

validè infligi queant, apud *Panorm. hîc. n. 17. Suar. cit. c. 30. n. 9. Tusc. n. 4.* Quia ferre censuram contra contumaces potiùs ad legislationem aut præcepti impositionem, quàm ad judiciarium strepitum spectat. Ceterùm si vocatis partibus à judice cognoscendum, ac declarandum sit, num aliquis in excommunicationem lapsus fuerit, festo die id fieri non potest, nisi causa necessitatis, pietatis, aut Religionis urgeat.

9 Nota II. Præter ferias ad cultum Dei institutas, aliæ sunt feriæ politicæ, & harum quædam solemnes, seu quotannis recurrentes, ut quæ olim in die Natalis Principis instituebantur *l. vlt. C. h. t.* quædam verò rusticæ, quæ ob ruri laborantium fauorem tempore messis aut vindemiarum obseruantur *l. Omnes. C. eod.* & hæ feriæ id proprium habent, quòd partes jis expressè aut tacitè renuntiare possint seu consentire, ut judicium agatur his feriis, quippe cùm principaliter ob eorum fauorem introductæ sint, quamobrem *l. 1. De feriis*, non absolutè prohibentur judicia tempore messis aut vindemiarum, sed ne quis adversarium cogat ad judicium venire, alioquin acta judicialia irrita sint. *l. Si feriatis. 6. ff. eod.* Nisi necessitas cogat, ut quia res tempore aut morte peritura est, aut actionem vel litis instantiam peremptura. *cit. l. 1. & 3. ff. eod.* & verò in his rusticis feriis minor necessitas requiritur, ut partes ad judiciũ compellantur, quàm in aliis feriis, præsertim sacris, *arg. l. publicas, 5. C. eod.* vbi dicitur publicas & fiscales causas in feriis messium & vindemiarum agitari posse, vbi gl. monet non idem quoque locum habere in feriis sacris, nisi necessitas vel pietas speciatim exigere videatur. Id verò addendum, tametsi partes consentiant litigare in feriis rusticis, tamen judex non tenetur illis jus dicere, nisi necessitas urgeat, quia feriæ hæ etiam in judicis gratiã institutæ sunt, sed neque testes compelli possunt ad veniendum & testandum, teste *gl. in cit. l. Omnes. 6. ff. De Fer. Abbas hic. n. 13.* nam res inter alios acta (videlicet litigantes) aliis non præjudicat. Est & aliud genus feriarum politicarum, quæ dici solent *feriæ repentinæ* ob Principis v. g. adventum, Regiæ prolis natalem, aut similem lætitiam repentè indici solitæ, cuiusmodi ferias indicere proprium esse principis dicitur, *in l. à nullo. C. h. t.* Conveniunt autem hæ feriæ cum sacris & aliis, quæ ob publicam causam instituuntur, in hoc, quòd partes jis renuntiare nequeant. Vide *Azor. tom. 2 l. 1. c. 27. q. 1.*

Nota III. Si Episcopus festum speciale præcipere velit, non tantùm Cleri, sed etiam populi consensum requirere debet spectato communi jure.

TITVLVS X.
DE ORDINE COGNITIONVM.

PRÆSTITO juramento calumniæ, & datis dilationibus ad respondendum, frequenter Reus vicissim aliquid objiciens, quæstionem mouet, seu per modum actionis, seu & quidem frequentiùs per modum exceptionis, quare dubitari potest, num de his objectis priùs cognoscendum sit, quàm ulteriùs super negotio principali.

* * *

CAPITVLVM I.

Intelleximus.

PARAPHRASIS.

Mulier quædam virum sibi coram Ecclesiastico judice petebat, testes introducens, quòd cum eo matrimonium contraxisset, vir autem metuens ne testium depositionibus convinceretur, exceptionem consanguinitatis obiecit, hoc casu dubitatum fuit,

fuit, quo ordine judex procedere deberet. Respondit Clemens III. Cùm exceptione istâ, probata quæstio principalis tollatur, priùs de ipsa exceptione cognoscendum esse, quàm ad definitiuam sententiam procedatur; nam si exceptio illa probata sit, apparebit virum ab impetitione mulieris absoluendum esse.

In primis adverte hîc, actum non fuisse in judicio possessorio, quia mulier non erat traducta in domum viri, sed petitorio, quia mulier petebat se deduci ac recipi tanquam uxorem legitimam ob antecedentem matrimonij contractum, ita notauit *Innoc. hîc.* & sumitur *ex c. Literæ. De Restitut. spol.*

SVMMARIVM.

1. *Melius sibi consulit Reus conuentus, si peremptoriam exceptionem priùs non opponat, quàm audierit probationes Actoris.*
2. *Si Reus ante productionem testium, vt impediatur processus, opponat exceptionem peremptoriam, debet priùs de hac exceptione Rei cognosci, quàm de intentione Actoris.*
3. *Probata exceptione peremptoria rectè pronuntiat judex super causa principali.*
4. *Nisi judex, ne indirectè quidem, super exceptione cognoscere possit.*
5. *Vel nisi exceptiones illæ, non peremptoriæ & incidentes, sed dilatoriæ tantùm & emergentes essent, de quibus priùs cognosci debet, & decidi quàm procedatur in causa principali.*

1 NOta I. Consultum est Reo convento ut peremptoriam exceptionem priùs non opponat, quàm audierit probationes Actoris, nam si Actor in probatione deficiat, ipse absoluetur, & liberabitur onere probandi exceptionem; sin autem Actor probauerit intentionem, v. g. Matrimonij contractum fuisse celebratum, tunc locus adhuc erit perimendi intentionem, objiciendo impedimentum consanguinitatis. Ita notat *Imola hîc n. 2. ex Cap. de testibus, 29.* Vbi *gloss. verb. Publicato* monet, quod publicatis etiam testificationibus exceptio peremptoria objici & probari possit, quandoquidem ea novum incidentem articulum causæ cõtinet. Sed quid si Reus ante productionem testium opposuisset exceptionem consanguinitatis, debuisset ne Iudex ante omnia de exceptione cognoscere. Glossa hîc ait, priùs Actoris probationes recipiendas esse, quàm de exceptione peremptoria cognoscatur, quia ita universim dicitur *in l. Exceptionem 19. C. De probationibus.* Sed meminisse oportet, quod *in cap. 1. De litis contestatione in 6. Reg. 2. limitatione 3. docui*, esse quoddam genus exceptionis peremptoriæ, per quam actio ipso jure excluſa, seu potiùs nunquam nata ostenditur, talis exceptio si opponatur animo impediendi processum, statim de ea cognosci debet, cùm alioqui frustra probationes accipiantur, super eo, quod etsi probaretur, tamen causam non relevaret, ut in proposito casu videre est, cùm enim contractus matrimonij inter consanguineos ipso jure irritus sit, nullaque omnino actio aut jus oriatur, frustra judex probationes suscipit super tali contractu post oppositam exceptionem consanguinitatis, præsertim si Reus excipiens offerat se ad probandam exceptionem, eo casu actor audiendus non foret, si priùs intentionem suam probare vellet, tanquam qui prior egisset, quia respondebit ei judex, quòd frustra & inaniter egerit, cùm nulla omnino actio ei competat, si exceptio subsistat, ad cuius probationem se Reus offert, quamuis aliter hîc doceat *Panorm. n. 8. & seqq.* 2

Not. II. Probatâ exceptione peremptoriâ, necesse non est, ut judex super eâ pronuntiet, quia pronuntiãdo super causa Principali, saltem indirectè fit etiam pronuntiatio super exceptione. Ita docet *gl. hîc verb. Cognoscend. Imola n. 4. Panorm. n. 11.* Exemplum habes hîc: Mulier agebat petendo sibi maritum ex causa matrimonij; objiciebatur illi impedimentum consanguinitatis; eo probato judex aliud non facit, quàm ut absoluat virum à petitione mulieris, per hanc enim absolutionem indirectè implicitè pronun- 3

nuntiat impedimentum subesse, aut juridicè probatum esse. Aliud exemplum habetur *in l. 1. C. De Ordin. judiciorum.* si filio aut Tutori, nomine pupilli cõtra hæredem scriptum agenti petitione hæreditatis, objiciatur, quòd sit filius adulterinus, judex satisfacit, si super principali definiat, adjudicando alterutri parti petitionem hæreditatis, ex eo enim apparebit indirectè, quid de statu seu natiuitate filij sentiendum sit.

4 Excipe si judex ne indirectè quidem super exceptione seu articulo incidente cognoscere queat, quia causa Ecclesiastica est, tum quęstione principali supersedere debet, donec incidens in foro Ecclesiastico decisa sit, uti habetur infra *h. t. c. 3.* Aliud exemplum: si Actori mutuum repetenti objiciatur, pactum fecisse de non petendo aut condonâsse, potest judex post auditas utrinque probationes tum Actoris de mutuo dato, tum Rei excipientis de condonatione factâ unam sententiam ferre super quæstione principali seu absoluendo Reum, ita ut indirectè pronuntiet donationem interuenisse, aut legitimè probatam esse, seu eundem condemnando, ita ut indirectè pronuntiet, donationem probatam non esse.

5 Locuti autem sumus duntaxat de Exceptionibus, quæ & quatenus peremptoriæ sunt, atque incidentes dici solent, seu justitiam causæ principalis concernentes, at verò dilatoriæ exceptiones, & quæcunque ad impediendum processum causæ principalis objiciuntur, atque vocabulo generali *emergentes*, dicuntur v. g. Judicem vel Actorem excommunicatum esse, iuxta *c. Exhibita. 19. De Judic.* Item litem ab Actore intentatam latâ jam sententiâ vel juramento aut transactione finitam esse, & ideò ulteriùs super ea procedi non posse, tales exceptiones priùs cognosci ac decîdi debent, quam in causæ principalis tractatione procedatur, ut docet *Bart. in l. 1. n. 7. C. De Ordin. judiciorum.*

CAPITVLVM. II.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Abbas de Ferentino coram Innocentio III. questus est contra Nobiles de Artone, quia manu armatâ ad Monasterium venientes, prædam animalium, aliáque damna intulerunt, petiítque sibi justitiam administrari, sed Nobiles in præsentia Papæ, lite nondum contestatâ obiecerunt, quòd ipsi per dolum & violentiam Abbatis Castrum Sirati amiserint, quã ob rem rogant se priùs restitui, quàm Abbati respondere cogantur, præsertim cùm per testes suam innocentiam in continenti probare velint. Ex parte Abbatis replicatum est, quòd ab ipso restitutio peti nequeat, quia non fuerat spoliator, præsertim cùm dictum castrum ad monasterij proprietatem pertineat, quod nec ipsi adversarij negare possint, & æquum esse ut verus Dominus ad quem res sua ab alio possessa devenit, eius retinendæ commodum habeat, cùm, ut suprà dictum, judicium possessorium recuperandæ contra spoliatorem tantùm intentari queat. Ad hæc respondet Innocentius, esse distinguendum, si enim quæstio spoliationis à Nobilibus proposita fuisset in modum actionis seu reconventionis, tunc censeri deberent mutuę actiones & petitiones, atque eius actio videlicet Abbatis qui prior proposuit, priùs tractanda foret, iuxta juris *Regul. ff. De judic.* Qui prior appellat (seu ad judicem provocat) prior agat: ita tamen, ut ambæ petitiones ac quæstiones vicissim tractatæ (secundùm partes suas) unâ demum sententiâ terminarentur. Sed quia nobiles causam spolij per modum exceptionis proposuerunt, ideò interloquẽdo pronuntiat Pontifex, ut probationes super exceptione priùs audiantur, eáque legitimè probatâ Nobiles non cogantur Abbati super petitis respondere, priusquam Castri restitutionem fecisset, cùm spoliatus spoliatori ante restitutionem respondere non tenea-

neatur. Verumtamen hæc ita accipienda non sunt, quasi probata exceptione spoliationis, idcirco Castri restitutio nobilibus facienda sit. Quemadmodum etiam videre est in teste, qui si per oppositam exceptionem criminis, à testimonio repellatur, tametsi exceptio probata sit, non ideò pœnâ juris ordinariâ puniendus est, sed duntaxat à testimonio ferendo arcendus; idque propterea, quòd contra ipsum testem actio seu accusatio mota non fuerit. Sed neque testes, quorum testimonia tanquam falsa reprobantur, idcirco inter infames censentur.

SVMMARIVM.

1. *Qui alterum spoliauit, in pœnam super jure suo quocunque non auditur contra spoliantem, nisi priùs spolium ei restituat.*
2. *Potest Actori spoliatio objici vel per modum actionis, vel per modum exceptionis & vtrobique diuersi effectus producũtur.*
3. *In quibus causis exceptio spoliationis locum non habeat,*
4. *Si actio non est instituta contra testem, non potest ex actis talis judicii puniri, etiamsi à testimonio ferendo ob crimen obiectum & probatum repulsus sit.*

1 NOta si quis alterum spoliauerit, & postea ipsi litem moveat, conventus non tenetur ei respondere, donec restitutus sit, uti plenius habetur *in c. 1. De restitut. spol.* & est hæc exceptio spoliationis dilatoria, ideóque ante litis contestationem proponenda, præterquam si post litis contestationem spoliatio contigisset, vel cùm primum cognita fuisset, ut *DD. apud Innoc. hîc n. 5.* limitant, & sequitur *Panorm. n. 33.* Sed quid in hoc casu responderi debet ad replicationem Abbatis, quòd ipse non spoliârit, & quòd Castrum secundùm proprietatem ad monasterium notoriè spectet. Dico cum *gl. hîc*, verb. *Contra spoliatorem. Innoc. n. 2.* quòd Abbas vel jusserit Castrum violenter occupari, vel occupationem ratam habuerit, & possessionem nomine Monasterij assentiente & favente conventu detinuerit, aut fortasse non iste Abbas, contra quem excipiebatur; sed eius antecessor nomine totius Monasterij spoliauerat, cùm enim id fecerit tanquam caput Monasterij, etiam successor eius tenebitur, ut *Innoc. hîc docet n. 5.* Fuit autem castrum hoc feudum Monasterij, ideóque jure utilitatis seu ususfructûs nobiles spoliauerat Abbas cum conventu. Alioqui verò si Conventus in spoliationem non consensisset nec ratam habuisset, actio nomine Monasterij instituta, nõ potuisset repelli obiectione spoliationis factæ à solo Prælato, quia delictum personæ, non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. *Reg. 26. in 6.* Secus autem est, si conventus etiam deliquit, ita *gl. hîc notat.* verb. *Ipsius dolum, & gl. in cit. reg.* verb. *delictum.* Etenim hæc pœna quædam est, quòd qui alterum spoliauit, super jure suo quocunque, non audiatur contra spoliatum, nisi priùs ei spolium restituat, ergo proprium autorem tenere debet, & non in alios deriuari innoxios.

Nota II. Spoliatio Actori duobus mo- 2
dis objici potest, vel per modum actionis, adeóque novam & propriam ei litem vicissim intentando, tum duæ causæ sunt simul tractandæ, iuxta *cap. 1. de mut. petit.* vel per modum exceptionis processum judiciarium differentis seu excludentis, donec restitutio facta sit, multum autẽ inter hæc duo interest; nam in priori casu, si spoliatus spoliationem probauerit, absolutè restituendus est, tametsi se Dominum rei esse non probauerit. *c. Grauis. De Restitut. spoliat.* At verò in secundo casu Actor restitutionem facere non cogitur absolutè, sed sub cõditione, si actionem suam prosequi velit; non enim auditur, nisi priùs factâ restitutione. Ratio est, quia judex non impertit suum officium partibus, nisi quatenus actum est seu propositum in judicio, atqui spoliatus ut ponimus, actionem ipse non proposuit, sed solùm exceptionem contra actionem & intentionem adversarij, ergo probatâ exceptione suâ id solum consequi debet, ut actor repellatur, donec restitutionem fecerit. Porrò repulso actore à petitione, si conventus deinde agere velit ad restitutionem consequẽdam, nouo judicio nouísque probationibus opus e-

rit,

rit, uti *glossa hic* docet. *verb. In modum. vers. sed quid.* Quin imò licet Reus in probatione exceptionis succubuerit, nihilominus possessorio judicio postea agere poterit, quia antea actum non erat, ut restitutio fieret, sed tantùm exceptum repellendi causâ.

3 Sunt verò aliquæ causæ, in quibus exceptio spoliationis objici non potest, ut videre est apud *Panorm. hîc n. 22.* 1. Si causa seu jus petendi notorium sit, nam exceptio illa objicitur ad impediendum processum judicii, in notoriis autem non est opus judiciario processu, sed citò condemnatio & executio fieri potest. *c. De manifesta. 17. 2. q. 1.* Cetertùm si etiam spoliatio notoria sit, tunc arbitror eam obstare condemnationi, quia potest dicere spoliatus, non tibi satisfaciam, nisi priùs me restituas, & est æqua petitio. 2. Si periculum in mora sit, seu si causa dilationem non patiatur, ut si agatur de pariete reficiendo, ædibus fulciendis, ne ruina facta vicini ædibus damnum inferat. 3. In Causa matrimoniali & aliis spiritualibus, nõ potest opponi exceptio spoliationis rerum priuatarum *c. 1. §. vlt. De restitut. spoliat. in 6.* Si officium Superioris imploretur, non per modum actionis contra adversarium, sed ut v. g. electus confirmetur, præsentetur, tum nullius spoliationis exceptio fieri potest, cùm ea non nisi præcedente actione concessa sit. Aliam causam ponit *Anton. & Panorm. hîc n. 23.* Si Actor proponat, quòd Reus ipsi ex juramento obligetur, audiendum Reum non esse, si de spoliatione excipiat, id verò verissimum est, si ex circumstantiis appareat, quòd jurans voluerit renuntiare beneficio exceptionis, alioquin verò juramentum intelligitur secundùm naturam & conditiones actûs cui adjungitur; ergo sicuti simplex debitor si conventus sit, non tenetur respondere aut soluere, nisi priùs excusâ quæstione spoliationis, & factâ restitutione, ita etiam debitor juratus. Accedit, quòd juramentum adiectum promissioni, obligationem eius ad novum casum non extendit, sed intensiuè tantùm auget.

4 Nota III. Si testi crimen obiectum probetur, ad hoc ut à testimonio ferendo repellatur, non ideò ex his actis puniri potest. *cap. 1. De except.* quia ad hoc non est actum: *semper enim*, ait *glossa hîc*, verb. *Restitutio*, videndum est ad quid agatur, quia secundùm modum agendi firmanda est sententia judicis. Sed neque testis, si de falso testimonio in judicio convictus sit, inter infames haberi debet, ut hîc, & *l. Lucius 21. ff. de his qui not. infam.* quia actio non est contra ipsum instituta, ideóque nec condemnari debet, si quidem ex sententia pro alio habita, alium prægrauari non oportet. *cit. l. Lucius. in fine.* Declarari autem & limitari debet 1. Quòd judex eâ re excitatus, novum processum ex officio contra testem ob crimen repulsum instituere possit. 2. Si ex tali criminis obiectione testis apud viros honestos infametur, seu existimatio eius grauetur, tum ab Ecclesiasticis dignitatibus repelli potest, ita ut eius electio non confirmetur. *cap. Super eo. 12. De elect.* aut confirmatio tanquâ subreptitiè obtenta rescindatur. *cap. Super his. 16. De Accusat.* Sed beneficiis & dignitatibus antea acquisitis priuari non potest, nisi per novum processum. *cit. cap. Super his. de Accusat. in fine.*

CAPITVLVM III.

Tuam.

PARAPHRASIS.

Mortuo Comite Campaniæ, Regina Cypri tanquam proxima eius consanguinea, succedere volebat: objiciebatur ei Natalium defectus; cùm autem hæc quæstio incidens, quæ priùs terminari debebat, quàm principalis, ad Ecclesiasticum forum spectaret, Honorius III. admonuit Philippum Regem Franciæ, ut super principali successionis quæstione non cognoscat, nisi quæstio Natalium, ex qua illa dependet, à se terminata esset. Mortuo autem Philippo, hoc ipsum scribit ad filium eius Ludovicum, & mandat, ut si à Regina requisitus fuerit, super causâ successionis, se non intromittat, donec causa Natalium à Sede Apostolicâ, ad quam pertinet, decisa sit, cùm alioqui diuersis pro-

processibus intricaretur negotium, & ordo judiciarius confunderetur.

SVMMARIVM.

1. *Non debet secularis Iudex super principali cognoscere, si quæstio incidat ad forum Ecclesiasticum propriè pertinens, ex cuius decisione priùs facienda illa principalis dependet.*
2. *Imò inhiberi potest in tali casu Iudex secularis ab Ecclesiastico, ne procedat.*
3. *Ita ut nec per modum connexionis, decausis, quæ ex proprio obiecto, non tantùm per accidens sunt Ecclesiastica, cognoscere possit.*

1 NOTA I. Judex sæcularis supersedere debet cognitione super principali, si quæstio incidat ad forum Ecclesiasticum propriè pertinens, ex cuius decisione principalis quæstio pendet. Exemplum hîc habes: Si vir aut mulier coram judice sæculari petat se declarari hæredem ratione consanguinitatis, sed obiiciatur ei Natalium defectus, eò quòd matrimonium ex quo nata est, fuerit putatitium & invalidum; hæc exceptio est causæ & actionis principaliter motæ peremptoria seu in eam incidens, de qua priùs cognoscere oportet, quàm de principali; cùm autem judex sæcularis de hac exceptione seu de valore matrimonii ob eius spiritualitatem & rationem Sacramenti inter Christianos cognoscere nequeat, ideò expectare debet donec ea ab Ecclesiastico judice definita sit. *c. Labor. 5. c. Causa. 2. qui filij sint legitimi.*

2 Corollar. I. Si quæstio Spiritualis incidens versetur coram judice sæculari, Ecclesiasticus vel motu proprio, vel ad instantiam partis inhibere potest sæculari, ne procedat, vt hîc & *cit. c. Lator.*

Corollar. II. Cùm exceptio peremptoria suapte naturâ, seu ob specialem eius rationem ad alium judicem spectat, est in effectu dilatorium & emergens, quia differt ac suspendit processum judicis super causa Principali, donec ab altero super peremptoriâ exceptione cognitum & sententiatum sit: Ita tradit *Panorm. hîc. n. 4.*

3 Corollar. III. Judex sæcularis ne quidem per modum incidentiæ seu connexionis cognoscere potest de causis, quæ ex proprio obiecto Ecclesiasticæ sunt, videlicet, de sacris rebus aut personis. Sed alia ratio est de causis, quæ ex obiecto profanæ sunt, & per accidens tantùm, ratione partis litigantis, Ecclesiasticæ, ut si quæstio coram judice laico incidat de expensis soluendis à Clerico actore, ut dixi in *c. 1. de mut. petit.* vel si Clerico agenti contra Titium laicũ, hic obiiciat, quòd sit filius suus, filius autem contra patrẽ talem actionẽ intentare prohibeatur, de ista exceptione dilatoria judex sæcularis cognoscere non prohibetur, teste *Panorm. n. 9.* Contra dicta obiici potest, quòd judex sæcularis cognoscere possit, si quæstio sit tantùm de facto, atqui in proposito casu, quæstio est tantùm de facto, si tibi coram judice sæculari petenti hereditatem, obiiciatur defectus Natalium, quia parentes tui consanguinei fuerunt, aut compatres, ergo de hac quæstione incidente judex sæcularis cognoscet, maiorem enim tradit Bartolus in lege Titia. *ff. soluto Matrimon.* Resp. cum *Panorm. hîc. n. 10. Couarr. in 4. Decretal. part. 2. c. 8. §. vlt. n. 3.* contrarium colligi apertè ex hoc c. ideóque hanc regulam statuendam, quòd judex sæcularis cognoscere non possit, de quæstione facti, si ea redunder in quæstionem propriè Ecclesiasticam v. g. de valore matrimonii ita vt hæc ex illa dependeat. Et notandum hoc est obiter, contra judices sæculares, qui ad forum suum admittunt causas de possessorio in jure decimarum, inventandi bona parochorum defunctorum &c. quo in casu ad judicem Ecclesiasticum pertinet, inhibitoriales contra eos decernere, & causas revocare ad suum tribunal, quandoquidem ex decisione possessorii præiudicium infertur causæ proprietatis, præterquam quod continentia causæ dividi non debeat. Simile est si contractui tanquam matrimoniali aliquis loco parochi adstitit, de quo dubitatur an fuerit Sacerdos, vel assistendi potestate præditus, causa hæc ad judicem Ecclesiasticum pertinet. Imò vniuersim loquendo, quotiescunque

que duo in facie Ecclesiæ pro legitimis conjugibus habentur, & incidat mera quæstio ánne seu utrùm Matrimonium inter eos in facie Ecclesiæ contractum sit, quòd judex Ecclesiasticus inhibere possit sæculari, ne procedat in eiusmodi quæstione, etiam incidenter, colligitur ex *cap. Si judex. 12. de sentent. excommunic. in 6.* & tradit *Couarr. loc. cit.* aliique apud *Panorm. citatis n. 12.* idque in hoc casu propter errandi periculum & publicæ opinionis præsumptionem.

Cap. Vltimum.

Super.

PARAPHRASIS.

Spoliatus agens judicio possessorio recuperandæ seu ad restitutionem rei ablatæ aut occupatæ, non tenetur convento respondere super aliâ reconventione aut petitorio judicio, præterquam si reconventio fiat super alia spoliatione.

SVMMARIVM.

1. *Vtrumque cassatur priuilegium, si concurrant duo ex causa omnino pari diuersis partibus competentia, & seruatur jus commune; secus si ex diuersis causis competant; vel vnus tantùm in genere, alter verò specificè in hac causa priuilegiatus sit.*

NOTA. actio Possessoria recuperandæ priuilegiata est, ut qui eam intentat aduersario respondere non teneatur, præterquam si & ipse de spoliatione excipiat, aut reconueniat.

Corollarium. Si concurrat priuilegium cum priuilegio ex causa omnino pari, tum vtrumque cassatur, & seruatur jus commune, sic dicunt DD. nominatim *Panorm. in c. Præsentia. n. 37. de Probat.* si Ecclesia hæres instituta sit, quòd possit ex legatis alteri Ecclesiæ relictis detrahere falcidiam, sicuti communi jure ex legatis detrahi solet; secus autem est, si aliquis in genere tantùm priuilegiatus sit, aliùs verò specificè in tali causa, tunc priuilegium specificum prævalet, quâ ratione Ecclesia contra Ecclesiam, minor contra alium minorem petit restitutionem in integrum. *c. Auditis. 3. de in integr. restitut.* nam hoc beneficium competit ratione læsionis, quæ in altera Ecclesia similiter non reperitur, vt ponimus, nam si æquè etiam ipsa læsa sit, restitutio aduersùs eam non concedetur. Secus item est, si ex diuersis causis priuilegia competant, tum priuilegiatus contra priuilegiatum potest vti priuilegio, *arg. l. 1. ff. Ex quibus causis Maiores.* Videatur *Bartol. in l. Quas actiones. n. 3. C. de SS. Eccles. Panorm. hîc n. 2.* sic v. g. absens ex causa necessaria restituitur aduersùs præsentem, si ob absentiam possessiones & jura sua amisit, sed & vicissim præsens restituitur contra absentem, si ex eo, quia nemo aderat, qui eum defendere vellet, tempus actionis extractum fuit.

cit. l. 1.

TITVLVS XI.

DE PLUS PETITIONIBUS.

INTER exceptiones, quæ Actori ante vel post litem contestatam objici possunt, etiam ea est, quòd plus petat, quàm debeatur, quare hoc loco titulus iste ponitur.

CAPITVLVM I.

Consilium.

PARAPHRASIS.

Non est consultum Actori, ut pecuniam sibi debi-

debitam ante solutionis terminum petat, quia plus petentium importunitas puniri solet, si super petitione sua in judicio persistant, ita ut qui *causâ* plus petunt, aut *re*, adversario ad expensas condemnentur; qui autem *loco* plus petunt, ad interesse obligentur; & qui tempore plus petunt ab adversario, huic induciæ duplicentur, neque cogatur litem suscipere, nisi expensæ ipsi soluantur.

SVMMARIVM.

1. *Quot sint modi plus petendi.*
2. *Quæ pœna ex jure ciuili olim fuerit plus petentium, & quæ hodie sit tam de jure ciuili, quàm de jure canonico.*
3. *In alternatiuis ex contractu, debitoris est electio: in alternatiuis verò ex vltima voluntate, plerumque legatarii est electio, nisi verba executionis ad hæredem vel Creditorem dirigantur.*
4. *Actor ex natura rei de interesse tenetur debitori, si alio loco solutionem petat, quàm conuentum fuerat: & in pœnam plus petitionis etiam ad expensas litis, si sine justa causa petat.*
5. *Plus tempore petens, si Reus conuentus dilatoriè quoad actionẽ eum excludere velit, in pœnã duplicato tempore à judicio huius causæ absistere cogetur: si verò peremptoriè quoad executionem sententiæ eum excludere velit, tanto tempore executionem & solutionem excludet, quanto tempore creditor solutionem petendo anticipat.*

1 ADverte 1. quatuor modos plus petendi, Causâ, Re, Loco, Tempore. Plus causâ peti dicitur: dum aliquid in genere, vel alternatiuè debitum est, idque in specie vel cum determinatione certi petitur; Re autem plus peti dicitur, si v. g. decem debeantur, & viginti petantur. Loco autem, cùm quis alibi conuenitur, quàm ubi conuentum erat; Tempore, cùm ante diem vel conditionem petitur, quod debetur.

2 Adverte 2. Quòd olim pœna plus petentium fuerit, ut causam amitterent, nec facilè in integrum restituerentur, nisi ratione ætatis aut justi erroris de facto. *Instit. de action. §. Si quis agens*; hodie verò hæc pœna sublata est, excepto uno casu, si quis super maiori quàm ipsi debeatur quantitate cautionem exegerit, & ita non revocans quod actum est, nec transigens, litem contestatus fuerit, toto debito carere debet. *l. vnica. C. h.t.* idque adversùs usurarios notandum est; In aliis verò causis, si quis plus petere convincatur, canonico jure tenetur parti litiganti ad expensas. Si dicas nihil noui hoc esse, cùm omnibus temerè litigantibus incumbat, ut ad damna & expensas condemnari possint. *c. Calumniam. de pœn.* Resp. enim. *Cum Panorm. hic n. 10.* discrimen magnum esse, nam condemnatio in expensas fit accessoriè, si pars petat ante latam sententiam, postea verò judex cùm officio suo functus sit, non potest ampliùs de expensis tractare. *leg. 3. C. de fruct.* At verò exactio expensarum ex hoc Canone in modum pœnæ fieri potest, principali seu propriâ institutâ actione etiam post latam sententiam.

3 Ex textu Notandum insuper I. Quòd in debitis ex contractu in alternatiuis seu indeterminatis debitoris electio esse debet, vt si quis promiserit dare equum, non cogitur dare bucephalum, sed quemcunque ipse voluerit, *l. Plerumque. 11. in fin. ff. de jure. de jure dat. & reg. 70. in 6.* In alternatiuis debitoris est electio, & sufficit alterutrum præstari. Excipe nisi verba executionis dirigantur ad creditorem, ita vt appareat, ipsi concessam esse electionem, v. g. soluto matrimonio mulier res dotales vel æstimationem earundem accipere poterit: *l. Plerumque. §. Si res in dotem*; idémque est, si quis dicat, facio tibi facultatem hunc vel illum equum accipiendi; vnum vel duo plaustra lignorum in silua cædendi, quia eiusmodi disiunctio adiecta censetur in fauorem promissarii, vt notat *Molina tr. 2. d. 270. n. 5.* Loquor autem de debitis ex contractu; nam in Vltimis voluntatibus, videlicet legatis, electio plerumque est legatarii, v. g. volo, vt Fratri meo proueniat illo loco sita vinea, vel centum aurei; frater alterutrum eliget. *l. Planè. 34. §. penult. ff. de legat.* Præterquam si verba executionis dirigantur ad hæredem, v. g. hæres meus fratri meo Vineam dabit, aut centum aureos. *l. Si ita velit. 43.* Ratio verò discri-

minis inter contractus & vltimas voluntates est, quia in voluntatibus vltimis ob earum fauorem plenior interpretatio fieri debet quàm in contractibus. *reg. 12. junct. gl. ff. de Reg. jur.* atque in contractibus sibi imputare debet stipulator, quòd obligationem, quam imponere voluit, non magis expresserit, *l. Veteribus. 39. ff. de pact.* Sed quid si Titius habens duos equos, promiserit alterutrum tibi dare, & ante promissionem impletam sine morâ aut culpa promissoris, vnus eorum moriatur, debétne alterum dare? Resp. Affirmatiuè. *ex l. Stichum. 95. §. 1. ff. de solut. l. 12. §. Scaeuola. ff. de eo quod certo loco.* Excipe I. Nisi vnus ex equis promissis, ab eo qui eligendi jus habebat, electus fuerat, tum eo mortuo liberatur promissor. *cit. l. Stichum*; nam id generatim verum est, vt si res casu pereat, eius damno pereat, cui in specie debetur. Dico si casu pereat, secus si culpa seu mora culpabili creditoris. Excipe II. cum *gl. in cit. § Scaeuola, Molin. l. c.* si vna ex rebus sub disiunctione debitis, ita vt in promissoris electione esset, alterutram dare, absque eius culpa pereat, quo in casu satisfaciet promissor præstando eiusdem æstimationem *l. Cum rebus. 47 § Sed si Stichus. ff. d. l. 1.*

4 Nota II. Si quis eum qui promisit certo loco se soluturum, alibi conveniat, tenebitur ad id quod interest debitori solutionem in alio loco fieri, quàm constitutum erat, quandoquidem non in omnibus locis idem rerum pretium est, aut pecuniæ æstimatio, ita etiam habetur in *l. 1. & 2. ff. de eo, quod certo loco.* & §. *Plus autem. Institut. de actionibus.* Verumtamen hæc non est propriè pœna hujus cap. cùm id ex rei natura nascatur, vt si debitor alibi soluere jubeatur, quàm promiserat, ratio habeatur eius, quod interest; quamobrem distingui debet, aut enim justam causam actor habet in alio loco petendi, si videlicet debitor in loco constituto nunquam reperiatur, aut conueniri facilè non possit, tum vbique terrarum vtili actione conueniri poterit, ita tamen vt ratio habeatur, tam ex parte creditoris, quàm debitoris, quatenus eorum interest, quòd alio loco solutio fiat *l. 2. ff. de eo, qui certo* &c. aut non habet justam causam alibi petendi, tunc non tantùm ad interesse tenebitur, sed etiam ad expensas litis, cùm pœnam plus petentis incurrat. Sed quid, si quod alibi promissum est, solui petatur in loco domicilii? videtur id concessum ex lege *Hares. §. vlt. ff. de judic.* Resp. *Jo. Fab.* & *Mynsing. cit. §. plus autem*; posse quidem conveniri in loco domicilii, sed facta mentione loci, in quo solutio destinata erat, ita vt si interfit debitori, alibi potiùs solui, habeatur ratio vtilitatis seu interesse.

Nota III. Si quis tempore plus petat, § 5
videlicet ante diem definitum, vel ante impletam conditionem, v. g. si quidpiam promissum sit sub conditione nuptiarum, ita puniri debet, vt tempus quatenus ab ipso præuentum est, in odium eius duplicetur, vt si duobus mensibus actionem anticipauit creditor, quatuor mensibus à judicio huius causæ absistere cogatur, si Reus conuentus actionem eius excludere velit dilatoriè, sin autem peremptoriè, ita vt sinat judicem sententiam ferre, tum eam ita moderari debet, vt solutio seu executio sententiæ non fiat, nisi duplicato illo tempore elapso. Sic docet *Innoc. hîc. & Panorm. n. 12. & 14.*

TITVLVS XII.

DE CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS.

Si Causa possessionis & causa proprietatis seu ab eodem, seu à diversis in judicium deducatur, dubitari solet, quo ordine ac modo tractandæ sint, quod in *hoc. tit.* discutitur.

Cap. I.

Susceptis.

PARAPHRASIS.

Felix, illustris Siculus conquestus est S. Gregorio

gorio Pontifici, quòd actores Ecclesiæ Syracusanæ possessiones eius iniustè occupârint, petiitque se restitui. Sed Gregorius respondit, judices à partibus eligendos esse, qui de vtraque tum momenti seu possessionis, tum proprietatis causa cognoscant, cùm ita Cæsareis legibus definitum sit, & se parte alterâ inauditâ judicare haud posse. Ita habetur in *l. 7. registri epistolarum indict. 2. epist. 100. ad Felicem & epist. 101. ad Joan. Syracusanum Episc.*

SVMMARIVM.

1. *Apud eundem Judicem causa proprietatis & possessionis tractari debent.*
2. *Parte absente, & non citatâ judicare, ne Principi quidem concessum est.*
3. *Nisi causa notoria sit, aut periculum sit in mora.*
4. *Mandata sine clausula justificatoria data in quibus casibus valeant.*
5. *Quodnam sit discrimen mandati cum vel sine clausula justificatoria dati.*

1 NOTA I. Causa proprietatis seu Domnii & possessionis apud eundem judicem tractari debent. Ita habetur in *l. Nulli. 10. de judiciis.* vbi dicitur, quòd causæ continentia, seu causa plures partes vel quæstiones in se continens, diuidi non debeat, & puniendum esse, qui alium super causa possessionis, & alium deinde super proprietatis quæstione judicem postulârit. Ratio reddi debet, vt causa citiùs expediatur, nam qui de possessione cognouit, faciliùs proprietatis causam definiet.

2 Nota II. Ne principi quidem concessum est judicare parte absente & non citatâ, quia jus se defendendi atque ad obiecta respondendi, cuilibet naturali ac gentium jure competit, ut habetur *in Clement. Pastoralis. §. Cetera. de sentent. & re judic.* Vbi tamen exceptionem posui ex communiore sententia, quòd judex præsertim supremus in causa notoria, & si periculum in mo-
3 ra sit, procedere possit ad sententiam ferendam eiúsque executionem, non præmissâ citatione, nam ideò præmitti ordinariè debet, ne Reo se defendendi jus auferatur, quæ ratio cessat, si notoriè constat, nullam ei defensionem competere, videlicet si & factum notorium sit, & injustitia, seu prohibitio facti.

Corollarium. Licet ordinariè mandata, 4
quæ dantur sine clausula justificatoria, parti transmissa non valeant, nec obligent ad executionem, cùm judex ab executione incipere non debeat, sed partium citationem, causæque cognitionem præmittere. *l. 1. De Executione rei judic. l. Nequaquam, §. Vbi decretum. ff. De offic. Proconsulis.* Excipi tamen debet, si tale factum sit, quod nullâ tergiuersatione celari, nullâque excusatione justificari possit, nam quod aliquo præsente & invito fieri potest, idem quoque fieri potest eo absente aut ignorante. *l. Ergo 4. principio. junct. gl. marginali. ff. de fidei commiss. libertatibus: ff. de Reg. jur. & Reg. 27.* Atqui in dicto casu facti notoriè illiciti Reus condemnari potest, etsi præsens quomodocunque contradicat vel se defendat, ego etiam absens potest. Alios casus decernêdi mãdata sine clausula, videbis apud *Gailium. l. 1. Obseru. 13. Mindanum de mandat. judicial. l. 2. c. 11. Tillmannum de Benignis, Pentecon. 2. obseruationum Camer. obseru. 31.* qui tamẽ fermè ad unum casum referri possunt, si periculum in mora sit, quia damnum quod timetur, nisi statim succurratur, postea irreparabile erit, ut si aliquis vitæ innocentis insidietur, alimenta alicui debita neget, silvam arboribus exscindendis devastet, vel si de religione, publica pace, & tranquillitate conseruanda agatur, & ita notauit *gl. Magna ex Jasone in l. De pupill. 5. §. Si quis vinos. ff. De noui operis nunt.* quoties enim est periculum in mora, recedere licet à regulis juris communis. Pro pleniore huius rei intellectu. Adverte frequens esse, ut pars, quæ iniuriam aut vim patitur, à judice impetret mandatum contra molestantem, aut iniustè possidentem, etiam antequam is citatus sit. videlicet ad celeriorem causæ expeditionem, præsertim si periculum in mora sit. Et est duplex mandatum unum cum clausula

justificatoria, alterum mandatum sine clausula. Discrimen est, quòd illud relinquit parti potestatem justificandi causam suam, seu rationes ac defensiones intra certum terminum afferendi, cur mandato parêre non debeat iuxta formam quam indicat *gl. fin. in 0. Ex parte 23. De verborum significa.* Mando tibi ut rem ablatam restituas, captivum liberum relinquas, ab ædificatione desistas, ædificata destruas, aut si eâ re te gravari existimas, intra octo dies, numerandos ab eo quo has literas acceperis, te sistas, & defensiones proponas, alioquin siue veneris siue non veneris, nisi mandatum executus fueris, incidas in talem pœnam: quòd si pars, cui ita mandatum, rationes relevantes judici probauerit, tum ipsa absoluitur revocato mandato; sin autem rationes suas non justificauerit judici, tum priùs illud mandatum firmum manet, sicuti & pœna decreta, nisi paruerit intra terminum vel antea ipsi præfixum, vel tunc de nouo præfigendum. Videatur *Gail. l. 1. obseru. 19. Mindan. l. 2. c. 7.* Mandatum sine clausula justificatoria, est, quo aliquid sub pœna decreta præcipitur, non relictâ potestate afferendi rationes, cur mandato paritum non sit, sed tantùm afferendi rationes, cur pœna iniusta non sit. Exemplum: Mando vobis Consul & Senatores, ut ædificium quod in Solo alieno spretâ monitione & denuntiatione à Domino loci factâ exstruxistis, cùm id factum vestrum notoriè iniustum sit, ac nulla ratione justificari queat; mox ut has literas acceperitis, destrui curetis sub pœna 12. marcarum auri; insuper vocamus vos peremptoriè ad 16. diem Aprilis, in quo comparere debeatis, & fidem facere de præterita monitione ac obedientia. Sin autem mandato non obtemperâstis, ut appareat vos in pœnam incidisse, aut rationes afferatis relevantes, quare ad declarationem pœnæ procedendum non sit. Et talis quidem formula obseruatur, si aliquid agi mandetur, sin autem mandatum inhibitorium sit, de non offendendo, non arrestando, tum citatione opus non est ad ostendendam paritionem & obedientiam, sed postquam mandatum contumaciter spretum fuit, tum citatio fieri potest ad videndum declarandúmque pœnam incursam esse. Qua de re *Mindanus cit. l. 2. c. 10. n. 5.*

CAPITVLVM II.

Ad vltimum.

Paraphrasis.

Titius agebat contra Caium in causa possessionis adipiscendæ, & simul petitorium admiscebat, (dicens & probare paratus) sibi jus proprietatis cõpetere, Papa utrãque causam possessorij & petitorij judicibus delegauit, ij ut parcerent partiũ sumptibus & expensis, allegationes & testium depositiones super utroque judicio permixtim exceperunt, sed cùm viderent testificationes super petitorio esse magis intricatas, visum fuit, ut priùs examinatis testificationibus super possessorio secundùm eas pronuntiarent, postea verò resumerent causam petitorij. Quærebant num id facere potuerint? Resp. Cælestinus III. Rectè ita procedi, cùm jure Ciuili id expressum reperiatur.

Svmmarivm.

1. *Quid sit petitorium & possessorium judicium, & hoc quotuplex?*
2. *Quot modis concurrere possint petitorium & possessorium judicium?*

ADverte 1. Quod judicium aliud est petitorium de dominio seu proprietate rei, aliud verò est possessorium, seu de possessione. Judicium possessorium est triplex, vel enim instituitur causa adipiscendæ possessionis, ut si hæres cupiat se mitti in possessionem rerum hæreditariarum, quas alius possidet, interdicto quorum bonorum, aut legatorum. §. *Sequens. Instit. de interdictis.* Huc etiam spectat interdictum Saluianum, quod datur locatori seu Domino ad recipiendam possessionem rerum pro solutione pensionis sibi obligatarum. §. *Interdictum. Instit. eodem.* Vel instituitur causa testituendæ pos- 1

dæ possessionis, si videlicet duo sibi possessionem vindicent, sed Actor dicat se turbari in possessione sua, quam saltem animo seu ciuiliter adhuc retinet, hoc casu locus est interdicto, *vti possidetis*, aut *utrobi*, quorum illud pro rebus immobilibus competit, hoc pro mobilibus. §. *Quorum jus. Instit. eod.* Vel denique instituitur causa recuperandæ possessionis, à qua per vim aliquis deiectus est, tum locus est interdicto *Vnde vi* in rebus immobilibus, *vi bonorum raptorum* in rebus mobilibus. §. *Recuperandæ. instit. eod. iuncta gl. Vide cap. Pastoralis. verb. Quod de h.t.*

2 Adverte 2. Possessorium & petitorium judicium duobus modis concurrere possunt. 1. Ex parte Actoris, ut in eodem libello eadémque actione cumulentur, id verò impossibile est in interdicto *retinendæ*, cùm enim Actor fateatur se possessorem, non potest rem petere sibi dari, seu restitui; at verò in interdicto adipiscendæ vel recuperandæ fieri id potest iuxta responsum huius capituli. Et licet testes, aliæque probationes super utraque causa simul examinari & unâ sententia utraq; causa terminari possit, atque ordinariè ita debeat. *c. Pastoralis. 6. Cùm dilectus. h.t.* non prohibetur tamen judex ex justa causa aliter procedere, ut videlicet post receptos testes super utraque causa priùs expediat possessorium, postea progrediatur ad petitorium judicium. 2. Concurrere possunt petitorium & possessorium seiunctim, ut Actore petente possessionem, Reus excipiat & obtendat proprietatem ac Dominium sibi competere, tum distinguendum, vel uterque ait se possidere, quod accidere potest, si plures v. g. tanquam hæredes possideant castrum cum juribus adhærentibus, & unus alterum repellere velit, hoc casu necesse est judicium possessorium priùs summariè tractari, atque unum in possessione collocari, ut appareat quisnam petitor esse debeat, seu petitorij judicii actor, iuxta *l. Ordinarij 13. iunct. gl. C. De Rei Vind.* & clariùs in *l. Incerti. C. De interdictis.* ubi dicitur: ortâ proprietatis & possessionis lite, priùs possessionis decidi oportere quæstionē, ut ex hoc, ordine facto, de Dominij discussione probationes ab eo qui de possessione victus est, exigantur; vel Reus tantùm possidet, tum si agatur judicio possessionis adipiscendæ, admittitur Reus, si probationes competentis sibi dominij in continenti afferre velit, ut docet *gl. in c. 1. verb. Contentionem. de restitut. spol. Panorm. hic in fin.* Sin autem agatur judicio recuperandæ contra spoliatorem, non admittitur talis exceptio, quia possessor ante omnia restituendus est. *Arg l. 3. §. ibid. ff. Ad exhibendum*, & docet *Dinus in Reg. 73. in 6.*

CAPITVLVM III.

Cùm Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Vacante Ecclesiâ Sutrinâ Canonici Cathedrales convenientes in unum, præmisso secundùm consuetudinem hymno: Veni S. Spiritus, Episcopum elegerunt, eúmque à sede Apostolica confirmari postulârunt: sed Clerici Conventualium Ecclesiarum se opponebant, petentes electionem infirmari, quia ipsis renitentibus & exclusis, electio peracta fuerat, cùm tamen in Episcoporum electionibus ipsi, & antecessores ipsorum consueverint interesse. Partibus apud sedem Apostolicam constitutis, coram auditoribus testes utrinque recepti fuerunt, quorum publicatis attestationibus, dicebant Canonici intentionem suam, quòd ad ipsos tantùm electio spectaret, satis probatam esse; sed pars altera contra dicebat, quòd testes meliùs probârint assertionem suam, videlicet quòd ipsi electioni Episcoporum interesse deberent, cùm attestationibus constaret, ipsos tribus proximè antecedentibus Episcoporum electionibus unà cum Cathedralibus interfuisse, & vocem activam habuisse. Innocentius III. examinatis attestationibus, deprehendit testes à Canonicis Cathedralibus productos varios fuisse, & coram auditoribus vacillâsse, imò etiam de negativâ quodammodo testatos fuisse, vi-

se, videlicet jus electionis ita ad Canonicos spectare, ut ad Clericos minimè pertineat: at verò testes Clericorum sufficienter ostendisse, ipsos in trium Episcoporum electionibus adfuisse & suffragiū dedisse; quam ob rem electionem illam, quæ Clericis renitentibus & exclusis facta erat, irritandam esse decreuit, Clericis eam quam ante litem motam habuerant, possessionem restituens. Verùm ulteriùs considerans Innocentius, quòd in dicta quæstione & altercatione, quidquid juris utraque pars in Electione habebat, videretur deduxisse, quandoquidem ciuili jure cautum est. *l. Solemus. ff. De Judic.* In judicium venire omne id, de quo actum non est, ut non veniret: deinde quòd secundùm Canones electio Episcopi ad Canonicos Cathedrales pertineat, nisi speciali consuetudine aliquid obtentum sit; at verò Clerici, tametsi Episcoporum electionibus tertiò se interfuisse contenderint, tamen propter temporis breuitatem jus eligendi per præscriptionem non compatârint: denique quia Actore non probante, Reus etsi nihil præstiterit, obtinere debet. Propter hæc Innocentius Canonicos à petitione Clericorum absoluit, super jure eligendi, Clericis perpetuum silentium indicens.

SVMMARIVM.

1. *Nomine Conuentualium Ecclesiarum etiam Ecclesiæ collegiatæ sæcularium Clericorum veniunt.*
2. *Priuatur quasi possessione juris eligendi, qui ad eligendum non admittitur: amittit verò eam, qui ex metu repulsa ferendæ non accedit.*
3. *Contempti siue repulsi ab electione, possunt agere ad infirmandam & rescindendam electionem.*
4. *Quædam pro intellectu huius capituli notanda.*
5. *Quanam requirantur ad præscribendum jus eligendi?*
6. *Qui deponunt de negatiua facti alicuius, non restringendo ad locum, tempus & depositionem hanc, faciunt se suspectos.*
7. *Sententia in petitorio lata efficacior est, quàm sententia lata in possessorio, & hanc quamuis priorem secundùm effectum sæpe reuocat.*
8. *Quod sub petitione principaliter, vel accessoriè comprehendi potest, id omne ab actore in judicium deductum videtur, nisi expressè aliquid exceptum sit.*

NOta I. Etiamsi sæcularium Clericorum Ecclesiæ Collegiatæ dici possint Conventuales. Communiter tamen nomine Cōventualium Ecclesiarum, intelligi solent Regulares, uti *Panorm. hic notat.* 1

Nota II. Si quis existens in quasi possessione juris eligendi, pro unâ vice non admissus, seu repulsus sit, censetur possessione priuatus, ut hîc apparet; sed & amittitur possessio, si quis præ timore ad electionem accedere non sit ausus, vel quia putabat, jus sibi non competere, vel quia credebat, se non admittendum; tunc enim animum possidendi deponit, sine animo autem nec acquiri, nec retineri potest possessio, uti colligitur *ex l. 3. §. Non admittenda. ff. De acquir. possess. Innoc. in c. 2. n. 2. De restitut. in integrum.* 2

Nota III. Si Capitulares petant electionem Prælati confirmari, contemptus seu repulsus, potest se opponere, petendo, ut infirmetur aut rescindatur, & ad hoc obtinendum, sufficit eum probare, quòd tempore instituendæ electionis, seu congregandi Capituli fuerit in possessione juris eligendi. *Argum. c. Consultationibus. 19. De jure Patronatûs, & ex Communi Innoc. hîc n. 7.* quia Canonici, & qui Capitulares sunt, non possunt priuatâ sua authoritate aliquem possessione sui juris spoliare, uti bene *hîc Panorm. n. 57.* 3

Ceterùm pro intellectu huius Capituli, nota, quòd Clerici non tantùm contemptum sui prosecuti sint ad electionem infirmandam, sed simul petiuerint se restitui in possessionem eligendi, atque insuper cum possessorio judicio recuperādæ adiunxerint & petitorium, quandoquidem inter articu- 4

los

los probatoriales posuerunt, quòd ipsi debeant (de jure) interesse electioni; hoc autem Canonici negârunt, dicendo ad ipsos tantùm electionem spectare, ita *gl. hîc.* verb. *spectare*, vbi bene admonet, hos Clericos incautè egisse, quòd cum possessorio petitorium cumulârint, & ita onus probandi titulum, aut legitimam vsucapionem assumpserint, quod præstare non potuerunt; consultius eis fuisset, si solo interdicto recuperandæ petiuissent se restitui, in possessionem juris eligendi, ita vt cum aliis ad proximam electionem admittendi fuissent; vel saltem probandi onus, videlicet tempus legitimum ad vsucapionem completum non esse, in Canonicos reiecissent, & ita admonet Caius Jure Consultus *l. 25. ff. de rei vindicatione.* quòd is, qui destinavit rem petere, animadvertere debeat, an aliquo interdicto possit nanciscì possessionem, quia longè commodius est, ipsum possidere, & adversarium ad onera petitoris compellere, quàm alio possidente petere.

5 Hoc loco disputari solet, quænam ad jus eligendi vsucapiendum requirantur. Resp. Inprimis requiritur possessio, vt videlicet ad eligendum aliquis cum reliquis admissus sit, tanquam ei jus competat, at verò si ex mera voluntate seu gratiâ Capitulares extraneum admiserint, non inchoatur præscriptio, cùm ita admissus jus eligendi non possideat, quare vniuersim dici solet, quòd per gratuitos seu merè voluntarios actus, vsucapio non fiat. Sed quid in dubio præsumendum, aliquem ad actum admissum fuisse, ex gratia, an ex debito? bene Resp. *Imola. hîc n. 10. Panorm. n. 22.* id ex qualitate actûs & circumstantiis arbitrandum esse, nam aliqui actus sunt, qui vix alicui conceduntur ex gratia. *v. g.* vt extraneus vocem actiuam inter canonicos habeat; & tunc vnus actus sufficiat ad acquirendam possessionem juris eligendi, & vsucapionem inchoandam, vt bene hîc docet Imola n. 7. & sumitur ex *cap. Cum de beneficiis. 5. de Præb. in 6.* alii verò actus sunt, qui alteri solent ex amicitia seu gratia concedi, sed non frequenter, tunc non sufficit vnus actus, sed plures requiruntur, ita vt verisimile sit, alterum exercuisse actum tanquam jure sibi competentem. *argum. l. 1. §. Hoc Interdicto. ff. de itinere actúque priuato.* Vbi dicitur necessarium esse vt per triginta saltem vnius anni dies aliquis per fundum alienum juerit aut egerit, vt seruitutem in eo comparârit. Alii denique sunt actus, qui etiam frequenter alicui concedi solent ex gratia & beneuolentiâ, tum etiam sæpe repetiti actus non sufficient ad acquirendam possessionem juris, vt si millies aliquis in Monasterium vt hospes susceptus sit, vel ad cænam alicuius vocatus, non ideò ei possessio juris acquiritur, præterquam si ex circumstantiis appareat, quòd jus sibi aliquod vindicârit, *v. g.* Episcopus dum Monasterium visitat. Alterum requisitum est, bona fides, vt videlicet electionem cum aliis faciens putet jus sibi competere. Tertium requisitum est, scientia & patientia domini, videlicet in casu nostro Capitularium, qui jus eligendi alteri concedere possint, aut si nolint, eundem ab Electione repellere, nam id generale est, quod ad vsucapienda jura, & seruitutes requiratur scientia & patientia Domini *l. 2. junct. gl. verb. sciente ff. de seruitut.* Limitari autem id debet I. Nisi aliunde titulus coloratus habeatur, videlicet ab aliquo Tertio, qui bonâ fide putatur tale jus concessisse, aut concedere potuisse; cùm tamen non concesserit, aut jus non habuerit concedendi. Limitatur II. Nisi ostendi possit tempus immemoriale, quo aliquis fuerit in possessione pacificâ juris eligendi, nam tanti temporis possessio instar tituli est, vt alio titulo & allegatione tituli opus non sit, dummodo sit capacitas in possidente. *arg. c. Super.* de Verborum significatione & *l. Hoc jure. 3. §. Aquæ ductus ff. de aqua quotid.* & ex communi docet. *Joan. Andr. Francus. Bald. de præscript. p. 4. principali. par. 2. q. 1. n. 15. Couarr. Reg. Possessor. p. 2. §. 10. n. 2.* Vbi bene monet, nihil obstare, si vnà cum immemoriali possessione allegetur titulus, neque enim ideò pars litigans obligare se censetur ad probandum titulum, sed per immemorialem possessionem probatus censetur, cùm hæc habeat præsumptionem ti-

tuli seu justitiæ tituli juxta *cit.* §. *Aquæ ductus.* 4. Requisitum, est decursus temporis legitimi; sed quantum debet esse hoc tempus in præscriptione juris eligendi? Resp. *Cum Bald. p. 5. princip. q. 8.* aut extranei, seu qui non è Collegio sunt, eligere volunt exclusis Capitularibus; hoc casu cùm jus commune resistat, requiruntur 40. anni, cum titulo colorato. v. g. Priuilegii Apostolici prætextu; vel tempus immemoriale sine titulo *juxta. c. 1. de Præscript. in 6.* aut extranei eligere volunt, non exclusis collegiatis, tum opus non est titulo, sed sufficere videtur tempus longissimum videlicet 40. annorum, tanto enim tempore contra Ecclesiam circa eiusdem jura præscribitur. *cap. de quarta. 4. c. Illud. 8. de Præscript.* & ita docet *gl. hîc. verb. Breuitatem. Anton. & Imola. n. 25. Bald. cit. q. 8. Conclus. 1. & 3.* contra *Panorm. hîc. n. 43.* qui titulum requirit, vel tempus immemoriale. Ratio est, tum quia agitur de re non grauis præiudicii, tum quia si rectè attenditur, in hoc casu jus non resistit seu non prohibet ex concessione capitularium jus eligendi extraneo competere. Et quæ hîc dixi de jure eligendi, fermè etiam locum habent in præscriptione juris præsentandi, confirmandi.

6 Nota IV. Testes deponentes de negativa alicuius facti, non restricto loco, tempore &c. faciunt se suspectos, tales erant hi testes, quòd ad Canonicos duntaxat pertineat jus eligendi; hæc enim depositio implicitè involuit negatiuam non probabilem, videlicet ad alios non pertinere jus eligendi, cùm tamen ex concessione Canonicorum alióve jure speciali competere posset, id verò affirmanti probandum est, non neganti.

7 Nota V. Cùm possessorium & petitorium simul intentata sunt, licet sententia super possessorio præcedere debeat, potior tamen & efficacior est sententia super proprietate, ista enim vincit & superat possessionem, uti expressè habetur in *c. Cùm dilectus. 6. h. t.* Exemplum habes hîc. Licet enim in possessorio pro Clericis judicatum fuerit, tamen sententia postea lata contra eosdem in petitorio, secũdùm effectũ revocat priorem sententiam, quandoquidem Innocentius Clericis silentium super hoc jure in perpetuum indicit. & hæc est mens *gl. hîc. verb. Reducentes.*

Nota VI. Libellus & petitio Actoris latè explicari debent, ut in judicium deduxisse videatur omne id, quod sub petitione principaliter aut accessoriè comprehẽdi potest, nisi quidpiam expressè exceptum fuit. Ita habetur *in l. Solemus*, vbi Bartolus videri potest. *ff. De judic.* Ratio reddi debet, ut si uno judicio ac sententia tota controversia expediatur, sæpius litigiis fatigari non sit opus. 8

CAPITVLVM IV.

Cum super.

PARAPHRASIS.

Vacante Ecclesia in Bethleem duo in discordia electi sunt, Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ, & Diaconus sepulchri Dominici. Patriarcha Hierosolymitanus electionem Subdiaconi confirmauit, qui tamen mox à sæculari potestate deiectus est & spoliatus episcopatu, quare coram Innoc. III. egit ex interdicto *vnde vi*, seu judicio recuperandæ possessionis, & cùm spoliationem probâsset, sententialiter restitutus est; verùm quia etiam petitorij deductum erat in litem, & tam spoliationis, quàm ipsius electionis quæstio plenè agitata, atque repertum, vtriusque electionem minùs canonicam fuisse, ideò, cùm judex, de quo cognouit, etiam sententiam ferre debeat, utramque electionem irritam esse Papa decreuit. Pro intellectu huius, inprimis adverte, id proprium esse rerum incorporalium, videlicet jurium ac servitutum, ut tametsi aliquis in possessione sit, si tamen ab altero molestetur, petere possit institutâ actione in rem confessoria declarari sibi jus competere. v. g. pascendi, decimandi, eligendi; vel instituta actione in rem negatoria, declarari adversario jus nullum competere, ideóque desistere debere, uti habetur

betur *in §. Æquè. Instit. de Act.* quamobrem frequens est in beneficialibus & similibus juribus, ut cum possessorio cumuletur petitorium, sicuti & in hoc cap. videre est, quòd Subdiaconus episcopatu suo spoliatus, non tantùm petiuerit se in possessionem restitui, sed insuper etiam contra Diaconum adversarium declarari, jus episcopatûs ex electione & confirmatione sibi competere, Diacono jus nullum competere: ita notat *gl. hîc.* verb. *Tam petitorium. Panorm. n. 9. Bartol. in l. Naturaliter. §. Nisi. ff. De acquirend. Poss. seß.*

SVMMARIVM.

1. *Sententia lata pro spoliato in possessorio quo ad principalem quidem effectum corruit, si postmodum in petitorio contraria illi sententia feratur, non autem quo ad effectus aliquos secundarios.*
2. *Si Electio canonica non est, irritari etiam debet confirmatio.*
3. *Electio seu institutio ad Prælaturam, vel Beneficium duplici modo impugnari potest.*
4. *De illis tantùm quæ sunt deducta in judicium cognoscere ac pronuntiare debet Judex, nisi sit supremus, aut novum inquisitionis processum ex officio instituere velit.*

NOta I. De Causa possessorij, priùs judicem sententiam ferre oportet, & postea de causa petitorij, ita dixi *in cap. præced.* Quæritur, quem effectum habeat sententia lata pro spoliato in possessorio. Si sequens sententia superpetitorio eidem cõtraria est.

1 Respondeo & dico 1. Quoad principalem effectum superatur & corruit sententia possessorij seu de restitutione facienda, cùm executioni mandari non debeat, quia obstat defectus notorius proprietatis.

Dico 2. Alios secundarios effectus habere potest verbalis adjudicatio possessionis; videlicet quoad expensas & fructus restituendos spoliato, si in bonæ fidei possessione fuerat, *vti hic gl.* notat verb. *Restituendum. Panorm. n. 7.*

2 Nota II. Si electio Canonica non fuit, etiam confirmatio irritari, seu irrita judicari debet. Ita colligitur ex hoc capitulo, & docet *gl. hîc verb. Confirmatur gl. in c. Si Confirmationem. 39. verb. Infirmari, de elect. in 6.*

3 Nota III. Duobus modis, potest aliquis electionem, confirmationem, aut institutionem alterius in Prælatura aut beneficio oppugnare, vel duntaxat ut electus aut provisus remoueatur, tum sufficit ei probare, minùs canonicè electum aut institutum esse, ostendendo defectum formæ aut vitium personæ; vel ut adversario remoto, sibi beneficium adjudicetur, tum probare insuper debet jus electionis aut confirmationis suæ, alioqui judicabitur neutri competere, & iste est Casus *huius cap. Quia*, ut integra electio appareat, ex utraque parte receptæ sunt testificationes super electione, & cùm neutra electio canonica reperiretur, utraque cassata fuit.

4 Nota IV. De ea re judex pronuntiare debet, quæ in judicium deducta, & ab ipso cognita est. *l. De qua re. 74. de Judic.* Quia sententia conformis esse debet libello ac petitioni. Quæ verò in judicium deducta non sunt, de jis judex cognoscere ac pronuntiare non debet, nisi sit supremus, ut limitat *Panorm. n. 9.* Nam is ex plenitudine potestatis etiam partibus non petentibus jus dicere potest; deinde quilibet judex ex deductis in judicium aut confessione Rei, occasionem sumere potest, novum ex officio inquisitionis processum instituendi.

CAPITVLVM V.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Aliquis spoliatus, coram judice apparens, interrogatur, quo judicio experiri malit, ipse statim libellum offert, de proprietate spoliationis nulla factâ mentione, sed cùm in causa processum esset, super possessorio novũ judicium inchoare nititur, quid judici agendum? Resp. Innoc. III. Si judicio de proprietate, siue rei vendicatione actum sit, sed necdum allegationibus

nibus renuntiatum, & in causa conclusum, posse annecti judicium possessionis adipiscendæ, aut recuperandæ, cùm Cæsareo jure statutum sit, eum qui fundum vendicauerit, pendente hoc judicio, interdictum *Vnde vi*, si spoliatus fuerat, intentare posse, quod tamen de interdictis *Vti possidetis*, & *vtrobique* sunt possessionis retinendæ, dici nequit, cùm ea antecedant petitorium judicium, & simul cumulari non possint.

Ceterùm si in judicio petitorio seu proprietatis allegationibus renuntiatum, & conclusum sit, aliúdque non restet, nisi ut judex sententiam ferat, tum possessorium immiscerì non debet, nisi judici ex certâ causâ id expedire visum fuerit, veluti si ex perspicuis indiciis appareat iniquitas spoliatoris, & quod spoliato probandi dominium subtraxerit facultatem, aut si alia causa æqua judicem mouerit, ut etiam post conclusionem in causa judicium possessorium immiscerì patiatur.

SVMMARIVM.

1. *Spoliatus, de actione, quâ velit experiri, informari debet.*
2. *Cui causa proprietatis delegata est, potest etiam de possessorio adipiscendæ vel recuperandæ cognoscere si coram eo Actor possessorium hoc cumulare velit: neque tamen de causa proprietatis cognoscere potest, vi suæ delegationis, cui possessoris causa tantùm delegata est.*
3. *Citato ad vnam causam, potest præsenti postmodum offerri etiam alia causa, vel actio.*
4. *Agens petitorio, cùm hoc ipso non renuntiet possessorio adipiscendæ aut recuperandæ, potest cumulare possessorium priusquam in causa conclusum est.*
5. *Quando verò in causa conclusum iam est, ordinariè non admittitur Actor ad possessorium, nisi causæ æquitas præsertim in possessorio recuperandæ aliud suaderet.*
6. *Quòd si sententia lata jam sit contra Actorem in petitorio, adhuc tamen ad possessorium admittetur, si in petitorio tantùm succubuit, quia dominium probare non potuit; non autem, si ita succubuit, vt Dominium reo competere judicatum sit.*
7. *Agens petitorio in rebus corporalibus renuntiare censetur judicio possessorio retinendæ.*
8. *Nisi per alium ignorans tamen possideat.*
9. *Vel nisi amissâ quidem naturali, ciuilem adhuc tamen possessionem retineat.*
10. *In juribus tamen & seruitutibus potest cum possessorio retinendæ confessoria aut negatoria in rem actio cumulari.*

NOta I. Si quis coram judice queratur se spoliatum esse, non ideò apparet, quâ actione experiri velit, vtrùm interdicto recuperandæ, an rei vindicatione, an condictione ex *l. Si quis in tantam &c. Cod. Vnde vi*, an denique actione iniuriarum, quamobrem à judice interrogandus est, aut jubendus libellum formare, ex cuius conclusione appareat, quid petat, & intendat. 1

Quæritur hoc loco si causa proprietatis judici delegata sit, & Actor coram eo cumulare velit possessorium adipiscendæ vel recuperandæ, vtrùm delegatus de eo cognoscere possit, negant multi Legistæ *in l. 3. C. Si autem non competente informatione. Zasius & Bald. n. 14.* sed contrarium rectè continet *gl. hîc.* verb. *Requisitus. Ioan. Andr. n. 11. Panorm. n. 10.* Ratio est, quia causæ istæ sunt connexæ, ita ut judicium proprietatis commodè tractari ac definiri non possit, nisi præcedente aut coniuncto judicio possessorio. *Ad leg. 3.* Resp. Eam magis fauere nostræ sententiæ, nam ibi dicitur, si judex delegatus super proprietate de causa possessionis tantùm pronuntiârit v. g. pro possessore, quòd nihilominus Actor, qui in possessorio succubuit, petitorium intentare possit, uti docet *Bart. in l. Naturaliter. §. Nihil. ff. De acquir. possess.* Ceterùm si cui causa Possessorij delegata sit, v. g. ut super molestationibus & infestationibus cognoscat, is de causa proprietatis vi huius delegationis cognoscere nequit. Vti docet *gl. recepta. in c. 1. verb. indistinctè.* de sequestratione possessionis. 2

Nota, II. Tametsi aliquis citatus sit ad vnam causam, potest tamen ei præsenti offerri 3

ferri alia causa seu actio, nam citatio tendit ad præsentiam exhibendam, igitur si præsens aliquis sit, in judicio opus non est aliâ citatione, ita notat *Panorm. hic n. 7.*

4 Nota III. Qui agit judicio petitorio, seu rei vendicatione, non ideò censetur renuntiare possessorio adipiscendæ aut recuperandæ, quare cumulando possessorium, priusquam in causa concluſum sit, suspendere potest petitorium, ita etiam habetur in *l. Cùm fundum. 18. §. Cum qui. ff. de vi. Et Clem. vnica. h. t.* videlicet, si contra Titium instituisti actionem vindicationis, sed in progressu litis animaduertens difficilem tibi esse Dominii probationem, obiicias, Titium possessionem violenter occupâsse, & ad hoc probandum te offeras, audiendus es, vt interim differatur petitorium judicium, quia si probaueris spoliationem, restituendus eris etiam non probato Dominio. Similiter in interdicto possessionis adipiscendæ; Si quis petitionem hæreditatis intentauit ex testamento, sed valorem testamenti difficulter se probaturum animaduertit, petere potest summariè ac de plano, vt possessio hæreditatis ei adiudicetur, & hac ratione onus probandi inualiditatem testamenti in eum reiiciatur, qui pro hærede ab intestato possidet.

5 Cetcrùm postquam concluſum est in causa, vt statim ferenda sit sententia absolutoria Rei, quia actor succubuit in petitorio, tum ordinariè non admittitur ad possessorium, nisi propter æquitatem ex justâ causâ: & quidem frequentiùs in judicio recuperandæ admittitur actor ad probandam violentam occupationem, in eum finem, vt onus probandi proprietatem in inuasorem aduersarium reiiciatur; juxta *cit. l. Cùm fundum. §. Eum qui. vbi Bart. n. 17.* Idque propter odium spoliantis, vti notauit glossa in *cit. Clem. vn.* verb. *spoliantis*, vbi ait, quòd propter odium spoliantis transire licet à petitorio ad possessorium.

6 Sed quid si sententia lata sit in petitorio contra actorem, admittetur ne ad possessorium? affirmat *gloss. hic* verb. *Causa.* etsi aliquis succubuit, inquit, in judicio proprietatis, adhuc post sententiam accedere potest ad possessorium, & è contrario; sunt enim diuersa & separabilia judicia, juxta *cit. §. Nihil commune.* Verùm hoc intelligi debet, si actor succubuit in petitorio solùm, quia jus seu Dominium probare non potuit, tunc enim ei obiici nequit defectus notorius proprietatis repellens à judicio possessorio, quia non sequitur, actor defecit in probatione, seu probare non potuit, ergo nullum ei jus competit. Alia verò ratio est, si ita succubuit, vt pro Reo seu possessore pronuntiatum sit, Dominium ipsi competere, tunc agenti possessorio adipiscendæ obstat exceptio rei judicatæ super proprietate, seu quod eodem recidit, defectus notorius proprietatis, vt bene *not. Bart. loc. cit. n. 16. Panorm. hîc n. 27. Molin. tr. 2. de Iustit. disp. 16. n. 6.* dicens, quòd hæres post aditam hæreditatem petens possessionem alicuius rei, quæ mortis tempore ad defunctum pertinebat, à possessore repelli possit exceptione sibi competentis dominii, si vel id notorium sit, vel in continenti probari queat. Ratio est, cùm enim Domino rei suæ vindicatio competat, ideò frustra agis contra eum judicio possessorio, vt rem tibi tradat, quando, postquam tradidit, denuò ipsi redhibenda est. Idem est dicendum de judicio possessorio recuperandæ, quòd intentari non possit propter notorium defectum proprietatis, postquam res judicio petitorio spoliatori adjudicata fuit; quamuis contrarium senserit Dinus in *regul. 73. n. 3. in 6. arg. l. Si quis in tantam 7. C. Vnde vi.* vbi statuitur, quòd violenter inuadens possessionem, puniendus sit, ita vt si res sua fuit, eius dominio priuetur, & spoliato acquiratur, sin sua non sit, sed aliena, tum non tantùm rem restituere teneatur, sed etiam eius æstimationem, sed facilis est Responsio, hanc actionem seu condictionem ex ista l. non negari spoliato, si eam intentare velit, postquam in petitorio succubuit, sed hoc tantùm dicimus, eum qui in possessorio ita succubuit, vt possessori Dominium

nium adiudicatum sit, non posse intentare judicium possessorium, quia proprietas absorbet possessorium, ita ut competere non possit ei, quem constat non esse Dominum, nec aduersùs eum, quem rei Dominum esse constat. Denique agenti possessorio retinendæ, tum demum obstat exceptio rei judicatæ aut Dominii competentis Reo conuento, si etiam ipse possessionem rei vendicet sibi, ita vt probationes pares esse videantur, hoc casu in possessorio judicio vincere debet is qui Dominus esse creditur, seu cuius possessio justior esse vjdetur, vti docet *Bart. in cit. loco n. 1. & 3. Panorm. hic. n. 27.*

9 Nota IV. Qui agit judicio petitorio in rebus corporalibus, eo ipso censetur renuntiare judicio possessorio retinendæ. Ratio est, quia possessorium retinendæ & petitorium aduersantia sunt, & simul consistere non possunt, vt diximus in *c. 2. adnert. 2. h. t.*

8 Limita I. Si quis petitorium intentans, nesciat se in possessione esse, quia alius v. g. officialis ipsius nomine possidet; qui postquam resciuerit cumulare potest possessorium retinendæ, cùm ei renuntiare non voluerit, quippe ignorans, vti bene notat *gl. in cit. l. Naturaliter.*

9 Limita II. *Cum eâd. gl. & Bartolo n. 19.* si non vtramque possessionem, naturalem videlicet & ciuilem retineas, sed amiseris naturalem, quam aliquis v. g. precariò à te tenet, nec restituere vult, & ideò turbat & impedit ciuilem. Item si quis te absente clam inuaserit naturalem possessionem, ideóque ciuilis etiam tua possessio periclitetur, his casibus cumulari potest possessorium retinendæ cum petitorio, potes enim petere per judicis sententiam te confirmari in ciuili possessione, ne eam amittas, & insuper rem tibi à possessore, qui clam aut precario possidet, restitui. Ceterùm si in hoc ipso casu ex profectione rediens à naturali possessione recipienda repulsus fuisti, vel ob timorem recuperare desperâsti, & acquieuisti, ex eo tempore ciuili quoq; possessione priuatus es, ita vt interdicto recuperandæ vel condictione. *l. Si quis in tantam*, agere possis, juxta *l. 1. §. Eum qui. & l. 3. principio. ff. de vi. l. Clam possidere. §. Qui ad nundinas. ff. de acquir. possess.*

Limita III. Quòd in juribus ac seruitu- 10
tibus possessor vnà cum possessorio retinendæ confessoriam aut negatoriam *in rem* actionem cumulare possit, vti docui *c. preced.* v. g. Si jure itineris aut actûs per agrum vicini vno anno tricies vsus es, & fundi Dominus transitum tuum jam impedire vult, agere potes interdicto *vti possidetis*, tum verò aliud probare non teneris, quàm possessionem tuam, tot actibus acquisitam cum patientia vicini, & insuper turbationem seu impetitionem eiusdem *l. 1. ff. de itinere actúq;*. Verùm, vt amplius obtineas, potes etiam petitorium adiungere, videlicet, confessoriam *in rem* actionem, vt à judice pronuntietur, jus tibi competere, quod etiam probare tum debes. §. *aque. Instit. de action.*

CAPITVLVM VI.

Cum dilectus.

Paraphrasis.

Si simul judicio possessorio ac petitorio actum fuit, vtrumque vna sententia terminari debet, tametsi verò ea ita formanda sit, vt de possessione priùs pronuntietur, tamen in executione proprietas præualere debet.

Svmmarivm.

1. *Causa petitoria & possessorij in eodem judicio tractari simul possunt, non tantùm si cumulatio fiat in eodem libello, aut ab eodem, sed etiam si fiat à diuersis vel in diuersis libellis, si tamen cumulatio vtriúsque judicis fieri possit.*
2. *Sententia super petitorio lata absorbet sententiam latam pro altero super possessione, ita vt huius, pro quo judicatum est in possessorio, momentanea tantùm sit possessio.*

Nota

1 NOta I. Causa petitorij & causa possessorij in eodem judicio tractari simul possunt, *cap. Pastoralis. 5. h. t.* Id quod Ampliatur 1. quod non tantùm hoc fieri possit in eodem libello, sed etiam in diversis, antequam in causa concluſum sit, ut dictum est. *c. præced. & docet hic Panorm. n. 6.* Ampliatur 2. talem cumulationem non tantùm fieri posse, si vnus vtrumque judicium intentet, uti constat *ex c. præced.* sed etiam diversi. Vt si unus contra turbatorem seu molestantem agat possessorio retinendæ, ille verò excipiat de competente sibi proprietate.

Ceterùm tradita doctrina intelligi debet, quòd possessorium & petitorium frequenter cumulari possint, quandoque autem non possunt, ut si repugnantia sint, videlicet possessorium retinendæ in rebus corporalibus, & petitorium, interdum verò petitorio judicio obstat exceptio rei judicatæ, quia possessori dominium adiudicatum est, ut dictum est. *c. præced. Not. 4.* Denique interdum possessorium judicium fundatur in proprietate, eámque supponit, ut si agatur de exhibendis liberis, seruo, religioso, uxore, ostendi enim debet, jus in personas competere. *l. 2. §. Quædam. junctâ glossâ marginal. ff. Ad exhib.* quo casu non est propriè cumulatio, sed substantialis involutio.

2 Nota II. Proprietas potentior est, quàm possessio, ideóque sententia super petitorio absorbet sententiam super possessione, id verò intelligitur, si sententiæ pro diversis sint latæ, videlicet, quia Actori intentanti possessorium, adiudicata est possessio, sed abjudicata proprietas. Quamobrem possessio alicui adjudicata dicitur momentanea siue momentum. *cap. 1. h. t.* quia superueniente sententia proprietatis evincitur, & superatur saltem quoad principalem effectum. Vt suprà explicatum est.

CAPITVLVM VII.

Cùm olim.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Archidiacõnum Vincentinum & Archipresbyterum ac Canonicos eiusdem Ecclesiæ, nam Canonici oppugnabant Archidiaconi electionem, quia sine ipsis, ad quos jus eligendi pertineat, electus fuerat, sed Archidiaconus respondit, se electum esse ab Episcopo Vincentino, qui in quieta possessione sit juris eligendi, cùm duos antecessores suos absque Canonicorum contradictione elegerit. Super hac causa procuratores partis vtriusque missi sunt ad sedem Apostolicam, ubi ex consensu communi judices in prouincia impetrati: coram his vocatis partibus Canonici inducias deliberatorias petiuerunt ad judices recusandos, sed ipsi processerunt ad recipiendas attestationes, eásque ad sedem Apostolicam miserunt, Pontifex visis attestationibus cognouit, quòd Episcopus Vincentinus absque contradictione Canonicorum, duabus proximis vicibus Archidiaconum elegerit, & quòd Canonici judices recusare non potuerint, cùm utriusque partis procuratorũ voluntate dati fuerint, quare Archidiacono per sententiam definitiuam causam possessionis adiudicauit, Canonicis eâ super re perpetuum silentium imponens, reseruatâ tamen eis causa proprietatis, si de jure eligendi cum Episcopo contendere velint, quia res inter alios acta, aliis præiudicare non debet. Hic est casus huius capituli secundùm integram lectionem, uti *glossa & DD. testantur.*

SVMMARIVM.

1. *Potest in Beneficio institutus jus suum in judicio prosequi nihil requisito collatore.*
2. *Tenet eius Electio, collatio aut præsentatio, qui bona fide in possessione horũ hæc fecit, etiamsi proprietas talis juris ad alium spectaret.*
3. *Et hinc titulum suæ collationis justificare volens, plùs non tenetur probare, quàm quòd collator fuerit in possessione juris conferendi.*

4. *Nec*

4. *Nec rescindetur collatio facta à possessore bonæ fidei, quamuis facta sit reclamantibus aliis.*
5. *Vt autem huius juris præscriptio acquiratur, debet possessio illius nunquam fuisse interrupta intra tempus ad præscribendum requisitum.*
6. *Res inter alios acta, aliis non præiudicat.*

1 NOta I. Qui in beneficio institutus est, jus suum in judicio persequi potest, etiam non requisito collatore. Ita notat *Innoc. in cap. Dilectus. 27. de Prebendis. Panorm. hîc. n. 3.*

2 Nota II. Electio, Collatio, Præsentatio ad beneficium, si facta sit ab eo, qui bonâ fide in possessione erat juris eligendi, conferendi aut præsentandi, subsistere debet, tametsi proprietas juris non ad ipsum, sed ad alium spectet. Ita *gl. hîc. Not. 1.* Et sumitur ex *Capitulo Querelam. 24. De electione, junct. gl.* verb. *Super jure*, vbi dicitur, sufficere, si electus probet, eligentem fuisse in quasi possessione juris, licet postea appareat, quòd proprietas ad alterum pertineat. Vt habetur etiam *in cap. Consultationibus. 19. de jure Patronatûs*, quòd præsentatus ad beneficiũ, ab eo qui erat in possessione juris Patronatûs, postquam institutus est, remoueri non debeat, tametsi jus illud postea judicio petitorio evincatur à possessore juris patronatûs. Ratio duplex dari debet. 1. Ex *Innoc. cit. cap. Consultationibus. 19.* quia eligere, conferre, præsentare, sunt quasi fructus beneficij, dignitatis &c. Ratione cuius actus isti competunt, fructus autem ad bonæ fidei possessorem spectant. *l. Bonæ. 49. ff. De acquirend. Dominio.* Altera ratio quæ mihi magis placet, est *Panormitani hîc. n. 7.* Quia actus isti, electio, collatio, præsentatio non procedunt ex jure quasi Dominij competentis electori, collatori, aut patrono, sed potiùs ex assistentiâ Canonis talem potestatem illi dantis, qui bonæ fidei possessionem & administrationem habet.

3 Corollarium 1. Qui titulum collationis suæ justificare vult, satisfacit, si ostendat collatorem fuisse in possessione juris, & adversarius eius nihil obtinebit, etiamsi ostendat collationem sibi ab eo factã, ad quem quasi proprietas juris pertinebat; quare in hoc casu possessio superat proprietatem. Ita ex communi *Mascardus volum. 1. Conclus. 173. num. 6.*

Corollarium 2. Si Episcopus v. g. existens in possessione conferendi, collationem facere velit, & Capitulum contra eum appellet, nihilominus procedere poterit collator, nec rescindetur collatio, si appareat de possessione, quia aderat sufficiens causa ad conferendum jus proviso, *ita gl. marginal. hîc. Panorm. n. 7.* & sumitur *exc. vlt. de supplend. negl. Prælat.* 4

Nota III. Per duos actus, imò etiam per vnicum factæ collationis absque contradictione acquiritur possessio juris conferendi, ita ut si cum bona fide legitimum tempus elapsum sit, præscriptio completa censeatur, & jus etiam proprietatis acquisitum; de hoc dictum est suprà, *in cap. Cum Ecclesia.* & docet *Mascardus n. 5.* Ceterùm ad absolvendam præscriptionem seu vsucapionem juris conferendi, eligendi, præsentandi, requiritur ut possessio interrupta non sit, uti ex hoc Cap. colligitur, si enim Episcopus bis collationem fecisset, seu Archidiaconum elegisset, & tertiâ seu ultimâ vice, antequam Episcopus usucapionem complesset, Capitulum sine contradictione Episcopi eligeret tanquam ad id jus haberet ex eo tempore Episcopi possessio interrupta censeretur. 5

Nota IV. Res inter alios acta, aliis non præiudicat. *l. 1. C. Res inter alios acta.* Exemplum habes hîc. Canonici litigabant cum Archidiacono petentes illum remoueri, is defendit se, ostendens Collatorem Episcopum fuisse in pacifica possessione conferendi, & ita obtinuit contra Canonicos. Hoc non obstante, possunt Canonici Episcopo litem mouere, non tantùm super proprietate juris conferendi, sed etiam super ipsâ possessione, si v. g. ostendere velint, Collationem Episcopo à Canonicis pro una aut altera vice ultrò & quasi precariò concessam, quia res inter alios acta &c. Ita notat *Panorm. hîc n. 10.* 6

Cap.

CAPITVLVM VLT.

In causa.

PARAPHRASIS.

Patriarcha Grandensis & Episcopus Diœcesanus controversiam habebant cum Monasterio S. Georgij super exemptione. Illi actores erant in possessorio & petitorio, & Patriarcha quidem probauit subiectionem ex eo, quòd Abbas quandoq; ad synodum veniens per plures annos 50. solidos ipsi exoluit. Episcopus verò ex eo, quia Abbates confirmare solitus sit, & quòd ad synodum suam venerint, atque procurationem soluerint. Quamobrem Honorius III. Patriarcham & Episcopũ in possessionem jurisdictionis erga Monasterium restituit, sed quia, cùm de petitorio agendum esset, pro exemptione Monasterij exhibita fuerunt priuilegia Apostolica, neque Patriarcha & Episcopus ostendere potuerunt tanti temporis possessionem, quæ sufficeret ad præscriptionem complendam, ideò Monasterium à petitione illorũ super jurisdictione & subiectione absoluit, reseruato tamen jure ipsi Patriarchæ, si super annuâ præstatione 50. solidorum alio judicio experiri velit. Hic est Casus huius cap. vti patet ex integra lectione, quam cùm non viderint plerique interptetes, ideò alienos intellectus formârunt.

SVMMARIVM.

1. *Etiam Patriarcha & Metropolitanus præscriptione acquirere potest in signum subiectionis aliquid sibi solui à monasterio.*
2. *Acturus Prælatus super subiectione Ecclesiæ, possidenti Ecclesiam, & ipsi etiam Ecclesiæ actionem intentare potest.*
3. *Agenti petitorio non sufficit probare possessionem.*
4. *Per unum etiam actum jurisdictionalem potest acquirere Episcopus possessionem totius jurisdictionis Episcopalis, si animum hanc capiendi habeat, neque alius in possessione sit, aut jus commune illi repugnet.*
5. *Præstatio annua quot modis habere se possit, & quos effectus pariat?*
6. *Ex ea tamen sola non probatur subiectio aut possessio subiectionis, nisi vel hoc exprimatur, vel ex circumstantiis colligi possit.*
7. *Licet Actori propriam postea de eo actionem instituere, quòd prior ad principalis quæstionis decisionem per modum causæ in judicium deduxit.*

NOta I. Non tantùm Episcopus præscriptione acquirere potest, ut Monasteriũ ipsi in signum subiectionis aliquid pendere debeat, sed etiam Patriarcha aut Metropolitanus. 1

Nota II. Si Prælatus agere velit, super subiectione Ecclesiæ, non tantùm potest actionem intentare ei qui possidet Ecclesiam. *c. Inter. 8. De Maioritate. & c. 3. De in integr. restitut.* sed etiam contra ipsam Ecclesiam seu Monasterium, quod subiectum esse dicitur, uti hìc videre est, *in c. Cùm inter. 13. De rejudicatâ. & notat Panorm. hìc. Not. 1.* 2

Nota III. Agenti petitorio, non sufficit probare possessionem, quia proprietas diversa est à possessione. *l. Naturaliter. 12. §. Nihil. ff. de Acquir. possess.* 3

Nota IV. Per actus seu exercitium jurisdictionis acquiritur possessio, & fit vsucapio jurisdictionis, vt si Episcopus Abbatem Monasterij confirmet, si eum visitet, procurationem recipiat, aut primos fructº, aliámve pensionem in signum subiectionis accipiat, ita hìc. sed nunquid ex vno jurisdictionis actu, acquiri potest possessio totius jurisdictionis? Resp. Si nemo alius in possessione est, & jus commune non repugnat, per vnum actum jurisdictionalem acquiritur possessio totius jurisdictionis, dummodo adsit, vel adesse præsumatur animus capiendi possessionem universaliter; ita ex *Communi Tuscus.* Verb. *Jurisdictio. Conclus. 560.* Exemplum est: si Episcopus confirmatus vnum aut alterum actum jurisdictionis aut administrationis exerceat, censetur ab- 4

solutè esse in possessione juris, & jurisdictionis Episcopalis; sed alia ratio est, si alius quispiam jus episcopale præscribere velit, seu jure communi resistente, seu Episcopo in possessione jurium Episcopalium existente, tum locum habet Regula, *quòd præscriptio non extenditur de casu ad casum.*

5 Quærunt Canonistæ cum *gl. verb. Ad subiectionis*, utrùm eâ præstatione annuâ factâ Episcopo ab aliqua Ecclesia vel Monasterio rectè colligatur subiectio seu in possessorio, seu in petitorio. Pro resolutione, Inprimis distingue, vel præstatio annua censûs immemorialis est, vel non immemorialis, primo casu induit constitutionem juris ac tituli saltem ex præsumptione, ut necesse non sit causam præstationis allegare. *Arg l. hoc jure. §. Aquæ ductus. ff. De aqua quotid.* & docet *Bartolus l. Cùm de. verb. In rem veniamus. ff. De vsufruct.* Excipe nisi ex circumstantiis appareat, non fuisse annuam pensionem solutam tanquam debitam, quia v.g. semper facta erat solutio, cum protestatione, quòd non fiat ex obligatione, uti docet *Mascard. Conclus. 279. n. 16.* ideò enim dicunt DD. voluntariis seu non obligatoriis actibus nunquam induci præscriptionem. Altero casu, si videlicet præstatio annua immemorialis non sit, fuerit tamen repetita, tum vel nulla certa causa præstationis assignari potest, ut hoc casu, neq; possessio juris exigendi acquiritur, nedum præscriptio. *l Creditor. 7 C. De vsur. c. Peruenit. 5. de Censibus.* & docet *Panorm. hic n. 7 Mascard. verb. Census. Conclus. 270. n 10.* vel causa præstationis assignatur, ut quia solutio annuatim saltem per duos annos facta est, tanquam debita videlicet ratione subiectionis aut pensionis reseruatæ in fundatione, hoc casu inducitur possessio censûs annui. Verùm in dubio probare hoc ipsum debet, qui possessionem sibi vendicat, videlicet non tantùm annuam pecuniæ aut frumenti solutionem factam esse, sed tanquam debitam ex certa causa, & uno verbo, solutionem fuisse censualem, alioqui si tantùm probetur, solutionem per plures annos regulariter factam esse, parùm id proderit, cùm sit tantùm possessio seu receptio pensionis materialis, non item possessio formalis, tanquã pensionis seu annui censûs, ut sumitur ex *cit. c. Peruenit.* & docet *Mascardus n. 11. & 12.* Debent tamen hæc intelligi de censu personali, seu qui super persona vera aut ficta fundatur: sin autem loquamur de censu reali, seu qui debetur ex certâ re, v. g. fundo, tum sufficit ad possessionem & vsucapionẽ censûs, si solutio fiat, tanquã debita ex hoc fundo, licet causa constitutionis ignoretur, cùm sit veluti seruitus adhærens rei, uti docet *Panorm. in cit. c. Peruenit. n. 3.* Quòd si verò probetur pensionem annuam receptam esse tanquam debitam seu per modum censûs, tum si jus cõmune Canonicum non resistat, præscriptio cõtra Ecclesiam perficitur annis 40. *c. De quarta, 4. De præscript.* Sin autem resistat, v. g. ut Ecclesia sit pensionaria alicui laico, tunc requiritur tempus immemoriale sine titulo. Cum titulo autem, v.g. pacti appositi in fundatione sufficiunt anni 40. *c. 1. De præscript. in 6.*

Obiicitur, si jus commune non resistat possessori, tum ipsa ordinaria, seu singulis annis repetita præstatio inducit præsumptionem causæ seu tituli, ergo ad obtinendum in possessorio non requiritur ut probetur causa præstationis. Resp. Verum esse, quòd nõ opus sit probare causam seu titulum præcessisse, sed probari tantùm debet, solutionem factam esse, tanquam debitam ex aliqua causa, & vno verbo, probari debet soluentem habitum fuisse pro censuario, seu qui censum annuum debeat ex certa causa.

Secundò advertendum est, censum annuum Ecclesiæ alteri Ecclesiæ aut Prælato non ex sola causa subiectionis præstare potest, sed etiam ex aliis causis seu titulis, v. g. in signum protectionis seu advocatiæ Ecclesia soluere potest Metropolitano, cui tamen subiecta non sit. *Arg. c. Recepimus. 8. de Priuileg.* Potuit etiam fieri, ut Prælatus fundando Ecclesiam reseruârit sibi & Ecclesiæ suæ pensionem ex redditibus, non in signum subiectionis, sed in signum fundationis & juris patronatûs. *Arg. c. Præterea, 23, de jure Patronat.*

Resp.

6 Resp. Itaque ad quæstionem quòd ex solâ annuâ præstatione non probetur subiectio, aut possessio subiectionis, nisi vel in solutione expressum sit eam fieri ratione subiectionis, aut nisi hoc ipsum ex circumstantiis, loci temporis, personarum, præsumptiuè saltem appareat, ut si quis eodem loco, tempore, ac modo quo alij subditi, censum soluat, quæ enim indeterminata sunt, ex circumstantiis determinari solent, uti docet *gl. in l. 3. verb. Pro cauto ff. Si certum petatur,* & idem tradit *Tusc. verb. Census. conclus. 190.*

7 Not. V. Si Actor per modum causæ aliquid in judicium deduxerit ad quæstionis Principalis decisionem, non prohibetur postea super eo propriam actionem instituere. Exemplum habes hîc. Patriarcha ad probandam subiectionem Monasterij allegauit pensionem annuam sibi solutam esse, sed non obtinuit in petitorio, cùm ostendere non potuerit legitimi temporis decursum, qui sufficiat, ad usucapionem, ob id tamen non prohibetur super eâdem pensione, si ipsi in posterum negetur, aliud judicium petitorium instituere, tum quia super pensione actum omnino non fuerat in petitorio, tum quia tametsi actum fuisset ex titulo subiectionis, posset tamen denuò, ex alio titulo seu causa obligationis pensio peti, ut *glossa hîc admonet.*

TITVLVS XIII.
DE RESTITVTIONE SPOLIATORVM.

CAusa restitutionis spoliatorũ possessoria est, quippe pertinens ad interdictum possessionis recuperandæ, ideò rectè hîc subnectitur, postquam de causis possessoriis in genere dictum fuit.

CAPITVLVM I.

Licet.

PARAPHRASIS.

Apud Gregorium IX. Pontificem l. 12. aliàs 130. ad Constantium Episcopum conquestus est Philasius Cæcus, campum suum ab officialibus seu famulis Ecclesiæ irrationabiliter occupatum esse. Respondet Pontifex, si ita se res habeat, tametsi alioquin ante omnem contentionem de proprietate restituendus Campi cæco fieri deberet, tamen quia Eventus Ecclesiæ eius Diaconus consentiente cæco obtulit se legitimè probaturum, quòd Campus ille de jure spectet ad Ecclesiam, ideò probationes admittendas, & si constiterit esse Campum Ecclesiæ, cæco silentium indicendum, sin autem id probatum non fuerit, tum campum ablatum eidem restituendum esse.

SVMMARIVM.

1. *Spoliator offerens se ad probandum, quòd sibi dominium competat, ordinariè non auditur ante spoliati restitutionem.*
2. *Nisi tacitè saltem consentiat spoliatus.*
3. *Auditur etiam in causis saltem beneficialibus, si notoriè constet, Spoliato nullum jus competere: in causis verò profanis constare insuper debet notoriè de jure spoliantis.*
4. *Si ex restitutione spoliato facta sequeretur animæ periculum, auditur spoliator, opponens contra restitutionem.*
5. *Ex delicto famuli obligatur dominus si in eo officio delinquat famulus, cui à domino præpositus est, nisi suam innocentiam probauerit Dominus.*

NOta. Spoliator ordinariè non auditur, si se offerat ad probationes dominij sibi competentis, quia spoliatus ante omnem de dominio contentionem restituẽdus est. *c. Inter. s h.t.* & docet *Couarr. in 4. Decret. p. 2 c. 7. § 5 n. 12.* Ratio est, quòd æquum non sit, ut spoliator ex iniquitate sua cõmodum ferat, id autẽ fieret, si possessionem quam propriâ auctoritate occupauit, retinere posset, ita ut statim fieret Actor, neq; aliud ab eo requireretur, nisi ut dominium probet. Hæc ratio sumitur ex *Cap. Eum. 18. De Prabend. in 6.* Vbi additur, si quis per violentiam occupet bene-

beneficium, quòd ipso facto eo priuatus existat, si jus in illo, vel ad illud non habeat. Dixi autem ordinariè, nam Excipiendum est 1. Si spoliatus consentiat, ut Spoliator ad jus proprietatis probandum admittatur, ut habetur in hoc cap. Sufficit autem consensus tacitus, si videlicet Reum seu Spoliatorem volentem jus proprietatis ostendere, non repellat, aut adversùs judicem volentem super proprietate cognoscere, non appellet aut reclamet, ita ex Communi *Gabrielius l. 5. Conclus. de Restitut. spoliat. concl. 1. num. 61.* *Mascard. volum. 3. Conclus. 1325.* Excipiendum 2. Si vel ex confessione spoliati, vel ex Actis, instrumentis, vel aliunde notorium sit, spoliato jus nullum competere, sed spoliatori. Ita ex communi *Menochius remed. 1. recuperandæ possessionis. Mascard. concl. 1326. Gabrielius cit. conclus. 1.* Adde in causis beneficialibus sufficere si notorium sit, spoliato nullum jus competere, cùm non concedatur vitiosus seu non canonicus ingressus in beneficium Ecclesiasticum, uti singulariter notauit *Innoc. in cap. Constitutus.* de filiis Presbyterorum. *Panorm. in c. seq. n. 10. Gabr. n. 115.* & constat ex *Reg. 1. in 6.* Beneficium non potest obtineri sine institutione canonica; sed in profanis inquit Gabr. secundùm communiorem sententiam, ut restitutio denegetur, satis non est, quòd notoriè constet de nullo jure spoliati, cùm etiam prædo, si spolietur, restituendus sit. *c. in lit. h. t.* nisi etiam notoriè constet de jure spoliantis, vti docet etiam *Panorm. incit. c. lit. n. 10.* Excipiendum 3. Nisi vertatur periculum animæ, si restitutio fiat iuxta casum. *c. Literas 11. h. t.* Vbi Marito uxor, quæ propriâ auctoritate se separauit, restituitur quoad omnia, excepto thoro, si ea opponat impedimentum matrimonij dirimens.

Occasione textûs nostri quærunt hîc, an Dominus teneatur ex delicto famuli seu officialis. Resp. cum *Bart. in l. Ne quid. c. 2. ff. De incendio, ruina &c. Panorm. hîc n. 7. Silvest. verb. Nauta. q. 5.* Dominum non obligari ex delicto famuli seu officialis, nisi delinquat in eo officio, cui præpositus est, uti colligitur ex *l. 1. §. familiæ. ff. De publicanis. §. penult. Instit. de oblig. ex quasi maleficio.* Vbi ratio adiungitur, quia aliquatenus culpæ reus est, quòd operâ malorum hominum uteretur; ideò quasi ex maleficio tenetur. Cæterùm si Dominus extra culpam sit, vt quia à callido famulo, quem bonum ac diligentem esse credebat, & ipse deceptus fuit; tali casu non solùm in conscientiæ foro à restitutione damni immunis erit, sed etiam in foro externo, si dominus innocentiam suam probauerit, licet etiam præsumptio juris contra ipsum sit, non tamen est de jure, id est, non tanta, quo minùs admittatur probatio in contrarium.

CAPITVLVM II.

Sollicitè.

PARAPHRASIS.

Scribit Alexander III. ad Vigorensem Episcopum, ut inquirat, quo tempore Henricus renuntiârit suo beneficio curato, & si repererit ante factam renuntiationem spoliatum fuisse, testes ab adversaria parte non recipiat super renûtiatione, priusquam restitutus sit, cùm non sit verisimile, Henricum sponte renuntiâsse beneficio, quo erat spoliatus; at verò testes ab ipso Henrico, quibus probare spoliationem velit, si idonei sint, recipere non intermittat.

SVMMARIVM.

1. *Clericus qui renuntiauit suo beneficio, illius etiam possessionem abdicando, non potest postmodum judicio possessorio ad recuperandam possessionem contra Clericum spoliantem agere, si post factam taliter renuntiationem spoliatus fuit.*
2. *Nec admittitur etiam si post spoliationem quidem, in manibus tamen superioris facta fuit renuntiatio.*
3. *Secus si post spoliationem facta fuit renuntiatio sine authoritate superioris.*
4. *Nisi fortè in talibus circumstantiis, quæ metûs præsumptionem excludunt, vel cum juramento possessorio etiam edicto renuntiâsset.*

Intel-

1 INtelligi debet hoc cap. in casu, si inter duos Clericos controversia sit, ad quem jus parochiæ pertineat, tum verò distinguẽdum, vel Titius qui possidebat parochiam, ei actualiter renuntiauit, abdicando statim à se possessionem, iuxta *l. Si quis vi. 17. §. Differẽtia. ff. De acquir. possess.* vbi dicitur quòd possessio recedit, ut quisque constituit nolle possidere, hoc enim casu, si renuntians postea ejiciatur, non potest agere judicio possessorio recuperandæ, quia non censetur amplius possedisse, ita colligitur ex textu, & docet *Innoc. hîc in fine, & clariùs in c. Cùm super. n. 3. de Renuntiation.* Vel spoliatio præcessit, & renuntiatio parochiæ secuta est, tunc vel in manus superioris, vel eius ad quem pertinet acceptare renuntiationem, hoc casu dicendum, quòd agenti interdicto possessorio recuperandę obstat exceptio renuntiationis factæ, uti colligitur ex *c. seq.* Ratio est, quia propter auctoritatem superioris aut judicis, renuntiatio censetur facta sponte, non ob vim aut metum. *arg. l. Non est verisimile. 23. ff. Quod metûs causâ.* Consequenter renuntians non admittitur ad repetendam beneficij possessionem, cùm ei obstet notorius defectus proprietatis. 3 Vel renuntiatio post spoliationem facta fuit sine auctoritate, tunc spoliatus ante omnia restituendus est, non obstante exceptione secutæ renuntiationis, uti habetur apertè in hoc cap. Ratio adiungitur, quia talis renuntiatio censetur facta, non sponte, sed ob metum, ideóque rescindenda est *iuxta c. Cùm super. 5. de Renuntiatione.* Accedit quòd ita renuntians non absolutè amisit jus proprietatis, sed cum dependentia à superioris ratificatione. *iuxta c. Admonet. 4. de Renunt.* Ergo priùs restitui debet, quàm de valore Renuntiationis agatur. 4 Cæterùm si spoliatus in hoc casu, non tantùm juri beneficij renuntiet, sed etiam possessorio edicto, & quidem præsentibus amicis suis, seu cum talibus circumstantiis, ut absit præsumptio metûs, *iuxta gl. in l. Transactionem. 35. C. de transactionibus*, tum obstabit ei exceptio non agẽdi de spolio. Maximè si etiam juramentum adiectum sit promissioni seu renuntiationi; quandoquidem tale juramentum sine peccato seruari potest, consequenter debet. *c. 2. de pactis in 6.* & docet *Panormit. in fin. huius cap.* Videatur Flaminius Parisius. De resignatione beneficiorum. *l. 13. q. 5. n. 41. & seq.*

CAPITVLVM III.

Accepta.

Paraphrasis.

Publius Clericus questus est Alexandro III. quòd per vim Ecclesiâ suâ spoliatus esset, quamobrem Papa rescripsit, si ita se res haberet, ut Ecclesia restitueretur ei, sed adversarius se defendendo dixit, quòd frustra ei fieret restitutio, quandoquidem coram Archiepiscopo Eboracensi Apostolicæ sedis Legato Curatus renuntiauit suo beneficio. hoc cognito rescripsit Alexander III. ad Judices delegatos, si ipsis constiterit, quòd Publius Ecclesiam abiurârit, non coactus, sed sponte, ut ipsi perpetuum silentium imponant.

Svmmarivm.

1. *Non auditur Clericus spoliatus beneficio, contra spoliatorem, si sponte beneficio tali in manibus superioris resignauit, siue ante siue post spoliationem liberè renuntiauerit, nisi post renuntiationem factam longo adhuc tempore beneficium possedisset.*
2. *Beneficium legitimè vacans, statim alteri conferri potest, eo etiam non vocato, qui adhuc possidet.*
3. *Si tamen de jure vacet beneficium priusquam tradatur alteri possessio, vocari debet qui de facto possidet, & causa cognosci, nisi manifestè iniustus possessor esset.*
4. *Si tamen per renuntiationem in manibus Superioris factam vacat beneficium, nihil necesse est vocari renuntiantem, si alteri sit possessio tradenda.*
5. *Nisi de facto post resignationem longiore adhuc tempore beneficium illud absque notoria iniustitia possedisset.*
6. *Aut in fauorem alterius resignâsset.*

7. *Neque tamẽ potest propriâ authoritate possessionem beneficij capere prouisus aut resignatarius, sed debet id fieri per executorem saltem in casu, quo resignans v.g. beneficium adhuc per se vel per alium possidet, & nisi consuetudo aliud habeat.*

8. *Qui contulit beneficium, non potest semper possessori auferre etiam detentionem beneficij, nisi superior illius sit.*

1 NOta. Spoliatus beneficio Ecclesiastico, si ei in manibus superioris non coactus sed sponte renuntiauit, non est audiendus, si possessorio recuperandæ agere velit. Ratio indicatur in textu, quia frustra traderetur ei possessio beneficij, ad quod constat eum jus nullum habere, ut dixi *in c. 1. h.t.* & procedit hæc ratio, siue renuntiatio antecesserit spoliationem, siue secuta sit. Advertit tamen *Panormitanus praced. n. 7.* Si post factam renuntiationem longo tempore manserit renuntians in possessione beneficij, & postea spoliatus fuerit, ante omnia restituẽdum fore, eò quòd defectus juris ac tituli tã notorius non sit, quin potiùs præsumptio pro possessore pugnet, quòd nisi ei jus aliquod competeret, tanto tempore à superiore toleratus non esset.

2 Quæritur. Si aliquis sponte renuntiauit in manibus eius, ad quem spectat renuntiationem accipere, num beneficium resignatum ei auferri possit. Resp. & Dico 1. Si beneficium quomodocunque vacet, siue de jure v.g. ob adeptionem alterius incompatibilis, siue per mortem, siue per liberam renuntiationem, statim conferri potest ab eo, ad quẽ id spectat. hæc est communis, & constat ex *c. Licet 28. de Prabend. in 6. vbi gl. verb. Conferre* notat, si beneficium de jure vacet, v.g. ob adeptionem alterius curati, conferri illud posse etiã non vocato eo, qui adhuc possidet, idque multo magis sentiendum, si vacet per resignationem, ut infrà patebit.

3 Dico II. Si beneficium de jure vacet, v.g. ob assecutionem alterius incompatibilis, tũ si possessio alteri prouiso tradenda sit, privatus vocari debet à Collatore Ordinario, aut executore. v.g. Papali; ita habetur *in cit. c. Licet. junct. gl. verb. Te non vocato.* vbi generatim loquitur, quòd possessor beneficij, quamuis sine titulo possideat, remoueri non debeat, nisi priùs vocatus, & cum causæ cognitione; quod etiam docet *Ioan. Andr. cap. praced. n. 8. Panorm. hîc n. 5. Flaminius, de Resignationibus. l. 9. c. 19. concl. 15.* Sed arbitror limitãdum, nisi manifestum sit, quòd possessori iniusto jus nullum competat, tum opus non est citatione aut causæ cognitione, uti apertè habetur. *c. Quoniam. 10. de filiis Presbyterorum.*

Dico III. Si quis in manibus Ordinarij 4
Collatoris beneficium resignauit, potest possessio alteri prouiso dari, etiam non vocato renuntiante. Ita *Innoc. in fine huius c. Panorm. cit. loco.* Quia hoc casu beneficium non tantùm de jure vacat, sed etiam ex re ipsâ & de facto, perinde ac si beneficiarius morte decessisset. *arg. c. 32. de Renunt.* & *c. Susceptũ. 6. de Rescript. in 6.* Siquidem beneficiũ sponte resignans in manibus Collatoris, nõ tantùm jus in illo amittit, sed etiã possessionem, *l. 3. §. in amittenda. ff. de acquirenda possess.* & diximus suprà, docétq; *Panormit. in praced. c. n. 6. Flamin. l. 1. q. 5. n. 13.*

Excipe 1. Quòd post resignationem fa- 5
ctam, in manu Collatoris possit nihilominus resignans de facto insistere possessioni, ita ut si aliquo tempore possederit, tanquam sibi jus competat, vocandus sit, antequam privetur, ut notat *Flaminius Parisius n. 29.* dummodo notorium non sit, illum iniustè insistere.

Excipe II. Si quis beneficium resignauit 6
non absolutè sed in fauorem alterius coram Papa, tum nõ ante censetur possessionem amisisse, quàm conditiones ex parte Resignatarij, seu eius cui resignatio facta impletæ sint, quare ordinariè vocari debet resignans, si possessionem beneficij tradere cogendus sit, uti monet idem *Flaminius l. 34.*

Dico IV. Ipsemet Resignatarius aut 7
Prouisus nõ potest propriâ auctoritate possessionem beneficij capere, si antecessor adhuc detineat, sed opus est executore. Ita *Ioan. Andr. cap. praced. n. 7. Panorm. hic. n. 6. Flamin. cit. q. 5. n. 30.* ubi ait, esse communem

nem sententiam, quòd Resignatarius sine executione possessionem beneficij capere non possit, dum alter detinet. Ceterùm si is qui parochiam v.g. resignauit, absens sit, nec alium reliquerit qui suo nomine detineat, tum omnimodè censetur vacare, quare resignatarius prouisus possessionem intrare poterit, si consuetudo loci permittat, ut prouisus possessionem beneficij vacantis per se capere possit, nam multis locis consuetum est, ut Archidiaconus vel alius aliquem installet.

8 Dico 5. Si Collator non sit superior eius, qui beneficiũ resignauit, aut eo de jure privatus est, potest ille quidem conferre beneficium alteri, etiam non vocato priore beneficiario, ut dixi in 1. asserto; non potest tamen renitenti aufferre possessionem aut detentionem, sed id per ordinarium eius superiorem impetrare debet, ita docet *Panorm. hîc n. 8.* & bene probat, quia simplex Collator beneficij, non potest exercere actus jurisdictionis contentiosæ, sed conferendo beneficium, censetur functus officio suo.

CAPITVLVM IV.

Audita.

PARAPHRASIS.

Cùm Titus Clericus Alexandro III. conquestus esset de indebitis molestationib⁹, quas super Ecclesia sua, Humbertus alterius Ecclesiæ personatum habens inferret; Rescripsit Papa ad duos Episcopos, ut si ipsis cõstaret, quòd Humbertus alterius Ecclesiæ personatũ haberet, vel juramẽto affirmâsset, se in posterum Tito super Ecclesia sua controuersiã non moturũ, ipsum à molestia inferenda repellerent. Sed Humbertus ad Papam nuntiũ destinauit, qui proponeret, ipsum per violentiã Ecclesia spoliatũ esse, quamobrem Papa alteras literas ad eosdẽ judices scripsit; si ita res se haberet, ut testes super jurata renuntiatione post violentiam facta non reciperentur, sed probatâ violentiâ, quod justùm est, decernerent, non obstantibus prioribus literis, ex parte Titi impetratis: imò si quidpiam ex eo tempore, quo Nuntius Romam versùs iter arripuit, circa causæ statum immutatũ fuit, id non obstantibus primis literis rescindant. Interea verò cùm hæ posteriores literæ advenirent, iudices secuti priorum literarum formam, utrumque cognouerunt, & quòd Humbertus personatũ alterũ possideret, & quòd Ecclesiæ juratus renuntiâsset, ideóq; ei prohibuêre, ne deinceps molestiã inferret; Denique verò toto hoc intellecto processu, tertio responso scribit idẽ Alexander III. quòd non ita intellexerit, neque intelligi debuerit, quasi rescindi oporteret, quæ auctoritate primi rescripti legitimè acta essent, sed si quæ per præsumptionẽ aut violentiam, quare mandat, ut si sententia ab illis lata sit, priusquam alterum rescriptum acceperunt, eam firmam manere, & si contra eam quidpiam statutum sit, id sublatâ appellatione revocari debeat, sin autẽ post alteras literas papales, sententia ab ipsis lata fuerit, eâ non obstante, secundùm tenorem eiusdem secundi rescripti appellatione remotâ procedant.

SVMMARIVM.

1. *Contra molestantem in causa beneficiali agi potest interdicto* vti possidetis. *Si molestatio sit extra judicialis, non autem si sit judicialis: neq; in illo casu ad vincendum in possessorio plùs probare debet possessor cõtra fatentem molestationem illatã, quàm quòd sibi præ illo possessorio competat.*
2. *Potest possessor in causa beneficiali contra molestantem etiam agere negatoria in rem actione, quæ tamen actio per exceptionem violentæ spoliationis repelli potest.*
3. *Si judex contra priuilegium judicii possessorij priùs recipiat testes in petitorio, nihil reclamante spoliato, valet sententia lata in petitorio contra spoliatum: quamuis ex officio, vel ad instantiam etiam spoliati procedere adhuc possit, contra spoliatorem ad expensas saltem aut damna reparanda, vel actione iniuriarum propter iniustam vim.*
4. *Princeps rescribendo vt rescindantur, quæ acta aut mutata sunt in causa, non censetur intendere, vt legitimè acta rescindantur, aut quæ juri alterius acquisito præiudicant.*

Note

1 NOta I. In causa beneficiali agi potest interdicto *vti possidetis* contra turbatorem seu molestantem, ut cesset à molestatione. Sed quidnam debet actor probare? Resp. ex communi, quòd non debeat probare jus seu titulum, sed se in possessione esse, & alterum extraiudicialiter turbâsse, seu molestiam sibi possidenti intulisse, v. g. Ne decimas aliósq; parochiales proventus percipere posset. Ceterùm si is, qui turbâsse se fatetur, ostendat in antiquiore se possessione rei & juris esse, sive se ante illum possedisse, tum possessor iste novus censebitur clam, precariò, aut per vim possessionem nactus esse, nisi titulum ostenderit. *c. Licèt causam. de probationibus.* Adverte duplicem esse molestationem, vna judicialis est, si v.g. Titius Caio litem moveat coram judice super jure decimarum, dicens ad se pertinere, & hoc casu locum non habet interdictum uti possidetis, cùm Actor qui prior provocauit, paratus sit petitorio judicio probare jus suum; ut bene docet hîc *Innoc. in princ. Panorm. n. 8.* Altera est molestatio extraiudicialis, quæ sufficit ut possessori concedatur actio possessoria retinendæ, quamobrem si quis à Papa impetrare velit rescriptum de iniustis molestationibus inhibendis, exprimere debet, quòd sint extraiudiciales, & hoc casu, si reus citatus molestationem illatam non neget, sed aliter repugnet intentioni actoris, dicendo possessionem sibi competere, tum opus non est, ut actor turbationem probet, sufficit si ostendat, sibi præ illo possessionem competere, ita ut vincere debeat in judicio possessorio, saluo tamen jure proprietatis, si petitorio experiri velit. Ita docet *Bart. in l. Si prius. n. 3. Jason n. 22. ff. De noui operis nunt.* & alij apud *Panorm. hîc n. 8.* Nam hoc casu Reus conventus, ipso facto turbat possessionem actoris, dum ei in judicio contradicit litem contestando. Id obiter annotare hîc placuit, accidit quandoque, ut parochus v. g. super jure decimandi, aut Prælatus super jure inventandi, bona Clericorum defunctorum ab alia Ecclesiastica persona turbat' in possessione, causam hanc trahat ad forum sæcularis principis, solent enim sæculares judices super causis huiusmodi spiritualibus judicare, si quæstio sit de Possessione, sed quia id non rectè fit, ideò consultum est personæ Ecclesiasticæ, quæ à judice sęculari super huiusmodi judicio possessorio citata est, ut mox totam causam trahat ad forum judicis Ecclesiastici, v. g. ad Papam, ita ut institutâ actione in rem negatoria, si titulum à se probari posse confidat possessorium etiam seu redintegrandæ seu retinendæ possessionis accumulare possit, iuxta ea quæ diximus *c. Super. 4. tit. præced.*

Nota II. In causa beneficiali possessor 2
agere potest negatoriâ in rem actione contra molestantem, ita ut petat possessionem sibi quietam effici & declarari, adversario jus nullum in beneficio competere, ut docuimus *cit. c. Cùm super.* & sumitur ex isto c. Atque hoc casu possessor non tenetur titulum probare, cùm ratione possessionis habeat præsumptionem tituli pro se, donec contrarium ostendatur, sed debet probare adversario jus non competere, ut hîc probatum est ex duplici capite, videlicet, quòd Humbertus juri parochiæ, super qua lis erat, juratus renuntiârit, & quòd alterum personatum possideret, cui parochia incompatibilis esset, uti *Imola notauit hîc n. 7.* Verumtamen hæc actio in rem negatoria repellitur per exceptionem violentiæ, si nimirum Reus conventus dicat, se per vim spoliatum esse possessione. hoc casu ante omnia de spoliatione cognoscendum est, eâque probatâ spoliatus restituendus, uti ex hoc cap. patet, secundùm integram lectionem. Interim verò non prohibetur spoliator petitorium judicium intentare, nisi à judice in pœnam spoliationis per sententiam priuatus sit jure suo. *c. Eum qui. 18. de præbend. in 6.* sed hoc casu non sufficiet actori probare spoliato & restituto in possessionem jus nullum competere, sed debet probare jus suum seu titulum institutionis suæ, ut in petitorio obtinere possit, secundùm *gloss. in c. Pastoralis. verb. intentare*, de causa possessionis & proprietatis.

Nota III. Licet judicium possessorium 3
priuilegiatum sit, ut super eo priùs testes recipi,

cipi, & probatâ spoliatione restitutio fieri debeat, si tamen judex hunc ordinẽ non observet, sed testes in petitorio priùs recipiat, seu ad ostendendum jus nullum adversario molestanti competere, atque spoliatus contra ordinem procedendi non reclamet vel appellet, valebit sententia lata super petitorio contra spoliatum, ita ut postea admittendus non sit, cùm obstet ipsi defectus notorius proprietatis. Ita colligitur ex hoc c. quando Papa respondit sententiam à judicibus latam secundùm priorum literarum tenorem ratam esse oportere, non obstante spoliatione, quam Humbertus objiciebat, dummodo sententia à judicibus lata sit, antequam alteras literas papales prioris processûs inhibitorias acceperunt. Idem docet *glossa in Summa. Causa 2. q. 1. verb. Quod autem. Panorm. in cap. Cùm dilectus. n. 8. de causa possessionis.* Nihilominus judex in tali casu ex officio procedere poterit contra spoliatorem, vel etiam ad instantiam spoliati, saltem ad expensas & damna compensanda, vel actione iniuriarum propter iniustam vim.

4 Nota IV. Si princeps scribat, ut rescindantur, quæ acta aut mutata sunt in causa, non debet id extendi ad ea, quæ legitimè acta esse constat, cùm Princeps non censeatur legitima rescindere velle, aut juri alicuius acquisito præiudicare. *Ita Panorm. hîc. n. 5. Imola num. 6.* ubi similiter ait, si Papa jubeat alicui conferri beneficium, non obstante collatione alteri priùs factâ, accipiendum esse hoc de collatione non legitimè facta.

CAPITVLVM V.

In literis.

Paraphrasis.

Titius apud Judicem questus est, quòd ab aliquo violenter eiectus esset de beneficij possessione. Sed adversarius respondit, Titium canonicè institutum non fuisse. Hoc casu priùs de violentâ eiectione, quàm de canonicâ institutione cognoscẽdum, ait Pontifex, cùm etiam prædo secundùm juris rigorem restituendus sit.

Svmmarivm.

1. *Spoliato per vim beneficio, ante factam restitutionem, opponi vtiliter non potest defectus proprietatis.*
2. *Conformior juri sententia est, quòd ad instantiam saltem spoliatoris cogi à judice non possit beneficio spoliatus, ad recuperandam possessionem agens, vt titulum suæ restitutionis ante factam restitutionem justificet, aut saltem coloret.*
3. *Potest tamen ad hoc cogere judex ex officio post factam restitutionem, si præsumptio juris sit contra possidentem, vel etiam ante restitutionem, si magna sit contra eum juris præsumptio.*
4. *Nisi possessor spoliatus sit laicus, qui ante omnem restitutionem justificare debet titulum possessionis rerum aut jurium spiritualium, vel saltem colorare.*
5. *Neque sufficit Laico ad verum jus & titulum spiritualium rerum probandum sola immemorialis possessio, quamuis magna possit ex tali possessione pro titulo haberi præsumptio, ita vt in possessione relinqui possit, dum de contrario constet.*

NOtandum vnicum. Per vim beneficio 1
spoliatus, seu possessione eiectus, ante omnia restitui debet, neque potest ei objici defectus proprietatis, etsi spoliator paratus sit in continenti probare; & hoc in odium spoliationis, & in favorem spoliatorum meritò constitutum fuit. Quare hîc locum non habet dictum *Jur. Consult. in l. 8. de doli except. Dolo facit, qui petit quod redditurus est*, sed in aliis possessoriis judiciis locum habet secundùm *gl. in cit. l. verb. Redditurus est.*

Quæritur hîc 1. Vtrùm spoliatus bene- 2
ficio, si agat interdicto recuperandæ, teneatur justificare seu colorare titulum suæ institutionis; plerique affirmant, inter quos *Menochius, remed. 15, n. 4. Mascard. conclus. 132.* & videtur ita sensisse *gl. final. in Clem. vn.*

de causa possessionis. Ratio dari debet ex eo, quia si possessio admixtam habeat causam proprietatis, ita ut alicui sine titulo cõpetere non possit, tum agens judicio possessorio debet ostendere, aut saltem conjecturis seu præsumptione aliquâ colorare titulum, ut docent Legistæ *in l. 2. § quædam. ff. de interdict. Canonista. in c. Ex parte. 14. h. t.* sed possessio beneficij videtur involvere causam proprietatis, juxta *Reg. 1. in 6.* Ecclesiasticum beneficium absque canonica institutione obtineri non potest, ergo possessio beneficij alicui non restituitur, nisi titulum justificet, aut saltem coloret, ostendendo videlicet, se institutum esse ab eo, qui potestatem habebat, aut se tanto tempore sciente ac patiente superiore in beneficij possessione fuisse, & hanc sententiam in 2 praxi seruari, testantur DD. citati. Contrariam verò sententiam quæ de jure videtur vera, defendit hîc *Panorm.* & alij quidam Canonistæ apud *Menoch. n. 459.* quòd judex saltem ad instantiam spoliatoris cogere non possit spoliatum, ut titulum justificet, quandoquidem in odium spoliatoris suspenso judicio proprietatis statim agi debet de spoliatione. *cit. Clem. Vn.* & cognitâ spoliatione restitutio spoliati fieri, tum etiam prædo secundùm juris rigorem restituatur, ut hîc dicitur.

Limitant aliqui hanc sententiam, si juris præsumptio sit contra spoliatum, tum restituendum non esse, priusquam titulum justificet, sed contra hanc limitationem est, *c. 3. De Procurat.* Vbi intitulatus in pluribus Ecclesiis, si spoliatus fuit, priùs restitui jubetur ad præbendam, & postea ei imperandum à superiore, ut canonicam institutionem ostendat; 3 Etenim licet adversarius cogere aliquem non possit, ut titulum beneficij à se possessi ostendat. *l. Cogi. XI. Cod. de petit. hared.* tamen superior ad id cogere potest, si præsumptio sit contra possidentem, aut spoliatum, ut constat *ex cit. c. 3. iunct. gl. verb. Probare.* Imò verò si valde magna præsumptio sit contra spoliatum, judex ex officio petere potest, ut titulum justificet, priusquàm ei possessio restituatur, ne alioquin iterum detur ingressus vitiosus seu intrusio; & ita defendi potest cõmunis praxis; de qua Menochius & Mascardus, testantur quòd spoliatus beneficio non restituatur à judice, nisi priùs titulum institutionis coloret. Aliter verò limitari debet hæc sententia; si jus commune non tantùm resistat spoliato, sed etiã assistat spoliatori, tum spoliatum non restituit, nisi priùs titulum justificet. *c. 2. eod. tit. in 6.* ut ibidem dicemus.

Ad fundamentum prioris sententiæ, neganda est minor, quòd possessio beneficij sejungi non possit à proprietate seu titulo, neque id colligitur *ex cit. regula 1.* cùm tantùm dicatur, quòd sine institutione canonica beneficium obtineri non possit, ut videlicet jus in eo acquiratur, interim verò possideri potest beneficium absque institutione canonica, adeò quidem, ut si bona fides accedat per tempus legitimum, videlicet triennij lapsum, sine alieno titulo jus in beneficio per usucapionem acquiratur, ut ex probabili sententia docui *lib. 3. tract. 1. c. 1. n. 16.*

Sed alia ratio est de laico, is enim possi- 4
dere non potest jus beneficij, aut decimarum aliudve spirituale sine titulo seu concessione Prælati Ecclesiastici. *Arg. c. Causam. de Præscript. & l. 2. §. quædam. ff. De interdict.* & docet *gl. in cit. c. Ex parte. Panorm. n. 24.* Vbi egregiè tradit, quòd possessio beneficij aut juris decimarum in laico habeat involutam causam proprietatis seu tituli, ideóque laicus spoliatus possessione, priùs restitui non debeat, quàm titulum possessionis justificârit aut saltem colorârit. Quod ideò addo, quia in possessorio hoc judicio recuperandæ, exigenda non est exacta probatio tituli, cùm judicium petitorium integrum maneat contra restitutum.

Dubitabit aliquis utrùm sufficiat hoc casu, si laicus ostendat possessionem immemorialem, quæ sibi & antecessoribus suis competebat in percipiendis decimis parochialibus. Resp. Ita in praxi præsertim judicum 5
sæcularium receptum esse, quã praxin quòd damnare non audeam, dixi *l. 4. tr. 6.* eò quòd. ex immemoriali tempore magna præsumptio tituli sit, saltem ad hoc, ut tempore tanto in

to in possessione pacifica existens ad restitutionem decimarum compelli facilè non possit, non autem (quod maximè annotandum est) ut in veritate jus ac titulum propter temporis immemorialis lapsum acquirat; sed omnino removendus sit laicus, si postea clarè comperiatur, legitimam concessionem non antecessisse. Casus est iste: Nobilis in Suevia ostendere potest à tempore cuius initij nulla memoria extat, se & maiores suos decimas parochiales percepisse, sed nescit quo titulo, aut cuius Prælati cõcessione hoc jus ad eos peruenerit. Postea autem casu reperiuntur literæ, ex quibus apparet, quòd Abbas Monasterij, cui parochia incorporata erat, eam ipsam parochiã unà cum pertinentiis & jure decimarum certâ summâ pecuniæ ante annos ducentos simoniacè & iniquè ac invalidè vendiderit. Dico, quòd Prælatus eiusdem Monasterij modernus, aut eo negligente Episcopus has decimas repetere possit ac debeat, neque enim nobilis obijcere potest, se & maiores jus decimarum præscripsisse, *nam sine possessione præscriptio non procedit. Reg. 3. in 6.* Atqui decimæ Clericales à laico sine concessione Prælati Ecclesiastici legitimâ possideri non possunt, sed tantùm detineri de facto. *cit. c. Causa.* Erronea autem persuasio, aut præsumptio orta ex temporis diuturnitate, licet bonam fidem fortasse inducere potuerit, non tamẽ jus aut titulum tribuere.

Quæritur 2. Quomodo intelligi debeat, quòd etiam fur & prædo secundùm juris ciuilis rigorem restituendus sit. *l. Bona. 31. ff. Depositi.* Resp. Id à Jur. Consult. de deposito dictum esse, in quo fides data adeò seruanda sit, ut etiam spolia sua apud te deponenti prędoni restituere debeas. dummodo id fieri possit absque damno veri Domini, si videlicet persuadere tibi possis ipsúmmet furem restituturum, sed quia id rarum est, ideò æquitas naturalis plerumq; postulat, ut prędo non restituatur in possessionem spoliorum iniquorum; quâ de re dixi *l. 3. tr. 2. c. 9. n. 5. & tr. 4. c. 25.* Porrò dictum hoc Jur. Consult. Papa hîc adduxit argumentãdo à maiori ad minus, si enim jure ciuili statutum est, ut qui noscitur esse prædo, in possessionem suam restituatur, quãto magis restituendus est priuatus possessione beneficij, si notorium non sit, eum intrusum seu iniquum possessorem esse, tametsi quæstio de jure institutionis ei moveatur.

CAPITVLVM VI.

Item, cùm quis.

PARAPHRASIS.

Questus aliquis est apud Judicem de Caio, quod possessionem suam clam ingressus sit, & violenter eũ eiecerit, potéstne Caius ipsi crimen obijcere? ut eũ ab actione repellat. Respondet Alexand. III. Ob talem exceptionẽ, causam principalem judicii possessorij retardari non posse, cùm enim Reus convẽtus præsumatur esse inimicus actori, ideò non permittitur eum criminaliter accusare, antequam restitutio facta sit.

SVMMARIVM.

1. *Obiectio criminis spoliato facta non suspendit possessorium judicium rei recuperandæ.*
2. *Nisi obijciatur spoliato agenti excõmunicatio, quo in casu suspenditur possessorium hoc judicium donec actor absoluatur, vel nisi crimen obijciatur, ratione cuius est inhabilis ad possidendum: vel nisi obijciatur notorius defectus proprietatis.*
3. *Potest etiam à judice ex officio priùs spoliari beneficio, quàm restituatur, si crimen ei notorium obijciatur, quod priuationẽ meretur.*
4. *Afferuntur variæ interdicti species quæ competunt spoliato.*
5. *Causa possessorij judicii dicitur Principalis, non in ordine ad judicium petitorium, sed in ordine ad alias incidentes quæstiones, aut exceptiones.*

NOta 1. Judicium possessorium recuperandæ expediri debet usque ad spoliati restitutionem, non obstante obiectione criminis.

Quæritur 1. An universim verum sit, quòd obiectio criminis nõ suspendat spoliati possessorium judiciũ, sed potiùs ab eo suspendatur. Resp. Cum *Ant. & Panorm. hic n. 8. Imola in fine.* vel agenti hoc interdicto obijcitur

jicitur excommunicatio, tunc suspenditur possessoriũ donec Actor absolutus sit, iuxta *gl. in c. 3. verb. Aliud. De procurat.* Vel objicitur aliud crimen, & tunc vel est tale quod reddat inhabilem ad possidendum, ita ut si agenti possessorio recuperãdi beneficij, objicitur, quòd sit Christianus fictus seu non baptizatus, aut Clericus fictus, seu non tonsuratus, tunc ante restitutionem cognosci debet de qualitate clericali quæ est fundamentum possidendi beneficium; vel est tale crimen quod non incapacem possessionis reddit, sed priuat proprietate ac titulo, tunc vel ipso facto eóque notorio priuationem aut tituli invalidationem continet, tali casu in materia beneficiali obstat exceptio, quæ dicitur notorius defectus proprietatis, ut si aliquis dicatur notoriè intrusus, aut per propriam Simoniam promotus, idémque sentiendum est, si talis exceptio statim probari queat, secundùm *Panorm. hîc. n. 11.* vel denique est crimen, ob quod 3 aliquis à judice priuari possit beneficio acquisito. v. g. homicidium, adulterium, & hoc casu exceptio criminis non impedit restitutionem spoliati, quamuis judex ex officio antequam hominem restituat, si crimen eius notorium sit, priuationem inferre possit, ne frustra ei restituat beneficium mox iterum auferendum.

Quæritur 2. Quale interdictum adversùs eum competat, qui clam possessionem 4 ingressus est; Resp. Cum *gl. verb. Clam.* Si Titius te absente nullóque alio relicto, qui nomine tuo possideat, ædes tuas occupauit, túque reversus cùm possessionem corporalem recipere velles, repulsus fueris, competit tibi *interdictum Vnde vi. l. Clam. 6. §. Qui ad nund. iunct. l. seq. ff. De acquir. possess.* Quòd si ob metum seu terrorem Titij accedere ausus non es ad recuperandas ædes ex eo quoq; tempore ciuilem possessionem amisisse, ac veluti spoliatus censeris, ut etiam tunc possessorium judicium recuperandæ tibi competat, ut colligitur ex *cit. l.* & docet *Panorm. hîc. n. 4.* Sin denique reversus auderes quidem possessorem clandestinum repellere, sicuti & jure posses, malis tamen id fieri judicis authoritate, tum competit tibi interdictum *vti possidetis*, quia retines adhuc ciuilem possessionem, quæ tamen hoc ipso turbatur, quòd alter detinet corporalem, ut *gl. notauit cit. §. Qui ad nund. verb. Non clam.* Matthæus Wesenbecius *de Act. & interdict. c. 12. n. 11.* veruntamen actio huius interdicti habebit effectum restitutorium, cùm turbatio hoc casu cessare nequeat, nisi restitutâ possessione corporali. Est & aliud interdictum, de quo agitur tit. Digestorum, *quod vi aut clam*, & competit si in solo alieno, aut cuius possessio ad alterum spectat, quidpiam ædificatum sit, tunc si denuntiatum seu inhibitum fuerit ædificatori, & nihilominus perrexerit, vi ædificâsse censetur; sin autem ædificans celando adversarium operatus fuit, quia timuit controversiam sibi motum iri, tum clam fecisse censetur, *l. 3. §. clam. ff. eodem.* Atque utroque casu competit actio, ut ædificatum destruatur, & sumptus ac damna refundantur. *l. 1 ff. Quod vi & clam. l. Semper. 15. ff. eodem.* sed nec exceptio juris competentis opponi potest, quo minùs restitutio seu demolitio fieri debeat. *cit. l. 1. §. Denique*, exceptis casibus expressis, *in cit. l. 3 ff. eodem.*

Nota II. Causa possessorij judicii di- 5 ci potest principalis, non in ordine ad judicium petitorium, quippe quod principalius est possessorio, sed in ordine ad alias incidentes quæstiones aut exceptiones: sic v. g. si monasterium agat interdicto *vt possidetis*, conquerens apud judicem, quòd à vicino Comite aut Prælato impediatur in jure decimandi, pascendi, inventandi, qui etiam aliquos officiales Monasterij ceperit & incarcerârit, tum mittetur ei mandatum sine clausula de Relaxandis captis, & citabitur ad certum diem, ut fidem faciat de paritione seu facta relaxatione, atque insuper, ut respondeat super causa principali in possessorio judicio.

CAPITVLVM VII.

Conquerente.

PARAPHRASIS.

Intellexerat Alexander III. quòd Archiepiscopus

scopus Cantuariensis Robertum Clericum, non seruato Juris ordine parochiâ spoliârit, id Papa reprehendendum esse ait, nisi causa manifesta & rationabilis permittat, quare mandat illi, si narrata vera sint, vt dicto Roberto parochiam unà cum fructibus perceptis restituat, cúmque pacificè possidere permittat, facta autem restitutione si quid disceptationis super parochia contra Robertum habeat, coram Episcopo Exonensi sedis Apostolicæ Delegato, per se vel per idoneum procuratorem ordine judiciario experiri poterit.

SVMMARIVM.

1. *Contra judicem extraiudicialiter iniustè spoliantem non minùs agi potest interdicto recuperandæ, quàm contra aliam priuatam personam.*
2. *Nisi causa auferendi manifestè notoria sit, aut concessum sit ipsi ex officio agere absque juris ordine.*
3. *Eadem actio conceditur spoliato contra judicem, qui in judicio spoliauit, competens tamen judex non est, vel saltem vitium substantiale commisit, non seruando juris ordinem. Secus si competens judex sit, aut accidentalem tantùm errorem commisit, ordinem juris immutando.*
4. *Pro judice tamen competente semper est præsumptio, quòd justè processerit.*

1 NOta, Contra judicem iniustè spoliantem competit interdictum recuperandæ, ita ut ante omnia restituendus sit spoliatus. Ita *Ioan. Andr. hîc in princip. Imola n. 5.* sed pro maiori intellectu ita distingue: Vel judex extraiudicialiter seu nullo juris ordine seruato auffert beneficium Clerico, tunc censetur veluti priuata persona, ut proinde agi possit interdicto recuperandæ, ut hîc
2 apparet. Excipe 1. Nisi causa auferendi beneficium notoriè manifesta sit, quia in notoriis juris ordo non requiritur, sed quia hoc casu præsumptio est contra judicem, ideò ipsi probatio incumbit, causam auferendi esse notoriam. Excipe 2. Si judici
3 concessum sit quidpiã ex officio agere absque juris Ordine, v. g. ob necessitatem, ut impediatur scandalum vel peccatum, sicuti hîc monet *Panorm. n. 15. Mascard. Concl. 1314. n. 14.* Vel judex in judicio spoliat vi sententiæ latæ; tunc vel est competens vel incompetens, seu jurisdictione actualiter non præditus. hoc posteriori casu perinde est, ac si extraiudicialiter, & ut priuatus spoliaret, uti docuimus in *c. Cùm Causa. 22. de offic. delegat. v. g.* si judex laicus contra Clericum sententiam ferat, aut contra laicum in causa Ecclesiastica. In priori autem casu si judex judicialiter processit, sed ordinem juris non seruauit, tunc distingue, num vitium substantiale sit, ex quo sententia ipso jure nulla redditur, consequenter eius executio spoliatio censetur, ut si in judicio ordinario lite non contestata sententia definitiua dicta sit, vel si sententia intolerabilem errorem, adeóque manifestam iniustitiam contineat, ut si lata sit contra legem apertam usúque receptam, vel si contineat expressionem causæ notoriè falsæ, in qua vel adæquatè vel principaliter sententia fundata sit, uti docet Sancius de nullitate ex defectu processûs. *n. 128.* An verò defectus tantùm sit mutatio Ordinis accidentalis, ut si petitorium judicium tractetur ante possessorium: hoc casu sententia valet & executioni mandabitur, nisi appellatum sit, idémque est, si sententia lata sit contra jus dubium aut intricatum, uti Sancius docet *n. 124. & n. 16.* ubi aptè distinguit inter ordinem judicii qui est de substantia, & cuius omissio ipso jure vitiat processum, & inter ordinem qui est de justitia, cuius omissio processum non facit irritum, sed ope appellationis aut supplicationis rescindendum.

Id solùm adde, pro Judice judicialiter 4
procedente aut sententiam exequente, si jurisdictione præditus sit, semper esse præsumptionem, quòd justè processerit, consequenter qui contra eum tanquam spoliatorem agere vult, probationes edere tenetur.

* *
*

CAPITVLVM VIII.

Ex transmissa.

PARAPHRASIS.

Mulier quædam separauit se à viro, prætendens fortasse impedimentum consanguinitatis: super hac causa respondet Alexander III. si constet, quòd mulier legitimè desponsata sit viro, ab eáque cognita, esse ipsi restituendam, recepta cautione sufficiente de non offendendo: sin autem vir odio capitali mulierē prosequatur, ita ut ipsi periculum timeatur, tum restituenda non est, sed custodienda in loco tuto, ubi vir & parentes eius nullam violentiam inferre queant.

SVMMARIVM.

1. *Pro matrimonio in facie Ecclesiæ contracto præsumptio est, quòd sit validum, donec impedimentum dirimens ostendatur.*
2. *Coniunx post matrimonium consummatum spoliatus, plenè est restituendus, etiam quoad torum, nisi impedimentum quod obijcitur notorium sit, aut in continenti probari possit.*
3. *Nondum autem consummato matrimonio spoliatus tantùm restituitur quoad habitationem, non autem quoad torum si impedimentum dirimens obijciatur.*

1 PRo intellectu textûs: Adverte 1. Quòd sermo sit de sponsalibus de præsente, adeóq; matrimonio, eóque in facie Ecclesiæ contracto, nam pro tali matrimonio præsumptio est, esse validum donec impedimentum dirimens ostendatur.

2 Adverte 2. Sermonem esse de matrimonio consummato, hoc casu plena restitutio coniugis se separantis fieri debet, etiam quoad torum non obstante obiectione occulti impedimenti dirimentis, nisi id notorium sit, aut statim probari possit. *c. Literas. 13. h. t.* Si quidem per matrimonium consummatum plena possessio coniugis acquiritur, igi-

3 tur spoliatus plenè restitui debet. Sin autem matrimonium consummatum non fuerit, tunc restitutio fit quoad habitationem, non item quoad torū, uti etiam colligitur ex capitulo *Ex Conquestione 10. h. t. & cit. c. Literas*, idque probari debet, quia si post matrimonium bonâ fide contractum oriatur dubium de valore eius, & coniux præmissâ diligente inquisitione veritatem deprehendere non possit, coniugij usum petere quidem potest, cùm sit in possessione aliqua juris, quo in dubio priuari non debet; non potest tamen cogere alterum, præsertim fœminam ad reddendum, si quæstionis matrimonialis decisio paulò pòst à judice futura sit, exponeret enim se valde graui periculo, si postea contra valorem matrimonij pronuntietur, & ipsa corrupta sit, ut neque alterum honestum matrimonium consequi, nec inter sacras virgines in Monasterio velari queat. Reliqua dicentur *in cit. c. Conquestione. & c. Literas.*

CAPITVLVM IX.

Cùm venisset.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Eboracensis Ecclesiam quādam viuente eius Rectore donauit, & cōcorporauit Ecclesiæ Collegiatæ, ita ut mortuo Rectore reddit⁹ universi ad collegiatam peruenirent, interim verò à Rectore auctoritate eiusdem Archiepiscopi pensio annua Collegiatæ Ecclesiæ solueretur, eámq; concessionem Papa suâ authoritate confirmauit, accidit autem, ut mortuo Rectore, cùm Canonici ab Archidiacono & quodā alio Clerico parochiam illam affectantibus, sibi timerent, non requisita auctoritate Archiepiscopi possessionem parochiæ ingressi sint, mox autē pluribus rebus quas Rector obiens reliquerat ab Archidiacono spoliati. Hac controversiâ cognita respondit Alexander III. Cùm Canonici annuam pensionem à Rectore dum viueret perceperint, non vitiosè ingressos esse in possessionem parochiæ, etiam sine Archiepiscopi autoritate, siquidem jure cautum est, etiam eum possidere, qui per alium possidet.

SVM-

SVMMARIVM.

1. *Qui ciuilem possessionem rei consecutus est, dum naturalis possessio penès alium existebat, potest hanc deinde legitimè vacantem propriâ authoritate ingredi.*
2. *Quicunque beneficiatus ratione juris decimarum aliorúmq; suæ Ecclesiæ prouentuũ videtur esse quasi usufructuarius, proprietate scilicet & possessione ciuili penes Ecclesiam manente.*
3. *Et ideò beneficiarius jus sui beneficij consecutus agere potest de spolio antequam possessionem sui beneficij accipiat, contra eos qui spoliauerant Ecclesiam decimis v.g. aut pensionibus.*
4. *Nisi alius esset in possessione exigendi tales decimas aut pensiones, contra quem tantùm actio in rem negatoria concederetur.*
5. *Exigens decimas nomine Ecclesiæ, titulum aut mandatum ostendere debet, si nondum est in possessione beneficij.*
6. *Si verò sit in possessione beneficij, nihil necesse est, titulum ostendere, nisi possessio talis noua esset, aut litigiosa.*
7. *Ecclesia Collegiata v. g. cui altera cum omnibus juribus incorporata fuit, quamuis plenam illius possessionem nondum habeat, quàm diu Rector huius Ecclesiæ incorporatæ viuit, ciuiliter tamen eam possidet, si Rector huius pensionem illi soluere debeat.*

COntroversia in eo versabatur, num Canonici sine auctoritate Archidiaconi ingrediendo possessionem parochiæ se intrusisse censeantur, iuxta *c. 18. de Præb. in 6. l. Si ex stipulatione. 5. de acquir. possess.* ubi dicitur, prædonem esse, qui titulum seu causam proprietatis habens, possessionem ipsemet accipit, & non ab eo, qui rem tradere debet; in casu autem nostro, ad Archidiaconum pertinebat Ecclesiarum possessionem tradere, iuxta *c. Ad hæc. 7. c. Vt nostrum. 9. de offic. Archidiaconi.* Ergo si Canonici contemptâ eius potestate per se ipsos possessionem acceperunt, ei iniuriam intulerunt, quam ipse repellere poterat, potestatem suam defendẽdo: quamobrem videtur, quòd Canonici contra ipsum tanquã spoliatorem agere non potuerint, quin potiùs ipse cõtra Canonicos, ut jure ac proprietate Ecclesiæ ab Archiepiscopo cõcessâ priventur. *cit. c. Eum. & l. Si quis in tantam. 7. C. Vnde vi.* Nihilominus Papa pro Canonicis contra Archidiaconum judicat. Ratio dari debet. Qui possessionem ciuilem rei consecutus est, naturali possessione penès aliũ existente, is hanc vacantem, v.g. per mortem usufructuarij aut coloni propriâ authoritate ingredi potest. *arg. l. 2. C. De jure emphyteutico. §. adeò. Institut. de locato.* Sed in nostro casu non tantùm proprietas parochiæ acquisita erat Ecclesiæ Collegiatæ, sed etiam eiusdẽ possessio ciuilis. Ipse autẽ Ecclesiæ parochus in ordine ad jus decimarũ aliorúmque reddituũ habebat se ut usufructuarius. Ergo post mortem eiusdem Ecclesia Collegiata poterat parochiæ possessionem capere, & redditus omnes percipere. Pro Maioris propositionis declaratione: Adverte, quòd colonus emphyteuta & Vasallus rem possideat non suo nomine sed alieno. Quare non ipse propriè possidet, sed potiùs is, cuius nomine possidetur, ut hîc dicitur, & in *l. Quod meò. 18. ff. De acquir. possess.* Requiritur tamẽ ad hoc ut emphyteuta v.g. alterius nomine possideat, illũ habere possessionem civilẽ, nec sufficit habere solum dominiũ seu proprietatẽ fundi, si alius in possessione existat, cui videlicet pensiones soluantur. Verũtamen emphyteuta & vasallus sunt in quasi possessione dominij utilis seu ususfructus, adeò, ut temporis diuturnitate præscribere & super hoc jure possessorio ac petitorio judicio suo nomine agere possint. Pro Minoris declaratione adverte, quod Rector Ecclesiæ aliúsve beneficiarius, ratione juris decimarũ & aliorũ proventuum sit quasi usufructuarius, cui sola utilitas ad vitam suam competit. At verò idem jus decimarum, secundùm proprietatem & ciuilem eius possessionẽ ad Ecclesiam pertinet, imò de Prælatis Ecclesiarũ maximè Regularium, cùm meri administratores sint reddituũ, rectè dicitur quòd jura & proventus tam naturaliter quàm civiliter possideant nomine Monasterij, quæ de re *Innoc. c. In liter. n. 13. h. t.*

Exin-

3 Exinde colligitur 1. Quòd Rector Ecclesiæ aut alius beneficiarius cùm primùm jus beneficij consecutus est institutione aut confirmatione, agere possit contra eum, qui Ecclesiam spoliauit, v. g. pensiones negando, tametsi ipsámmet possessionem non apprehenderit, quia non agit nomine suo, sed nomine Ecclesiæ spoliatæ, quod facere potest, tanquam legitimus eius constitutus administrator, uti docet *Mascardus Conclus. 1323. n. 19.* ubi ait: Beneficii possessor agit ad restitutionem possessionis subtractæ, nec opus est probare pensionem sibi aliàs fuisse solutam, satis est docere, antecessoribus solutam fuisse, quia non ipse sed Ecclesia quæ
4 possidet, agere videtur. Excipe, nisi sit alius in possessione decimandi vel pensionem accipiendi, tunc Rector Ecclesiæ, ne quidem acceptâ possessione parochiæ, petere potest à rusticis decimas, aut pensiones à colonis, consequenter nec agere potest contra illos tanquam subtractores, quia propriâ auctoritate sibi possessionem usurpando, alterum possidentem, seu qui in possessione est exigendi, spoliare censeretur, quare necesse est, ut hoc casu parochus nomine suæ Ecclesiæ contra illum agat, actione in rem negatoria, quâ declaretur, ipsi nullum jus competere, ideóque possessionem abdicet & Ecclesiæ restituat.

5 Quæri potest hîc, num Prælatus, Parochus, al úsve Beneficiarius nomine Ecclesiæ aut beneficij sui exigens decimas aliósve redditus, titulum ostendere debeat? Respondeo & Dico 1. Si nondum in possessione est, titulum exhibere debet, aut mandatum, quòd id faciat nomine & loco Ecclesiæ. Ita *Panorm. c. Cùm super. Innoc. ibid. de causa possess.* Quia si rustici decimas aut pensiones soluerent non habenti titulum, seu intruso notoriè, iterum soluere deberent, uti *Mascardus notauit cit. Concl. n. 1.*

6 Dico II. Si est in possessione, eâque antiquâ aut saltem pacificâ, non debet ostendere titulum, secus est, si sit recens possessio, maximè si de jure dubitetur, aut lis mota sit, tunc caveant coloni, ne huic soluant, nisi titulum legitimum exhibeat, uti *Panorm. notat loc. cit.*

Colligitur 2. Rectè respondisse Pontificem, quòd Rector parochiæ jus proventuum possederit, nomine Ecclesiæ Collegiatæ, non eâ præcisè ratione, quia parochia cum omnibus juribus incorporata fuit Collegiatæ, nam eâ incorporatione proprietas acquisita fuit, non possessio. *c. Pastoral. 19. de Priuileg.* sed ideò quia Ecclesiæ Collegiatæ tanquam proprietariæ Parochus nomine parochiæ pensionem annuam soluit, per hanc enim pensionis acceptionem, Collegiata Ecclesia fuit in ciuili possessione parochiæ & jurium eius, consequenter mortuo parocho tanquam usufructuario, capere etiam potuit possessionem naturalem, quæ tunc vacabat, ideóque plenam possessionem & pereeptionem reddituum habere. Notum est enim, quòd extincto jure usufructuarij consolidetur usus fructus cum proprietate, quin imò admonet hîc *Panorm. n. 7.* Si habens civilem possessionem ingrediatur naturalem vacantem, quòd non censeatur de nouo acquirere possessionem, sed priùs acquisitam continuare, cùm naturalis possessio sit accessoria ciuili. 7

CAPITVLVM. X.

Ex conquestione.

Paraphrasis.

Caius miles Barbaram in uxorem duxit, & filiam procreauit, postea eam sine Ecclesiæ judicio repulit, & literas à Papa impetrauit ad judices delegatos, ut cognoscát, remotâ appellatione super impedimento consanguinitatis, sed mulier priusquam à judicibus citaretur, virum restitui sibi petiit ab Episcopo ordinario, postea verò citata à delegatis, modò per se comparens, modò per procuratorem, ante & post litis contestationem, virum sibi restitui postulauit, cùm autem judices negatâ restitutione (quod fieri non debebat) in causa principali procedere vellent, illa ad sedem Apostolicam appellauit. His cognitis mandat Lucius III. Si ita est, ut mulieri vir restituatur, & quæ

post

post appellationem acta sunt, in irritum revocentur, postea super matrimonij impedimento cognoscatur, ac definiatur,

SVMMARIVM.

1. *Repellens à se coniugem absque judicio Ecclesiæ censetur eum spoliare possessione juris matrimonialis.*
2. *Si in causa matrimoniali judicio possessorio proprietatis etiam aliquid admisceatur, solus Ecclesiasticus judex cognoscit: Si verò præcisè agatur de receptione coniugis repulsæ, vel de compellendo ad reddendum debitum &c. sæcularis etiam judex competens erit.*
3. *Vxor ejecta à marito contra matrimonium judicio petitorio agente, potest tam ante quàm post litis contestationem per modum actionis petendo restitutionem suspendere judicium petitorium.*
4. *Quod ipsum etiam aliis suis juribus incorporalibus ejecti facere possunt.*

1 NOta I. Si Coniux coniugem à se absque judicio Ecclesiæ removeat, censetur eum spoliare possessione juris matrimonialis. Vide quæ dicam *in c. Literas. h.t.*

2 Nota II. Ad judicem Ecclesiasticum spectat in causa matrimoniali cognoscere etiã super possessorio. Quòd si quæstio proprietatis admisceatur, quia dubitatur de valore matrimonij, tunc solus Ecclesiasticus judex cognoscet, cùm causæ possessionis & proprietatis coram uno judice tractandæ sint; sin autem valor in quæstionem non veniat, sed solùm agatur de receptione coniugis repulsæ, tum etiam sæcularis judex est competens, uti docet *gl. in c. Non est. ij. verb. Vxores. desponsi.* & alij apud *Sanch. l. 9. disp. 4. n. 7.* Vbi ait idem esse sentiendum de compulsione ad reddendum debitum, quam etiam sæcularis judex facere potest, si de valore matrimonij quæstio nulla sit.

3 Nota III. Si Maritus ejiciens uxorem contra matrimonium agat propter impedimentum dirimens, uxor ante & post litem contestatam per modum actionis petendo restitutionem suspendere potest judicium petitorium, ita ut priùs super possessorio cognoscendum sit, ad uxoris ejectæ restitutionem. Ita *Innocent. hîc. n. 1. Panorm. n. 7.* contra *gloss. verb. Ante.* Nam alioqui daretur occasio seu stimulus spoliandi, si Spoliator agendo in petitorio, probandóque intentionem, possessorium recuperandæ à se removere possit. Confirmatur ex *c. Pastoral. 5. De Causa possessionis.*

Quæres, num hæc doctrina locum tantùm habeat in Causa matrimoniali. Resp. Cum *Imola hîc. n. 3.* habere etiam locum in aliis causis, quibus agitur de jure incorporali, quòd conventus petitorio, tentare possit possessorium recuperandæ, ita ut suspenso petitorio, hoc priùs expediatur. Exemplum. Capitulum Canonicorum agit contra Titium Clericum actione negatoria in rem, ut à Judice declaretur nullum ipsi jus capitulare competere; Vel Dominus fundi simili actione agit contra vicinum, ut declaretur, agrum suum liberum esse à seruitute, seu vicino jus nullum actus seu itineris competere, tunc reus conventus ante vel post litem contestatam proponere potest actionem judicij possessorij, petendo se restitui in possessionem, quâ per vim priuatus sit, videlicet à Capitulo ejectus; à Domino ad fundum nõ admissus; at verò in rebus corporalibus hoc fieri non potest, siquidem in his Actor non possidet, sed petit à possidente, ergo Reus conventus petitorio judicio, movere non potest actori possessorium recuperandæ, seu ut clariùs dicam, petere non potest se restitui in possessionem sibi ablatam. 4

CAPITVLVM XI.

Gravis.

PARAPHRASIS.

Archidiaconus invadens Monasterium Dolense, gravia damna intulit, quamobrem Monachi questi sunt apud Cœlestinum III. Is rescripsit judicibus, si rem ita se habere cognouerint, ut cogant Archidiaconum, ablata integrè restituere, damna resarcire, & de illata iniuriâ satisfacere, imò verò ablata & occupata unà cũ fru-

ctibus restituenda esse non tantùm ijs, quos violentus possessor percepit, sed quos pristini possessores Monachi percepissent, nisi eis possessio erepta fuisset.

SVMMARIVM.

1. *Mensura restitutionis faciendæ in damno formaliter iniusto, est læsio alterius, ita vt eatenus restitui debeat, quatenus læsus est.*
2. *Cui lis mouetur, super re quam hactenus vt suam possedit, tantùm in ordine ad aliquos effectus, mala fidei possessor dicitur.*
3. *Debet etiam officio judicis ad plenam restitutionem compelli iniustus spoliator, quāvis non omnia ab actore petita.*
4. *In aliis tamen judiciis ad fructus ante litem contestatam perceptos, aut ad expensas non condemnabit judex, nisi nominatim petantur.*

NOta. Possessor malæ fidei, seu formaliter iniustus, restituere debet non tantùm rem & fructus rei quos possedit (exceptis merè industrialibus) sed etiam, quos nō possidet, & absumpsit, imò & eos quos nunquā possedit, sed Dominus seu pristinus possessor percepisset, nisi ipsi res ablata, aut iniquè detenta esset. De hoc dixi *lib. 3. tr. 2. c. 4.* Ratio prioris partis est, quia fructus qui ex re aliena percipiuntur, ut frumentum ex agris, vinum ex vineis, lac aut lana ex ovibus, ad Dominum eorum pertinent, non ad iniquū possessorem, deductâ tamen æstimatione laboris ac industriæ, ergo ita restitui debent, aut si non restituantur, sed iniquè absumantur, damnum Domino infertur, quod resarciendum est. Altera pars probatur, quia malæ fidei possessor resarcire debet omne damnum & lucrum cessans, cuius iniusta causa fuit: quare dici solet, quod mensura restitutionis faciēdæ, in damno formaliter injusto, sit læsio alterius, ita ut quatenus læsus est, eatenus restitui debeat secūdùm dicta *cit. tr. 2. c. 1. n. 2.* Loquor autem de malæ fidei possessore, qui propriè ita dicitur, quia iniustè possidet, aut dolo possidere desiit, videlicet iniustè absumendo. Alius autem est malæ fidei possessor, cui supervenit scientia rei alienæ, cùm antea probabiliter ignoraret, is aliud restituere non debet, nisi quod tempore acquisitæ notitię possidet, aut quatenus se ex re locupletiorē tunc esse agnoscit; præterquā si ob usucapionem legitimè completam, tutus sit, sicuti dixi *cit. tr. 2. c. 3. n. 1.* Sed & is malæ fidei possessor dicitur, cui lis mota est super re, quam hactenus ut suā possedit, *l. Sed etsi. 25 §. Si ante. ff. De petitione hæred.* Id verò tantùm pertinet ad quosdam effectus, videlicet ut ex eo tempore, quo lis mota est possessori, usucapio interrumpatur, *l. Mora. 26. C. De rei vendit.* Item ut fructus rei omnes etiam consumptos post litis contestationem restituere necesse sit, si actor in petitorio vincat. *l. Certum. 22. C. eod.* Videatur *gl. hic verb. Fructus.* His addendum, quòd ad fructuum 3
restitutionem unà cum re, atque universi damni ac lucri cessantis compensationem violentus & iniustus possessor compellendus sit judicis officio, tametsi hæc non omnia petita fuerint ab Actore, uti colligitur ex hoc capitulo, *& l. 1. §. Non solùm. ff. De vi.* At verò satisfactio pro iniuria non venit accessoriè, nisi petatur. *Argum. C. Querelam. 24. de Elect.* In aliis autem judiciis, ante litem 4
cōtestatam percepti fructus nominatim petendi sunt in libello, alioquin ad eos judex non condemnabit. *l. Ædilem. 25. §. Item sciendum.* Et *l. Item si. 130. ff. De adisio.* quod & similiter in expensis præstandis observari debet. *l. Pactum. 10. ff. De vsufruct.* Ceterùm si fructus jure actionis seu vindicationis debeantur, tum obtentâ victoriâ super re principali, postea fructus jure peti possunt, ita ut lata sententia super re, fidem faciat super fructibus, secundùm doctrinam *Bartoli. l. Et ex diuerso. §. Vbi. n. 3. ff. De rei Vindicatione.*

CAPITVLVM XII.

Olim.

PARAPHRASIS.

Episcopus Tridonensis Fratribus humiliatis domum Calventiæ unà cum possessionibus agrorum, eâ conditione concessit, ut in eo fundo nomine Episcopi hospitale &

le & Oratorium exstruerent, ex possessionibus tres solidos annuos ipsi penderent, & Prælatus ibi præficiendus pro se & fratribus, Episcopo & successoribus obediẽtiam manualẽ (id est sine scripturâ, *interprete gl. c. His qui. De Maioritate.*) præstarent. Sed Magister militię domum Calvẽtiæ, quâ Humiliati incolebant, cum possessionibus cõsequi affectabat. Quamobrem illos astutè circumvenit, ut ignorante Episcopo, se & sua in manus suas traderent, eâ adiectâ conditione, si Episcopo placeret, sine cuius assensu se nihil facere posse affirmabat; & ita Magister traditionẽ accepit. Sed mox veluti jure suo utens, multa ex domo abduci curauit, hæc cùm intellexisset Episcopus, accessit ad domũ unà cum Canonicis, & quos in ea Custodiæ causa à Magistro militiæ relictos reperit, per vim eiecit. Quamobrẽ ille tanquã spoliatus in possessionẽ se restitui petiit; his intellectis respõdit Innoc. III. Magistro negandam esse restitutionem, partim quia domus Calventiæ ab Humiliatis tradita fuit sub conditione consensûs Episcopalis, qui postea non accessit, partim quia Magister clam & iniustè possessionem usurpavit, quem proinde vim vi repellendo licebat ejicere. Ceterùm si Episcopus unà cum Capitulo modum excessit, in defensione juris sui contra Magistrum militiæ, satisfactionem debitam præstare tenetur, pro iniuria eidem & Domui (seu familiæ) eius illata.

SVMMARIVM.

1. *Possessorium recuperandæ non conceditur illi qui in possessione non fuit.*
2. *Ciuilem rei possessionem retinens, potest eam ab iniusto invasore aut turbatore defendere etiam per vim, si ita necesse est, & alter abscedere nõvult, modò hoc fiat in continẽti, & modus justæ defensionis nõ excedatur.*
3. *Quod non tantùm fieri potest circa res mobiles*
4. *Sed etiam circa res immobiles.*
5. *Et circa jura etiam incorporalia.*
6. *In continenti autem censeris rem tuam defendere, si statim persequaris aut resistas aperta violentiæ, priusquam in tutum locũ à tua persecutione aut resistẽtia se receperit iniustus spoliator, vel res tuas detulerit.*
7. *Vel si occulta violentia tibi sit facta, in continenti censeris rem tuam defendere, si statim ac cognoueris iniustam violentiam, media aggrediaris ad recuperandum necessaria.*
8. *Moderamen inculpatæ defensionis censeris tenere, si tanta sit tua resistentia, quanta prudentis viri arbitrio spectatis omnibus circumstantiis necessaria videtur.*

NOta I. Ei qui in possessione non fuit, non conceditur judicium possessorium recuperandæ, cùm enim priuatio supponat habitum, necesse est, in possessione fuisse eũ, qui spoliatum se queritur, quamobrem agens interdicto *Vnde vi*, probare debet, & quòd in possessione fuerit, & quòd eâ ab adversa vi deiectus sit. *Argum. l. 1. §. Hoc interdictum ff. De vi*, & tradit *gl. hîc. verb. Restitutione. Mascard. concl. 1321. n. 23.* sed vnde colligimus, quòd Magister possessionem domûs non acceperit. Resp. Quia traditio Domûs facta est sub conditione, quæ postea non evenit, consequenter in effectu Magistro possessio acquisita non fuit ciuiliter. 1

Nota II. Si quis clam seu ignorante possessore, eius possessionem ingrediatur aut occupet, atque abscedere nolit; per vim repelli potest; dummodo fiat in continenti, & modus justæ defensionis non excedatur; ita habetur in hoc c. Nam Episcopus fuerat in possessione Domûs ciuili, quandoquidem Humiliati eam possidebant nomine eius, quippe proprietatem sibi reseruantis, eandem verò domum Magister ignorante Episcopo ingressus est, & occupauit, cùm facilè suspicari potuerit, eum contradicturum, & cùm in domo aliquamdiu mansisset, non pauca egit & abstulit, quasi jus in domum haberet, consequenter turbauit possessionem Episcopi, non sine iniuria & violentia; At verò vim vi repellere omnia jura permittunt. *l. 3. ff. De just. cap. Significâsti. 18. de homicid.* Et debet hoc accipi 1. De rebus mobilibus, v. g. si miles equum 3

tibi auferat, potes illum persequi, & si opus sit, adhibitis armatis sociis per vim recuperare equum, donec illum miles in locum tutum receperit, tunc verò vim adhibere non licet, si judicis auctoritate recuperare nequeas, cùm enim possessione equi etiam civili seu per legem tibi concessa priuatus sis, jam vim non pateris, quàm repellere liceat, sed vim passus es, quàm vindicare propriâ authoritate concessum non est: sed debes coram judice experiri furti actione, aut vi bonorum raptorum. *l. 1. §. Et generaliter. ff. De vi.* 4 2. Accipi debet de rebus soli seu immobilibus, v. g. Si quis per vim te extrudat ex ædibus, retines nihilominus possessionem ciuilem, & si in continenti te ipsi resistendo prævaliturum & corporalem possessionem recuperaturum confidis, quod & licitum est, *l. 1. §. Vim vi. ff. De vi. & l. 3. §. Eum. ff. eod.* potes eum qui cum armis venit, armis repellere, neque enim tantùm concessum est tibi resistere, ne dejciaris, sed etiamsi dejectus fueris, concessum est tibi, eundem dejicere, non quidem exinteruallo, sed confestim & in continenti. Item si quis clam me absente, ædes meas ingressus sit, ciuilem earum possessionem retineo, nec amitto nisi postquam intellexero, aggredi etiam hanc alterum sibi occupare, & ego eam conseruare, aut recuperare naturalem intermittam: vnde licebit ad conseruandam ciuilem possessionem ædium & recuperandam naturalem, aggredi clandestinum & iniustum occupatorem, qui eo ipso, quòd recedere nolit actualiter & per vim turbare & infestare censetur possessionem ciuilem meam, ideóque vim vi repellere possum. *l. 3. §. Si quis nuntiet, l. Clam. 5. §. Qui ad nundinas. l. Si id. 25. §. Quidam. ff. De acquirenda possessione.* Potest tamen in tali casu qui ciuiliter possidet, statim re intellectâ currere ad judicem intentando interdictum possessorium retinendæ, 5 ut exsuprà dictis constat. 3. Accipi debet de rebus incorporalibus seu juribus, si quis v. g. Capitulari electioni se ingerendo possessionem juris eligendi comparare velit, & monitus non desistat, per vim ejici potest, sed & vice versâ si in possessione eligendi existens non admittatur, potest etiam vi adhibitâ se ingerere, ne possessionem amittat. Quæritur quid sit aliquid fieri in continenti.

Respondeo & Dico 1: Si quis vim aper- 6
tam, aut rapinam tibi inferat videnti, v. g. rem mobilem auferat, videlicet, equum; aut ædibus tuis te excludat; his casibus statim defendere te debes, illum persequêdo, huic resistendo, ita ut una inter vos contentio seu pugna sit, cùm primùm verò raptor aut prædo veluti victoriam consecutus, pro hac vice tutus est à tua tentata persecutione aut resistentiâ, amisisti possessionem etiam ciuilem, ut postea judicio possessorio non retinendæ, sed unde vi aut bonorum raptorum agere debeas.

Dico II. Si quis clam ingressus sit, te ab- 7
sente ædes, aut alium fundum, postquam id cognoueris, requiritur ut non cesses aggredi media ad recuperandum extra vel intra judicium necessaria, alioquin animum despõdisse, & ciuilem quoque possessionem amisisse censeberis; sin autem statim, moraliter rem æstimando, consultes cum amicis, arma præpares, milites tibi conducas, vel advocatos advoces, tametsi fortè unum mensem aut plus temporis iuxta negotij difficultatem in præparando insumas, retines possessionem ciuilem. *l. 1. §. Vim vi. ff. De vi. l. 1. C. Vnde vi, & docet hîc Innoc. n. 8. Panorm. n. 10.* Videantur etiam, quæ dixi *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. num. 4.*

Nota III. Ad possessionem retinendam, 8
defendendam, aut iniquum turbatorem repellendum, vim aliter inferre non licet, nisi cum moderamine inculpatæ defensionis *l. 1. C. Vnde vi*, videlicet, ut tanta sit resistentia, quanta prudentis viri arbitrio, spectatis omnibus circumstantiis necessaria videtur ad defensionem possessionis aut juris, sin autem amplius quid attentatum fuerit, ad injuriam spectat, unde obligatio oritur satisfaciendi, & damna ita iniustè illata resarciendi. Videatur *Panormitanus hîc n. 15.*

* * *

Cap.

CAPITVLVM XIII.

Literas.

PARAPHRASIS.

Guilielma mulier coram Episcopo Bituricensi postulabat separationem matrimonij, eò quod viro suo in gradu quarto cõsanguinitatis juncta esset, sed vir petebat ante omnia sibi Guilielmam restitui, quæ propriâ temeritate recesserat. Ex parte mulieris replicatum fuit, restitutionem negandam esse, tum propter periculum incestûs, si viro cohabitet, tum propter probationes impedimenti, quas in continenti afferre vellet, sed & notam mariti sæuitiam esse, qui restitutam sibi cruciatibus & mortis timore cogeret, ut ab accusando matrimonio absisteret, nihilominùs Maritus perstitit, in petenda restitutione, & ne aliter videlicet ad petitorium procederetur, ad sedem Apostolicam appellauit. Respondit Innocentius III. Doctores in hoc articulo non convenire, nam alij aiunt restitutionem coniugis priùs faciendam, quàm de valore matrimonij cognoscatur, moti authoritate *Lucij III. c. In conquestione. h. t.* Alij autem negant faciendam restitutionem, propter responsum *Clement. III. in c. 1. De Ord. Cognit.* Alij denique distinguunt, si objiciatur gradus consanguinitatis divinâ lege obstans matrimonio, ita ut Papa dispensare non possit, tum restitutionem coniugis negandam esse, sed concedendam, si gradus lege tantùm Ecclesiasticâ diriment matrimonium: Papa autem nihil penitus præiudicare volens opinionibus his, id tantùm admonet *c. 1. De Ord. Cognition. & c. Ex Conquestione*, contraria nõ esse, quia in illo agebatur judicio tantùm petitorio, in altero autem possessorio recuperandæ; Ipsemet verò Pontifex respondet, si ex una parte petita sit restitutio coniugis propriâ authoritate recedentis, ex altera verò opponatur consanguinitas præsertim indispensabilis, & probationes afferantur in continenti paratæ, tum restitutionem Coniugis faciendam esse ad cohabitationem, & officia coniugalia, exacto priùs juramento, quòd restitutio malitiosè non petatur; at verò quoad torum seu debiti redditionem, differri debere restitutionem ob periculum incestûs, præsertim si fama impedimentum coadiuvet: quòd si probationes statim afferri non possint, sed dilatio longior petatur, cùm hoc casu præsumptio sit contra eam, quæ sine judicio Ecclesiæ à viro recessit, ad plenam restitutionem compelli debere, etiam per excommunicationem, quam mulier si impedimenti conscia sit, humiliter sustinere cogitur, & debiti redditionem negare, donec cognito errore, à censura absoluatur. quòd si autem viri sævitia objiciatur, videndum esse, num sufficiente cautione periculum amoueri queat, & tum eâ exactâ restitutionem fieri debere; sin verò trepidanti mulieri non possit sufficienter provideri, tum non tantùm marito restitui non debere, sed etiam ab ipso amoueri.

SVMMARIVM.

1. *Potest coniunx allegando etiam propriam turpitudinem ad separationem matrimonij agere, si malâ fide hoc contraxit.*
2. *Coniux contra coniugem propriâ authoritate recedentem, & se separantem, potest agere ad restitutionem judicio possessorio.*
3. *In peccati periculo probationes in continenti paratæ ad probandum proprietatis defectum admittuntur, antequam periculosa fiat talis restitutio.*
4. *Censentur autem probationes in continenti paratæ, si non longa petatur aut fiat dilatio, sed quæ sit pro qualitate causæ breuis.*
5. *In dubio valoris matrimonij consummati, si statim expediri non possint probationes impedimenti dirimentis, compelli potest spolians ad reddendum debitum per censuram etiam Ecclesiasticam.*

NOta I. Coniux conscius impedimenti dirimentis, potest agere ad separationem matrimonij, & quidem etiam allegan-

do propriam turpitudinem, si malâ fide matrimonium contraxit, quia agitur de peccato vitando.

2 Nota II. Non tantùm si coniux ejectus sit à coniuge, agere potest ad sui restitutionem possessorio judicio, sed etiam si coniux à coniuge recessit, aut se separauit. Addit *glossa hîc verb. Diuertit. Panorm. num. 9.* Si maritus repulit à se uxorem, sed postea facti pœnitens, eandem revocat, ipsa autem redire non vult, ex eo tempore maritum spoliatum censeri, ut agere ipse possit possessorio recuperandæ. Similiter si uxor propriâ temeritate recessit à marito, postea verò pœnitens facti redire vult, sed non recipitur, ex eo tempore ipsa ut spoliata agere potest, teste *gl. in c. Significauit. 1. verb. Materiam. de divortio. Panorm. in c. Ex conquest. h t. n. 1. argum. l. Clam. 5. §. vlt. ff. De acquir. possess.* Ratio est, quia nulla temeritas aut culpa obest juri matrimoniali per se loquendo, nisi adulterium, sicut Christus significauit *Matth. 5. & 19.* & explicaui *lib. 5 tr. 10. p 3. c. 7. n. 7. & 10.* Addit *Panorm. hîc. n. 29.* quòd hoc casu Coniux, v.g. Mulier renitens etiam capi, & ad domum Mariti reduci possit.

3 Nota III. Agenti possessorio recuperandæ, non obstat exceptio defectûs proprietatis, tametsi probationes offerantur in continenti paratæ, præterquam si vertatur periculum peccati, ut in casu proposito, quando dicitur matrimonium esse irritum, tunc probationes statim afferendæ recipiuntur, antequam fiat restitutio ad torum coniugalem.

4 Quæres quando censeri debent probationes statim paratæ. Resp. Si non longa dilatio petatur, sed consideratâ qualitate causæ intra paucos dies probatio sufficiens promittatur. *Argum. l. Ratum. 13. ff. De solutionibus* ubi dicitur, ꝛ quamprimùm cum spatio quodam temporis accipiendum esse secundùm viri prudentis intellectum; & docet *Panorm. hîc n. 6.*

5 Nota IV. Si dubium oriatur de valore consumati matrimonij, & probationes impedimenti dirimentis afferri statim non possint, Ecclesia per censuram compellit conjugem ad debitum reddendum, sed Coniux si sciat impedimentum dirimens, potiùs excommunicationem secundùm forum externum humiliter sustinere debet, quàm ut in copulam fornicariam consentiat.

CAPITVLVM. XIV.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Martham adhuc impuberem Patruus suus Ciuis Senensis filio nondum septennium ætatis habenti desponsare voluit, eámque indomum eiusdem traduci curauit. Cùm autem illa ad annos nubiles perveniisset, ratum habere noluit, quod à Patruo actum erat, petens ab Episcopo alteri nubendi licentiam, cùm autem Episcopus partes citâsset, ipsa Procuratorem misit, per quem petebat possessionem & alias res viro dotis nomine datas sibi restitui, sed pars adversa restitutionem mulieris fieri sibi postulauit, asserens etiam, quòd per procuratorem agere non posset, sed personaliter in judicio stare deberet. Episcopus super hac causa cõsuluit Innoc. III. qui respondit, nullum esse dubium quin mulier quamuis ætate minor, causam matrimonij per procuratorem agere possit, deinde partem alteram quæ mulieris restitutionem petit, super hoc audiendã non esse, cùm nullo juris aut possessionis commodo fuerit priuata, quãdoquidem per solam traductionem, quam nec antecesserunt, nec subsecuta sunt sponsalia, aut legitimus consensus, nullum inter eos obligationis vinculum contractum sit; quare mandat Papa, si ita se res habeat, ut causa, non obstantibus prædictis exceptionibus, appellatione remotâ definiatur.

SVMMARIVM.

1. *Ad matrimonium & sponsalia contrahenda requiritur proprius & liber contrahentium consensus.*

2. Non

2. *Non acquiritur liberi hominis possessio sine aliquo titulo.*
3. *Rerum sacrarum, publicarum, hominum &c. non tam est possessio cum commodis possessionis, quàm mera detentio, si jus possidendi non subsit.*
4. *In causis spiritualibus minor natu, v.g. non tantùm per se stare potest, si pubes sit, in judicio, sed etiam per procuratorem.*

1 NOTA I. Sponsalia & Matrimonia contrahi non possunt sine proprio eóque libero contrahentium consensu.

2 Nota II. Liberi hominis possessio acquiri non potest absque titulo, per quem jus in eum ac personalis obligatio acquiratur, ut videlicet fiat seruus, coniux, Religiosus. Ita tradit gl. hîc verb. Commodo. & sumitur ex *l. Vniuersas. 30. ff. de acquirend. possess.* vbi dicitur, quòd locum sacrum possidere non possumus, tametsi eum ut priuatum teneamus, sicuti nec hominem liberum; & *l. Cùm hæredes. 23. §. vlt. ff. eod.* si quis finxerit hominem liberum, eum non possidebit; consequenter non potest aliquis petere restitutionem hominis liberi, sed intentionem suam fundare debet in obligatione personali ex præcedente aliquo titulo, vt quia justo bello captus est, à me emptus, matrimonij vinculo, aut Ordinis professione voluntariâ adstrictus.

3 Corollarium. Quod dici solet possessionem magis in facto consistere, quàm in jure, juxta *l. 3. §. Ex contrario. ff. eod.* & possessionis non multum interesse, justè quis an iniustè possideat, id dictum ordinariè verum est, sed non in omnibus, quia in quibusdam rebus, videlicet publicis, sacris, hominibus, jura non tribuunt commoda possessionis, sed meram detentionem esse censent, si jus possidendi non subsit.

4 Nota III. Qui in judicio per se stare potest, v.g. Minor natu, si pubes sit, in causis spiritualibus, is potest etiam procuratorem mittere, vt hîc, & in *c. vlt. de Iudic. in 6.*

Quæres si agenti in judicio petitorio in eâdem causa proponatur possessorium recuperandæ, vtrùm hæc actio dici debeat, an verò exceptio. Resp. Principaliter esse actionem per quam petitur restitutio in possessionem, simul autem habere vim exceptionis dilatoriæ, cùm differat seu suspendat petitorium. Ita sumitur ex h. c. & tradit *Panorm. n. 8.*

CAPITVLVM XV.

Cùm ad Sedem.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Hospitalarios, & Episcopum Cumanensem super Ecclesia & hospitali, illam Innoc. III. commisit alicui Abbati, eâ forma, vt causam quoad petitorium & possessorium auditis omnibus, quæ pars vtraque proponeret, cognoscere & definire debeat. Coram hoc judice procurator Hospitalariorum compárens petiit dictam Ecclesiam & hospitale vnà cum possessionibus & pertinentiis suis ab Episcopo restitui hospitalariis, ad quos de jure spectaret, & quia ex antiquo in possessione fuerint. Ex aduerso Procurator Episcopi dixit se hæc nec scire nec credere, sed Episcopum ea, vtpote in sua diœcesi posita, rationabiliter tenere. Cùm autem pars vtraque testes ad fundandam actionem suam produxisset, Abbas Episcopum condemnauit ad restitutionem. Postea autem hæc controuersia, viâ appellationis ad Papam delata est, coram quo testes ex parte hospitalariorum producti videbantur probâsse, nuntiũ Episcopi Cruces illis abstuliisse, inhibentem eisdem, ne ad Ecclesiam & hospitale redirent, quamobrem tanquam spoliati restitutionem fieri postulabant, sed ex parte Episcopi responsũ est, tametsi ostensum esset, nuntium spoliâsse hospitalarios, tamen non constare quòd id egerit mãdato Episcopi, aut quòd postea ratum habuerit, sed hospitalariorum procurator replicauit, tametsi mandatũ probatum non sit, tamen judicem facilè animi sui motũ informare potuisse de facta spoliatione, ideóque pro eius sententia tanquam justè lata præsumendum esse.

His

His sibi propositis Innocentius III. iudicauit, Interdictum *Vnde vi* locum habere non potuisse, cùm nec ex Episcopi confessione, neque ex evidentia facti, nec testium depositione, aliisve iudicii actis constet aut probari possit, quòd Episcopus hospitalarios spoliârit, vel spoliari mandârit, aut spoliationem ratam habuerit, ideóque Abbatis sententiam cassauit.

SVMMARIVM.

1. *Super piis locis suæ diœcesis Episcopus fundatam iurisdictionem habet.*
2. *Non tantùm Ecclesiæ cùm fundatur, sed etiam Xenodochio dos debetur.*
3. *Ad litis contestationem sufficit dicere Reum quòd non sciat, vel quòd non credat vera esse.*
4. *Deiectionem, nomine suo factam ratam habens, conueniri potest interdicto vnde vi, etiamsi si rem non possideat.*

1 NOta I. Episcopus habet iure communi iurisdictionem fundatam super Xenodochiis & aliis locis piis in diœcesi sitis. habetur expressiùs *in c. 3. iunct. gl. de Religios. domibus.*

2 Nota II. Non tantùm Ecclesiæ cùm fundatur, sed etiam Xenodochio assignanda est dos, ita colligitur ex hoc *c. verb. Possessionibus.* & notat *Innoc. & Panorm. hîc. n. 1.*

3 Nota III. Non requiritur ad litis contestationem, ut Reus neget vera esse, quæ in libello narrata sunt, sufficit si dicat se non scire, nec credere vera esse. qua de re dixi in *c. Vnic. De litis contestatione.*

4 Nota IV. Interdicto *Vnde vi* conueniri non potest, nisi qui alterum possessione etiã corporali tantùm deiecit, aut deijci mandauit, aut deiectionem suo nomine factam, ratam habuit; uti etiam habetur in *l. 1. §. Deijcitur, & §. Deieciſſe. ff. De vi*, non tamen requiritur, ut qui deiecit, rem possideat, & si desiit possidere, debet restituere, saltem æstimationem rei, & quantum interest, vim illatam non esse. *cit. l. 1. §. Ex interdicto.*

CAPITVLVM XVI.

Olim.

PARAPHRASIS.

Ovetensis Episcopus cùm à Rege Legionensi diœcesi suâ spoliatus esset, partem aliquam diœcesis Episcopi Zamorensis detinuit; quare Innocentius III. Vt eam restitueret, unà cum fructibus perceptis mandauit, sed Ovetensis excepit, se ob inopiam restituere non posse, nisi priùs in Episcopatum suum restituatur. Tum Innocentius rescripsit, quòd vana sit actio, quam debitoris inopia excludit, ac proinde dictum Episcopum ad restitutionẽ perceptorum proventuum non esse cogendum, antequam ipse met restitutus sit.

SVMMARIVM.

1. *Inopia debitoris non suspendit quidem processum & sententiam si habeat vnde litigare possit, excusat tamen ab executione sententiæ latæ.*
2. *Nisi agatur actione reali ad rem in sua specie extantem Domino reddendam quæ sine mora & sine periculo grauioris mali domino reddi possit.*
3. *Ad debita in Ecclesiæ vtilitatem contracta dissoluenda obligatur ipsa Ecclesia, non autem ad ea dissoluenda, quæ Prælatus Ecclesiæ in suum præcisè commodum, delinquendo, v. g. vel inutiliter expendendo contrahit.*

NOta I. Inopia debitoris excusat ab executione sententiæ latæ de solutione facienda. Ita *Imola hîc, in principio. Panorm. n. 6.* Nota, quod dico, *ab executione*, si enim debitor conventus excipiat de inopia, non ideò processus & sentẽtia suspenditur, dummodò tantum habeat æris, ut litigare possit. *arg. c. 1. h. t. in 6.* Sed solùm executio differtur, ita ut cogendus non sit (etiam sine cessione bonorum, si Clericus sit) ad plus, quàm commodè soluere queat, donec ad meliorem fortunam veniat. Limita cum Imola hîc, nisi agatur actione reali, ad rem, quæ in spe-

specie extat, Domino reddendam. hæc enim sine morâ restitui debet, exceptâ necessitate seu periculo grauioris mali, quod restituendo incurreret debitor, v.g. si equo alieno indigeat ad vitam saluandam, aut aliud graue damnum declinandum, ita ut Dominus rationabiliter contentus esse debeat, restitutionem saltem hoc tempore non fieri, quare nec in hoc capitulo Ouetensi Episcopo permittitur, ut partis diœcesis restitutionem differat, sed solùm perceptorum fructuum.

3 Nota II. Si Prælatus debita contrahat, quæ in Ecclesiæ suæ utilitatem cesserunt, ipsa Ecclesia obligatur ad restitutionem. *c. 1. De solutionibus.* Et sumitur ex hoc Cap. Cùm enim Episcopus Ouetensis ex Episcopatûs sui redditibus ali debuisset, ideò si aliunde sustentationem accepit, videlicet ex redditibus Episcopi Zamorienſis, episcopatus eo nomine obligatus manet. Ceterùm si vel delinquendo vel inutiliter absumendo debita contrahat Prelatus, obligari non debet Prelatura, v.g. Episcopatus, ita ut successor solvere teneatur, quia delictum personæ non debet in damnum Ecclesiæ redundare. *Reg. 76. in 6.* nisi Capitulum seu conventus consensum dedisset, ut ibi limitat *Dynus n. 4.* Id verò consuetum est; si Prælatus aliúsve beneficiarius talia Ecclesiæ aut beneficio non utilia debita contraxerit, & ex Patrimonialibus soluere non possit, ut fructus seu redditus Ecclesiastici ex mensa eius adimantur, & creditoribus addicantur, donec debita soluta sint, quæ de re *Panorm. in c. 2. n. 11. de fideiussoribus.*

CAPITVLVM XVII.

Olim.

Paraphrasis.

Inter Episcopum Parisiensem & quendam Abbatem controversia erat super jurisdictione in parochiam, cuius possessione Episcopus dicebat se spoliatum ab Abbate, & cùm probare deberet, id solùm allegauit & ostendit, quòd sententiam interdicti in eam Ecclesiam tulisset & populus acceptâsset, sed Innocentius III. respondit, ex eo solùm, quòd populus timore sententiæ à diuinis per dies aliquot abstinuit, Episcopum possessionem juris parochialis assecutum non esse, quare cùm non probauerit, quòd vel eo tempore, vel prius quàm sententia illa lata est, possessionem habuerit, non posse ei restitutionem adiudicari.

Svmmarivm.

1. *Qui agit interdicto vnde vi, aut interdicto retinendæ, debet possessionem probare, saltem præsumptiuè, & quidem interdicto retinendæ, antiquiorem.*
2. *Non sufficit vt de spolio agere volens siue interdicto de vi, siue interdicto retinendæ agat, probet titulum tantùm, aut rei se dominum esse: quamuis in pari causa possessionis etiam bonum sit, titulum aut dominium probâsse.*
3. *Latum à Prælato interdictum seruare ex metu, non est illius jurisdictioni se subijcere; neque Prælato tribuit possessionem jurisdictionis.*

NOta I. Qui agit interdicto *Vnde vi*, 1
debet probare se possedisse, alioqui enim spoliari non potuisset, quia spoliatio supponit formam. *c. 8. Quod verò 32. q. 2.* Sufficit tamen si probet præsumptiuè, ostendendo se olim in possessione fuisse, tunc enim præsumitur eam continuâsse, donec contrarium ostendatur, ut colligitur ex hoc cap. Et idem multo magis locum habet in possessorio retinendæ, videlicet si duo sibi possessionem vendicent, eius possessionem præferendam esse, quæ antiquior est. Vti docent DD. nominatim *Innoc. & Panorm. in c. Cùm ad sedem n. 20. h. t.* Ratio est, quia alter, qui postea possessionem aggressus est, præsumitur clam & iniustè eam sibi usurpâsse, nisi contrarium ostendatur, *arg. c. Licèt. 9. de Probat.* & ex communi docet *Mascardus conclus. 1193.*

Nota II. Non sufficit si de spolio agere 3
volens dicat & demonstret se Dominum rei esse, exinde enim non colligitur possessio,

cùm fieri possit, vt qui jus in re habuerit, v. g. per confirmationem jus Prælaturæ, tamen nunquam possessionem eius nactus sit, consequenter spoliari non potuerit, ita sumitur ex hoc c. etsi enim Episcopus jure communi intentionem fundatam habeat super jurisdictione in omnes parochias diœcesis. *c. Cùm Venerabilis. 27. de religios. Domibus.* tamen si agatur interdicto *vnde vi*, ideóque fateatur, se jam non possidere, tum præsumptio non est pro ipso, quòd ante possederit, sed probare id debet, quia est mutatio facti, quæ non præsumitur. Quin & interdicto retinendæ non sufficit titulum probare, sed necesse est, vt actor probet, se litis contestatæ tempore possedisse, hoc enim in casu præsumitur possessionem continuâsse. Nihilominus si Dominus vel actor titulum, seu jus in re ostendere possit, valde ipsi proderit in hac actione, quandoquidem si par causa possessionis esse videatur, ad judicabitur ei, qui potiori jure seu titulo niti videtur, vti docent Doctores in *c. Licet. 9. De probationibus. Bart. l. Si duo. n. 4. ff. de acquir. possess.*

3 Nota III. Tametsi parochiani ob metum seruent sententiam interdicti lati à Prælato, non propterea is acquirit possessionem jurisdictionis in parochiam. Sed quænam ratio assignari debet? varias dant DD. vt gl. hîc verbo *Timore. Panorm. n. 7.* Duæ sunt probabiliores. Prima, ut dicat satis non esse ad acquirendam possessionem jurisdictionis, quòd populus ex præcepto aut sententia alicuius Prælati abstineat ab aliquo actu, v. g. auditione divinorum, cùm possit id agere non animo se subiiciendi, sed ob aliam causam, v. g. vt deliberet quid agere debeat, & interim Domino cuius jurisdictionem agnoscit, significet. Altera, tametsi populus animo subiiciendi se, abstinuisset à Diuinis, tamen abbas possessionem jurisdictionis non amisisset, si postquam rem intellexit, subditis obedientiam interdixisset, eósque puniuisset, secus autem, si acquieuisset ac passus fuisset. *arg. l. Licet. & l. vlt. C. de acquir. possess.* aut si subditi eum spernerent; seu eius mandata reiicerent, volentes manere sub jurisdictione alterius, tum abbas perderet possessionem. Videatur *Panorm. hîc. n. 13. & 17.* Porrò si quis v. g. castrum, cui jurisdictio annexa est, per alium possideat, isque inde pellatur, & ingrediens castrum subditos sibi obedientiam jurare faciat, tum Dominus absens, seu is cuius nomine famulus possidebat, amittere censetur possessionem etiam jurisdictionis.

CAPITVLVM XVIII.

Sæpe.

Paraphrasis.

Ciuili jure statutum est. *l. Cùm à te. 7. ff. de vi.* vt spoliatus contra spoliatorem tantùm, aut mandantem, non contra alium possessorem, possessorio recuperandæ agere possit. Et ita sæpe contingit, vt commodo possessionis amisso, propter difficultatem probationum in petitorio obtinere nequeat. Quare ad rigorem hunc ciuilis juris temperandum, statuit Innocentius III. in Concilio Generali, vt spoliato contra illum quoque, qui rem à spoliatore scienter receperit, per restitutionis beneficium succuratur, eo quòd spoliatori succedat in vitium, siquidè inter hæc duo *iniustè detinere, & inuaderè alienam* parũ interest, quoad peccatum. Tractanda hîc est quæstio, si quis iniustè excidetit possessione rei suæ, eáq; ad alterius manus seu potestatem deuenerit, vtrùm contra illum tertium remediũ possessorium competat, si enim non competat, tum agi debet judicio petitorio, seu rei vindicatione, in qua actione probari debet dominium, cuius tamen probatio sæpe difficilis est.

Svmmarivm.

1. *Contra hæredem & quemuis successorem uniuersalem competit spoliato interdictum possessorium, sicuti contra spoliantem.*
2. *Non competit tamen contra singularem successorem, spectato juris Ciuilis rigore.*
3. *Ex jure tamen SS. Canonum remedium etiam possessorium spoliato conuenit, contra quemcunque, qui spolium scienter accepit.*

4. Qua

4. *Quæ canonica constitutio etiam in foro ciuili ad vitandum peccatum, obseruari debet.*
5. *Non competit tamen spoliato interdictum vnde vi contra hunc tertium, sed condictio.*
6. *Quæ actio spoliato etiam competit contra eum, qui bonâ quidem fide rem accepit, hîc & nunc tamen sciens spolium iniustè retinet.*
7. *Probabile quidem est, quòd hoc ipsum condictionis remedium contra eum etiam spoliato competat, qui bonâ fide spolium accepit & possidet, probabilium tamen est contrariũ.*
8. *In fauorem tamen Ecclesiarum, minorum, aut aliarum personarum fauorabilium, iudex ex officio ad restitutionem procedere potest, si antiquiorem probent possessionẽ, & præsumptionẽ malæ fidei in possessore recentiore.*

1 DIco itaq; 1. Contra hæredẽ, & quemuis successorem vniuersalẽ, spoliato competit interdictum possessorium, sicuti contra spoliantem. *arg. l. Cùm heres. 11. ff. De diuers. & temporal. præscript. Et l. Vitia. 11. C. de acquir. possess.* Ubi dicitur quòd vitium antecessoris transeat ad successorem vniuersalem, cùm eadem persona censeatur, vt ex communi docet Archidiaconus in *c. Redintegrand. tr. 2. Causa. 3. q. 4.*

2 Dico II. Contra singularem successorem spoliatoris v. g. emptorem aut Monetarium spectato juris ciuilis rigore, nõ competit interdictum possessorium, vt hîc habetur, & *l. An vitium. ff. de diuers. præscript. & tradit. Archidiac. loco cit.*

3 Dico III. Si rem iniustam per vim tibi ereptam alius quispiam scienter acceperit, competit tibi aduersùs eum remedium possessorium ex hoc Canone, vt tibi restitutionem facere compellatur, tametsi res per plures manus ad possessorem hunc peruenerit. Ita habetur in hoc *c. & tradit. Innoc. n. 2.* Ratio est, quia id æquitas postulat ad tollendum peccatum iniustitiæ, cùm enim possessor iniustè detineat, sciens esse alienam, continuò peccat nisi restituat, perinde fermè ac si ipsemet rapuisset, cùm alienum auferre, & scienter retinere, paris iniustitiæ sit, quamobrem huius capituli constitutio, etiã in ciuili foro obseruanda est, quia cùm aliquid decernitur ratione peccati seu periculi animarum etiam in ciuili foro obseruari debet inter laicos, vti hîc monet *Panorm. n. 5. & docent DD. in reg. 2.*

Dubitatur 1. quænam actio competat cõ- 4
tra tertium hunc possessorem iniustum. R. Non competere interdictum *vnde vi* aut horum bonorum, cùm ex hoc interdicto tantùm agi possit aduersùs spoliatorem aut qui spoliari mandauit. Sed competit conditio ex hoc Canone, quæ est personalis actio, sed in rem scripta, quia contra quemcunque possessorem iniustum rei violenter ereptæ instituí potest; *arg. l. Metum. 9. §. vlt. ff. Quod metûs causa.*

Dubitatur 2. si quis bonâ fide rem violen- 5
ter alteri ereptam ignorans acceperit, & postea superueniat scientia rei alienæ, adeóque mala fides, vtrùm conditioni ex hoc canone locus sit? Videtur affirmandum, cum *Io. Andr. hîc, & Panor. n. 13.* propter rationẽ textûs, quia parùm interest ad peccatum, rem alienam inuadere & iniustè detinere; & cùm hæc constitutio pœnalis non sit, sed tum per se ipsam valde æqua, tum verò in fauorem oppressorum lata, ampliari potiùs debet, quàm restringi.

Dubitatur 3. Cùm remedium huius cano- 6
nis requirat malam fidẽ possessoris, quæ interdum difficilè ostenditur, an nõ aliud suppetat remediũ spoliato, quod contra quẽvis etiam bonę fidei possessorẽ intentari queat. gl. hîc. verb. *Non subvenitur. Innoc. n. 2.* & alij plerique, quos citat & sequitur *Menoch. de recuperand. possess. remedio. 15. n. 383. Wesenbec. de act. & interdict. c. 13. n. 33.* aiunt contra quemlibet possessorem etiam bonæ fidei, ei qui per metum, dolum, captiuitatem, aut quamcunque violentiam possessionem rei amisit, competere conditionem, ex 7
c. Redintegranda. causa 3. q. 1. Quamuis aliqui limitent, quòd tantùm personis Ecclesiasticis competat hoc remediũ ad recuperandas res Ecclesię vel proprias; alij verò etiã laicis dictũ remediũ tribuunt, vt *Wesenbecius n. 34.* Et hæc probabiliter dicuntur tum propter authoritatẽ Doctorum, tum quia simile quiddam prætoria æquitate decretum est de iis rebus, quæ iniusto metu extortæ sunt, vt à quolibet possessore repeti possint. *l. Si cum. 14. §. Aliquando. ff. de eo quod metûs causâ.*

causâ. Verumtamen, ex Canone *Redintegranda*, tale juris Canonici remedium colligi non potest, cùm nihil aliud dicatur, nisi quod omni jure notum est, videlicet Episcopos iniustè spoliatos, ante omnia integrè restituendos esse; & quòd spoliatis adeò generale remedium adversùs quoslibet possessores non competat, apertè colligitur ex *hoc c.* & *c. Cùm ad sedem. cit.* Cur enim Concilium sub Innocentio ita laborâsset, ut nouâ constitutione subveniretur spoliatis, contra malæ fidei possessores, qui à spoliatoribus res scienter acceperunt, si in antiquiore jure, *c. Redintegranda*, uberius & generalius remedium adversùs quoslibet possessores haberetur. Id tamen probabilissimè dicitur, si Ecclesia, Minor, aut similis persona favorabilis possessionem antiquiorem ostendat, v. g. Juris pascendi, inventandi &c. quòd per simplicitatem Juris Canonici, judicis officio restituatur, iuxta ea, quæ dixi *in c. 2. Vt lite non contestatâ*. Nam ostensâ possessione antiquiore, recentior possessio præsumetur clandestina seu vitiosa; tametsi vitiũ v.g. metus, vis, dolus, & uno verbo mala fides possessionis aliter ostensa non sit, ad quã præsumptionem, si per contrarias coniecturas non superetur, multum facit favor Ecclesiæ, & obtinere hoc debet in Ecclesia & Minore, tametsi per culpam seu negligentiam suam amiserint possessionem, uti etiam dixi *in cit. c. Cùm ad sedem, & notat hîc Imolan. 3.*

CAPITVLVM XIX.

Pisanis.

Paraphrasis.

Pisani eripuerant Lucanis quædam Castra, ex quibus Episcopus Lucanus census annuos percipiebat. Super hac causa Gregorius IX. mandauit Subdiacono suo, ut possessionem quam in Castris ad Lucanam Ecclesiam spectare constaret, plenè ac liberè restitui eidem faceret, sicuti habuerat tempore ortæ discordiæ inter Pisanos & Lucanos; super ea verò possessione, de qua dubium esset, num ad Ecclesiam Lucanam spectet, sufficientem cautionem à Pisanis reciperet, de parendo juri, coram Papa; & post hæc sententiam censuræ, quæ eisdem ob erepta castra inflicta erat, relaxaret. Cùm itaque Pisani Subdiacono proponerent per Episcopum Lucanum stare, quo minùs ipsi restitutio fiat, instanter petentes censuram relaxari, Subdiaconus receptâ cautione de parendo justitiæ, eos absolvit, sed Episcopus hac re grauatum se sentiens, ad Papam appellauit; Is respondit, se duo mandâsse Subdiacono, & ut possessio, quam constaret Lucanam Ecclesiam tempore ortæ discordiæ habuisse, eidem restitueretur, & ut plenè ac integrè restitutio fieret, quorum illud ad factum pertinet, hoc ad modum; quare licet Subdiaconus mandatum Papæ implere nequiuerit in facto (quia non constabat possessiones Castrorum ereptas esse Episcopo: & pensionibus ac censibus annuis ipsemet fatebatur Episcopus se spoliatum non fuisse à Pisanis) nihilominus tamen fuit peccatum in modum mãdati, quia Papa jusserat, ut possessio censuum restitueretur, plenè & integrè, id autem fieri non potest, nisi Pisani dimittant castra, quæ Lucanis eripuerunt, eò quòd si penes ipsos possessiones castrorum maneant, non possit Episcopus ita liberè ac securè cẽsus suos recipere, quàm si Lucanis restituantur, erit enim in potestate Pisanorum, ad census recipiendos, Episcopum Lucanum admittere vel repellere, quamobrem Pontifex processum Subdiaconi irritum esse pronuntiauit.

Svmmarivm.

1. *Censuratus ante absolutionem realiter satisfacere debet pro offensione notoria; pro dubia debet præstare cautionem, de parendo justitiæ.*
2. *Si forma mandati non seruetur, processus & sententia judicis delegati nulla est.*
3. *Ecclesia petere potest judicio possessorio, vt tertius spoliatus restituatur, aut vt alienatio liberè etiam à tertio facta rescindatur,*

tur, si ex tali spoliatione vel alienatione durior illius conditio est reddita, vel adempta possidendi libertas.

4. *Ex eo quòd invalida sit sententia, non fiunt etiam invalida alia judicialia acta, si legitimè ea facta sint.*

1 NOta I. Excommunicatus vel interdictus ante absolutionem realiter satisfacere debet, si offensio notoria sit; sin autem dubia, tum sufficit præstare idoneam cautionem de parendo justitiæ. Ita hîc & expressiùs *in c. Ex parte 23. de verborum significatione.*

2 Nota II. Processus aut sententia Judicis delegati irrita est, si forma mandati non obseruetur, *l. Diligenter 5. ff. Mandati.* & constat ex hoc cap. Nam Gregorius IX. mandauerat Subdiacono, ut censuram relaxaret, si possessio quam constaret ad Ecclesiam Lucanam pertinere, eidem plenè restituta esset, tametsi verò hæc conditio satis impleta censeri posset quoad substantiam facti, cùm enim non constaret possessionem aliquam, seu fundum Ecclesiæ ereptum esse, non debebat ipsi restitutio fundi alicuius fieri, tamen altera pars mandati circa modum impleta non fuit, volebat enim Papa Lucanam Ecclesiam in plenam & liberam juris sui possessionem restitui, sicut erat tempore motæ discordiæ, id verò factum non fuit, quia antea Episcopus à Lucanis suis subditis in spiritualibus, facilè & securè pensiones ex possessionibus castrorum recipiebat, at verò postquam ea devenerunt in manus Pisanorum potentiù & ab Episcopo alienorum, difficilis foret consecutio pensionum, igitur apparet, quòd Subdiaconus non debuisset absoluere Pisanos, donec castra restituissent Lucanis, ita ut Episcopus possessionem juris pensionum plenè ac liberè obtinuisset, sicut priùs. Ita *Ioan. Andr. & Imola, vterque n. 6.*

3 Nota III. Si Titius homo potens & crudelis invadat possessionem Caij, ex qua Ecclesia census percipit, potest & ipsa agere interdicto possessorio, quia licet possessione juris pensionum absolutè spoliata non sit, est tamen ipsi adempta libertas possidendi, ita ut periculum sit, breui ipsam possessionem secundùm se amittendi, igitur partim Ecclesiæ adimitur, partim turbatur possessio, consequenter coram judice Ecclesiastico petere potest, ut Titius per censuras compellatur ad ereptam possessionem restituendam Caio, cùm eiusdem Ecclesiæ interfit. Quin imò plùs dicit *Panormitanus hîc. n. 13. & 14.* Tametsi Lucani possessiones ex quibus Ecclesia pensiones recipiebat, justo titulo trãstulissent in Pisanos, à quibus ut durioribus aut inimicis Ecclesia difficilè jus suum consequi possit, quòd implorato judicis officio petere queat, ut rescindatur alienatio, quippe ex qua conditio Ecclesiæ durior reddatur, *argum. c. In aliquibus 32. de decimis.* Simile quiddam est, quod volens absque Principis consensu munitiones & castella ædificare, etiam in solo proprio v.g. prope fluminis ripam, vel in confiniis Provinciarum, si videatur id facere animo nocendi, aut transitum impediendi, prohiberi queat. *arg. l. 3. junct. gl. ff. de Operibus publ. l. 1. §. ijdem. ff. De aqua pluuial. junct. gl. verb. Habere.* quòd non liceat tibi aliquid facere eâ magis intentione, ut alteri obsis, quàm ut tibi prosis; verumtamen ut vetera castella restaurẽtur, & in pristinum quem habebant olim statũ reducantur, faciliùs conceditur. *Arg. c. Consuluit. 7.* de Judæis, quia aliud est seruare quod factum est, aliud de nouo facere. *secundùm gl. ibid. verb. Exaltent.*

Nota IV. Invaliditas sententiæ non reddit confessionem, & alia judicialia acta irrita, si legitimè facta sunt, quod enim ab initio legitimè subsistit, per extrinsecum alterius rei defectum corruere non debet. Ita *Panorm. hîc n 9. & sumitur ex hoc c.* Tametsi enim Pontifex sententiam Subdiaconi irritam esse decreuerit, tamen confessionem Episcopi Lucani antea factam coram Subdiacono juridicam allegauit. 4

IDEM TITVLVS IN VI.

CAPITVLVM I.

Frequens.

PARAPHRASIS.

Frequenter contigit, ut Reus conventus actionem declinaret per exceptionem spoliatoris, & ita causæ ac judicia Ecclesiastica impedirentur, quia dum exceptioni insistitur, & quandoque appellatio interponitur, causæ principalis cognitio suspenditur, & interdum eius prosecutio omnino intermittitur & ita (licet non de jure, tamen de facto) perimitur. Quare Innocentius IV. publico bono succurrere, & litibus finem imponere atque calumniandi occasiones amputare volens, decernit; si in causa ciuili Reus spoliationem obiiciat, non ab Actore, sed ab alio factã, ut eâ nihil obstante, in principali judex procedat. Sin autem Reus in ciuili judicio ab actore, vel in criminali à quacunque persona se spoliatum asserat; quindecim dierum dilatio concedatur ad probandam spoliationem, si nõ probârit, actori in expensas à judice taxandas cõdemnetur, etiã aliter, si judici videbitur, puniendus. Porrò in causa criminali in ordine ad exceptionem illam proponendam, spoliatus is censeri debet, qui totâ substãtiâ vel maiori eius parte exutus est, neque convenit ut nudi atque inermes inimicis suis respondere cogantur, habet itaque hoc casu spoliatus istud priuilegiũ; quòd jam nudatus exui non debeat.

SVMMARIVM.

1. *Exceptio spoliationis priùs discuti debet, quàm de causa principali procedatur.*
2. *Agenti ciuiliter non potest obiici per modũ exceptionis spoliatio ab alio facta, potest tamen hæc obiici contra agentem criminaliter, si fuerit omnium bonorum, vel maioris partis spoliatio.*
3. *Hæc tamen exceptio ultra casum expressum accusationis extendi non debet ad alios qui non sunt accusatores.*
4. *Debet tamen accusato hanc spoliationis exceptionem opponenti, certum tempus præfigi à judice ad res suas in judicio repetendas, quo non observato, respondere cogetur accusatori.*
5. *Inter causam de qua conuenitur alter, & inter exceptionem spoliationis quæ opponitur, debet esse aliqua paritas, ita vt exceptio spoliationis rei Ecclesiasticæ non possit opponi agenti in causa priuata rei, nec viciſſim.*
6. *Nisi etiam inter hæc esset legitima proportio.*
7. *Priuilegia quæ bonis Ecclesiasticis principaliter ob fauorem Ecclesiarum concessa sunt, extendi non debent ad bona propria Clericorum.*

NOta I. Exceptio spoliationis cùm sit dilatoria priùs discuti debet, quàm super causâ principali procedatur *c. Exhibita. 19. de judiciis.* Idémq; dicendũ, si exceptio peremptoria sit litis finitæ, ideóq; & ipsa objiciatur ad impediendum processum iuxta ea, quæ dicta sunt in *c. 1. De litis contest. in 6. Et in c. 1. De Ordine Cognitionis.* Quare si judex postquam de tali emergente exceptione cognouit, ad ulteriora procedat, tacitè censetur pronuntiare super exceptione non admittenda. *vti Francus hîc notat. n. 2.* 1

Nota II. Agenti ciuiliter, per modum exceptionis obijci non potest spoliatio facta ab alia persona, idque verum est tametsi scienter & malâ fide rem aliquis possideat, quia exceptio illa non competit nisi ei, qui potest agere interdicto *Vnde vi*, atqui contra iniustum possessorem, qui nõ spoliauit, nec spoliationem mandauit, agi non potest interdicto *vnde vi*, sed ex Canone, *sape. de Restitutione spol.* & ita docet hîc *Io. Andr. col. 2. Petrus Anchar. not. 2.* Agenti verò criminaliter objecj potest exceptio spoliationis factæ ab alio, dummodò sit omnium bonorũ aut maioris partis, & ita explicantur Canones, *causa 3. q. 2.* Ratio cur dilatoria talis exceptio admittatur, est, quia homo ita suis bonis exutus, & plerumq; animo perturbatus adversariis suis objici non debet, donec restitutus sit, *c. Oportet. 6it. q. 2. ibi.* Nec inermes inimicis nos debemus opponere. Videatur *Monacus. hîc n. 3.* 2 3

Verùm

3 Verùm hæc exceptio spoliationis, cùm sit exorbitans à jure communi & ordinario, extendi non debet ultra casum expressum accusationis, ut proinde si agatur de crimine ciuiliter aut per modum denuntiationis evangelicæ, vel per modum inquisitionis ex mero officio judicis, huic exceptioni locus non sit, quia Canones beneficium exceptionis contra accusatores tantùm tribuunt, & ita ex communiori docet *Ioan. Andr. hîc n. 6. Franc. §. Illum. n. 2. contra Dominicum. ibid. col. 2.*

§. Solet.

4 Si accusatus objiciat spoliationem à tertiâ personâ factam, judex temporis terminum præfigat, intra quem res suas in judicio repetat, quod si intra hoc tempus litem adversario non mouerit, aut causam ad finem non perduxerit, dummodo per ipsum steterit, quo minùs restitueretur, non obstante spoliatione, accusatori suo respondere cogitur.

§. Ad hoc.

5 Agenti in causa Ecclesiastica, non obstat exceptio spoliationis rei priuatæ, sed nec vice versa, in causa rei priuatæ obstare debet exceptio spoliationis rei Ecclesiasticæ. Difficultas in eo consistit, quid nomine causę Ecclesiasticæ intelligatur, variæ sunt responsiones apud *gl. hîc. verb. Opponatur.* Mihi placet responsio Dominici, Colum. ult. Nomine causæ Ecclesiasticæ intelligendam esse, quæ vel propriè spiritualis est, ut causa matrimonij, administrationis Sacramentorum; vel temporalis quidem sed ad Ecclesiam, aut alium locum pium spectans; quæ autē causa & in se temporalis est, & ad Ecclesiam seu pium locum non spectans, sed ad laicos, aut ad Clericos, ut priuatæ personæ sunt, talis priuata dicitur. Juxta priorem causæ Ecclesiasticæ intellectum, si mulier petat sibi maritū dari aut reddi ex causa matrimonij contracti; non potest maritus eam repellere per exceptionē spoliationis rei temporalis, quòd v.g. Mulier eum spoliârit, pecuniis aut prædio suo. Item si Parochus à parœciano repetat pecuniam mutuò datam, non potest repelli per exceptionem quòd debita ipsi sacramenta negârit, ideóq; jure suo spirituali spoliârit, sed nec vice versâ, si parœcianus queratur de Sacramentis sibi à parocho denegatis, parochus eum repellere potest opponendo, quòd fundo suo aut aliâ re ab eodem parœciano spoliatus sit. Ratio est, quia exceptio ista spoliationis, per quam dicitur, nolo tibi reddere jus tuum, nisi reddas mihi meum, quod priùs abstulisti; aliquo modo inter similia esse debet, qualia non sunt ea quæ omnino diversi generis sunt. *arg. l. 1. & 3. C. De Compensationibus.*

Excipe si temporale cum spirituali pro- 6
portionem habeat, quia datur pro spirituali, tunc exceptioni locus erit. Exemplum: Parochus petit decimas à Parochianis, sed is excipit Sacramēta sibi iniustè denegata esse, audiendus esse videtur, cùm enim decimæ dentur parocho propter administrationem Sacramentorum, ideò negari ei possunt, si non præstet id, cuius gratia dantur, quæ est sententia Lapi, Alleg. 67. quem hîc citat & sequitur *Dominicus. colum. 2. Franc. n. 2.* Iuxta posteriorem causæ Ecclesiasticæ intellectū, si Episcopus vel parochus suo, non Ecclesiæ nomine spoliauit laicum fundo suo, & postea idem Episcopus vel Parochus nomine Ecclesiæ suæ agit pro juribus eius à laico recuperandis, non potest is objicere spoliationem factam ab Episcopo aut Parocho, tanquam persona priuata, sed & vice versa, si laicus Ecclesiam spoliârit jure suo, & postea agat contra Parochum vel Episcopum, ad recuperādum, quod ipsi debet nomine proprio, non potest repelli laicus ille per exceptionem. Ita *Io. Monacus. n. 9. Io. Andr. n. 6. Dominic. & Franc. loc. cit.* Neque obstat his *c. 2. De ord. cognit.* Quia in casu illo utrinque agebatur, de rebus Monasterij, ideò exceptioni spoliationis locus erat.

Nota. Res propriæ personarum Eccle- 7
siasticarum videlicet Episcopi, Parochi, non censentur Ecclesiasticæ, sed potiùs priuatæ, quare priuilegia quæ bonis Ecclesiasticis data sunt ob Ecclesiarum fauorem, & nō principaliter ob fauorem personarum particularium, ea extendi non debent ad bona propria Clericorum.

CAPI-

CAPITVLVM II.

Ad Decimas.

PARAPHRASIS.

Canonici S. Nicolai aliquamdiu possidebant decimas sitas intra parochiam, eos postea parochus spoliat, seu possessionem decimarum illis aufert. Quæritur utrùm Canonici restitui debeant; Negat Bonifacius VIII. nisi evidenter docuerint se possessionem juris decimarum legitimè assecutos esse, quia decimas occupâsse verisimiliter præsumuntur, quæ in aliena parochia proveniunt & juris communis præsumptio adest pro parocho, donec contrarium ostendatur.

SVMMARIVM.

1. *Parochus contra quemcunque possessorem decimarum intentionem fundatam habet, si constet quòd decimæ in ipsius parochia sitæ sint, & alter titulum vel immemorialem possessionem, si huius capax sit, ostendere non possit.*
2. *Non restituitur spoliatus, nisi titulum, vel tituli præsumptionem exhibuerit, si illi jus commune resistat, assistat verò spolianti.*

1 NOta I. Si constet vel ex confessione adversarij, vel aliunde, quòd decimæ sint intra fines parochiæ, præsumptio juris est, quòd ad Ecclesiam parochialē spectent, quam ob rem parochus ex hoc ipso intentionem fundatam habet contra quemlibet possessorem talium decimarum, nisi is titulum ostenderit, vel possessionem temporis immemorialis, quæ instar tituli est, si capacitas sit in possidente, eadémque ratione Episcopus fundatam habet intentionem jurisdictionis contra parochiam aliásque Ecclesias earúmque personas intra diœcesin existentes, donec exemptio ostendatur, uti constat ex *c. Cùm Venerabilis. 6. De Exception. & docet Franc. hîc n. 4.*

2 Nota II. Si jus commune resistat Actori spoliato, assistat verò Reo spolianti, non restituitur spoliatus nisi titulum, vel tituli præsumptionem exhibuerit. *Ita gl. hîc verb. Eundem. Dominicus. Col. 1. & penult. Franc. n. 6.* Nota autem, quod dixi, sufficere, si spoliatus, juris præsumptionem pro se alleget, ut quia longo tempore in pacifica possessione decimarum fuerit, uti notauit *Panorm. in c. 3. n. 52. de Causa Possessionis. Franc. hîc. Limitatione 4.* Ratio est, quia ideò spoliatus ad decimas parochiales iuxta hoc. c. restitui non debet, quia præsumptio juris est contra ipsum & pro spoliante, hæc autem præsumptio contrariâ præsumptione tolli vel saltem infirmari potest, ut tali casu rationabile dubium sit, ad quem de jure decimæ spectent, in dubio autem fauorabilior esse debet conditio spoliati in ordine ad possessionem recuperandam. Contra decisionem huius c. Obiicitur *cit. c. 3. de causa Possessionis*, ubi Clerici Ecclesiæ Collegiatæ à Canonicis cathedralibus spoliati jure eligendi Episcopum, restituuntur in possessionem, & tamen jus commune resistebat Clericis, assistebat verò Canonicis, quippe ad quos solos de jure electio spectabat. Resp. Cum *Joan. Andr. hîc prope finem, Dominico Colum. penult. Franco n. 8.* duplicem causam discriminis inter utrumque casum afferri posse, quia pro Clericis extraneis præsumptio aderat possessionis bonæ fidei, quando scientibus ac patientibus Canonicis qui hanc eligendi facultatem concedere poterant ad tres antecedentes Episcoporum electiones admissi fuerunt, at verò contra Canonicos S. Nicolai non erat præsumptio possessionis bonæ fidei, sed potiùs quòd iniustè decimas occupârint, tametsi eas aliquamdiu perceperint, parocho sciente ac patiente; cùm enim parochus jus decimarum alteri concedere non possit, ideò non adiuvat eius scientia & patientia ad commoda possessionis illi acquirenda. Altera est, quia licet jus Canonicum resistat, si extranei exclusis Canonicis electionem Prælati faciant, non tamen resistit, quo minùs extranei per patientiam & concessionem capitularium simul cum ipsis eligant.

Corollarium. Si Clerici conventuales semel

semel aut iterum Episcopum sine Canonicis elegissent, ac postea iterum vacante Sede Canonici cathedrales Clericos repellerent ab electione, aut ipsi Canonici prævenientes, Episcopum eligerent & confirmari peterent, hoc casu Clerici repellerentur à possessorio recuperandæ, nisi titulum seu concessionem legitimam vel tempus immemoriale aliámve præsumptionem seu colorem possessionis suæ cum bonâ fide exhiberent, ídque ex decisione hujus Capituli.

TITVLVS XIV.

DE DOLO ET CONTVMACIA.

INterdum aliquis per vim injustam deijcitur possessione suâ, ideóque à judice restituendus est, vt *præced. tit.* vidimus. Interdum verò accidit, vt aliquis seu judicio possessorio seu petitorio missus in possessionem judicis decreto, eam consequi non possit, ob dolum vel contumaciam adversarij, quamobrem titulus iste præcedenti annectitur. Dicta autem est Contumacia, à contemnendo, quia contemptus Judicis censetur, si eius legitimo jussui pars litigans non obtemperet, quod variis modis accidere potest. Numerati sunt *in gl. c. 2. h. t. verb. Contumaciter.* videlicet, si peremptoriè citatus non veniat, aut malitiosè se absentet, aut veniens, respondere aut jurare jussus recuset, aut si exhibere aliquid vel restituere jussus non obtemperet, aut denique negotio infecto discedat, nec revertatur.

CAPITVLVM I.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Reus in judicium vocatus, contumaciter se absentat, & ob id Judex actorem mittit in possessionem rei petitæ, Custodiæ causâ; sed ob dolum vel potentiam adversarij, possessionem seu potiùs custodiam rei consequi non potest. Verùm ante finem anni Reus ne veram quoque possessionem amittat, idoneam cautionem affert, quòd judicio stare velit. Quæritur an & quâ pœnâ mulctandus sit ob contumaciam, seu quòd judicis citationi ac jussioni primitus non paruerit? Respondet Alexander III. In Ecclesiasticis personis & causis juris rigorem observandum non esse, ideóque judicem contentum esse debere, quando Reus sufficiente cautione se adstringit standi judicio, eo quòd hoc casu justitia non periclitetur, quia jus actoris illæsum manet.

SVMMARIVM.

1. *De rigore juris civilis puniri potest, qui in jus vocatus non venit: si tamen post decretum primæ missionis cautionem offerat de parendo juri, ex juris canonici benignitate non punitur: ad interesse tamen ex naturâ rei tenetur Actori contumax, si ob contumaciam damnum passus est.*

NOTA. Contumax in foro Canonico puniendus non est, si post decretum primæ missionis comparens cautionem offerat de parendo juri, ita ut jus adversarij integrum permaneat, & hoc propter æquitatem & benignitatem Canonicam; at verò secundùm Iuris Civilis rigorem, puniri potest, quicunque in jus vocatur, & non venerit. *l. un. ff. Si quis jus dicenti non obtemperauerit, juncto Bartolo in Explic. 7. & l. 2. de in jus vocando.* Sed quâ ratione manet integrum jus Actoris, si prohibitus fuit possessionem rei ingredi custodiæ causa. R. quoad juris effectus, ut perinde sit, secundùm

dùm fictionem juris, ac si possessionem ingressus sit, juxta legem *Quamuis 13. juncta gl. verbo. Perinde habetur. ff. De rebus Authoritate judicis possidendis*, & clariùs in Capitulo *Contingit h. t.* Ceterùm expensas, & quatenus interest Actoris, Reum contumacem non fuisse, sed in tempore comparuisse, id omnino præstandum ipsi est, vti *Innoc. hîc* notat, cùm id non ad pœnam pertineat, sed ad illati damni compensationem.

CAPITVLVM II.

Ex literis.

Paraphrasis.

Inter Monachos de Etoll. & Canonicos Linconenses controuersia erat, super quibusdam Ecclesiis coram judicibus à Papâ delegatis: quos Monachi (ut credibile est) monasterio incorporatas dicebant, Canonici cùm legitimè citati, se absentâssent, & ob id Monachi mittendi essent in possessionem Ecclesiarum, Iudices tamen mitiùs agere volentes, possessionem earum sequestrari fecerunt, vt Canonici tædio affecti stare judicio cogerentur; postea verò cùm Monachi Ecclesias sibi vendicare seu earum restitutionem petere pergerent, Canonici responderunt, delegatorum Iudicum potestatem sublatam esse, eò quòd ad alios judices literas impetrâssent, quæ priori rescripto derogarent; sed Alexander III. aduertit in posterioribus literis priorum nullam factam esse mentionem, neque Ecclesias nominatim expressas, sed indistinctè positum, *super quibusdam Ecclesiis*, quare cùm malitia & dolus nemini patrocinari debeat, mandat vt non obstantibus literis posterioribus, causa secundùm priorum literarum formam decidatur, & Monachis expensæ ab aduersâ parte compensentur, quos ob eorum contumaciam & moram facere debebant.

Svmmarivm.

1. *Potest quandoque Iudex, non obstante contumacia Rei, Actorem tamen non mittere in possessionem rei petitæ, sed eam sequestrare.*
2. *Sufficit quidem nonnunquam in literis posterioribus ad alios Iudices datis clausula generalis*, non obstantibus prioribus litteris, *ut priores ad alios Judices datæ reuocatæ censeantur, non tamen semper: & si nulla in posterioribus litteris priorum fiat mentio, subreptitiæ censentur.*

Nota I. Positâ contumaciâ Rei, potest quandoque Iudex spectatis circumstantiis Actorem non mittere in possessionem rei petitæ, sed eam sequestrare secundùm *Innoc. hîc, & alios apud Imolam n. 4.* ita tamen vt si Reus postea compareat, & cautionem offerat de parendo juri, atque expensas parti læsæ restituere paratus sit, possessionem recipiat. *Arg. c. vlt. §. in aliis, vt lite non contestata.* & docet *Panorm. hîc num. 13.* 1

Quæres, quare dicitur hîc, judices mitiùs egisse (supple cum Canonicis) idque Religionis intuitu, quòd Ecclesias sequestrari fecerint. R. Per sequestrum, si id fiat non vsque ad exitum causæ, sed dum contumacia durat, minus incommodi seu præjudicii affertur possessori, quàm si ipsemet aduersarius, videlicet Actor, mittatur in possessionem rei, causâ custodiæ; hanc autem benignitatem judices exercuerunt intuitu Religionis, ne videlicet Religiosi petitores nimis auidè Ecclesiarum possessioni inhiare viderentur, igitur ex hoc textu sumitur argumentum, si Religiosi Actores sint in judicio, mitiùs agendum esse cum Reo, ita tamen vt justitia seu jus Ecclesiæ aut communitatis non periclitetur.

Nota II. Literæ posteriores ad alios judices datæ, censentur subreptitiæ, si in illis nulla mentio fiat priorum literarum. Ita etiam habetur in *c. 3. & c. Plerumque. 23. de Rescript.* Ratio est, quia Princeps delegatam alicui causam non facilè reuocare aut alteri judici delegare solet, maximè si causa à priore judice cœpta sit, juxta *c. Cùm Monasterium 20. de re judicata.* Porrò 2

rò tametsi in secundis literis per quas alteri judici causa delegatur, mentio expressa fieri debeat priorum literarum, vt reuocatæ censeantur, vti bène docet *gloss. hîc verb. indefinitè.* Non tamen necesse est mentionem esse specificam, quia sufficit interdum generalis, *non obstantibus literis prioribus*, vti Panorm. hîc monet *contra Imolam. n. 6.* præterquam si ex qualitate causæ, priorum literarum tenore, aliisque circumstantiis colligi possit, Principem posteriores literas cum tali clausula derogatoria daturum non fuisse, si priorum literarum specificè meminisset. *Arg. c. Super. 20. de Rescript.*

CAPITVLVM III.

Causam.

Paraphrasis.

Si Actor porrecto libello non compareat, à judice citandus est, qui si venire contempserit, aut si se absentârit, tum procurator eius, si quem reliquit, citari debet, quòd si neque is ad judicium veniat, aut si nullum procuratorem reliquerit, publicâ denuntiatione seu edicto affixo ad domum eius, vel Ecclesiam, recipiantur testes partis alterius, & procedatur ad sententiam definitivam. Ita intelligunt *glossa hîc, Ioan. Andr. Panorm. Imola.* licet aliter *Innoc.*

Svmmarivm.

1. *Actor postquam agere capit oblato libello, potest à reo conuento cogi ad litem prosequendam.*
2. *Absens, si sciatur, citari debet personaliter per literas vel nuntium: si verò nesciatur, aut ita distet, vt spectatâ causæ qualitate non debeat ex longinquo citari, nec Procuratorem ad hanc causam agendam reliquerit, affixo publico edicto citabitur.*
3. *Ad instantiam Rei, etiam lite nondum contestatâ, duobus tamen modis procedi potest ad testium receptionem, & sententiam definitivam, si Actor post oblatum libellum in comparendo, & litem prosequendo contumax sit.*

NOta I. Licet nemo in judicio agere cõpellatur, juxta *tit. Cod. vt nemo inuitus.* tamen postquam agere cœpit libello porrecto, idque resciuit Reus, postulare is potest, vt litem prosequatur, ideóq; absens citetur. *Authent. qui semel. C. quomodo aut quando.* 1

Nota II. Si pars altera (Actor vel Reus) citanda sit, tum citatio hæc fieri debet personaliter per literas aut nuntiũ; quòd si verò latitet, ita vt nesciatur vbi sit, vel si ablò discesserit, siue se absentârit, tum distinguitur, vtrùm procuratorẽ suo loco reliquerit, hoc casu citari debet, si causa sit quæ per procuratorem agi possit; sin autẽ nullus procurator relictus sit, & pars litigans personaliter vocari non possit, aut saltem spectata qualitate causæ nõ debeat ex longinquo loco vocari, tum edictũ citatorium ad domũ eius, Ecclesiam vel curiam affigi debet. Ita colligitur ex textu isto, & *c. vlt. h. t. & tradit gl. hîc verb. Ad domum. Panorm. n. 5. Maranta de Ordine judiciorum. p. 6. vbi de citatione. n. 82.* Adde his ex eodem Maranta, edictum publicum non tantùm locũ habere in casu absentiæ litigatoris, sed etiam in aliis v. g. si citandæ sint personæ plures aut incertæ, quarum interest ut actui intersint, v. g. si Episcopus Prælatum electum confirmare velit, edicto publico affixo ad Ecclesiæ valuas citare debet eos, qui se electioni opponere velint. *c. vlt. de elect. in 6.* quâ simili ratione denuntiationes publicæ sponsorum conjunctionem antecedere debent. 2

Nota III. Si actor post libellum porrectum contumax sit in comparendo ac litem prosequendo, etiam eâ non contestatâ, si Reus poscat, procedi potest ad testium receptionẽ, & sententiã definitivam, & quidẽ duobus modis, vt hîc *Panorm. notauit n 17.* Primò, si Reus in se assumat onus probandi injustitiã Actoris, tum verò judex ex officio supplere debet partes Actoris, citando & examinando testes, aliásq; probationes assumendo pro causa absentis, vocatis quoq; in subsidiũ amicis & consanguineis eiusdẽ, vti docet *Bartol. in cit. Authent. n. 13.* Secundò. Si Reus suscipiat in se onus probandi, jus ac dominium rei petitæ sibi competere, ita ut 3

non tantùm absoluatur ab impetitione Actoris, sed etiam affirmativè pronuntietur, dominium sibi possessori competere. vti colligitur *ex l. Properandum. 10. §. & siquidem, C. de judiciis.* Vnde generalis doctrina sumitur, quam tradit *Bart. in cit. Authent. Qui semel. verb. Expedit.* Si Actore contumaciter absente Reus non petat causam cognosci, aut si petat, & judex testes ac probationes recipere aggrediatur, tamen justitiam aut iniustitiam Actoris non satis cognoscat, tum Reum absolvendum esse non simpliciter, sed à citatione ista, vel ab instantia huius actionis, ita tamen vt Actor rediens, si expensas priùs factas soluat Reo, actionem ex integro instituere possit: sin autem seu justitiam seu injustitiam Actoris deprehenderit, vel etiam jus seu dominium Rei conventi, tum juxta allegata & cognita sententiam definitivam judex proferet.

CAPITVLVM IV.

Prout.

Paraphrasis.

Titius Clericus vocatus ad judicium petitorium super causa decimarum, post libellum sibi oblatum, contumaciter recessit, postea rediens cautionem juratoriam fecit de parendo juri, cùm autem ad diem statutam adesset, eo tamen prætextu, quod aduocatum suum nondum haberet, per malitiam respondere recusauit. Denique Actore instante respondit, quòd 40. annis, decimas de quibus controuersia erat, percepisset, & cùm judex vlteriùs procedere vellet, vanis tergiuersationibus vtens appellauit, & contumaciter recessit, posthabito juramento suo. His relatis ad Vrbanum III. respondit, Reum contumaciter absentem, ad conuincendam eius maliriam, semel adhuc citandum esse, qui si accesserit, finis imponatur liti; sin verò non accesserit, cùm lis antè contestata fuerit, si liquere possit de meritis causæ, procedatur ad sententiam definitivam; alioquin Actor mittatur in possessionem juris decimarum, seruatâ proprietatis quæstione Reo absenti.

Svmmarivm.

1. *Non tantùm ad cautionem juratoriam de parendo juri, sed ad pœnæ etiam stipulationem, si non paruerit, à judice cogi potest contumax.*
2. *Potest quidem Index iterum citare Reum, qui contumaciter & sine justâ causâ, post litem contestatam appellauit, aut recessit, non tamen tenetur.*
3. *Penes actorem est eligere medium, quo juvari velit contra Reum post litis contestationem contumaciter absentem.*

Nota I. Contumax si ad judicium veniat, cogi potest ad cautionem juratoriam, saltem de parendo juri, interdum etiam judex cogere potest ad pœnę stipulationem, si juri non paruerit. 1

Nota II. Licet Reum, si post litis contestationem contumax sit, absque rationabili causa appellando ac recedendo necesse non sit denuò citare, *c. 2. h. t. in 6.* Consultum tamen est, citationem iterum decerni ad malitiam eius conuincendam. Ita Imola hîc *n. 4. Panorm. n. 7.* Nota autem, quòd dixerimus, *absque rationabili causa*, nam alioqui à judice gravatus injustè, appellare & recedere potest, etsi ante ediderit juramentum de parendo juri, quia juramentum editum circa materiam juris, interpretandum est, secundùm limites juris, neque amplius extendendum, vti docet *gl. in c. De jureiurando. in 6. c. Ad nostram 21. de jureiur.* Cùm itaque parti litiganti ex justâ causâ appellare, & à judice recedere de jure concessum sit, ideò etiam juramentum talem conditionem suscipit, ut sensus sit, quòd jurans judicio obtemperare velit, quatenus de jure obligatur. 2

Nota III. Si reus post litem contestatam contumaciter se absentet, potest judex 3

dex Actore postulante receptis testibus aliisque probationibus, si de meritis causæ liqueat, procedere ad sententiam definitivam. *l. Consentaneum 8. C. quomodo & quando.* Dixi autem, *Actore postulante*, nam vt ex eâdem lege constat, alia insuper remedia sunt, quibus Actori subuenitur, videlicet vt Reus capiatur, & in judicium trahatur, vel ut actor in reali actione mittatur in solidam possessionem rei petitæ. In personali autem actione, mittatur in possessionem bonorum secundùm modum debiti, ita ut postea Reus si recuperare velit, actoris onus subire debeat, vti tradit *gl. in cit. l.*

3 Quia verò dicta remedia in priuatam actoris vtilitatem introducta sunt, ideò ipsi, quod maluerit eligere concessum est, vti *Panorm. hîc docet n. 18. & 22.* Vbi generalem Regulam tradit. Si in jure plura remedia alternatiuè concedantur in fauorem partis, tametsi verba ad judicem dirigantur, tamen in partis electione esse, vnum eligere, & à judice petere, vt id exequatur.

CAPITVLVM V.

Finem.

Paraphrasis.

Cùm expediat finem litibus maturè imponi, præsertim in causis beneficiorum, quippe quæ sine Ecclesiarum damno diu vacare non possunt, ideò statuit Innocentius III. Si, postquam vna pars litigantium suam intentionem fundauit, altera exceptionem peremptoriam opponat, quam in continenti probare nolit, aut non possit, vt ad moderatas expensas, parti aduersariæ condemnetur, quas fecit ex illo tempore, quo induciæ concessæ sunt ad peremptoriam probandam; aut si expensas soluere nequeat, alio modo secundùm judicis arbitrium puniatur; hæc tamen intelligi debent, si exceptionem opponens in ea probanda defecerit, & meritò quidem ita decretum est, ad arcendam hominum malitiam, qui frequenter ad impediendum aut differendum processum, exceptiones falsas opponere solent.

Svmmarivm.

1. *Ad lites citò expediendas friuola exceptiones, & dilationes amputari debent.*
2. *Intentione Actoris jam probatâ & fundatâ, opponi tamen potest exceptio peremptoria, quæ sit cum ea compossibilis.*
3. *Non tantùm qui in dilatoria seu emergente exceptione quam opposuit, probanda deficit, ad expensas aduersario restituendas per interlocutoriam Sententiam rectè condemnatur, ante definitiuam in causâ principali latam, sed ex speciali capituli huius constitutione etiã ille, qui deficit in probanda peremptoria exceptione, quam temerè opposuit.*
4. *Mulctatur ob delictum in pecunia, si ob inopiam eam soluere non possit, in corpore puniendus est.*

1 Nota I. Lites quantum fieri potest, citò expediri & non protrahi debent absque necessitate, ne partes litigantes laboribus & expensis frustra fatigentur; quamobrem exceptiones friuolæ, & dilationes non necessariæ amputari debent, maximè in causis beneficialibus, aliisque spiritualibus. *Clement. 2. de Verb. signific.*

2 Nota II. Exceptio peremptoria opponi etiam potest, postquam probationes ab Actore allatæ, testes publicati, & in causa concluſum fuit. Ita *gloss. hîc verb. Exceptionem.* & bene explicat *Panorm. n. 3.* Intelligendum id esse de Exceptionibus, quæ compossibiles sunt cum intentione Actoris probata & fundata, v. g. si actor probauit matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, alter coniux objicere potest impedimentum consanguinitatis. *c. 1. de Ordin. cognit.* Item si actor probauit, equum ad se titulo emptionis pertinere, Reus conuentus legitimam vsucapionem,

pionem obijcere potest, eâque probatâ obtinere. Præterea si Actor probauit, pecuniam tibi mutuò datam esse, tu excipiendo dicere potes, factum postea subsecutum fuisse de debito non petendo.

Nota III. Licet alioqui super exceptione peremptoria, & attinentibus ad illam non pronuntietur ante sententiam definitiuam, vti diximus in *c. 1. de Ord. Cognit.* id tamen specialiter constitutum est in odium temerè opponentium peremptoriam exceptionem, quòd mox vbi in eius probatione defecerint, antequam sententia feratur, interlocutoriè condemnentur ad expensas, quas aduersarius per id tempus induciarum facere debebat, alia verò ratio est, de exceptionibus dilatoriis aut emergentibus, cùm enim de iis statim pronuntiari debeat, antequam vlterius procedatur, aut sententia super causa principali feratur, ideò generatim de illis dici debet, si reus opponens exceptionem dilatoriam aut quasi dilatoriam seu emergentem, in eius probatione succumbat, mox aduersario ad expensas præstandas, eâdem interlocutoria sententia rectè conuenientérque condemnari, vt hîc monet *Panorm. n. 12.* & sumitur ex *c. 1. de except. in 6.* quemadmodum & contumax priùs non auditur, quàm aduersario expensas soluerit, quas facere ob eius tergiuersationem debuit. *c. 1. h. t. in 6. l. Sancimus. 15. C. de judiciis.* 3

Nota IV. Si quis mulctam aut debitum ex delicto proueniens soluere non possit ob inopiam, tunc aliter v. g. in corpore puniendus est, juxta *l. 1. in fine. ff. de pœnis.* Vnde sumptum est illud vulgatum: *Qui non habet in ære, luat in Corpore.* 4

CAPITVLVM VI.

Cùm dilecti.

PARAPHRASIS.

Contra electum Episcopum Leodicensem Archidiaconus & Henricus Canonicus, suo & aliorum Canonicorum nomine (quorum literæ de rato exhibitæ erant) crimina quædam objecerunt ad impediendam confirmationem eius tanquam indigni, cùm autem Innocentius III. super his inquiri mandâsset, electus veluti grauatus à parte aduersa appellauit, sed appellationem per sufficientes procuratores prosecutus non est, cùm tamen pars aduersa prosequi vellet, ex quo non leuis contra electum orta erat suspicio, nihilominus Papa juris Ordinem seruare volens, mandauit illi, vt vsque ad Dominicam *Ego sum Pastor bonus*, per se, vel per procuratorem Pontifici se præsentaret, responsurus ad objecta; alioquin se processurum quatenus de jure poterit, quandoquidem terminus ille vt peremptorius assignatur: verùm eo non comparente, pars aduersa ipséque Papa diu vltra terminum expectârunt; denique simplex nuntius aduenit, excusationis tantùm literas ferens, quòd videlicet nuntium & mandatum Papalem de comparendo serò acceperit, ideóque tam breui tempore venire non potuerit; sed excusationem reiecit Pontifex, nam sicuti nuntium mittere poterat electus, ita & procuratorem destinare cum mandato respondendi. Proinde si mandetur alicui, vt veniat ad certum terminum, duo mandantur, & vt veniat, & ut ad diem præstitutam; quare si alterum non possit, quod secundarium est, implere, debet tamen satisfacere in principali, sicuti si debitor sis solutioni faciendæ ad diem S. Georgij, & tunc soluere non possis, debes nihilominus soluere postea, si possis. Propter hæc Pontifex electum judicauit contumacem fuisse, ideóque eum condemnat ad legitimas & moderatas expensas præstandas parti aduersæ, ex eo tempore quo desideratâ illius præsentiâ, post interpositam ab ipso appellationem, citatio emanauit, & pars aduersaria eundem expectare debuit.

SVM-

SVMMARIVM.

1. *De crimine, de quo non agitur criminaliter, agi potest per Procuratorem.*
2. *Citatus ad diem festum reus non eo sensu citatur, quòd eo die festo in judicio comparere debeat, sed quòd vltra eum diem differre non possit suam in loco præsentiam.*
3. *Mandatum de duobus, si obseruari non possit circa secundarium, obseruari tamen adhuc debet, circa principale.*

1 NOTA I. Si agatur de crimine non criminaliter, videlicet ad depositionem promoti aliámve pœnam, aut ne aliquis promoveatur, tum agi potest per procuratorem. *c. Super his. 16. de Accusation. bus.*

2 Nota II. Citari aliquis potest, vt præsentiam exhibeat vsque ad diem Dominicam aliúdque festum, non enim sensus est, quòd eo die in judicio comparere debeat, sed quòd ad comparendum in loco, temporis ei spatium conceditur terminandum die Dominica inclusiuè.

3 Nota III. Si duo alicui præcipiantur, vnum principaliter, alterum secundariò, & si secundarium negligatur, aut seruari non possit, debet tamen obseruari Principale, ita *Innoc. hîc. & explicani l. 5. tr. 6. c. 5. n. 8. in fine.* Supponitur autem in hoc casu, quòd præceptum, v. g. Citatio sit legitima, nam si aliquis citaretur ad totam causam præfixo termino peremptorio, intra quem ipsum venire impossibile sit, tum omnino accedere non tenetur, vti hîc tradit *Panorm. n. 20. Arg. l. Aut qui. 5. ff. quod vi aut clam. junct. Bart. ibid.* Nam talis citatio irrita est, cùm præceptum impossibile contineat.

4 Nota IV. Contumax in comparendo, soluere debet expensas moderatas quas interim aduersarius expectando fecit. Vt dictum est. *c. præced. in fine.*

CAPITVLVM VII.

Cùm olim.

PARAPHRASIS.

Dorotheus Clericus cum Prælatorum Hiberniæ literis testimonialibus venit ad Cælestinum III. asserens se in Episcopum Roscensem electum esse, quem Papa, cùm nemo se opponeret, consecrari jussit, postea verò Franciscus & Gaspar Monachi ad eundem Papam accedentes dixerunt se à Canonicis Ecclesiæ Roscensis electos fuisse in Episcopos, Dorotheum verò præsentatis falsis literis consecrationem obtinuisse: quare Cælestinus III. causam judicibus delegauit, eâ formâ, ut factâ inquisitione de processu electionis, si compererint Dorotheum canonicè electum fuisse, eum faciant pacificâ possessione gaudere; alioquin causam audiant inter Franciscum & Gasparem, & cuius electionem magis canonicam agnouerint, eum alteri præferant. Judices illi Dorotheum tertiò citârunt, & cùm comparere nollet, processerunt in causa inter Franciscum & Gasparem, atque Franciscum, quem ex Cleri Roscensis, ac populi testimonio, tum Regis quoque assertione legitimè electum agnoverunt, auctoritate Apostolicâ confirmari curârunt; maximè cùm Capitulum Roscense Dorotheum se non elegisse constanter asseueraret; de Gaspare verò eligendo nunquam cogitâsset. Interim dictus Dorotheus ad Sedem Apostolicam accedens, alias literas impetrauit, contra Franciscum, super quibusdam aliis gravaminibus atque injuriis; sed & Franciscus ad eandem Sedem venit, processum dictorum judicum secum afferens. Pontifex misericorditer agere volens cum Dorotheo, Franciscum remisit ad judices, cum Mandato, vt Dorotheum ad conuincendam eius malitiam denuò citarent, si in Hibernia reperiri possit, concessâ ei facultate defensionis super jure electionis & confirmationis, consecutoríque, quòd si nuntius intra tres menses se non stiterit, ad consecrationem Franciscí statim procedant; sin autem in Hibernia non fuerit inuentus, indulto ipsi

to ipsi vnius anni spatio (eò quod non verbo quidem , sed facto prouocâsse censeatur ad Sedem Apostolicam iter arripiendo) eidem Francisco administrationem Episcopatûs in spiritualibus ac temporalibus interim committant, elapso autem anno eundem consecrare in Episcopum non differant.

SVMMARIVM.

1. *Assumptio Religiosi in Episcopum, non est propriè postulatio, sed electio.*
2. *Ex electione non canonica infirmatur etiam subsequens confirmatio.*
3. *Ob contumaciam Rei post trinam citationem non comparentis, potest procedi ad testium receptionem, & sententiam definitiuam, etiam lite non contestata, si de valore electionis agatur.*
4. *Appellare quis potest, à sententia, vel grauamine, verbo, vel facto.*
5. *Maius spatium Prælato conceditur, cuius jam confirmati electio impugnatur, quàm si nondum confirmati electio impugnaretur: hoc ordinariè sex mensium est; illud relinquitur Iudicis arbitrio definiendum.*
6. *Ordinariè audiendus non est, qui post peremptorium terminum opponere se vult electioni: quamuis Iudex ex officio contra electum talem, & confirmatum per viam inquisitionis procedere possit.*

1 NOTA I. Religiosi in Episcopum assumptio, electio est, & non propriè postulatio. *c. Nullus. 28. de Elect. in 6.*

2 Nota II. Si electio Prælati Canonica non fuit, etiam subsequens confirmatio, & possessionis traditio cassari debent. Ita etiam sumitur ex *c. 4. De causa possessionis.*

3 Nota III. Si agatur de valore electionis, & consequenter confirmationis etiam lite non contestatâ ob contumaciam Rei post trinam citationem non comparentis, procedi potest ad testium receptionem & sententiam definitiuam. *c. vlt. §. Porrò vt lite non contestatâ.* Nihilominus Pontifex ex gratia per plenitudinem potestatis (quia causa ardua erat, cùm ageretur de remotione Episcopi confirmati, consecrati, & in possessione existentis) jussit causam iterum examinari, citato Reo, & datâ ei facultate defensionis.

Nota IV. Duobus modis censetur aliquis appellare à sententia aut gravamine, Videlicet Verbo expresso, & facto, seu arripiendo iter ad Superiorem. *c. Meminimus, 9. junct. gl. de Appellationibus.* 4

Nota V. Tametsi in casu contrahendi spiritualis matrimonij (si videlicet alicuius nondum confirmati electio impugnetur) contumax sex tantùm mensibus exspectandus sit, jure ordinario. *cit. c. vlt. §. Porrò.* Maius tamen spatium secundùm causæ qualitatem judicis arbitrio tribuitur, si agatur contra Prælatum jam confirmatum, consecratum, oppugnando eius electionem. Ita sumitur ex *hoc c. & citato. §. Porrò. & tradit gl. hîc. verb. Anni. Panorm. n. 10.* 5

Occasione huius cap. quæritur; si ante confirmationem Prælati, edictum publicum affixum sit statuto peremptorio termino, intra quem venire debeat, qui se opponere voluerit, juxta *c. vlt. de Electione in 6.* Num audiendus sit, qui postea accesserit, electionem impugnare volens. R. *Ex c. vlt. qui Matrimonium accusare possunt.* talem audiendum non esse, cùm præsumptio malitiæ contra ipsum sit, nisi ostendat, se absentem fuisse, vel aliàs probabiliter ignorâsse publicationem Edicti; vel crimen aliúmve defectum electi nunc primitus cognouisse. Ceterùm judex ex officio per inquisitionem contra electum & confirmatum procedere non prohibetur: vti hîc *Panorm. notat in fine c.* 6

CAPITVLVM VIII.

Veritatis.

PARAPHRASIS.

Episcopus Curiensis præcedente publicâ infamiâ, delatus à Canonicis fuit ad Innocentium

centium III. super dilapidatione bonorum Ecclesiæ, homicidio, incestu, aliisque criminibus. Causam hanc Pontifex delegauit Episcopo Tridonensi, seu, vt alia lectio habet Tridentino, Abbati mõtis Sanctæ Mariæ, & Præposito in Insula: deinde iterum Brixinensi Episcopo, & dictis Abbatibus ac Præposito. A priorib⁹ illis judicibus, Curiensis Episcopus vocatus, cùm contumax esset in comparendo, ab ipsis suspensus est ab officio & beneficio, postea coram secundis judicibus canonicè vocatus comparuit quidem, sed friuolâ allatâ excusatione, respondere contumaciter noluit; quare Papa suspensionem priùs in ipsum latam confirmauit, postea iterum, adeóque tertiâ vice causam delegauit Episcopo Cumano & abbati cuidam, coram quibus tertiò citatus Episcopus Curiensis, cùm nec per se, nec per procuratorem compareret, excommunicationis sententiam in ipsum promulgârunt, testes contra ipsum juxta formam mandati Apostolici recipientes, per quos singuli articuli sufficienter probati fuerunt; quare Innoc. III. considerans judiciarium ordinem ritè seruatum fuisse, & Episcopum Curiensem, post latam in ipsum censuram, celebrare præsumpsisse, sententiam depositionis ab Episcopatu & officio Pontificali ac sacerdotali absque spe restitutionis profert, in irritum reuocans alienationes, quæ à dicto Episcopo post suspensionem & excommunicationem factæ sunt.

SVMMARIVM.

1. *In censuris ferendis pro ratione contumaciæ gradus seruandi.*
2. *Contra Prælatum criminosum, si per viam accusationis purè criminaliter agatur, ad sententiam condemnatoriam procedi non potest ante litis contestationem, quamuis propter contumacem illius absentiam, hæc fieri non possit.*
3. *Potest tamen tam ad testium receptionem, quàm ad depositionis sententiam, contra eum absentem, & contumacem procedi, ante litis contestationem, si Iudex ex officio suo per viam inquisitionis contra eum procedat, siue adsit denuntiator, & Procurator judicialis inquisitionis, siue non adsit.*
4. *Potest Iudex illud etiam crimen punire, quod ex deductis in judicium coherenter legitimè cognitum fuit.*
5. *Alienatio bonorum Ecclesiæ irrita est, si facta ea sit à Prælato suspenso ab officio, aut excommunicato non tolerato.*

NOTA I. In censuris ferendis gradatim procedendum est, vt priùs secundùm exigentiam Causæ inferatur interdictum ab Ecclesia aut suspensio, postea crescente contumaciâ Reus excommunicetur. 1

Nota II. Si aliquis adsit denuntiator seu promotor inquisitionis faciendæ de Prælato ad depositionem eius, Reus tamen citatus, contumaciter absit, contra eum receptis testibus, & probatis criminibus procedi potest, etiam lite non contestatâ. Ita sumitur ex textu, & docet. *Io. Andr. n. 4. Imola. n. 5. & 9. Panorm. n. 18.* Pro intellectu aduerte, contra Prælatum criminosum tribus modis procedi posse; Primò, purè criminaliter & per modum accusationis, vt criminosus pænâ condignâ criminibus puniatur, & hoc casu requiritur litis contestatio, ita vt eâ non factâ propter contumaciam Rei absentis ad sententiam condemnatoriam procedi non possit, vt diximus in *vt lite non contestata. §. Porrò, ad quæst. dicto 3.* 2

Secundò, ex mero puro judicis officio excitati clamorosa insinuatione populi seu publicâ infamia. Hoc casu, quia nullus adest, qui inquisitionem suo vel aliorum nomine petiuit aut impetrauit, locum non habet oblatio libelli, & litis contestatio, consequenter sine ea, si citatus contumax sit, procedi potest ad testium receptionem & condemnationẽ. Tertiò, Si adsit denuntiator & promotor judicialis inquisitionis ad depositionem seu amotionem Prælati ab administratione in spiritualibus & temporalibus, vt Ecclesiæ obesse desinat, juxta *c. Qualiter. 24. verb. sed cum. De accusationibus.* hoc casu 3

libellus offerendus, & lis contestanda est, si denuntiatus veniat, vti colligitur ex *capit. Exhibita. 19. de judic.* sin autem contumaciter se absentet, etiam lite non contestatâ, receptis testibus & habitis probationibus sufficientibus proceditur ad definitiuam, seu condemnatoriam sententiam; vti constat ex hoc *c. & cit. c. Qualiter.* Ratio est, quia cùm vertitur periculum animæ, aut publicum Ecclesiæ, tunc contra absentem contumacem proceditur lite non contestatâ. *cit. c. vlt. §. Porrò.* atqui si præcedente infamiâ aliisue indiciis Prælatus denuntietur tanquam bonorum Ecclesiæ dilapidator aut in grauibus criminibus persistens, vertitur periculum animarum & publicum Ecclesiæ cui is præest; ergo lite non contestatâ contra ipsum contumacem procedi potest, saltem ad eius amotionem seu destitutionem; videatur *Panorm. hîc. n. 23.*

4 Quæres, cur itaque Pontifex maiorem pœnam Episcopo, videlicet verbalis depositionis ab Ordine episcopali ac sacerdotali inflixit. Resp. Si in judicio crimen legitimè cognitum sit, non omnino accidentaliter, sed cohærenter ad ea, quæ in judicium adducta sunt, tum judex illud punire potest, vti colligitur ex *c. 2. de Confessis.* & notat *Imola hîc n. 5. gl. in c. 1. verb. contingere. de Except.* sed in casu nostro ex deductis in judicium cohærenter seu accessoriè cognitum fuit, quòd Episcopus Curiensis post suspensionem & excommunicationem, quæ ob insuperabilem contumaciam & inobedientiam ipsi illata erat, etiam censuram violauerit celebrando, ideóque irregularitatem contraxerit, consequenter Papa inobedientiam istam & contemptum legitimè puniuit per depositionem non tantùm ab Episcopali jurisdictione, & administratione, sed etiam ab omni ordine Episcopali ac Sacerdotali.

5 Nota III. Si Prælatus ab officio suspensus, aut excommunicatus non toleratus, bona Ecclesiæ alienet, irrita est alienatio. Pro huius intellectu aduerte ex *Innoc. hîc. n. 1. Panorm. n 33.* Quòd excommunicatio virtualiter in se includit suspensionem ab officio, consequenter etiam à beneficio, juxta *c. Pastoralis. 53. de Appellat.* suspensus autem ab officio simpliciter & indistinctè inhabilis redditur ad omne munus seu exercitium publicæ potestatis, vti ex communi docet Suarez de Censuris *disp. 26. n. 4.* contra *gl. in c. Audiuimus. 4. Causa 24. q. 1.* administratio autem Prælati, non tantùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, consequenter & alienatio bonorum Ecclesiæ, actus est publicæ Ecclesiasticæ potestatis, ergo ea non est concessa Prælato suspenso aut excommunicato non tolerato, vti hîc etiam docet *Ioan. Andr. n. 2.* qua ratione *Panorm. loc. cit.* ait: quòd non valeat autoritas in alienatione rerum minoris interposita per tutorem excommunicatum, cùm etiam tutelæ exercitium, publicus actus sit, nec valeat arbitrium seu laudum per formam judicii pronuntiatum à compromissario excommunicato, cùm arbitria hæc ad formam judiciorum redacta sint. *l. 1. ff. de arbitris.* sed secus est dicendum de arbitratore in contractibus & amicabili compositione, cùm hæc officia publica non censeantur quandoquidem etiam in mulierem cadere possunt.

CAPITVLVM IX.

Contingit.

Paraphrasis.

Si actori propter contumaciam Rei per primum decretum, adiudicata sit possessio bonorum custodiæ causa, accidit nonnunquam vt ob potentiam vel dolum aduersarii, bona intra annum consequi non possit, vel acquisita amittat, & ita (cùm ex multorum sententia actor anno elapso non fiat verus bonorum possessor) Reus ex malitia sua commodum reportat, quare ne contumax melioris conditionis sit quàm obediens, secundum Canonicam benignitatem decernit Innocentius III. vt in dicto casu actor post annum verus efficiatur possessor.

SUM-

SVMMARIVM.

1. *Missus in possessionem bonorum custodiæ causâ, ab aduersario tamen per dolum impeditus, fictione juris pro misso habetur, & post annum fit verus bonorum talium possessor in ordine ad juris effectus, si interea reus contumax non comparuerit.*
2. *Ex contumacia non debet commodum ferre contumax.*

1 NOTA I. Qui jussus est in bonorum possessionem mitti custodiæ causâ, si impediatur ab aduersario per dolum, juris fictione pro misso habetur, ita vt elapso anno, si interea Reus contumax non comparuerit, actor in reali actione verus possessor censeatur secundùm ciuilem & à lege tributam possessionem. Simile quiddam est jure Cæsareo statutum etiam in personali debito, vt si creditor à judice jussus sit possessionem bonorum capere, tametsi bona possessa non sint, perinde habeatur, ac si possessa essent. *l. Quamuis. 13. ff. De rebus autoritate judicis possidendis.*

Obijcitur. Possessio cùm sit quid facti, non acquiritur solo animo, sed opus etiam est corporis apprehensione. *c. Licet. 4. C. de acquirenda possess.* Ergo sine apprehensione reali actor non potest fieri verus possessor secundum juris dispositionem. Resp. Quod hoc. c. dicitur, elapso anno actorem verum possessorem fieri, id non absolutè intelligendum, sed tantùm in ordine ad effectus juris, quos perinde participat, ac si propriè & verè possideret, vt videre est in *gl. cit. l. Quamuis.* ante lapsum verò anni missus in possessionem, aut possidere jussus ex primo decreto, non nanciscitur commoda veræ possessionis, sed duntaxat custodiæ, vt dictum est in *c. vlt. §. in aliis vt lite non contestata.*

Nota II. Non debet aliquis ex iniquitate sua commodum ferre, neque contumax & malus melioris esse conditionis, quàm bonus & obediens, vti etiam habetur in *c. 1. verb. Nos igitur. De postulat. Prælat. & l. 3. principio. ff. De donation. inter virum & vxorem. Glossa hîc, verb. Constituatur*, quærit, vtrùm etiam in causis beneficiorum missio in possessionem locum habeat ob contumaciam rei, & rectè negat. Si parochia aliáue Ecclesia aut Præbenda petatur, vt beneficium secundùm jus spirituale, seu titulum, vt infra dicetur, in *c. vnico. de eo qui mittitur in possessionem in 6.* affirmat autem si Ecclesia v. g. vel parochia petatur vt proprietas seu ratione subiectionis, quia dicitur subiecta Episcopo, v. g. quoad Cathedraticum, vel ratione reddituum incorporata monasterio. Ita sumitur ex *C. 1. de eo qui mittitur.* & docet *Io. Andr. hîc n. 7. Ancharanus. in cit. c. Vnico. ibid. Franc. n. 3.* Vide tamen *Panorm. hîc n. 17.* & quæ dicentur in *cit. c. Vnico.*

CAPITULUM X.

Venerabilis.

PARAPHRASIS.

Gregorius IX. Burdegalensem Episcopum peremptoriè citat ad initium proximè venturæ quadragesimæ, vt per se, vel per idoneum procuratorem, Apostolico conspectui adsit, ad litem contestandam super jure Primatiæ, quod Archiepiscopus Bituricensis sibi super ipsum & prouinciam eius competere contendebat. Sed & insuper quibusdam extra Romam mandauit, vt eundem Burdegalensem Apostolica authoritate ad eundem terminum peremptorium Romam citari curarent, sin autem reperiri non posset, citationis edictum juxta Ecclesiam publicè proponi facerent. De hac ipsa controversia inter duos Archiepiscopos videatur *c. vlt. de maioritate. & c. vlt. de dilationibus.*

SVMMARIVM.

1. *Citatio ad tempus quadragesimæ simpliciter prolatum facta, de proxima quadragesima intelligi debet, nisi ex adiunctis aliud colligi debeat.*
2. *Commissarii quibus citãdi munus committitur, non possunt hoc alii autoritatiuè faciendum committere, quamuis per alios promulgare edictum citationis possint.*

1 NOTA I. Si citandus personaliter reperiri non potest, edictum citationis affigendum est in valuis publicis. De hoc suprà diximus in cpa. 3. Quærit *hîc gl. verb. Proximè* si in citatorio terminus quadragesimæ absolutè positus fuisset, an intelligi debuisset de proximè ventura, & rectè affirmat ex *l. 41. ff. de verb. oblig.* vbi dicitur: eum qui Calend. Januar. se daturum respondit, intellexisse videri de proximis, nisi ex adiunctis aliud colligi debeat.

2 Nota II. Papa demandare potest alicui v.g. Episcopo, vt alterum Apostolica sibi commissâ auctoritate Romam citet. Quærit *Panorm. hîc n. 7.* Vtrum Commissarii Papales potuissent hoc citationis munus alteri committere: & rectè respondet, quòd non potuerint. *arg. c. vlt. §. vlt.* De Officio Delegati, vbi habetur quòd nudum ministerium alicui delegatum, si grauis momenti sit, alteri committi non possit. Quod verò in fine huius Capituli additur, edictum citationis per ipsos commissarios vel per alios publicari posse, id refertur non ad ipsam authenticam citationem, sed ad publicationem seu affixionem edicti, quæ haud dubiè per quoscunque officiales ac Ministros fieri potest, tametsi id in commissione expressum non sit, quia parum interest, num tale quidpiam aliquis per se exeqùatur, an per alium, tanquam secundarium seu ministerialem executorem.

IDEM TITVLVS in 6.

CAPITULUM I.

Actor.

PARAPHRASIS.

Si actor, qui ad certum temporis terminum citari aduersarium postulauit, ipso veniente non compareat, postea adueniens condemnari debet ad legitimas expensas, quas aduersarius ob eam causam facere debuit; quòd si iterum petat reum citari, non auditur, nisi priùs sufficienter caueat, quòd in termino constituto compariturus sit. Debent tamen hæc limitari, nisi justum impedimentum actorem retardauerit, quo minùs ad terminum veniret, quia justè impedito tempus non currit. Ceterùm interueniisse impedimentum, ipse, qui in mora veniendi fuit, probare debet, vti Ancharanus in fine huius c. docet.

SVMMARIVM.

1. *Etiam actor censetur contumax si in termino non compareat, ad quẽ reum citari voluit.*
2. *Cautio quam præstare debet actor de comparendo, si Reum iterum citari velit, quo priùs ad instantiam illius jam citato, & comparente, ipse comparere neglexit, debet esse ordinariè fideijussoria seu pignoratitia.*

1 NOTA I. Non tantùm Reus contumax esse potest, sed etiam actor, si in termino, ad quem Reum citari procurauit, ipse non compareat. *authent. Qui semel. C. Quomodo aut quando*; imò maior est contumacia actoris, quàm Rei; prout dictum est in c. 3. *vt lite non contestata.*

2 Nota II. Semel malus semper præsumitur esse malus. *Reg. 8. in 6.* & sumitur ex fine huius *c. & l. Si cui. 7. §. Iisdem. ff. De accusat.* vbi dicitur, quòd qui semel alicui in judicio calumniam intulit, iterum ad accusandum admitti non debeat, quia denuò calumniaturus creditur: & ex *c. Literas. 13. de Restitut. spol.* Vbi vxor marito, qui antea in eam exercuit sæuitiem, non restituitur, nisi sufficienter prouisâ securitate. Debet autem cautio de quâ hîc sermo est, esse fide jussoria vel pignoratitia, vti sumitur ex *l. Ex mandato. 59. §. vlt. ff. Mandati.* vbi distinguunt DD. cautionem in nudam, & idoneam seu sufficientem, illam vocant promissoriã seu juratoriam, hanc fideiussoriam seu pignoratitiã, aiúntque, si in aliqua dispositione cautio exigatur, intelligi de nuda & simplici, sin autem sermo sit de idonea aut sufficiente, vel de securitate debiti, tum exigi fideiussoriam vel pignoratitiam, dummodo eam debitor præstare possit, alioqui verò sufficiet juratoria, vt si peregrinus vel pauper sit, qui

qui jurare debeat iuxta *Authent. Generaliter. C. De Episcopis & Clericis.* & tradit *gl. hic verb. Sufficienter.*

CAPITVLVM II.

Eum qui.

Paraphrasis.

Si judice contra partem litigantem proferente interlocutoriam sententiam, v. g. dilationem petitam denegando, pars appellet, & appellatione non admissa recedat, contestari censetur, quòd nolit coram judice hoc litigare, quamobrem judex qui appellationem reiecit, non citatâ ampliùs parte, ad alia quæ in judicio agenda sunt, imò etiam ad definitiuam sententiam justè ac validè procedere potest, præterquam si interpositæ appellationi renuntiauit.

Svmmarivm.

1. *Pars litigans denuò citanda non est, si satis contestata sit, quòd nolit coram hoc judice, quantum hanc causam concernit, litigare; secùs si tantùm quoad vnum articulum causæ huius contumax sit.*
2. *Contra eum, cuius appellatio friuola judicatur, procedi potest, tanquam contra contumacem.*
3. *Ex tribus delegatis judicibus v. g. tertius etiam ad executionẽ citandus est, quamvis ab aliis duobus in vnam sententiam consentientibus dissenserit.*

1 NOta I. Si pars litigans sufficienter significârit verbo aut facto, quòd coram judice hoc litigare ampliùs nolit, non est denuò citanda, intelligitur autem hoc, si appareat, quòd totam causam agere detrectet. Secus, si ad articulum causæ pars citata contumax fuerit, tum ad alios articulos ipsámque sententiam definitiuam iterum citari debet, uti notat *gl. hic, verb. Non teneris.* & videatur *Anchar. hîc. q. 2.* simile est quod docet *Bart. in l. Si finita* §. *Julianus. n. 8. ff. De damno infecto.* Si citatus dixit se nolle venire, quòd contumax censeatur, ut ampliùs citandus non sit.

2 Nota II. Si judex æstimet, appellationem alicuius friuolam esse, tunc contra appellantem & recedentem (nisi facti pœnitens appellationi renuntiet) tanquam contumacem procedere potest in casibus, quibus id licet adversùs contumaciter absentem, v. g. Si lis contestata sit, verumtamen si judex in hoc casu ad definitiuam procedat, is qui contumax reputatus est, contra eam intra decendium appellare potest, præterquam si prior ipsius appellatio à grauamine aut interlocutoria sententia, manifestè friuola fuerit. *Cit. Clem. vnic.*

3 Quærit hîc glossa finalis: Si constitutis tribus judicibus delegatis, duo consentiant in sententia, tertius dissentiat, atque sententia duorum executioni ab ipsis mandanda sit, num tertium citare debeant. Affirmat *gl. & Ioan Monacus hic, sed Petrus Anchar. q. 3. arg. h. c.* negat: cùm enim executio sit quiddam accessorium latæ sententiæ, ideò qui sententiæ contradixit, etiam executioni eius contradixisse censetur. Sed mihi placet sententia glossæ, quia cum duorum sententia tanquam partis maioris valida sit, non potest eam tertius refutare, quare licet antea se opposuerit, tamen postquam lata est, in eam consentire censetur; ideóque citandus est ad executionem eius, saltem si causæ aliqua cognitio requiratur, *vti gl. marginalis, Dominicus & Francus admonent in fine huius Capituli.*

TITVLVS XV.

DE EO QVI MITTITVR IN POSSESSIONEM, CAVSA REI SERVANDÆ.

PRopter contumaciam Rei interdum actor mittitur in possessionem rei petitæ, aut bonorum debitoris, ideò postquam de contumacia dictum fuit, titulus iste congruenter ponitur.

CAPITVLVM I.

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Prior & Canonici de Guiseburch coram judicibus delegatis agebant contra Præpositum de Berillo, super possessione Ecclesiæ de Lamento, & quia Præpositus contumax fuerat, Prior missus est in possessionem Ecclesiæ, Custodiæ causa, cùm autem intra annum Præpositus cautionem nõ obtulerit de parendo juri (licet voluntatem offerendi habuerit, & pars altera recipere parata fuerit.) Alexander III. decernit, ut post lapsum anni, veram possessionem Ecclesiæ Prior absque contradictione retineat, saluo jure proprietatis, si super ea Præpositus actionem intentare voluerit.

SVMMARIVM.

1. *Propter contumaciam Rei potest fieri missio in possessionem, etiam in juribus spiritualibus, nisi agatur de jure beneficiali.*
2. *Ad pœnam contumaciæ declinandam, non sufficit habuisse voluntatem tantùm cautionem præstandi de parendo juri, si in effectu præstita ea non fuit, modò facultas non defit eam præstandi.*

1 NOta I. Etiam in juribus spiritualibus, videlicet si agatur de jure subiectionis, jure patronatûs, jure inventandi, aut de Ecclesia, propter contumaciam Rei, missio fieri potest in possessionem, ut hîc, *& c. seq.* Excipe nisi agatur de jure beneficiali, *c. 1. h. t. in 6.* ubi plenè explicabimus.

2 Nota II. Non sufficit ad pœnam contumaciæ declinandam, quòd aliquis habuerit voluntatem præstandi cautionem de parendo juri, si in effectu non præstitit, nam ubi factum requiritur, voluntas faciendi non sufficit, etiam ad pœnam declinandam, intelligi tamen id debet, dummodò facultas voluntatem implendi, videlicet cautionem præstandi non desit, iuxta *gloss. hîc verb. Parati. & gl. in cap. Non satis. 14. dist. 86.* Nam voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas seu necessarium impedimentum, teste *S. Bernardo Epist. 77. ad Hugonem de S. Victore.* Deinde limitari debet, nisi per partem adversariam steterit, quo minùs cautio reciperetur, uti constat *ex hoc cap. verb. Parati. iuncta gl.* quid autem dicendum sit, si per judicem stet, dicetur *c. seq.*

CAPITVLVM II.

Cùm sicut.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatissam & Conventum de SS. Trinitate, ex una parte, & Subdecanum ex altera parte erat controversia super quadam Ecclesia, ea à sede Apostolica tribus judicibus delegata fuit, qui Moniales, ob contumaciam Subdecani, miserũt in possessionem rei petitæ, causa custodiæ, quod cùm intellexisset Subdecanus, accessit ad unum delegatorem (nam alter eorum mortuus, tertius autem absens erat) eíq; oblatâ cautione, petiuit in possessionem restitui, sed obtinere id non potuit, hoc intellecto respondit Clemens III. Non obstante, quòd interim annus elapsus sit, Subdecanum receptâ ab ipso cautione de parendo juri, in possessionem restituendũ esse, si per ipsum non steterit, quo minùs intra annum cautionem dederit, possessionémque receperit.

SVMMARIVM.

1. *Qui contumax priùs missionem in rem custodiæ causa passus fuit, si postmodum intra annum cautionem de parendo Iuri obtulerit, ac per eum non stet, quo minùs hæc recipiatur, post eam præstitam restituendus est.*
2. *Sufficit autem cautionem hanc offerri personæ honestæ, si nec judici ea offerri possit, nec parti.*

Nota

1 NOta I. Si Reus contumax passus missionem in rem Custodiæ causa factam, intra annum cautionem offerat judici, isque recipere nolit, non amittit post anni lapsum veram possessionem, ideóque restituendus est post præstitam cautionem, si enim per me non stat, quo minùs faciam quod debeo, non est mihi imputandum, ait *gl. hîc, verb. Non steterit, arg. c. Plerumque. 23. de Rescript.* & habetur expressiùs *in Reg. 41. sexti:* imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciêdum.

Obiicies. Judex iste delegatus sine collegis suis non poterat recipere cautionem à Reo. *c. Causam. 16. & c. penult. de offic. delegat.* igitur debebat Reus judicem Ordinarium adire, iuxta *c. Pastoralis 11. §. Praterea. de officio Ordinarij*, vel ipsi Actori alteríve personæ honestæ cautionem offerre de parendo juri, iuxta doctrinam *gl. in c. præced. verb. Parati.* Vbi ait, si non potest judex haberi, cautio præstetur parti, si autem neuter potest inveniri, præstabitur alteri personæ honestæ, quæ recipiat cautionem no-
2 mine adversarij. Resp. Verum est, quòd cautionem iste delegatus recipere non potuerit tanquam judex, si (uti videtur) absque clausula, *si non omnes*, delegatio facta fuerat, nihilominus cautio ipsi offerri potuit, ut eam reciperet tanquam persona honorata, & quæ versata sit in ista causa; quamobrem postquam recipere delegatus recusauit, obligationi satisfeciſſe censetur Reus, neque opus est, ut vel judicem ordinarium, vel personam aliam super ea re accedat, uti hîc docet *Panorm. n. 5. Imola n. 5.* Cùm enim dantur in jure plura remedia, in arbitrio cuiusque est, quonam uti malit, uti docent *DD. in l. penult. ff. Ad legem Aquiliam.*

CAPITVLVM III.

Cùm veniſſent.

PARAPHRASIS.

Controversiam quam Abbas sancti Angeli super quadam possessione cum P. Gal. habebat, Legatus Apostolicus quibusdã delegauit, ut eam secundùm jus commune, & consuetudinem Prouinciæ definirent, sed cùm judices tãtùm secũdùm jus procedere vellent, Petrus ad Pontificem appellauit, ipsi autẽ nihilominus procedentes Abbatem in possessionem rerũ petitarum miserũt, custodiæ causa, ita ut si intra annum & diem præstaret cautionem sistendi se judicio, & pro expensis parti adversariæ 30. argenti libras præstaret, possessionem reciperet. Cùm autem priore legato discedente, alius Provinciam ingressus esset; Petrus cautionem sistendi se judicio coram altero Legato obstulit, paratus etiam expensas præstare, quæ tamen ut ipse dicebat, sex librarum summam nõ excederent, Abbas verò 30. postulauit; hoc intellecto Innocentius III. Rescripsit Petrum reducendum esse in possessionẽ præstitâ cautione, ad expensas autem cõdemnandum non esse, si consuetudo quã ipse allegat laudabilis sit, quia tunc rationabiliter appellauit. Si autem laudabilis non est, ideóq; friuolè appellauit, tunc ad eas expensas condemnetur, quas idcirco Abbatem cõstat necessarias in lite feciſſe.

SVMMARIVM.

1. *Reo contra processum Iudicis appellante, in possessionem custodiæ causâ mitti potest Actor, si friuola Iudici videatur illius appellatio, qui tamen iterum oblata postmodum cautione restitui debet si appellatio appareat fuisse rationabilis.*
2. *Ad expensas parti aduersariæ soluendas cõdemnari potest contumax, quas jurat illa ob contumaciam Rei se facere debuisse.*

NOta I. Jus interdum sumitur strictè, 1
ut idem sit quod lex, & species opposita consuetudini, interdum verò accipitur latiùs, prout est genus ad jus scriptum, & non scriptum, quæ est consuetudo.

Nota II. Si Reus contra judicis proces- 2
sum appellans recedat, judex autem appellationem friuolam existimet, tum actorem in possessionem rerum petitarũ mittere potest; verùm si postea judicetur appellationẽ irrationabilem non fuisse, possessio præstitâ cau-

cautione restituenda erit, neque expensas soluere cogetur, cùm purgata contumaciâ, expensæ remitti debeant. *c. Venerabilis. §. Idem est. De sententiâ Excommunicationis in 6.*

2 Nota III. Contumax condemnari debet parti aduersariæ ad expensas, quas expectando facere coacta est, igitur refundendæ sunt expensæ non superfluæ, sed necessariæ, quæ & moderatæ dicuntur. *c. fin. 5. De dolo.* Quamobrem in æstimatione expensarum necesse est, ut præcedat juramentum partis asserentis se tantas expensas ob aduersarij contumaciam facere debuisse, & subsequatur Judicis taxatio. *l. Sancimus. 14. C. De jud.* quam formam cùm Iudices delegati in nostro casu non seruârint, sed præcipitatione Reum iuxta petitionem actoris condemnârint, ideò malè eos processisse, in rescripto suo Pontifex significat, & tradit *gl. hic. verb. Restituere.*

CAPITVLVM VLT.

Si Aduersarius.

Paraphrasis.

Si Reus post citationem ad terram remotam se conferat, procuratore ad litem idoneo non relicto, tum publico edicto ad domum eius affixo, si nemo appareat, qui eum defendat, actor petere potest, ut mittatur in possessionem rei petitæ, Custodiæ causâ.

Svmmarivm.

1. *Vt missio in bona alterius fieri possit, una citatio non sufficit.*
2. *Admitti tamen debet ad vitandam missionem in bona Rei, si amicus vel consanguineus ad defendendum eum judicio se sistat.*
3. *Hæc in bona rei contumacis missio fit à Iudice non præcisè ex officio, sed ad instantiam partis.*
4. *Quando & qua possit fieri missio in bona absentis Rei, qui ante citationem discessit nullo relicto Procuratore aut defensore?*

NOta I. Non sufficit semel aliquem citâsse, ut missio in bona eius fieri possit, 1
sed debet iterum ac peremptoriè citari, saltem per edictum publicum si personaliter citari nequeat, nec Procuratorem ad lites reliquerit, *iuxta c. 3. De dolo.*

Nota II. Si nullo relicto Procuratore aliquis seu consanguineus seu amicus in judicium veniat defensurus Reum absentem præstitâ cautione de rato, admitti debet, ut missio in bona eius vitetur, ita, *hîc & in cit. c. 3.* Quamobrem pro praxi advertit *Panor. cit. c. 3. n. 14.* consultum esse, ut in edicto aduersus addatur, si quis consanguineorum vel amicorum absentem defendere velit in judicio, compareat ad diem definitam. 2

Nota III. Missio in bona Rei contumacis non fit à judice ex mero officio, sed ad instantiam partis, quare si non concedatur, ubi jure concedi deberet, appellationi locus est, uti docet *Bart. l. Si finita. §. Fulcinius. n. 29 ff. De damno.* 3

Quæstio est, si Reus ante citationem discesserit, ut nesciatur ubi sit, nullo relicto procuratore aut defensore, num post edictũ publicum, missio in bona eius fieri possit? Videtur negandum per argumentum ex cõtrario sensu sumptum ex hoc *c. verb. Post citationis edictum.*

Sed Respondeo & Dico 1. Haud dubiè missio fieri potest ex primo decreto seu Custodiæ causa. Ita *gl. communiter recepta. verb. Citationis.* & constat ex *l. Ignorare. 4. C. De Restitut. Militum.* Ceterùm ut subventum sit actori, cùm Reus nullo procuratore relicto ex justa causa absens est, curator bonis eius à judice constitui solet, qui pro absente in judicio respondeat. *l. Ab hostibus. 15. iunct. gl. ff. Ex quibus causis maiores.* & docet *Bart. l. cit. §. Iulianus. n. 38. Panorm. hîc. n. 10.* Ad obiectionem suprà positam facilis est responsio: In hoc Cap. responderi ad speciẽ facti Pontifici propositam; ex facto autẽ narratiuo non potest sumi argumentum ad exclusionem oppositi, sicuti neque tunc argumentum istud, quod ducitur à sensu contrario, locum habere debet, si contrarium illi jure expressum sit, sicuti ex receptâ doctrinâ *Panorm. hîc admonet. n. 6.* 4

Dico

Dico 2. Contra absentem, qui ante citationem discessit, & post edictum non comparet, neque ab alio defenditur, non debet, ordinariè loquendo, missio fieri ex secundo decreto, aut bonorum venditio. Ita sumitur *ex l Item ait. 21. ff. Ex quibus causis Maiores. l. Fulcinius. 7. §. Adeò ff. quibus ex causis in possessionem eatur*, ubi dicitur, quòd propter malitiosam latitationem bona absentis possidentur & distrahuntur; qui autem nunquã citatus est, ac proinde institutam contra se actionem ignorare creditur, absens, non censetur malitiosè latitare. Neque obstat his citata lex, *Si finita. 15. §. Si fortè. ff. De damno.* Nam id speciale est; ut si damnum ex ædibus v. g. timeatur, actor ob absentiam Domini mittatur in possessionem, cùm causa ista celeritatem desideret, & dilatio periculosa sit. Si tamen postea comparens reus ostendat se justa de causa abfuisse; in integrũ restituend' est. *l. 1 ff. De damno infecto, & cit. §. Si fortè*, & docet *Panorm. hîc n. 15.* Deinde excipi debet, nisi aliquis soluere teneatur certo tempore aut loco, tunc si ibi nõ compareat nullo relicto procuratore, præsumitur malitiosè latitare, ut contra eum procedi possit ad secundum decretum & bonorum venditionem, teste *Innoc. hîc. n. 4. Panorm. n. 13.* Imò interdum etiam ad definitiuam sententiam procedetur, si talis causa sit, quæ litis contestationem non exigit. Videlicet si beneficiarius, qui in loco beneficij residere deberet, inde discesserit, & nesciatur ubi sit, atque publico edicto peremptoriè citatus, non compareat, acceptis probationibus priuari poterit. *c. 11. Tuæ.* De Clericis non residentibus, & docet *Innoc. hîc. n. 3.* possessoris non esse mittendum in possessionem beneficij, ne vitiosus ingressus hac ratione committatur; sed lite etiam non contestata, absentiam partis diuinâ supplente præsentiâ, ad negotij examen & sententiam definitiuam procedi posse.

EODEM TIT. IN VI.

CAPITVLVM VNICVM.

Eum qui.

PARAPHRASIS.

Statuit Innoc. IV. Si super dignitate personatûs, aliove Ecclesiastico beneficio controversia sit, actorem ob contumaciam

SVMMARIVM.

1. *Non mittitur in possessionem beneficij, qui contra contumaciter absentem possessorem judicio petitorio agit; quamuis judex in casu talis contumaciæ, etiam lite non contestata ad definitiuam vsque sententiam procedere possit.*
2. *Si tamen agat possessorio recuperandæ, ordinariè restitui debet in possessionem, sola probata spoliatione, vel antiquiore possessione.*
3. *In casu quo Jus habens in beneficio ad acquirendam possessionem contra absentem contumaciter possessorem agit, causâ custodiæ in possessionem mitti non debet Actor ante sententiam definitiuam pro se latam.*
4. *Nec debet tamen semper omitti hæc in possessionem custodiæ causa missio, quotiescunque ad definitiuam contra absentem contumaciter possessorem lite non contestata procedi potest, sed in causis tantùm beneficialibus, matrimonialibus, aliisque in quibus mora periculosa est.*
5. *Judex procedens in causa, absente parte, adducendo probationes supplere debet, tam quæ juris sunt, quàm quæ ad factum spectant.*
6. *Ex confessione adversarij, quòd ad actorem jus proprietatis in beneficio pertineat, non probatur plenè actoris Titulus.*

NOta I. Si aliquis contra possessorem beneficij Ecclesiastici judicium petitorium intentet, & possessor se contumaciter absentet, petitor non debet mitti in possessionem beneficij, sed lite etiam non contestatâ, receptis testibus aliisque probationibus, quæ pro parte utraque suppetere possunt, procedendum est ad sententiam defini-

nitiuam. Ratio datur in textu, quia tametsi constet de contumacia possessoris, non tamen constat de jure ac titulo actoris, ergo nisi titulus eius priùs examinetur, periculum est vitiosi ingressûs seu missionis in possessionem beneficij, cùm sine canonicâ institutione beneficium licitè obtineri non possit. *Reg. in 6.*

Quæritur hîc. Num prouisio huius Capituli locum etiam habeat in beneficio obtento. Gl. & Anchar. negant, nam constitutio hæc exorbitans est à jure communi, secundùm quod Actori propter contumaciã Rei missio in possessionem ordinariè conceditur. Cùm itaq; Innocentius tantùm statuerit de beneficiis obtinendis, trahi nõ debet ad obtenta. Contrarium docent *Io. Monacus. Francus n. 4.* & alij quos refert *gl. marginal.* Probant ex ratione textûs; ne detur vitiosus ingressus; quæ ratio etiam procedit, si quis petat se mitti in possessionem beneficij obtenti non examinato & ostenso titulo.

2 Resp. & Dico 1. Si actor agat ad recuperandum beneficium per interdictum *Vnde vi*, aut ex Canone *Redintegranda. 3. q. 1.* Ordinariè reducendus est in veram possessionẽ etiam titulo non probato, plenè saltem. Ita *Dominic. & Anchar. & Francus loc. cit.* Probatur, quia in hoc casu siue novus possessor præsens sit, siue contumaciter absens, procedit in causa beneficiali, ita ut si Actor probauerit spoliationem vel antiquiorem possessionem, restituatur in veram possessionem, ex vi sententiæ definitiuæ.

3 Dico 2. Si actor, qui prætendit jus in beneficio (v. g. ex electione ad Prælaturam, & secuta confirmatione, aut ex collatione sibi Romæ facta, alicuius Canonicatûs) agat cõtra possessorem, quem ait intrusum, v. g. propter commissam simoniam, possessor autem contumaciter absit, non potest fieri missio in possessionem beneficij, sed non obstante absentiâ rei, judex negotium plenè examinare, & sententiam ferre debet, ac deinde exequi, seu actorem in veram beneficij possessionem mittere, si pro eo judicatum sit; hæc est communior sententia, quam etiam probat *Panorm. in c. penult. n. 6. de Dolo.* Non obstat autem, imò adiuvat hanc doctrinam vocula *Obtinendis*, quia si aliquis confirmat⁹ aut prouisus sit, altero in possessione beneficij existente, is agere debet ad illud obtinendum, itaq; iuxta huius capituli decisionem, si possessor contumax sit, mitti nõ debet actor in possessionẽ custodiæ causa, sed debet procedi ad testium receptionem & sententiam. Confirmatur; talis missio in possessionem, causâ Custodiæ, frustra & periculosè fieret, dum ali⁹ in possessione beneficij est; uti docet *Durand. in speculo, de secũdo decreto. §. Videndum. n. 12.* Si beneficio competat Jurisdictio in foro externo, aut pœnitentiali, aut jus eligendi, præsentandi, conferendi &c. Hæc enim omnia licitè nec validè exercentur ab habente aut prætendente titulũ, dum alius in possessione est. Cùm itaque per primum decretum missus non fiat verus possessor, sed Custos, sequitur quod nihil eorum efficere possit, donec examinatâ causâ, & latâ sententiâ pro actore, in veram possessionem mittatur: quare bene hîc ait Ancharanus, quòd in his maior est effectus possessionis, quàm proprietatis, ante latam sententiã pro proprietate. Et eadem docet *Innoc. c. In literis. n. 2. c. Olim inter. principio. de Restitut. spoliat.* & sumitur ex *c. Querelam. 24. de elect.*

Alia quæstio est, an quotiescunq; ad sententiam definitiuam deveniri potest, lite nõ 4
contestatâ, ut in casibus Clementinæ *Dispendiosã, de judiciis*, cessare debeat missio causa custodiæ. Aliqui affirmant, quia missio ista est remedium extraordinarium, quod cessare debet, si suppetat ordinarium: sed rectiùs dicitur in causis beneficialibus, matrimonialibus, & quotiescunque mora periculosa est, relicta missione illâ ad causę expeditionẽ perueniendum esse, si Reus contumax sit, uti glossa marginalis monet. At verò in aliis causis, ut decimarum, usuræ, missionem cõtra absentem contumacem faciendam esse rectè docet *Anchar. hîc. Col. 2. Franc. n. 6.* Ratio est. Quia, quòd ad Missionem vel aliam compulsionem priùs procedi debeat, quàm ad sententiam, causa non tantùm est, quia sententia ferri non debet, lite non contestata, sed etiamsi contestatione opus non sit, dedecet eam ferri adversùs absentem, nisi necessitas cogat, quia periculum imminet, ut

dixi

dixi. Ad rationem oppositam, Respondetur: Regulam illam quæ affertur ex *l. in Causa. ff. De Minoribus*, tunc solùm locum habere, si Ordinarium & extraordinarium Remediũ tendant ad eundem effectum, missio autem & sententia definitiua ad diversa tendunt, illa ad puniendam contumaciam, hæc ad causæ merita dignoscenda, imò missio (sicuti & excommunicatio aut carcer) cùm sit quædam pœna & compulsio, tanquã mediũ seruire potest ad rectiùs sententiã ferẽdam, si depositâ contumacia Reus præsentẽ se sistat, & juri pareat. Ita *Panorm. in cit. c. pen. n. 16.*

5 Nota 13. Si procedatur in causa, parte absente, tum judex supplere debet adducendo non tantùm eas probationes quæ juris sunt, sed etiam quæ ad factum spectant, ut testes, Instrumenta; quamuis alioqui si Actor & Reus, aut Procurator præsens sit, judex talia non suppleat, ordinariè loquendo, sed tantùm quæ juris sunt. *l. 1. ff. Vt quæ desunt Advocatis*: Dixi ordinariè, quia ut *Francus hic monet, n. 3.* in Causis beneficialibus & similibus, quibus animæ aut boni publici periculum vertitur, judex supplere potest etiam quæ facti sunt, ut veritas negotij eluceſcat. *arg. cap. Cùm nobis. 19. junct. gl. verb. Ex officio. De elect.*

Ad extremum, quærit hîc Francus, si in 6 causa beneficiali possessor conventus fateatur beneficium jure proprietatis pertinere ad Actorem, utrùm id sufficiat, ut ei in petitorio adiudicari possit, & rectè respondet, licet id sufficiat ad remouendum possessorem, non tamen plenam facere probationẽ pro Actore, sed aliqualem præsumptionem, ita ut si alia tituli probatio adsit, per adversarij confessionẽ adiuvetur; uti docet glossa marginalis in *cap. penultimo, super verb. Si non appareat, de Rescript.*

TITVLVS XVI.

VT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETVR.

Via præcedente Titulo dixi, Actorem mitti posse in possessionem bonorum, de quibus lis mota est, si Reus citatus cõtumaciter non compareat, ideò ne aliquis existimet liberam esse licentiam, lite pendente, mutationes facere, titulus iste subjungitur. Porrò quando censenda sit lis pendere, ita ut usque ad eius decisionem nihil innovandum, neque jus novum impetrandum sit, cum alterius partis præiudicio, id legi potest in *Clement. 2. h. t.* Si videlicet citatio à legitimo judice cum sufficiente instructione causæ emanauit, & parti præsentata est; vel si per partem stetit, quo minùs ipsi præsentaretur; ubi glossa admonet, licet ad perpetuandam jurisdictionem Iudicis delegati sufficiat citationem emanâsse, tametsi ad citatum non pervenerit, secus tamen esse in ordine ad litis inducendam pendentiam.

CAPITVLVM I.

Memoria.

PARAPHRASIS.

Alexander III. ad instantiam Archiepiscopi Cantuariensis, inhibitorias literas miserat ad Archiepiscopum Eboracẽsem, ne Crucem ante se per totã Angliam deferri sineret. Sed Archiepiscopus allegato Apostolico priuilegio, ostendit Pontifici, se & antecessores suos in possessione huiꝰ gestationis hactenus fuisse. Hoc intellecto, respondit Papa, non obstãtibus prioribus literis (quas revocatas vult) posse Archiepiscopũ & successores eius eã consuetudinẽ retinere, donec per sententiam definitiuam decernatur, utrùm Ecclesiæ eius tale jus competat.

SVMMARIVM.

1. *Archiepiscopus de jure cõmuni in omnibꝰ etiã exẽptis Prouinciæ suæ locis, prælata cruce incedere potest, nõ tamen extra Prouinciã.*
2. *Non facilè Princeps vsum priuilegij aufert, dum de validitate illius concessi lis pendet.*

6. Quamuis Archiepiscopus jus deferendi crucem extra Prouinciam præscribere possit, potest tamen Pontifex ex plenitudine suæ potestatis vsum talem temporis diuturnitate introductum auferre.

1 NOta I. Spectato communi jure Archiepiscopus non potest permittere crucem ante se deferri extra suam Provinciam, sed tantùm intra Provincia m, etiam per loca exempta. *iuxta Clement. 2. de priuileg.*

2 Nota II. Lite pendente super validitate concessi priuilegij, Princeps non facilè alicui aufert usum eius, tametsi ex plenitudine potestatis auferre possit. quare si tales literæ revocatoriæ ad instantiam alicuius emánent, censeri debent obreptitiæ. Ita colligitur ex *h.c.* & notat *Imola hîc n. 1.*

Quæritur hîc, quid si in hoc casu Archiepiscopus priuilegium non accepisset, num in iure illo deferendi crucem per totum Angliæ regnum, defendi debuisset per consuetudinem diuturnam? Resp. Nos hîc versari in casu, quo jus possessori resistit propter præiudicium alterius. *Arg. c. Ex duarum. 5. de Auctoritate, & vsu pallij.* Quamobrem possessor, nisi titulum seu priuilegium exhibeat, censetur usum seu possessionem eius usurpâsse; uti constat ex Capitulo contra distinct. 100. Vbi id ipsum dicitur de pallio Archiepiscopali; nisi priuilegium exhibeatur Apostolicum, usum eius extra Prouinciâ Archiepiscopi usurpatum censeri. Item ex *c. Cùm persona. 7. de Priuileg. in 6.* Vbi dicitur, quòd Religiosi habitâtes intra diœcesin Episcopi, si exemptionem prætendant, Apostolicum priuilegium exhibere Episcopo teneantur, præterquam si legitimam præscriptionem ostendere parati sint, videlicet se à tempore immemoriali in possessione exemptionis seu libertatis fuisse, vel annis 40. cum titulo colorato priuilegij per se quidem non sufficiẽtis, sed quod causam præbeat præscribendi cum bona fide. Idem quoque in casu huius c. locum habere putat *Panorm. hîc.* quòd usũ pallij, aut crucis gestationis in aliena diœcesi Archiepiscopus præscribere possit. *Arg.* 3 *c. Super. 25. De verborum signif.* quia licet jura resistant, tamen est capacitas possessionis & usucapionis in Archiepiscopo: & hęc sententia videtur vera, cum hac moderatione, quòd nihilominus Papa ex plenitudine potestatis eiusmodi usum, qui contra generalẽ Ecclesiæ consuetudinem temporis diuturnitate introductus est, *cit. c. Contra* alicui auferre possit, cùm enim eiusmodi gestatio v.g. Pallij in Prouincia aliena nitatur accepto priuilegio Apostolico, ideò sicuti Papa ex plenitudine potestatis, talem gratiã specialem revocare potest, licet non facilè soleat, ita etiam jus illud præscriptionis nixum Apostolico priuilegio secundùm opinionem aut præsumptionem.

CAPITVLVM II.

Laudabilem.

Paraphrasis.

Quæsitum erat ex Clemente III. Si contingat matrimonium accusari, num statim coniugale commercium judicis authoritate suspendi debeat. Respondit quòd coniux accusatus ante probatam accusationem, jure, quod habet in alterum, privari non debeat, quandoquidem etiam Alexander III. respondit coniuges separandos non esse, donec justæ causæ examinatio facta sit; & Symachus Papa, quòd Prælatus accusatus, donec ea quæ objiciuntur, clarè probata fuerint, à subditis relinquendus non sit.

Svmmarivm.

1. Accusator commodo possessionis suæ priuari non debet, donec causa priuationis probata sit.

VIdetur Capitulum istud continere casũ accusati matrimonij ob adulterium, ut summa eius sit, nisi crimen de coniuge probatum sit, adeóq; lite pendente non esse separationẽ seu divortium alteri coniugi permittendũ. Aliqui verò intelligũt de accusatione matrimonij ob impedimentũ dirimẽs, non esse separandũ matrimoniũ, neq; usum con-

coniugii interdicendum, donec de impedimento per legitimas probationes constet, & hæc quoque doctrina in se vera est, *c. 3. de diuort.* imò etiam argumentum huius capituli, quippe ex quo vnicum hoc generale Notandum colligitur: Accusatus commodo possessionis suæ priuari non debet, donec causa priuationis probata sit, vti etiam *Innoc. docet in c. Cùm M. n. 9. de constit.*

CAPITVLVM III.

Ecclesia.

Hoc Capitulum explicabitur in sequenti.

CAPITULUM IV.

Ecclesia.

Paraphrasis.

Hæc duo Capitula, vna cum *Cap. Ecclesia. 10. De Constitut.* coniungi debent, pro plena intelligentia Casûs. Ecclesia S. Mariæ de via lata, litem mouit Joanni de Ateia, quòd possessiones suas detineret, ille excepit, quòd eas non haberet, sed transtulerit in Monasteriũ S. siluestri. Senator vrbis, coram quo lis erat, occasione cuiusdam statuti spoliauit Monasterium, & possessiones restituit Ecclesiæ S. Mariæ. Mox reuocata hac senatoris sententiâ Consiliarius Capitolii possessiones iterum abstulit dictæ Ecclesiæ, & Monasterio assignauit, tunc Ecclesia S. Mariæ causam detulit ad Sedem Apostolicam sub Cælestino III. ei succedens Innocentius III. rescripsit, Ecclesiæ S. Mariæ possessiones restituendas esse. Sed quia Monasterium eas titulo locationis aliis assignauit, neque recuperare poterat, mandauit, ut aliæ æquiualentes possessiones dictæ Ecclesiæ assignarentur, redemptis hypothecis, quibus grauatæ erant. Sed postea etiam ipsum Monasterium querebatur se spoliatum fuisse à senatore, ideóque restitui debere, ea propter Innocentius iudicauit restituendum esse in possessiones illas substitutas, ita tamen, vt à Monasterio non alienentur, donec lis decisa sit, ne si Ecclesia S. Mariæ de vitio litigiosi contractûs, aut de proprietate pro rei vendicatione agere voluerit, in vanum laboret, cùm nihil adsit, quod euincere & habere possit.

Svmmarivm.

1. *Qui rem litigiosam alienauit, adhuc per vtilem rei vindicationem conueniri potest; quamuis consultum etiam sit, vt ex Iudicis præcepto res æquiualens alienata substituatur.*
2. *Æquè tamen prohibita est rei huius subrogatæ quàm litigiosæ alienatio.*
3. *Locatio quæ non fit ad tempus modicum, venit nomine alienationis.*
4. *Ex reddito debitori instrumento præsumitur facta solutio.*

Nota I. Si res litigiosa alienata sit, & recipi non possit, consilium est, vt ex iudicis præcepto alia res æquiualens substituatur, prohibitâ eius alienatione. Dico autem consilium esse, seu per talem specificam subrogationem magis consultum fore petitori. Alioqui verò, si quis rem litigiosam alienauerit, nihilominus conueniri poterit etiam per vindicationem vtilem rei, perinde ac possideret, quia pro possessore habetur, qui dolo possidere desiit *reg. 36. in 6. & l. Sin autem 27. §. Sed etsi. ff. De rei vindicatione. vbi Bart.* ait, qui dolo desiit possidere, vt possessor conuenitur. 1

Nota II. Subrogatum assumit naturam & conditiones eius rei cui subrogatur, ita sumitur ex *c. 3. h. t.* Nam sicut res litigiosa alienari non potest, lite pendente. *l. 2. C. De litigiosis. & c. 1. de alienatione iudicij.* ita nec res quæ in locum eius subrogata à tali seruitute liberari debet. Vti habetur hîc in c. 4. 2

Nota III. Locatio si non fiat ad tempus modicum, comprehenditur nomine alienationis. *Clement. 1. in fin. junct. gl. verb. Locationes. de rebus Ecclesiæ non alienand.* & sumitur ex *c. 4.* Vbi dicitur, quòd Monasterium rem de qua lis erat, locando ita, vt statim recuperari non potuerit, inciderit in vitium contractûs litigiosi. 3

4 Nota IV. Redditio Instrumenti facta debitori, affert præsumptionem solutionis. Ita *gl. hic verb. Resignauerunt. arg. c. Cùm pridem. §. Ille. de pactis. & l. Qui chirographum. 52. junct. gl. marg. ff. de Legat.* Quamobrem, si instrumentum debiti penes debitorem reperiatur, vel cancellatum penes creditorem, præsumptio est pro debitore, quòd debitum soluerit, admittitur tamen probatio in contrarium, *l. Si chirographum. 24. ff. De probationibus.* imò etiam præsumptio hæc contrariâ maiore præsumptione separari potest, ut si debitor fuit domesticus creditoris, qui clanculum chirographum ipsi eripere vel lacerare potuit. *arg. auth. ad hoc. §. Ille. C. De latina libertate tollen.* & docet *Bart. in l. 2. ff. De Pactis. & Panorm. hic. c. 4. n. 16.*

Quæres. Quid opus fuerit circuitione istâ, vt Ecclesiæ S. Mariæ restituerentur possessiones à Monasterio S. Siluestri, quæ deinde eidem Monasterio reddi debebant. Resp. Quia fortè Monasterium per modum exceptionis non opposuit spoliationem suam, & ideò integra ei mansit actio, vt restituatur in possessiones sibi per vim ereptas; vel tametsi fortè opposuerit, tamen auditum non fuit, eò quòd Innocentius III. ad reprobandum factum consiliarij contra Ecclesiasticas personas jurisdictionem exercentis, decreuerit restituendas esse possessiones Ecclesiæ S. Mariæ, perinde ac si spoliatio non interuenisset, vti colligitur ex citato *cap. Ecclesia. De Constitut.* Postea verò ad reprobandum prius factum senatoris vrbis, decreuit restituendum esse Monasterium, quod possessionibus spoliatum erat ab eodem senatore *cit. c. Ecclesia.*

CAPITULUM V.

Dilectus.

Paraphrasis.

Rector Ecclesiæ de Bassevilla controuersiam habebat cum Priore & Monachis eiusdem loci, super jure noualium decimarum, hanc causam Papa quibusdam judicibus delegauit; interim Abbas & conuentus maioris Monasterii, cui Prior ille cum suo conuentu subserat, pro se & membris suis generalē gratiam à Sede Apostolica impetrârūt, super percipiendis decimis nulla factâ mentione motæ litis: nihilominus Prior ille & Monachi ex vi gratiæ impetratæ decimas noualium sibi deberi contendebant; sed Honorius III. rescripsit judicibus, vt non obstante eâ gratiâ in negotio ipso procedant. Intellige Casum huius capituli, quòd Prior & Monachi decimas noualium sibi vendicabant, quia ipsi ex antiquo tempore reliquas decimas intra fines parochiæ sitas soliti sint percipere, sed quia succubuissent in judicio, vti constat ex *c. 29. de Decimis.* vbi decimæ noualium parocho adiudicantur, non obstante, quòd perceptio decimarum ex antiquo tempore pertinuerit ad aliā Ecclesiā vel Monasterium, ideò Abbas superior, cuius Monasterio prioratus ille subiectus & incorporatus erat, pro se & membris suis impetrauit à Pontifice ampliorem gratiam, super perceptione omnium decimarum, etiam ex noualibus, supprimens quòd de his inter parochum & Priorem lis mota fuerit.

Svmmarivm.

1. Subreptitium est priuilegium, quod in præiudicium alterius, cum quo lis mota est, impetratur nulla litis motæ facta mentione.

NOtandum Vnicum. Priuilegium impetratum in præiudicium alterius, cum quo lis mota est, nulla factâ litis pendentis mentione, subreptitium & irritum censeri debet. Ita etiam sumitur ex *c. Causam. junct. gl. magna. de testib. c. Dudum junct. gl. magn. de Priuileg.* Quia princeps non censetur dare priuilegium cum præiudicio jurisalieni, præsertim possessoris, sic etiam in priuilegio impetrando facienda est mentio antecedentis super ea re fœderis seu compositionis, quippe cui princeps non facilè derogare solet. *c. 3. de Decimis.* Accedit in confirmationem, quòd statutum aut lex de nouo emanans non se extendat ad causam litis pendentis, quin potiùs ea decîdi debet secundùm jura pristina. *auth. in medio litis sacras jussiones non fieri.*

fieri, sed secundùm antiquas leges generales lites decidi, ergo multo magis jus speciale seu priuilegium (quippe quod strictiorem interpretationem meretur) ita accipi debet, vt causæ litis pendentis non derogetur.

EODEM TIT. IN VI.

CAPITULUM I.

Dispendiis.

PARAPHRASIS.

Statuit Bonifacius VIII. Si contingat aliquem ex iis, qui super electionibus de se in discordia celebratis apud Sedem Apostolicam, vel alibi litigant, vitâ excedere, aut juri suo renuntiare, vel à jure electionis propter defectum excludi, vt interim, dum lis pendet super alterius electione, ad aliam electionem non procedatur; quòd si attentata fuerit, irrita erit. Hæc est noua constitutio vti colligitur ex verb. *Statuimus.* vbi id gl. monet; nam jure antiquo. *c. Ex parte. 10. De arbitris.* electio quæ facta est pendente lite valida judicaretur; si contra priùs electum sententia lata fuerit, at verò hæc jure nouo non potest valida censeri, propter juris Regulam 29. *ff.* quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere. Exceptionem tamen patitur statutum huius Capituli, quam affert hîc *Lapus n. 3. Dominic. colum. 1. Franc. n. 1.* si in discordia electi litigent in fraudem, vt nouam electionem impediant, cùm manifestum sit, neutri eorum jus competere, quia enim notoria in judicium deduci non debent. *c. Quoniam. 11. De filiis Presbyt.* ideò ob eorum deductionem non debet lis pendere censeri in ordine ad nouam electionem impediendam.

SVMMARIVM.

1. *Per mortem electi ante confirmationem, non vacat de nouo Beneficium, sed prior vacatio durat vsq; ad confirmationem electi.*
2. *Vacat tamen de nouo Beneficium per mortem illius, qui confirmationem aut collationem jam accepit, quamuis possessionem nondum habuerit.*
3. *Patronus lite pendente de habilitate præsentati, alium præsentare non potest.*
4. *Per hoc quòd vnus ex illis, qui de Beneficio litigant juri suo ac liti renuntiet, aut moriatur, non cessat officium Iudicis ad examinandum jus superstitis.*

NOTA I. Si electus ante confirmationem moriatur, beneficium aut Prælatura non censetur de nouo vacare, sed prior vacatio durat vsque ad confirmationem electi. Ita sumitur ex *hoc. c.* & tradit *gl. in Clement. 1. h. t.* & explicat Francus hîc *n. 1.* Ex quo colligunt cum *Zab. Clement. 1. cit. q. 6.* Si Prælatus electus, qui in curia Romana litigat, ibi pendente lite decedat, tametsi postea constiterit, electionem eius canonicam fuisse, tamen beneficium seu Prælaturam non vacare in curia, ita vt ea prælatura ad Papæ collationem spectet, juxta ea, quæ dixi *l. 4. tract. 2. c. 11. versu 4.* Ceterùm si postquam aliquis confirmationem aut collationem beneficii accepit, è viuis excedat, beneficium de nouo vacare censetur, tametsi possessio nondum habita fuerit, vti satis colligitur ex doctrina glossæ & Franci locis citatis, idq; inseruiet ad decisionem casûs. Si Papa mense Januario canonicatum in Augustana Cathedrali v. g. vacantem contulit Titio, qui ante acceptam eius possessionem mortuus mense Februario aut Aprili, collatio pertinebit ad Episcopum diœcesanum, vel capitulum, juxta cuiusque Ecclesiæ consuetudinem. videri etiam hîc debet *Clement. 1. h. t.* 1 2

Quæritur hîc, quæ dicta sunt de Electoribus, num etiam locum habeant in præsentatore, si vnum præsentauit, de cuius habilitate controuersia mota est, vtrùm pendente lite alium præsentare nequeat. Resp. Affirmatiuè, *arg. c. seq.* est enim eadem ratio, ne lite pendente aliqua mutatio fiat, accedit quòd electio & præsentatio secundùm jura in plerisque æquiparatæ sint. Excipit verò *Io. Andreas hîc n. 1.* quòd Laicus Patronus lite pendente intra quadrimestre alterum præsentare possit, juxta *c. Cùm autem. 24. de* 3

jure

jure patronatûs, & dixi de hoc, cit. tr. 2. c. 13. n. 6. sed contraria sententia est communior *Lapi hîc n. 2. Dominic. colum. 2. Franci. n. 3.* vbi aiunt licet jure ordinario concessum sit Laico, postquam vnum præsentauit, alium præsentare, excipiendum tamen esse, nisi lis orga priorem mota pendeat. *arg. huius text. & c. vlt. extra eod. tit.*

2 Nota II. Si duobus coram judice contendentibus de beneficio, vnus eorum juri ac liti renuntiet vel moriatur, interdum judex nihilominus procedere debeat ex officio, vt appareat, num superstiti jus competat, nec ne, idque propter publicum Ecclesiæ bonum. Sed & ob alias causas quandoque interest sententiam ferri v. g. vt appareat num electores malè eligendo eâ vice priuati sint, vel vt appareat, num victor litis expensas lucrari debeat, vti Francus hîc notat *n. 4. Dominic. colum. 2.*

CAPITULUM II.

Si ij.

Paraphrasis.

Titius intentauit litem Caio possessori beneficii, lite pendente moritur vel renuntiat juri, hoc casu donec lis finita sit cum superstite, non debet beneficium alteri conferri, nec alius ad illud eligi vel præsentari, alioqui collatio, electio vel præsentatio irrita sit, verumtamen si alicuius interfit litem cæptam ad finem deduci (v. g. Capitulum, Præsentator, aut cui debetur beneficium primò vacaturum) is admitti debet in eo statu, quo erat tempore cessionis vel mortis.

Differt decisio huius Capituli à priori, quia hîc agitur de beneficio obtento, ibi autem de beneficio obtinendo ab electis vel præsentatis, vtriusque autem constitutionis eadem est ratio, ne lite pendente aliquid immutetur, per quod durior litigantis conditio fiat, si videlicet vno eius aduersario mortuo, aut cedente, alius ipsi substituatur, cuius alioqui non interest.

Summarium.

1. *Lite non finita non potest Beneficium litigiosum alteri conferri, sive lis pendeat cum superstite Actore sive cum superstite possessore.*
2. *Qui admittitur pro suo interesse ad litem per alium cæptam, in eo statu causam prosequi debet, quo per priorem deserta fuit.*

Nota I. Beneficium litigiosum alteri 1
conferri non debet, & habet hoc locum non tantùm si lis adhuc pendeat cum superstite actore seu petitore beneficii, sed etiam si lis pendeat seu nondum finita sit cum possessore superstite, vti hîc notat *Anchar. colum. 2.* fieri enim potest, vt si Titius Caio possessori beneficii litem mouerit, Caius per actionem confessoriam petat, se quasi Dominum beneficii declarari, hoc casu si Titius morietur, aut lite cedat, non potest beneficium alteri conferri lite non finitâ; alioqui verò si per mortem aut renuntiationem Titii lis omnis finita sit, hoc casu nihil impedit, quo minùs alius quidam impetret beneficium, tanquam de jure vacans, licet non de facto, quia alius est in possessione, v. g. sacerdos sine dispensatione habens duo curata seu aliter incompatibilia, vti constat ex *c. Licet. 27. de præb. in 6.*

Nota II. Qui actori cedenti, aut vitâ ex- 2
cedenti subrogatur, quia suâ interest, is debet causam cum Reo vel procuratore eius, in eo statu prosequi, quo erat tempore desertionis. Ita *Franc. hîc n. 4.*

TITVLVS XVII.

DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONUM ET FRUCTUUM.

Licet pendente lite nihil innouandum sit, tamen missio in bona fieri potest ob contumaciam litigantis, sicuti in præcedenti tit. diximus. Nunc autem dicendum an pen-

pendente lite possessionum & fructuum sequestratio fieri possit.

CAPITVLVM I.

Ad hoc.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Mediolanensis à Sede Apostolica super quibusdam possessionibus contra Abbatem de Regula rescriptum impetrauerat ad Episcopum Veronensem, is in possessorio judicio partim pro Archiepiscopo judicauit, postea verò Monasterii Syndicus quæstionem de proprietate proposuit, sed Archiepiscopus noluit respondere, asserens causam possessionis tantùm fuisse commissam Episcopo, ideóque eius jurisdictionem expirâsse, cùm dicendo sententiam officio suo functus sit, nihilominus Episcopus Archiepiscopum contumacem esse judicans, actorem misit in possessionem, quæ antea Archiepiscopo adiudicata fuerat, sed Archiepiscopus mox violenter eiecit Monachos: hæc res ad Cælestinum III. delata fuit, qui respondit, cùm causa Episcopo Veronensi absolutè & indistinctè delegata fuerit, at verò continentia causæ diuidi non debeat, ideò Episcopum de proprietate quoque cognoscere potuisse, insuper verò mandauit, vt sequestrata possessione alii delegati, videlicet Reginensis & Mutinensis Episcopi, de caussa possessionis ac proprietatis pleniùs cognoscant, atque possessiones illi adiudicent, qui in judicio de proprietate vicerit, mortuo verò Cælestino, cùm judices illi procedere cessarent, vtriusque partis nuntii super hac ipsa controuersia Romam destinati sunt ad Innocentium III. Is Respondet hîc, causam reuocato sequestro ad eum statum reducendum esse, in quo erat, cùm Cælestinus dictis Episcopis eam delegauit; Verumtamen Monasterio expensas moderatas quas facere debuit à tempore missionis in possessionem vsque ad tempus, quo Archiepiscopus cautionem obtulit coram Episcopo Veronensi, restituendos esse, & ab Archiepiscopo iterum coram delegatis Episcopis cautionem esse præstandam de parendo juri.

SVMMARIVM.

1. *Causâ Iudici absolutè commissâ, tam petitorium, quàm possessorium eidem commissum censetur.*
2. *Iudex delegatus officio suo defunctus censetur, si secundùm totam causam pronuntiauit, non autem si secundùm partem tantùm.*
3. *Sequestratio loco missionis in bonorum possessionem subrogata sortitur missionis huius naturam & conditiones.*
4. *Quibus modis Iudex procedere possit, casu quo victus condemnandus est ad expensas.*

NOta I. Si causâ judici absolutè commissa sit, censeri debet tam petitorium quàm possessorium judicium ei cõmissum, ita vt si actor, qui delegationem impetrauit, intentato judicio possessorio vincat, eique possessio adiudicetur, Reus coram eodem delegato judice petitorium mouere possit, ostendendo se rei dominum esse, quo casu proprietas ipsi adiudicata vincit, atque elidit præcedentem sententiam de possessione. Ita sumitur ex hoc capitulo, & diximus *c. Cùm Ecclesia. 3. c. Cùm dilectus. 6. De causâ possessionis.* 1

Nota II. Regula illa, quòd judex delegatus postquam sententiam dixit, officio defunctus censeatur, vt aliud agere non possit, nisi curare, vt executioni mandetur, juxta *c. Ex literis. 9. de officio delegati.* ea inquam Regula intelligi debet, si judex secundùm totam causam pronuntiauit, non autem si secundùm partem, vti hîc *Panormitanus notat. n. 11.* 2

Nota III. Quia sequestratio possessionum quandoque propter rerum & personarum circumstantias judicis arbitrio fieri solet, loco missionis in bonorum possessionem, ideò naturam & conditiones eius sortitur, videlicet vt sequestrum reuocetur, si Reus postea comparens caueat de sistendo 3

se juri, & expensas moderatas præstet, quas aduersarius facere debuit à tempore contumacis absentiæ vsque ad oblatam cautionem. Ratio est, quia subrogatum induit conditiones eius, cui subrogatur. *arg. c. Eccles. 3. vt lite pendente.* Vide etiam quæ dicta sunt in *c. 2. de Dolo & Contum.*

Quæritur hic, si judex sententiam dicendo functus est officio, non potest postea condemnare victum ad expensas litis; sin autem ante sententiam super causa principali, judicare aggrediatur super expensis, tum periculum est, ne pars quæ se victam esse inde colligere potest, sententiæ prolationem malitiosè impediat; quid ergo agendum? Respondet *hîc Panorm. n. 27.* duobus modis judicem agere posse. I. Vt in ipsa sententia super causa Principali generatim & indeterminatè condemnet victum ad expensas litis, postea verò eas præcedente juramento determinet, vti *Io. Andr. hîc explicat. n. 9.* II. Si spectatâ qualitate personæ aliisque circumstantiis periculum non sit, vt is contra quem in causa principali pronuntiandum erit, sententiæ prolationem impediat, priùs poterit judex de expensarum quantitate cognoscere, eâsque præcedente juramento taxare, juxta legem *Sancimus. 15. juncta authent. C. de Iudic.*

CAPITVLVM II.

Dilectus.

Paraphrasis.

Abbas & Conuentus de Cisteria contra Rectorem de Bethusia impetrârunt literas Papales ad judicem delegatum super eâdem Ecclesia, & quia Rector contumax erat, judices miserunt Monachos in possessionem Ecclesiæ & bonorum eius, causâ custodiæ, qui etiam fructus inde perceptos pro libitu distraxerunt; hoc intellecto Honorius III. mandat quibusdam, si ita rem se habere cognouerint, vt & fructus sequestrari faciant, & quæ à Monachis distracta sunt, in pristinum statum restitui.

Svmmarivm.

1. *Qui mittitur in possessionem bonorum custodiæ causa, non lucratur fructus.*
2. *Quamuis sequestratio fructuum & possessionum ordinariè à Judice facienda sit, lite pendente, habet tamen hæc regula suas exceptiones.*
3. *Nonnunqnam penes sequestrem est possessio rei sequestratæ; non nunquam tantùm custodia.*
4. *Est autem duplex sequestrum, voluntarium aliud, quod fit ex consensu partium; necessarium aliud, quod fit à Judice.*

Nota. Missus in possessionem bonorum causâ custodiæ, non lucratur fructus, sed debet eos restituere deductis impendiis laboris quoque, & industriæ æstimatione. Ita *gl. hîc* verb. *distrahunt.* gl. in *c. vlt. §. In alijs, verb. affectus.* Vt lite non contest. De sequestratione possessionum ac fructuum tradi debet Regula negatiua, ordinariè loquendo, non esse à judice sequestrationem imperandam, pendente lite. *l. vn. C. de prohib. sequestr.* nam Reus possessor præsumptionem pro se habet, vt possessione etiam per modum custodiæ privandus non sit, sed manu tenendus, donec sententia contra eum lata sit, prout explicat *Tuscus verb. sequestrum. conclus. 202.* Limitationes autem præcipuæ sunt istæ. I. Si neuter litigantium possideat, tum judex præsertim in causa beneficii, potest beneficium sequestrare vsque ad litis decisionem, ne alioquin vna pars cum alterius præiudicio possessionem accipiat, aut se in beneficium intrudat, etenim hoc casu cessat ratio, ne quis possessione sua priuetur. Desumitur ex *l. Si qua. 5. ff. Familiæ herciscundæ.* vbi dicitur, quod propter discordiam consortium qui eodem jure gaudere videntur peruenire possit ad sequestrum. II. Si, dum vtraque pars possessionem sibi vendicat, periculum est, ne ad arma veniatur, judex sequestrum indicet, vti docent DD. communiter; nominatim *Monacus in reg. locupletari 48. n. 8. in*

n. 8. in 6. arg. l. Æquissimum. aliàs incipit: *si cuius. 53. §. Sed si. ff. de Vsufructu* ; idémque haud dubiè dicendum , si alter possessionem non legitimè accepisse videatur, & alter ei per vim armatam auferre velit , nisi transactione res componi possit, sequestrum judex per nobile suum officium imperabit, donec lis decisa sit. III. Si præsumptio sit contra possessionem , vt quod rem absumpturus sit, vel litem nimis producturus cum fructuum consumendorum periculo : vel rem de qua lis est non restituturus , si in judicio victus sit ; plerumque tamen sufficiet cautio de rei aut fructuum restitutione ; *vti Panorm. hîc* docet *n. 16. & 23.* IV. Si dos apud Maritum bona dilapidantem periclitari videatur, sequestrari potest *l. Si cum dotem. 22. §. Sin autem. ff. Soluto Matrimonio.* V. Si aliquis non præstet id quod ratione certæ rei præstare deberet , potest quandoque ea sequestrari , vt si Canonicus qui propter fructus beneficii residere , & ad Ecclesiam venire deberet , se absentet, interim fructus sequestrari possunt , donec causa decisa sit. *arg. c. Peruenit. 28. de appell. & trad. Panorm. hîc n. 13. Io. Monac. loco cit. n. 8.* VI. Si propter contumaciam Rei actor mittendus sit in possessionem bonorum , quandoque ea sequestrari possunt , vsque ad cautionem de parendo juri , vt diximus *c. præced. & in c. 2. de dolo, & tradit gl. in c. Olim. 25. verb. sequestrari. de rescript.* VII. In causis beneficialibus, quibus Actor ob contumaciam Rei , mitti non potest in possessionem beneficii , propter periculum vitiosi ingressûs. *c. 1. De eo qui mittitur in 6.* Interdum beneficium vna cum fructibus sequestrari *potest. arg. cit. c. Olim. & docet Monac. cit. loc. n. 16. 17. Panorm. hîc. n. 17.*

3 Duo hîc addenda. I. Aliquando per sequestrum possessori aufertur possessio , & constituitur penes tertium donec lis decisa sit , si nimirum contentio sit de ipsa possessione, quisnam possideat, aut possidere debeat ; tunc enim verum est , quod ait *l. C. in l. Licet. 17. ff. Depositi per depositionem rei penes sequestrum* , id agi , vt apud neutrum contendentium possessio interim sit; interdum verò sufficit sequestrum vt custodem constitui, qui pro possessore possideat, donec causa decisa sit , vt in supradicta Exceptione 3. si possessor rem de qua agitur absumpturus videatur. II. Hoc loco agimus de sequestro quod à judice fit , & dici solet necessarium , aliud verò est sequestrum voluntarium, quod ex partium consensu fit , de quo diximus in *c. Examinata. 15. de judiciis* ; & de hoc voluntario sequestro dicendum , à jure prohibitum non esse , sed speciem quandam depositi, adeóque legitimum contractum , juxta *cit. legem Licet.* & tradit *Io. Monacus in cit. Reg. 48. n. 5.* 4

CAPITVLVM III.

Ab eo.

PARAPHRASIS.

Reus condemnatus est ad petitas possessiones actori dandas , & cùm appellâsset à sententia, fructus possessionum dissipare cœpit , hoc casu sequestrari debent fructus, donec lis tota finita sit.

SVMMARIVM.

1. *Si intra decendium à sententia lata fuit appellatum, lis adhuc pendens censetur.*
2. *Si fructus possessionis petitæ dissipet ille , qui à lata sententia appellauit , sequestrari hi possunt à Iudice , nihil attendendo, an satisdare ille possit.*
3. *Casu quo appellat quis contra executorem, statim fieri potest sequestratio , aut rei si mobilis sit , aut fructuum si res sit immobilis.*

NOTA I. Si à sententia intra decendium appellatum sit , lis censetur esse pendens, ac indecisa, consequenter si quid pendente appellatione mutatum sit, vel alienatio facta , rescindi potest per remedium, *vt lite pendente nihil innouetur* , vel *vt res litigiosa non alienetur.* Ita *Panormit. hîc.*

2 Nota II. Si is qui à sententia appellauit, fructus petitæ possessionis dissipet, possunt sequestrari. Dicet aliquis, si possessor cui lis mota est, fructus ante latam sententiam dissipet, sequestrari possunt, propterea quòd fructus post litis contestationem percepti restitui debeant à possessore, si in judicio succumbat. *l. Certum. C. De rei vendicatione.* Ergo nihil speciale est, quòd fructus sequestrari possint, si possessor post appellationem à lata sententia fructus incipiat dissipare. Resp. cum *Ioan. Andr. hîc Panorm. n. 7.* discrimen esse, quòd ante latam sententiam fructus propter dissipationem sequestrari non debeant, si possessor ad satisdandum idoneus sit, prout dictum est. *c. præced.* at verò post latam sententiam si appellans præter modum consuetum fructus dissipare incipiat, duplex contra ipsum præsumptio est, videlicet & propter latam sententiam, & propter dissipationem, ideò sine distinctione, vtrùm satisdare possit possessor, fructus à judice sequestrari possunt, vti hîc habetur, & in *l. Imperatores. 21. §. vlt. ff. de appell.*

His adde, tametsi ordinariè loquendo fructus sequestrari nequeant propter possessoris appellationem nisi etiam dissipatio accedat, cùm recepta regula sit, quòd pendente appellatione nihil innouari debeat. *l. 1. ff. Nihil innouare appellatione pendente.* attamen si quis contra executorem appellet, tum statim sequestratio fieri potest, si res mobilis sit, aut fructum eius, si immobilis, vti habetur in *l. Ab executione. 5. C. Quorum appellationes non recipiuntur.* & tradit *Io. Monac. l. cit. gloss. in cit. l. Ab executione.* verb. *in depositio.* Ratio est, quia cùm ab executore ordinatiè appellari non possit, sed tantùm si modum sententiæ judicatæ excedere videatur, vt habetur in *cit. loco.* Ideò præsumptio esse solet, quòd malitiosè appelletur. Dixi autem paullò antè, possessore appellante à sententia definitiua, ordinariè non posse fieri sequestrationem, vti habetur in sæpius citata lege. Excipiendus est enim casus *Clem. Vn. huius tit.* si possessor beneficii, qui triennii pacificâ possessione tutus non est, condemnatus ad beneficii restitutionem appellet, tum beneficium qualecunque id sit, per ordinarium loci sequestrari debet apud personam idoneam, quæ vicariam curam eius interim habeat, & ex fructibus congruè alatur, quod autem superfuerit illi restituatur, qui finalem in causa victoriam reportârit.

TITVLVS XVIII.

DE CONFESSIS.

QUÆ hactenus dicta sunt, fermè pertinent ad formam & modum ordinandi judicii, in posterum itaque dicendum erit de instruendo judicio, per merita causæ seu probationis tam in genere, quàm in specie. Sed quia omne genus probationis superat propria judicialis confessio, ita vt si ea facta sit, probatione aliâ opus non sit, ideò rectè hîc agitur de Confessis.

CAPITVLVM I.

Cùm Monasterium.

PARAPHRASIS.

Presbyter in judicio confessus fuit homicidii crimen se commisisse, adiiciens id factum esse ex suggestione seu suasu quorundam aliorum; quæritur vtrùm illi alii pœnæ obnoxii esse debeant? Negat Clemens III. puniendos esse, nisi aliunde constiterit eos noxios esse, quia secundùm

dùm utriusque juris statuta, de se ipsis confessi, super aliorum cõscientiis interrogari non debent, excepto crimine læsæ Maiestatis, si tamen personæ illæ infamia criminis laborent, tum adhibitis aliis tribus, qui eiusdem Ordinis sunt, canonica purgatio ipsis indici debet. Dummodò tales haberi possint, alioquin alij innocentiæ testes audientur, etiam feminæ, uti docet *Sylvester verb. Purgatio. q. 5.*

SVMMARIVM.

1. *Reus de se crimen confessus interrogari non debet de criminis socio.*
2. *Nisi crimina essent valde perniciosa Reipublicæ, & excepta.*
3. *Vel ex suâ naturâ, occulta, & difficilis probationis, quæ tamen ex verisimilibus indiciis sine sociis commissa non fuerunt.*
4. *Vel quæ committi non potuerunt ex sua natura sine socio.*
5. *Vel quæ colliguntur ex mandato alterius processisse.*
6. *Vel quæ non sunt merè præterita sed in futurum adhuc pernicioſa.*
7. *Vel de quibus non criminaliter sed ciuiliter tantùm agitur.*
8. *In his tamen casibus, in quibus licet Iudici de sociis Reum confessum interrogare, vt juridicè hoc fiat, primò quæri tantùm debet in genere ex Reo confesso, num socios habuerit, nisi ad specificam de persona certa inquisitionem legitimæ indicia præcessissent, aut Reus etiam non interrogatus, de sociis in genere confessus fuisset.*
9. *Secundò requiritur, vt denuntiatio à Reo confesso facta, juramento confirmetur.*
10. *Quamuis alicubi consuetudo obtineat, vt criminosi de se confessi, socios denuntient absque juramento.*
11. *Tertiò requiritur, vt criminosus socium criminis denuntians, denuntiationem hanc in tortura confirmet.*
12. *Quartò requiritur, vt denuntians taliter criminosus in socij denuntiatione non sit varius sed constans.*
13. *Neque inimicitiam gerat cum denuntiato.*
14. *Debet tamen etiam criminosus denuntians præter criminis defectum de quo confessus est, nullos alios juris defectus pati, propter quos à ferendo testimonio repelli posset.*
15. *Debet etiam Iudex criminosum qui socium criminis denuntiat interrogare de modo, loco, tempore, & aliis circumstantiis præstitæ societatis aut cooperationis.*
16. *Non potest Iudex specialem inquisitionem in criminibus non exceptis de persona denuntiata instituere ex sola Rei ad Iudicis interrogationem facta denuntiatione.*
17. *Si tamen legitimè ob solam etiam tribunalium illorum consuetudinem facta fuerit à Reo socij denuntiatio, & hæc alio indicio criminis adminiculetur, potest ad ulteriorem specialem inquisitionem procedi: non autem si nullum adminiculum habeat.*
18. *Qualibus indiciis criminosi denuntiatio adiuvari possit.*
19. *Si grauibus indiciis criminosi denuntiatio adminiculetur, potest procedere Iudex ad denuntiati capturam & quandóque etiam ad torturam.*
20. *Quando plurium demonstrationes dicantur consentientes, quando singulares & separatæ.*
21. *Infamatis de crimine, si facilè conuinci non possint, ad omne scandalum amouendum, purgatio canonica indici debet.*

NOta I. Reus de se crimen confessus interrogari non debet de criminis socio, idque utroque jure receptum est, ut videre licet in *c. vlt. 15. q. 3. Nemini de se confesso credi potest super crimen alienum, in l. vlt. C. De Accusationibus.* Nemo de proprio crimine confitentem de conscientiâ scrutetur aliena, *& l. Repeti. 16. ff. De quæstion.* is qui de se confessus est, in caput aliorum non torquebitur. Rationem dare debemus, partim quia de se crimen confessus est vilis, ideóque dubiæ fidei persona. *iuxta l. Quoniam. 11. C. De testibus,* ubi repelluntur testes, si socij & participes criminis sint, partim quia ad id proni sunt homines mali, ut socios delictorum & pœnarum habere optent. 1

Sunt tamen plures exceptiones à traditâ
2 doctrinâ. Prima & potissima est, quòd in criminibus valde pernicioſis reipublicæ, confessus crimen, de ſociis interrogari possit, quamobrem talia crimina à DD. excepta dici ſolent, quòd in ijs necessariò obſeruari non debeant, quæ jure positivo de aliorum criminum inquisitione, ac processu judiciario statuta sunt, v. g. ut aliquæ personæ tanquam inhabiles ad testimonium non recipiantur, ut Nobiles, Doctores, aut in dignitate constitutæ personæ non torqueantur. Tale crimen exceptum est, non tantùm læsæ Majestatis, cuius hîc mentio fit, & *in cit. cap. vlt. 15. quæst. 3.* sed etiam *Hæresis c. In Fidei. 5. De hæreticis in 6.* Item crimen Veneficij seu magiæ. *arg. l. vlt. C. De Maleficis & Mathemat.* & docent DD. communiter apud *Prosperum Farinacium, in praxi criminali quæst. 43. n. 67.* Latrocinij & grassationis per vias. *l. Divus. 6. ff. De Custod. Reorum. l. penult. Cod. De feriis.* Sacrilegij crimen, ex communi doctrina apud *Menochium in arbitrariis quæst. Casu 7. num. 30. Farinacium n. 66.* His adde, quòd etiam crimen furti inter excepta numeretur per consuetudinem judicum, idque quia propter magnam eius frequentiam severiùs ei obviandum esse arbitrantur, uti videre est apud *Clarum in pract. crim. q. 21. n. 8.* Item crimen falsæ monetæ, cùm idipsum Reipublicæ valde perniciosũ censeatur, imò inter crimina læsæ Maiestatis numeretur. *l. 2. C. De falsa moneta.*

3 Altera Exceptio, si crimen suapte naturâ occultum & difficilis probationis sit, ita ut plerumque aliter deprehendi non possit, nisi per ſocios criminis, tale est crimen factæ coniurationis præsertim contra Principem vel Episcopum, iuxta *c. vlt. de Test. cogend.* Item, crimen suppositi partûs, homicidij de nocte, vel per Venenum commissum; uti ex communi tradit *Farinac. cit. q. 43. n. 68. & 104. Menochius loc. cit. n. 35.* Id verò bene declarat *Farinacius n. 74.* non in omni casu criminis occulti locum habere, sed si vel ex natura criminis vel ex circumstantiis, aut indiciis verisimile sit, Reum ſocios habuisse.

Tertia Exceptio, si crimen suapte naturâ 4
tale sit, ut absque ſocio committi non possit, uti ex communi docet *Clarus, in pract. q. 21. n. 4.* nam tunc quasi necessarium est ad delictum specificè cognoscendum, ut intelligatur quocum commissum sit, tale est crimen Sodomiæ, adulterij, stupri &c.

Quarta exceptio. Si ex criminis qualitate 5
aliisque circumstantiis appareat, quòd delinquens id fecerit non suâ causâ, sed ex mandato alteri⁹, tum interrogari & torqueri potest, ad manifestandum mandantem, uti *Clarus* docet loco cit.

Quinta exceptio. Si crimen non sit merè 6
præteritum, sed futuro tempore permittendum cum Reipublicæ vel priuatæ personæ pernicie, ut si aliqui tractârunt, de homine occidendo, ciuitate prodenda &c.

Sexta exceptio. Si non criminaliter sed ci- 7
viliter agatur de crimine v. g. contra partum suppositum, ad excludendum eum ab hæreditate, tunc ij, qui supponentis ſocij fuerunt tanquam testes admittentur, uti docet *Farinac. n. 104. & 111. Menoch. n. 67. Mascard. Volum. 3. conclus. 1311. n. 55.*

Verumtamen in his ipsis casibus ut judex 8
Reum de ſociis criminis juridicè interroget, quædam obseruare debet. Primùm, ut in genere tantùm quærat ex Reo confesso, num ſocios criminis habuerit, non autem in specie, num Titius ſocius fuerit, id enim non esset inquirere, sed suggerere, ut habetur in *l. 1. §. Qui quæsti. ff. De quæstion.* & in Caroli V. Peinlicher Gerichts-Ordnung *a. 31.* Quod ipsum tamen limita 1. Quòd de persona valde suspecta, aut de qua publica legitima indicia præcesserunt, specifica interrogatio fieri potest, uti ex communi docet *Menoch. cit. quæst. 43. num. 53. Far. n. 133.* Cùm enim judex hoc casu specialem inquisitionem instituere jure possit, cur non etiam ex criminoso quærere ac inuestigare. Limita 2. Si Reus de se confessus dicat, se ſocios habuisse, tum ulterius petere potest judex, ut eos nominet, cùm alioqui denuntiatio ſociorum in judicio imperfecta & frustranea maneret, uti *Farin. monet n. 132.*

Alte-

9 Alterum, ut denuntiatio socij juramento confirmetur, quam esse communem sententiam testatur *Clarus cit. q. 21. n. 10. Menoch. num. 60. Farinac. n. 41.* Cùm etiam in ciuilibus testi non credatur, nisi juratus sit, *l. Juristiurand. Cod. De testibus. c. De test. 29. cap. Tuis. 39. cap. Nuper. 51. eod. tit.* multo minùs in criminalibus non jurato credi debet in alterius præiudicium, quandoquidem in his clariora indicia ac probationes requiruntur. Contra hanc doctrinam tenet *Blancus tract. de Indiciis. n. 304.* negans requiri juramentum, quia criminis socius, inquit, de se confessus, de altero socio deponit non ut testis, sed ut reus, reo autem creditur absq; juramento: verùm hæc ratio nihil probat, quia licet Reo etiã non jurato credatur, quatenus de se fatetur, non tamen quatenus de altero confitetur, quia tunc revera non ut reus deponit, sed ut testis aut denũtiator; est autem recepta juris regula, quòd in judicio deponenti vel asserenti in alterius præiudicium, fides habenda non sit, nisi jurato ut infra apparebit. *tit. De Testibus.* Quamobrem nihil obstat, quòd Carolus V. *cit. a. 31.* recensens conditiones, quæ in criminosorum de sociis interrogatione seruari debeant, juramenti non meminerit, nam Carolus, ut ex Præfatione cõstat, specialia quędam pro judicum instructione recensere voluit, quæ in dicta examinatione seruanda essent, at verò juramenti exactionem in omni depositione aut testimonio judiciali necessariam esse, notissimi juris est, ut de eo judices admonere necesse non fuerit.

10 Quibusdam tamen locis consuetudo est, ut criminosi de se confessi, socios denuntient absque juramento, uti testatur etiam *Menoch. cit. n. 60. Mascard. loc. cit. n. 47.* Ludovicus Carerius *in pract. Crimin. indicio 8. n. 7.* quia non satis tutum existimatur, tales personas, præsertim veneficas & sagas sub juramento adigere ad veritatem dicendam, propter inconstantiam earum & periculum perjurii: quæ praxis damnari quidem non potest, dummodo sciatur quòd talis denunciatio criminosi etiam ob eam causam minorem fidem mereri debeat, quia juramento confirmata non est, nam juramentum adhibetur ad confirmationem dicti, ut maior ei fides habeatur, si itaque talis confirmatio non accedat, liquet minùs fidei haberi posse.

Tertiò, ut criminosus criminis socium denuntians, denũciationem in tortura confirmet, quæ est communis sententia, teste *Ioanne Crotto. tract. de Testibus. in 2. Summario n. 158. Mascard. vol. 3. de probation. Concl. 1031 1. Carerio in 1. indicio. cap. 8. n. 16. Farinac. q. 43. n. 134. 137. Delrio l. 5. Magicarum disquisitionum sect. 3. §. Quædam. & indicatur in Caroli V. constitut. cit. a* 31. & habetur expressè *in l. Ob carmen. 21. ff. De testibus.* Si ea rei cõditio sit, ubi arenarium (qui in arena cum bestiis pugnabat) vel similem vilem personam admittere cogimur, sine tormentis, testimonio eius credendum non est. Dicas, Confessio facta in tormẽtis censetur extorta, & metu facta, consequenter fidem non meretur. *arg. l. 1. §. Quæstioni, ff. de quæstionib. ibid.* Alij tantâ sunt impatientiâ, ut quidvis mentiri, quàm tormenta pati velint, & ita fit, ut etiam vario modo fateantur, & non tantùm se, verùm etiam alios criminentur. & docet id *Panorm. hîc n. 11.* quòd confessio non valet facta in tormentis, quia non sponte facta est. Idem docet *Bart. in l. 1. cit. §. Divus Severus.* ubi extendit id, si quis ductus sit ad tormenta, ut præ oculis ea habeat, vel si in carcere nimis duro detineatur, quòd formidine talis mali confiteri censeatur. *arg. cit. l. 1. §. Si quis vltro.* Resp. Rectè ostendi quòd Reo de se confesso, si socium criminis prodat per tormenta ad actus, fides habenda non sit, sed quod in tertio requisito est dictum, ita intelligi debet, siue Reus ante tormenta socium ultrò denuntiârit, siue in tormentis, cùm etiã de se profiteretur, non esse ipsi fidem habẽdam, nisi super hac ipsa denũciatione postea torqueatur, ut appareat, quòd in ea persistat, nihilominus sequẽte v:g. die, ducendus erit ad locum judicii, ut corã Notario ac testibus denunciationem in tormentis à se cõfirmatã, sepositio jam omni tormentorũ metu ratificet; prout docet *Bart. loc. cit.* & clariùs

11 expli-

explicat *Farinac. n. 134. & 138.* Binsfeldius tamen de Confessione maleficorum fol. 29. docet, necessarium non esse, ut denuntians socium, actu tractus fuerit ad torturam, sufficere si metu tormentorum seu comminatione, aut ostensis tormentis socij denuntiationem confirmet, quia confiteri in tormentis, & metu tormentorum, paria censentur, uti DD. apud *Farinac. q. 37. n. 96.* Verùm exactè examinare oportet, quidnam dicant hi DD. videlicet, si quis metu probabili instantium tormentorum confessus fuerit, eum censeri confessum non sponte, sed quasi in tormentis, quamobrem, si tales minæ tormentorum adhibitæ sint personis quæ jure torqueri non debent, ut Doctor, vir equestris Ordinis &c. earum confessionem irritam esse. Hæc autem doctrina non rectè huc accommodatur, nam tortura criminosa socios denuntianti adhibenda est, ut per eam denuntiatio confirmetur, seu ut appareat, num in denuntiatione constans & non varius sit, idque ob commodum & fauorem denuntiati, ne fortè innocens periculum incurrat, itaque rectè quidem lex illa, quâ decernitur, ut positi in dignitate non torqueantur præterquam in criminibus exceptis, *l. 7. Etsi. C. De maleficis.* benignâ DD. interpretatione tanquam fauorabilis extenditur, ut ne leuiter quidem torqueri, imò nec terreri possint ostensis tormentis: sed altera lex Cæsarea, quâ decernitur, ut Reo socios criminis denuntianti, fides non habeatur sine tormentis; ea non rectè extenditur ad metum tormentorum, nam talis interpretatio extensiua rediret in detrimentum innocentium, eorúmque fauorem restringeret contra juris Regulam 12. in *6. Odia restringi & fauores conuenit ampliari.*

12 Quartum, ut criminosus in socij denuntiatione constans, non varius sit. Ita Carolina Constitutio *cit. a. 31. & Farinac. q. 43. n. 985.* ex quo ipse colligit, si criminosus post juramentum de veritate dicenda, neget se socios habuisse, quos tamen postea intra vel extra tormenta denuntiet, non posse ipsi fidem haberi, quandoquidem varius est, imò & periurus, & valde indignum est, ut alicui fides habeatur, dicenti cõtra priorem suam affirmationem, quia uti priùs mentitum se fatetur, ita jam non minùs mentiri potest.

Quintum, ut denuntians nullam inimicitiam gerat cum denuntiato, quia periculum esset, ne causâ ultionis detulerit; Ita Carolus Cæsar. & sumitur ex recepta doctrina apud *Farin. q. 12. n. 40.* quòd inimicus etiam in exceptis criminibus à testificando & denuntiando repelli debeat, uti constat ex *cap. Per duas. 32. iunct. gl. verb. Inimicitias.* 13

Sextum, ut criminosus præter eum criminis defectum, non etiam alios defectus patiatur, propter quos jure ordinario homines à ferendo testimonio, tanquam minùs digni fide repelli solent. Videlicet, si sit ob mẽdacia aut alia crimina infamis persona, vilis & inops, lusor, potator; nam quòd Reo de se ipso crimen confesso sociúmq; denuntianti in pernicioſis crimimbus, v. g. Veneficio, fides habenda sit, est exceptio à communi regula, seu constitutio exorbitans à lege ordinariâ traditâ in hoc c. Atqui lex exceptiua & exorbitans à communi, stricta interpretationem meretur, iuxta *l. Quod verò. 14. ff. De leg. l. 1. ff. De constitut. regul. 28. in 6. iuncta glossa.* Quòd si verò aliquis de hac doctrina dubitat, quia judices in praxi ad eam attendere non solent, saltem hoc à nemine negari poterit, quòd personæ criminosæ, si etiam alios defectus & inhabilitates patiatur, tantò minor fides habenda sit, imó fieri possit, ut nulla omnino fides habenda, seu denuntiatio tam luridæ personæ nullius momenti esse debeat, uti colligitur etiam *ex cap. In fidei, 5. de hæret. in 6.* tametsi enim jura positiua & tribunalium consuetudines permittant, criminosos vel aliter ad testificandum inhabiles personas, in quibusdam aut plerisque criminibus examinari, ut complices aut similes reos denuntient, non tamen his juribus aut consuetudinibus introduci potest, ut perinde aut tanta indignis personis fides habeatur, quanta idoneis testibus aut denuntiatoribus haberi potest, nam jura positiua non possunt immutare jus naturale, atqui jus naturale dictat, personæ vili & indignæ non tantum fidei habendum 14

esse,

esse, præsertim in graue tertiæ personæ præjudicium, quantum habetur personæ dignæ. Addo his, spectãdas etiam esse circumstantias, personæ denuntiatæ, si enim ea honesta & suspecta non sit, tum criminosæ & suspectæ personæ denunciationi, si ea mera sit, & non adminiculata indiciis, nulla fides tribuenda videtur, ut in sequentibus apparebit.

15 Septimum, ut criminosum, si, personam sociam criminis denuntiet, judex interroget de modo, loco, tempore & aliis circumstantiis præstitæ societatis aut cooperationis. Ita Carol. V. *cit. a. 31.* §. Zum andern/ & §. zum vierdten / & sumitur *ex cit. c. Infidei.* Ratio est, quia denuntiatio facta à persona criminosa, ut verisimilis fiat, debet esse non mera sed adminiculata seu indiciis adjuta, ut postea dicam, talia autem indicia interrogatis circumstantiis modi, temporis, loci &c. eruuntur atque apparent.

Quæstio est, quantum fidei mereri debeat denunciatio aut confessio criminosi de sociis. Adverte 1. quòd talem confessionem de socio Reus interdum sponte facit, interdum verò ad judicis interrogationem, ídque vel in criminibus exceptis vel non exceptis. Adverte 2. De pluribus in proposita quæstione dubitari posse. Videlicet, num denunciatio facta à criminoso sufficere possit, ut eâ excitatus judex ex officio procedat ad ulteriorem specialem inquisitionem de persona denuntiata. Item an sufficere etiam possit, ut judex denuntiationem unam vel plures formatas in libellum denuntiato transmittat, eúmque citet, ita ut personaliter comparere teneatur, suásque defensiones afferre; prout explicat *Clarus cit. q. 21. num. 5.* Deinde utrùm dicta denuntiatio sufficere possit ad capturam, vel denique torturam, etenim constat apud omnes, maiora indicia requiri ad formandum inquisitionis libellum, Reóque transmittendum quàm ad simplicem ulteriorem inquisitionem; maiora item requiri indicia ad realem capturam, quàm ad citationem; maiora denique ad torturam quàm ad capturam, propterea quod de maiori præiudicio agatur. Nihil autem dicimus de condemnatione, sed supponimus hîc, alibi ostendendum, quod ex infamiũ personarũ denuntiationibus damnari aliquis non debeat sine confessione.

Respondeo & Dico 1. Si Reus in crimi- 16
nibus non exceptis ad judicis interrogationẽ socium denuntiet, talis denunciatio nullum indicium facit, sine indicio autem judex specialem de persona inquisitionem instituere non potest. uti docui *lib. 3. tract. 6. cap. 2.* Prior autem propositio inde probatur, quia spectato jure communi judex in criminibus non exceptis prohibetur Reum interrogare de sociis, igitur sicuti interrogatio, ita & respondentis denuntiatio juridica censeri non potest, consequenter judex ea moueri nequit ad specialem de persona inquisitionem formandam. Neque obstat, quòd DD. aliqui absolutè dicant, denuntiationem socij etiam in criminibus non exceptis præbere sufficientem causam ulterioris inquisitionis specialis; uti videre est apud Clarum, *cit. quæst. 21. num. 4. Farinac. cit. quæst. 43. num. 192.* Nam id in duobus casibus rectè dici ac intelligi potest, 1. Secundùm lotorum consuetudinem, in quibus judices quoscunque Reos confessos de sociis interrogant. 2. Etiam secundùm jus commune, si Reus sponte in judicio socium denuntiet, tum enim habet se sicut quilibet alius denuntiator, dummodò talibus circumstantiis fiat denuntiatio, ut aliquale indicium prębere possit uti mox dicam.

Dico 2. In casibus quibus confessio seu 17
denuntiatio socij legitimè facta est in judicio, videlicet, in criminibus exceptis, vel etiam in non exceptis, propter consuetudinem tribunalis, vel denique si Reus sponte non interrogatus denuntiet socium, *iuxta l. 1. §. quæst. ff. de quæstion.* His inquam, in casibus distinguere oportet, num denuntiatio adminiculata sit alio indicio criminis, an nõ adminiculata, priori casu sufficiet saltem ad ulteriorem specialem inquisitionem, posteriori autem casu sufficere nõ debet. Ita *Menoch. cit. casu 473. n. 41. Mascard loc. cit. n. 11. Campegius de testibus Reg. 86. fallent. 2.* Dicitur autem denunciatio adminiculata, quæ

indicium seu coniecturam commissi criminis junctam habet, ob quam verisimilis redditur, videlicet, infamiam personæ denunciatæ, locum, tempus aliásque circumstantias, ex quibus aptè connexis societas criminis appareat. Non adminiculata denuntiatio dicitur, quæ nuda ac mera nullam verisimilis coniecturam seu indicium habet. Prior huius assertionis pars postea declarabitur, posterior autem pars videtur contra *Clarum esse*, & *Farinac. n. 129.* Sed probatur, nam jure gentiũ ac naturali, accusatori aut cuivis denuntiatori non creditur in alterius præiudicium, nisi crimẽ aliquo modo verisimile faciat, nam alioqui cuilibet liberum esset suo arbitratu alterius famam lædere & personam in discrimen vocare. Neque refert, quòd publico officiali credi soleat propter simplicem assertionem, tametsi alia indicia non exhibeat, nam officialis propter juramẽtum & publici officij obligationem maiorem fidem meretur: quare idem quoque sentiendum, si alius vir honestus & bonæ famæ denuntiet, de quo præsumptio esse nulla possit, quòd mentiri, aut alterum in periculum vocare velit; ex tali scilicet denunciatione judicem rectè moveri ad ulteriorem de persona denuntiata inquisitionem. Verùm nos loquimur de persona suspecta, infami, vili, quæ de se crimen confessa, aliam honestam personam denuntiat, absque ullo alio criminis commissi indicio, v. g. id tantùm dicendo, hic homo etiam est veneficus, quia ante mensem mecũ fuit in dęmonũ conventu, super hoc monte. Confirmatur ex Carolina constitutione, ubi inter alias conditiones, ut denuntiatio criminosi legitimum indicium faciat, etiam ea requiritur, ut persona denuntiata suspecta sit, ita nimirum, ut denunciatio verisimilis apparere possit. Prior pars assertionis, si videlicet denuntiatio criminosi adminiculata seu coniecturis adiuta sit, eam sufficere saltem ad ulteriorem specialem inquisitionem, apud omnes recepta est, & colligitur ex Carolina. §. Zum vierdten / videatur *Farinac. cit. quæst. 43. num. 41. & 145.* Tale autem indicium in primis est publica infamia personæ, si enim veneficus aut venefica, quæ aliis defectibus non laborat, & animo constans esse videtur, legitimè interrogata de sociis, denuntiet Caium, qui publicè infamatus est, seu de hoc ipso crimine, seu de aliis valde propinquis ac disponẽtibus v. g. blasphemiis, sodomia, adulterio, frequente ebrietate &c. justam causam habet judex ulteriorẽ de tali persona inquisitionẽ instituendi, ita tamen, ut personæ honor non plus lædatur, quàm spectatis circumstantiis necessariũ esse videatur. Alia indicia esse possunt, quæ ipse reus denuntians dare potest, v. g. in crimine veneficij, se cum Caio societatẽ frequentem habuisse, hanc vel illã domum aut Ecclesiam ingressum cum illo fuisse, talia damna hominibus, jumentis; irreverentias & sacrilegia sacræ Eucharistiæ intulisse, si talia quæ ita narrantur, factâ etiam indagatione, verisimilia judici videantur, ex officio moveri potest, ut specialem de Caio inquisitionem instituat, ac deinde, si indicia à criminoso allata, vel alia probabilia repererit, ad capturam, & interdum etiam ad torturam procedat, ut infra dicemus. Præterea si ad denunciationem unius criminosi, quamvis alioqui non adminiculatam, accedat alia denuntiatio alterius criminosi, tum indicium plerumque aderit sufficiens saltem ad ulteriorem specialem inquisitionem, est enim communis doctrina apud *Farinac. n. 42.* quòd denuntiatio criminosi fiat adminiculata ex alterius criminosi denuntiatione. Dixi autem *Plerumque*, quia non potest de ea re, certa regula dari, sed ex circumstantiis personarum judex intelliget, utrùm plurium infamium personarum denuntiationes judicium seu verisimilitudinem aliquam faciant de commisso crimine. Ponamus enim personam denuntiatam esse vitæ honestæ, de veneficiis aut disponẽtibus criminibus non infamatam, aut esse in dignitate constitutam, vel ordinis Clericalis, maximè Sacerdotalis, contra talem personam non facilè judex procedere potest ad specialiter inquirendum de crimine infami, ad duarum aut etiam triũ personarum infamium denuntiationem, si aliter adminiculatæ non sint.

Dico

19 Dico III. Si denuntiatio criminosi unius aut pluriumvalde adminiculata sit, ita ut judicis intellectum rationabiliter informet, & inclinet ad existimandum, crimen commissum esse, tunc procedere potest ad denũtiati capturam, quandóque etiam ad torturam. Videatur *Farinac. in praxi lib. 1. t. 4. quæst. 37. Delrius lib. 5. disquisit. sect. 3.* Vbi de crimine Veneficij loquitur ad capturam, si fiat tantùm ne Reus fugiat, interea dum fit inquisitio, sufficiunt leuia indicia; si verò fiat, ut contra eum procedatur, specialiter necessaria sunt grauia; ad torturam plus quàm grauia. Probatur assertio, nam grauia indicia dicuntur, quæ prudentis viri animum meritò movent ad assensum, quòd crimen commissum sit; non grauia autem seu levia dicuntur, quæ animum saltem dubium relinquunt, ac suspensum, num crimen commissum sit; constat autem, in dubio, quæ benigniora sunt, præferenda esse, atque in dubio non esse præsumendum delictum, ad hoc, ut hominis fama, aut corporis integritas violari possit per ignominiosam capturam aut torturam, igitur ad capturam aut torturam non sufficiunt indicia levia, sed gravia requiruntur. Pro maiori intellectu huius assertionis.

20 Adverte 1. Denuntiationes plurium criminosorum aliquando esse consentientes, aliquando autem singulares & separatas; Consentientes voco, quæ sunt de eodem facto particulari. v. g. si duo denuntient, Titium secum fuisse hac hora, in hoc campo, cùm Caius occideretur; aut cùm sacram Hostiam hoc anni die, ex hac Ecclesia surriperent; & talis denuntiatio socij ex alterius consentiente denũtiatione magnum adminiculum accipit, ut plerumq; sufficiat ad capturam, imò etiam torturam personę ita denuntiatæ, uti docet *Farinacius cit. q. 43. num. 42.* Singulares autem seu separatas denuntiationes voco, quæ non sunt de eodem facto particulari, quamuis & hæ duplicis modi existant, aut enim omnino disparatæ sunt & singulares, ut si unus fateatur Caium secum furatum esse quidpiam Augustæ, alter verò de eodem Caio fateatur, secum esse furatum Norimbergæ; aut quodammodo consentientes saltem quoad finem aut effectum, quod maximè contingit in criminibus suapte naturâ successiuis, cuiusmodi est v. g. societas cum dæmone per magiam, si enim unus veneficus de se confessus, postea confiteatur de Caio, vidisse se eum in conventu dæmonum mense Octobri, alius autem veneficus de eodem Caio fateatur vidisse se eum in conventu dæmonum mense Aprili: videri possunt eiusmodi denuntiationes quodammodo consentientes, sicuti si unus fateatur vidisse se Titium egredientem ex domo mulieris, alter vidisse se egredientem alio die, tertius item alio die, censentur testimonia quodammodo consentientia in ordine ad ostendendam familiaritatem cum muliere. Verumtamen in negotio veneficorum & sagarum multa alia judici perpendenda sunt, ut quòd denuntiantes sint personæ vilissimæ, & fide non dignæ, nonnunquam variæ & inconstantes, ut proinde si persona denuntiata sit honesta & bonæ vitæ, vix unquam deveniri possit ad capturam aut torturam ex denuntiationibus plurium, nisi de eodem facto particulari secundùm circumstantias determinato consentiant, quod tamen rarissimè accidit, uti testantur, qui in hoc negotio versati sunt. De hac materia legatur Adamus Tannerus *tom. 3. de Iust. disp. 4. q. 5. dub. 2.*

Nota II. Infamatis de crimine si con- 21
vinci facilè non possint, ad scandalum amovendum, expurgatio canonica indici debet, ea autem fit adductis viris honestis, ac fide dignis, qui de hominis innocentia testentur, uti hic, *& lib. 5. decretal. de purg. canonica.*

CAPITVLVM II.

Cùm super.

Paraphrasis.

Inter duos in discordia electos ad Episcopatum, lis erat coram judice, in pro-

processu judicii cùm testes examinarentur, Vitus Canonicus confessus est, quòd pro assensu præstando electioni alterius 500. Sarracenorum obligationem acceperit, & mediator extiterit simoniacæ prauitatis. hoc intellecto Innocentius III. eum per sententiam definitiuam ab omni beneficio ac officio Ecclesiastico deposuit. Verba huius Capituli duplicem sensum admittunt, prior est, quòd Vitus in se recepit obligationem Sarracenos præstãdi Regi, ut alterius electioni assensum præberet, alter quòd promissionem obligationémque alterius electi acceptârit, de præstando sibi Sarracenos, si electionis suffragium sibi conferret.

SVMMARIVM.

11. *Deponi potest à Beneficio & officio, qui simoniacum se in judicio confessus est, non tantùm à Summo Pontifice, quamuis tantùm incidenter hoc crimen cognouerit, sed etiam ab inferiori Iudice, si de hoc crimine, quod incidenter priùs in judicio cognouerat, specialem postea inquisitionem fecerit.*

11 NOta. Qui se Simoniacum in judicio confessus est, à beneficio & officio deponi potest, nam hoc scelus simoniæ ex enormibus unum est, quæ depositionem merentur. *c. At si Clerici. 4. §. de adult. de Iudic.* Potest tamen Episcopus considerata personæ ac criminis qualitate, pœnam temperare, ut ibi dixi; & mox declarabo magis. Difficultas est, quòd crimen huius Viti tantùm incidẽter & per accidens in judicio cognitum fuit, quia ad hoc actum non erat; ergo non debebat pœna ordinaria depositionis in eũ decerni, iuxta ea quæ diximus *inc. 2. de Ordine Cognitionis*; attamen pœna suspensionis affici posse eum, qui tale crimen sponte confitetur, colligitur ex *cap. Quàm sit: De excess. Prælat.* Variæ sunt Responsiones; hæc probabilior, quòd finito judicio inter duos electos, judex ex officio inquisitionem instituerit contra Vitum, confessionem eius de crimine commisso incidenter antea factã producens, ut eam denuò confirmet, id enim fieri posse dixi *in cit. c. 2. & c. Cùm super. 4. De causa possessionis & trad. gl. hîc verb. Confessus.* & sumitur *ex c. Nihilominus. 16. Caus. 3. q. 3. l. Iubemus. 24. C. De Probationibus.* Neque obstat *c. Inquisitionis. 21. de Accus.* ubi dicitur, si per modum inquisitionis procedatur, simoniacum non esse pœnâ depositionis, sed aliâ arbitrariâ afficiendum, nisi commissa fuerit simonia, in Ordine aut beneficio susceptο, ita ut executionem Ordinis aut retentionem beneficij impediat, atqui Simonia à Vito non erat commissa circa ordinem aut beneficium à se acquisitum, sed circa alterius electionem, ergo non debebat inferri pœna ordinaria depositionis. Resp. Cum *Panorm. hîc n. 10. in dicto c.* Inquisitionis non prohiberi judici quo minùs in hoc casu cõmissæ simoniæ pœnam depositionis ordinariam decernere queat, sed tantùm permitti, ut spectatis circumstantiis personæ & commissi criminis pœna moderari possit. Id verò longè certius est, quòd saltem summus Pontifex alligatus non sit his constitutionibus, sed quandocunque judicialiter cognouerit per modum accusationis aut inquisitionis principaliter aut incidenter, illud ex plenitudine potestatis pœnâ ordinariâ punire possit, uti *glossa hîc docet verb. Confessus.* quare addendum est, quod in ordine ad Papam, ut crimen hoc punire potuerit, & quidem pœna ordinariâ, opus non fuerit nouo processu, sufficiebat crimen cognitum esse incidẽter, præsertim cùm non per accidens eius cognitio acquisita sit, sed potiùs per se siue secundùm requisitionem causæ, nam alter electorum ideò repellebatur, quòd simoniam commisisset, id verò rectè ostẽdendum erat per testimonium & confessionem Viti, tanquam cooperatoris & mediatoris ad crimẽ.

CAPITULUM III.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem & Conventum S. Mariæ ex una parte, & Victorinum, nomine uxoris ex altera parte, lis erat in judicio, in quo

in quo æconomus seu Syndicus Monasterii quædam per facti errorem confessus fuit, quæritur num id nocere seu præiudicium generare debeat procuratori aut Monasterio. Resp. Gregorius IX. quòd error facti negotio nondum finito nemini nocere debet, dummodo talis error ostendi possit.

SVMMARIVM.

1. *Error facti in judicio, lite nondum finita commissus, ostendi & reuocari potest.*
2. *Confessio Syndici, Tutoris, aut Prælati, legitimè in judicio facta, nocet Ecclesiæ, pupillo & communitati, cuius nomine agit.*
3. *Si error fuerit in judicio commissus circa alienum factum, sufficit, ad probandum errorem facti, ostendere, rem aliter se habere.*
4. *Quòd si tamen ex officio scire aut inquirere factum illud debuisset confitens, vel error sit circa proprium factum in judicio commissus, ordinariè non admittitur confitens, ad ostendendum rem aliter se habere.*

1 NOTA I. Si error facti in judicio lite nondum finitâ commissus sit, ostendi ac reuocari potest. Est autem hoc commune & ordinarium remedium non solùm Ecclesiis & Minoribus, sed omnibus competens. *l. Error. 7. de juris & facti ignorantia. c. 2. De in integr. restitut. in 6.* vbi id explicatur.

2 Nota II. Confessio Syndici seu procuratoris facta in judicio, præiudicat Ecclesiæ, ita videtur colligi ex hoc c. & habetur expressiùs in *c. Suborta. 21. De rejudicata.* & *c. Olim. 20. De Censibus.* Dixi de hac re in *c. 1. Vt lite non contestata. q. 2.* Idem quoque locum habet in tutore, curatore, Prælato, alióue legitimo administratore, quòd eius confessio in judicio, cùm ad legitimam interrogationem responderi debebat, noceat Ecclesiæ, pupillo, aut communitati, cujus nomine agit. *arg. l. Si se non obtulit. 4. ff. de rejudic.* & docet *Panorm. hîc n. 10.*

3 Quæritur, quando probetur error facti in judicio commissus. Resp. si error dicitur commissus circa factum alienum, tunc sufficit ostendere rem aliter se habere, nam in tali casu locus est regulæ *42. in 6. Præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur,* & sumitur ex *l. de ætate. 11. §. Qui justo. ff. De interrogatoriis action.* & tradit Lanfrancus in praxi *c. 7. n. 32. cum gl. in l. Certum. §. Sed an & ipsos. ff. de Confessis.* De Confessione procuratoris vel administratoris, quòd à principali reuocari possit, ostenso aliter rem se habere, quia Procurator de facto alieno confessus fuerit; excipi debet, si tale factum sit, quod aliquis ex officio inquirere & nôsse debebat, quia confitens ordinariè non admittitur ad probandum, rē aliter se habere, cùm sit præsumptio cōtra ipsum *arg. c. Innotuit. 21. De elect.* Quòd si verò error dicitur commissus circa factum proprium v.g. circa propriā confessionē in judicio, tum ordinariè non admittitur aliquis ad ostendendum, rem aliter se habere, si confessio facta fuit de proprio actu, v.g. contractu à se inito. *arg. c. Ab excommunicato. 41. De Rescript.* nisi circumstantiæ adsint, ex quibus præsumptio fieri possit, eum errâsse, vt si suasione aut metu inductus sit ad confitendum. *arg. l. vnic. §. fin. ff. Quando actio de peculio.* Vel ob temporis longinquitatem. *arg. l. Peregrè. 44. ff. de acquir. possess.* vel si negotium nimis intricatum sit. Vti Panormitanus hîc docet in fine. Videatur *Imola hîc n. 15.* glossator Dini *super reg. 47. in 6.*

EODEM TITVLO in VI.

CAPITULUM I.

Statuimus.

Quandoque judex postulante æquitate admittere potest, vt positiones negatiuæ ab actore formentur, quia licet ab ipso probari nequeant, potest tamen ad eas Reus respondere confitendo aut negando.

NOtandum vnicum. Licet propositio negatiua, si tempori, loco aliisque circumstantiis adstricta non sit, secundùm rerum naturam probari non posse censeatur,

v. g. quòd Titius à Sede Apostolica priuilegium nullum acceperit, sicuti explicatur in *c. Bona. 23. de elect.* tamen talis negatiua, si ad causam pertinens sit, inter positiones referri potest; videlicet: pono verum, quòd Titius nullum super pluralitate curatorum beneficiorum dispensationem Pontificiam habeat: tunc enim Reus cogetur respondere vel confitendo, vt probatione aliâ opus non sit, vel negando, quo casu postulante Episcopo seu judice dispensationem exhibere debebit, cùm hæc sit quasi exceptio rei, cuius probatio ipsi incumbit.

CAPITVLVM II.

Si post.

PARAPHRASIS.

Si Reus, vel procurator eius, post præstitum juramentum calumniæ, aut dicendæ veritatis, positionibus Actoris à judice jussus respondere, absque causa rationabili recuset, vel contumaciter se absentet, haberi debet pro confesso; sin autem se absentet, antequam à judice respondere jussus fuit, non debet pro Confesso haberi, sed contra ipsum tanquam contumacem procedi. Ratio huius responsi sumi debet ex doctrina quæ traditur in *Reg. 42. & 43.* quòd tacens censeatur confiteri, si eo loco & tempore interrogetur, quando respondere debet, non autem habeatur pro Confesso, si eo locō ac tempore interrogetur, vbi respondere non debeat. Verumtamen hæc juris tantùm præsumptio est, quòd jussus respondere positionibus, si contumaciter recuset, censeatur confiteri, & talis quidem præsumptio, vt contra eam admittatur probatio contrarii, si videlicet rationem afferat Reus, cur ad eam respondere nolit, quia videlicet impertinentes sint, ambiguæ, aut captiosæ: qua de re *gloss. hic, verb. Absque rationabili*; imò verò tametsi positiones tales non sint, si tamen Reus vel procurator probabiliter ostendat se per errorem pro talibus habuisse, & ideò responsionem denegâsse, non debet haberi pro confesso, si sententia nondum lata sit. *arg. c. vlt. Extra h. t.*

TITVLVS XIX.

DE PROBATIONIBVS.

SI Reus conuentus Actoris intentionem, ac positiones non confiteatur, necessariò deueniendum est ad probationes, quare rectè jam agitur de probationibus, sed hoc tit. tantùm in genere, postea in specie.

CAPITVLVM I.

Ex Epistolæ.

PARAPHRASIS.

Olim inter Imperatorē Justinianum & Recaredi Visigotorum Regis antecessores pacta interceſserant, de quibus in scrinio siue Archiuio Imperatorio pleniorem cognitionem haberi posse arbitrabatur Rex, ideò voluit, Gregorium I. Pontificem scribere ad Imperatorem, vt Instrumenta ex Archiuio suo produci juberet, ex quibus cognosci posset ad quæ præstanda Imperator ipsi ratione pactorum obligatus esset, sed Gregorius Respondit, inconueniens id fore, quia nunquam aliquis jubendus sit instrumenta quærere & contra se ipsum producere, ex quibus conuincatur.

SVMMARIVM.

1. *Non tenetur Reus conuentus propria instrumenta edere actori, ad fundandam illius intentionem.*
2. *Debet tamen actor ea edere Reo petenti.*

3. Com-

3. *Communia tamen instrumenta semper edenda sunt, quacunq; parte petente.*
4. *Dicuntur autem communia instrumenta, qua vel secundùm dominii proprietatem ad plures pertinent,*
5. *Vel confecta sunt à persona ex publico officio & obligatione,*
6. *Vel quæ communia sunt ratione causæ, super contractu v. g. ex voluntate vtriusq; partis contrahentis confecta.*
7. *Quod si Actor fundatam habeat intentionem, & instrumenta, qua Reo propria sunt, edi petat, ad modum tantùm aut qualitates obligationis cognoscendas, vel ad ostendendam suam replicationem, edi ea debent.*
8. *Vsurarij tamen, & similes de fraudibus suspecta persona cogi possunt, ad libros seu instrumenta rationum suarum edenda.*
9. *Fisci etiam ac Reipublicæ speciale priuilegium est vt Reum conuentum ad propria sua instrumenta edenda cogere possit.*

NOtandum Vnicum. Reus conuentus non tenetur propria instrumenta edere actori ad fundandam intentionem eius. Ita etiam habetur in *lege vltima. C. de edendo* & sumitur *ex l. Cogi. 2. C. de petit. hæred.* sed aduertendæ sunt particulæ, quibus vsus
2 sum. I. Sermo est de Reo, quia alia est ratio de Actore, is enim Reo petenti tenetur exhibere instrumenta sua, ex quibus is defensionem seu exceptionem elicere possit. *cit. l. vlt.* Nam Rei fauorabiliores sunt, quàm actores; & actor cùm sponte prouocet, instructus ad causam venire debet. *l. Qui accusare. 4. C. eod.* cùm tamen ipsemet Reus non ita instructus esse possit: Et nimis graue hoc foret, si prouocatus probationes & arma quibus impugnetur, præbere deberet; quod tamen regrè ferre non debet actor seu petitor, si omnia acta & instrumenta, ex quibus veritas intelligi queat, edere jubeatur, hanc rationem affert Bartolus, & Commentator eius in *cit. l. vlt.* II. Locutus sum de instrumentis propriis Rei, at verò communia instrumenta edenda sunt parte petente. *cap. G. Perpetuus. de fide Instrum.* Sunt autem instrumenta communia pluribus modis, vt hîc *Panorm.* declarat *n. 7.* 1. Secundùm Dominii proprietatem, vt quia duo sunt hæredes, ad quos bona & jura, consequenter etiam instrumenta deuoluta sunt. *l. Cetera. 4. ff. Familiæ herciscundæ*; talia instrumenta seruari solent penes digniorem seu natu maiorem, aut qui ex maiore parte bonorum hæres vel dominus est. *cit. l. Cetera.* At si pares existant, neque conuenire possint, sorte lis dirimitur, vel apud amicum, aut in æde sacra deponuntur instrumenta. *l. Si quæ sunt. 5. ff. Famil. herciscund.* & quoties res exegerit, petenti cohærodi aut consorti exhiberi debebunt talia instrumenta. *l. Procurator. 7. C. de edendo.* Videatur Cardinalis Tuscus, *verb. Instrum. Concl. 267.* Deinde communia sunt Instrumenta ratione personæ conficientis, quia confecta sunt à persona ex publico officio & obligatione. *l. Argentarius. 10. ff. de edendo.* hoc modo acta omnia judicis, & Notarii protocolla, petente parte, edi debent. *l. 2. C. de edendo. c. Quoniam ij. h. t.* & explicat *Gail. l. 1. Obseru. 106. n. 6.* Item libri Mercatorum, quos ipsi super acceptis & expensis conficiunt, veluti ex publico munere & obligatione, idque non tantùm, si cum ipso mercatore, aut numulario controuersia sit, sed etiam si cum alio. *l. Quadam. 9. l. Argentarius. 10. ff de edendo.* vt si controuersia sit, quanti valeat liber aut vestis, quam emi à Titio, ex libro Mercatoris, à quo pannus aut chartæ ipsi venditæ sunt, cognosci id poterit, & idem quoque hodie locum habere in nostris mercatoribus & numulariis docent DD. communiter. Decius hîc *n. 27. Felinus. n. 13. Georg. Euerhardus tom. 2. Consil. 2. n. 35.* Requiritur tamen vt priùs saltem summariâ cognitione cognitum sit eius interesse, qui instrumentum exhiberi cupit. *l. 3. §. Sciendum. ff. Ad exhibendum & trad. Gail. loc. cit. n. 3.* Verumtamen in tali casu necesse non est, parti totum instrumentum aut librum rationum communicare, sed eam tantùm

tantùm partem, quæ ad causam eius adiuuandam spectat, *cit. l. Argentarius. §. egi.* sed statutum locale vel priuilegium si edendum sit, videtur totum edi debere, cùm difficile sit de eo statuere, nisi verbis omnibus consideratis & inspectis, prout Bartolus monet in *Rubric. de noui operis nuntiat. n. 7.*

6 Denique communia sunt instrumenta ratione causæ, quia videlicet super contractu vtriusque partis consensu confecta sunt, talia originalia exhiberi debent, si altera pars contrahentium petat. *cit. c. §. Perpetuus.* Ratio est, quia cùm instrumentum non vnius tantùm, sed vtriusque partis causâ confectum sit, ideò vtrique commune censeri debet juxta *l. Prator. 4. §. Huius edicti. ff. de edendo.* & explicat *Innoc. hîc n. 2.* intelligendum esse de originalibus, sin autem vna pars suopte motu & expensis propriis exemplum originalis manu notarii confici curauit, tale instrumentum proprium censebitur partis, vt ordinariè cogi non possit ad exhibendum, sed interdum ex causa rationabili cogi poterit à judice, si videlicet actor absque sua culpa amiserit originale, tum ne veritas & probationis facultas pereat, peti poterit, ut Reus exemplum suum exhibeat, sicuti habetur in *l. Si quis. §. vlt. ff. de edendo, l. 1. C. eod.* & docet *Innoc. hîc. Decius n. 31.* Sed obstare videtur hoc Capitulum, quia ob temporis diuturnitatem Rex Gothorum amittere potuit instrumenta pactorum, & tamen Pontifex noluit admonere imperatorem, vt ex archiuio instrumenta propria produceret. Resp. Quòd Papa in hac causa non fuerit judex, vt ex officio cogere potuerit Imperatorem ad exhibenda instrumenta contra communem juris regulam, sed nec per modum denuntiationis Euangelicæ ad id cogi poterat Imperator, nam tali denuntiationi non defertur, nisi denuntiator probet alterum contra conscientiam suam agere, juxta ea quæ docet *Innoc. in c. Nouit. n. 7. de judiciis.* id autem in hoc casu ostendi non poterat, cùm nesciretur, quidnam in instrumentis contineretur, sicuti *Panorm. hîc notat n. 21.* Accedit quòd Gregorius Papa aliam causam afferat *lib. 7. Registri. Epistola 126.* Vnde hoc *6. Sumptum est.* cur ad Imperatorem ea de re scribere noluerit; quia archiuium Imperatorium tempore Justiniani ferme penitus conflagrauit, vt penè nullum remanserit ex eo tempore scriptum.

7 3. Dixi in Notando, quòd Reus non teneatur edere instrumenta sua actori ad fundandam intentionem eius, at verò secus dicendum, si actor habeat fundatam actionem, quòd videlicet ipsi venditus sit fundus, sed nesciat modum & qualitates venditionis, id est; quousque se extendat, aut quibus conditionibus facta sit, sicut ex communi docet Baldus in *cit. l. vlt. n. 7.* vbi bene colligit, quòd colonus censuarius vel emphiteuticus & Vasallus teneantur edere instrumenta sua, quia non quæritur de substantia obligationis, cùm se obligatos fateantur, sed de modo aut quantitate, videlicet, quousque se fundus emphiteuticus censualis aut feudalis extendat. Secundò, petere potest actor à reo vt exhibeat instrumenta, quæ necessaria sunt ad ostendendam replicationem actoris, vti docet Bartolus, in *cit. l. Vlt. n. 2. Bald. n. 8.* Exempli causa, si Titius ex mutuo agens ad restituendam sibi pecuniam exhibeat instrumentum manu Notarii scriptum, vel sigillo mutuatarii confirmatum, sed Caius conuentus excipiendo dicat, non esse hanc scripturam Notarii, aut non esse hoc sigillum suum; hoc casu Titius ad sui defensionem, petere potest vt exhibeantur instrumenta alia eiusdem Notarii ex archiuio Caii, vel vt exhibeat Caius sigillum suum conferendum cum sigillo appositio literis testantibus de mutuo. Ad extremum duo specialia hîc adiungenda. Primum, quod habetur in *Clement. 1. §. Ceterùm de vsuris.* Fœneratores seu vsurarios cogendos esse vt edant libros seu instrumenta rationum, propterea quòd tales de fraude suspecti sint, quamobrem DD. plerique hanc doctrinam extendunt ad personas similes, v. g. ad nautas, caupones; vt

videre

videre est apud *Felin. hîc. n. 19. Gail. n. 13. Euerhard. n. 39.* Item ad omnes personas quæ de industria ac per fraudem scripturas occultè confici curârunt, vel postea occultârunt, vti docet *Euerhardus n. 38.* Alterum, 9 id esse priuilegium fisci ac Reipublicæ, quòd Reum conuentum in causis ciuilibus (non criminalibus) cogere possit ad edenda instrumenta, quibus intentio agentis fundari queat. *l. 2. §. Diuus Hadrianus, ff. de edendo*, idque priuilegium multi extendunt ad Ecclesiasticam causam matrimonij, dotis, aliásque fauorabiles, vti videre est apud *Decium hîc n. 13. Panorm. n. 19.* quod tamen non arbitror receptum, nisi quòd propter fauorem causæ faciliùs judex editionem instrumenti decernere possit, quando aliter res probari nequit.

CAPITVLVM II.

Sicut.

Paraphrasis.

Quodam in loco consuetudo erat, vt posteaquam Actor intentionem suam plenè probauit, juramentum ei deferretur, sin autem recusaret, probationum fides eo ipso infirmaretur. Sed Alexander III. consuetudinem hanc reprobat, propterea, quòd ad juramentum recurri non debeat nisi in probationis defectum ac supplementum.

Svmmarivm.

1. *Actoris juramentum, post plenè probatam intentionem suam superfluum est, & consequenter nulla consuetudine introduci potest.*

1 NOtandum Vnicum. Consuetudo quâuis diuturna non prævalet contra legem, nisi sit rationabilis. *c. vlt. de Consuetud.* Talis erat ista consuetudo, quandoquidem juramentum irrationabile censetur, si fiat absque necessitatis ratione. *c. Etsi Christus. 28. De jureiurando.* Nulla autem est necessitas, sed prorsùs superfluum, vt Actor postquam intentionem plenè probauit, v. g. per duos legitimos testes, juramentum præstare cogatur, ergo talis consuetudo reprobari debet. Accedit quòd Actor jam ante super totâ causâ jurauerit de calumnia, ideò superuacaneum est iterum jurare, nulla nouâ jurandi causa emergente. Vti *gl. hîc* monet, *verb. Consuetudinem.*

CAPITVLVM III.

Ex literis.

Paraphrasis.

Episcopus, vel secundùm aliam lectionem, Decanus quidam & Archidiaconus inter se contendebant super finibus suarum præbendarum; nam Decanus querebatur Archidiaconum terminos suos transgressum esse, & partem fundi spectantis ad præbendam Decani occupâsse; sed Archidiaconus contradicebat, se eam partem quadraginta annis possediisse; id verò negauit Decanus, imò se tanti temporis possessionem quietam habuisse asseuerauit. Super hac controuersia quærebatur ex Pontifice, vtri probatio incumbere debeat, petitori ne, an possessori? R. Lucius III. Iudicium finium regundorum, talis esse naturæ, vt in eo, vtraque persona vices duorum habeat, videlicet Actoris & Rei, ita vt ex vtraque parte testes adduci possint, eorùmque testimonia judex ad fidem faciendam admittere debeat, qui verisimiliora dixerint; quòd si vtriusque partis testes æquales videantur, tunc possessoris causa prævalere debet, quia jura promptiora sunt ad absoluendum, quàm ad condemnandum, præterquam in causa, quâ agitur de libertate hominis, tunc enim si vtriusque partis testes æquales fuerint, pro libertate pronuntiabitur. Nam etiam possessori quandoq; probationem faciendam esse, vel inde manifestè constat, quòd jure cautum sit, vt qui præscriptionem temporis longissimi objicit,

eam probare teneatur, nemo autem præscriptionem rectè obijcere potest, nisi possideat.

SVMMARIVM.

1. *Pro juribus illius fundi, qui perpetuo jure ad Beneficium spectat, agere potest Beneficiatus.*
2. *In judicio finium regundorum vterque litigantium, tam actoris petentis, quàm rei conuenti personam sustinet; quamuis qui prior ad judicium prouocauit, actoris magis quàm Rei locum tenere censendus sit.*
3. *Modus quo Iudex procedere debet, in judicio finium regundorum.*
4. *Possessor si actoris vicem agat, siue petendo, siue excipiendo, probare debet.*

1 NOTA I. Si fundus perpetuo jure pertineat ad beneficium, tunc beneficiatus pro juribus eius fundi tuendis ac recuperandis in judicio agere potest. Ita *Innoc. hîc n. 1. Imola n. 2.* Nam talis beneficiatus est veluti vsufructuarius fundi, vsufructuarius autem pro juribus fundi agere potest, v. g. finium regundorum judicio. *l. 4. §. finium. ff. finium regundorum*, ergo etiam beneficiarius, de quo dixi.

2 Nota II. In judicio finium regundorum vterque litigantium, tam actoris seu petitoris, quàm Rei conuenti personam sustinet, quamobrem uterque admittitur ad testes producendos pro possessione partis aut juris sui contra alterum tuenda, aut recuperanda, ita etiam habetur *l. in tribus. 13. ff. de Judic.* & *l. Inter. 44. §. Si familiæ. ff. familiæ herciscundæ*, qui familiæ herciscundæ, & communi diuidundo, & finium regundorum agunt, & actores sunt, & Rei, quamobrem judicia ista tria, appellari solent triplicia *l. cit. in tribus.* & *l. 2. juncta gl. ff. Communi diuidundo.* Ratio peti debet ex communione bonorum aut finium, vnde oritur, quòd vterque aduersùs alterum, partem sibi aliquam petat seu dari, seu assignari. v. g. si aquarum inundatione termini vicinorum agrorum moti aut confusi fuerint, tunc duo agrorum domini directi vel vtiles, seu vsumfructum, vel solum jus pignoris habentes, inuicem agunt pro possessione aut jure suo tuendo vel restituendo. *l. sed & loci. 4. §. finium. ff. finium regund.* Videatur *Decius hîc n. 12.* Verumtamen is, qui ad judicium prior prouocauit, actoris magis, quàm Rei locum tenere censendus est, ita vt ipse prior de calumnia jurare cogatur, *in cit. leg. in tribus. junct. gl. verb. Actorem.* Finis & effectus huius judicii finium regundorum est, vt agrorum termini, si amoti aut mutati fuerint, reponantur, vel si nunquam constituti fuerint, discordiæ vitandæ causa de nouo ponantur ac dirigantur. (Modus autem quo judex procedere debet, traditur hîc & in *l. 3. C. finium regundorum*, vt primò inquiratur 3 quantum quisque litigantium possideat, id verò cognoscetur ex eo, quantum fundi quisque arari ac conseri fecerit, *secundùm gl. in cit. l. 3. verb. finiatur.* 2. quantum quisque de jure possidere debeat, seu vt de jure proprietatis judex cognoscat. 3. Mittatur agri mensor, vt metiatur, quanto minus vel plus habeant contendentes, quàm habere debeant. Id verò cognoscere poterit judex vel ex antiquis terminis seu limitibus, de quibus probatio haberi potest, per famam, testes, libros, vel instrumenta antiqua, nam terminis antiquis adhærendum esse, nisi ostendatur mutatio facta, habetur in *l. in finalibus ij. ff. finium regund.* potuit autem mutatio terminorum fieri per nouum contractum, vt si Dominus fundum non in integrum vendidit, sed duo v. g. agrorum jugera, juxta *l. eos. 10. ff. eod.* hoc casu mensore opus est, qui juratus esse debet & constitui alterâ etiam parte præsente, nisi contumaciter absens sit. *cit. l. 3.* & bene id explicat Angelus Aretinus. §. quædam *n. 12. Instit. de Actor.* vbi etiam libellum format, huius finium regundorum Actionis. Videatur *Wesenbe. in Paratit. l. 10. ff. tit. 1. n. 8.* vbi bene admonet, ex *cit.* §. quædam. Si controuersia in tali judicio commodè dirimi non possit secundùm diuisionem fundorum, quòd judex ex æquo & bono procedere possit, vni parti adjudicando

cando rem controuersam, ita tamen, vt si altera grauari se sentiat, per pecuniam compensatio fiat, & quæ hîc dixi de Rusticanorum prædiorum finibus regendis seu discernendis, idem pariter locum habet, si controuersia oriatur de jurisdictione territorii Ecclesiastici aut temporali, quò vsque ea extendatur, seu quoad possessionem, seu quoad juris proprietatem.

Nota III. In pari causa potior videri debet conditio possidentis, vti habetur *in Reg. 65. in 6. & Reg. 167. ff.* fauorabiliores Rei potiùs quàm Actores habentur.

4 Nota IV. Licet ordinaria regula sit, quòd possessor probare non debeat. §. *Retinendæ. Instit. de interdict.* Excipi tamen debet, nisi possessor Actoris vicem agat seu petendo seu excipiendo.

CAPITVLVM IV.

Proposuisti.

PARAPHRASIS.

Causa matrimonialis, inter O. de Casa noua, & inter S. mulierem, à Gregorio VIII. delegata erat Præposito S. Cataldi, coram eo partibus constitutis, mulier allegauit Viri impotentiam, juramento eam confirmans, & septem mulierum testimonio, quæ de eius Virginitate, ex aspectu testabantur, sed Vir contrarium juratus asseuerauit. Super hac re consultus Pontifex respondit, juramento puellæ, & septem mulierum testimonio potiùs fidem habendam esse.

SVMMARIVM.

1. *Causæ matrimoniales, subinde delegantur etiam illis, qui Episcopi non sunt.*
2. *Viro cum juramento asserenti matrimonium consummatum creditur, nisi in contrarium ex aspectu de virginitate sufficientia adsint testimonia.*
3. *Neque per statutum loci, vt officiali cum juramento asserenti credatur, plenior contrarii probatio excluditur.*
4. *In quæstionibus facti, quæ Iudicis notitiam excedunt, peritorum in ea re judicium cum credulitatis juramento requirendum.*
5. *Iudicis tamen arbitrio subinde relinquendum, vnius tantùm, an plurium judicium requirendum sit.*

NOTA I. Causa matrimonialis quandoque à Papa delegatur alicui, qui Episcopus non est. De hac re dixi in disput. *De Iurisdict. Conclus. 95.* 1

Nota II. Licet viro cum juramento asserenti se mulierem cognouisse, fides habenda sit. *c. Continebatur 6. De desponsi. impub.* propterea quòd in talibus, quæ difficilis probationis sunt, major certitudo requiri non soleat, attamen talis præsumptio orta ex viri juratâ assertione refelli potest, si septem mulieres ex aspectu de virginitate testificentur, vti hîc, & *c. Causam. 14. junct. gl. verb. Mulieres. hoc tit.* 2

Obijcies si vna pars litigantium juramentum præstitit, lis decisa censetur, ergo altera admitti non debet ad ostendendum contrarium. R. Interesse vtrùm judex juramentum v. g. Reo detulerit, an verò Actor cum judicis consensu; priori casu non est Actori adempta facultas ostendendi contrarium, vt ex hoc *c. Colligitur*, & ex lege, *Cùm de indebito. 25. ff. De Probationibus*, quia in mutuis probationibus, prævalere debet ea, quæ potentior est, ait *Decius hîc n. 3.* In posteriori autem casu, juramentum cuiusdam transactionis species est, ac proinde plenam litis decisionem inducit. *l. Admonendi. 31. de jureiur.* Quamuis etiam hoc casu excipiendum sit, nisi periculum animæ vertatur, vt in causa matrimoniali, si mulier cum viro impotente perpetuò cohabitare debeat. Hinc inferunt *Panorm. hîc n. 1. Decius n. 3. Felin. n. 3.* si 3
statutum loci sit, vt publico officiali cum juramento asserenti credatur, excipiendum esse, nisi contrarium pleniùs ostendatur, neque enim existimandum est, quòd statutum excludere velit probationem contrarij.

Nota III. Si quæstio incidat de facto 4

quod judicis notitiam excedit, tunc peritos in ea re accersere debet, eorúmq; judicium cum credulitatis juramento requirere. Ita sumitur ex *hoc c.* & *c. Fraternit, l. 1. ff. de Frigidis. l. 1. ff. De inspiciendo ventre.* Cetera si ex parte consensûs vtriusque periti adhibeantur, ad discernendum, tunc eorum juramentum necessarium non esse, tradit *Felin. hîc n. 9.* vbi alios quoque casus recenset, in quibus juramentum peritorum non requiritur.

Quærunt hîc DD. si lex requirat duos vel plures peritos adhiberi, & in loco tantùm vnus adsit, vtrum alij aliunde aduocari debeant. R. *Cum Panorm. hîc n. 6.* Judicis arbitrio esse committendum, vtrùm consideratâ qualitate causæ, vnius judiciũ sufficere possit, juxta *Authent. de non alienandis rebus Eccles. §. quod autem.* & tradit *Bartol. in cit. l. 1. n. 6. Decius hîc n. 10. Imola n. 5.* Sin autem causa ardua sit, vt vni credendum non videatur, præsertim si pars litigans petat plures aduocari, tum id fieri debet, vti monet hîc *Panorm. n. 7.*

CAPITVLVM V.

Tertiò.

Paraphrasis.

Canonicus Regularis amico suo sub sigillo Conuentûs alienationem fecit rerũ Ecclesiæ immobilium: cùm id instrumentũ exhibitum esset in judicio, Procurator Monasterij dixit non esse cum Conuentûs consensu confectum, atq; sigillum adulterinum vel furtivum esse, atque ad hoc probandum introduxit fratres, qui jurati dixerunt, quotiescunque de hac alienatione mentio facta fuit, conuentum contradixisse, & quia aduersùs hæc testimonia pars aduersa nihil probauit, ideò Clemens III. rescribit secundùm dicta testimonia fratrum esse judicandum.

Svmmarivm.

1. *In causa suæ Ecclesiæ Clericus etiam vel Religiosus potest esse testis.*
2. *Excipiens contra aduersarij instrumentum, ex eo quod dicat, sigillum adulterinum, aut furto sublatum esse, admitti debet ad probandum.*

Nota I. Clericus vel Religiosus potest esse testis in causa Ecclesiæ suæ, ita habetur *infra c. Insuper. 6. de Testibus.* Hoc loco difficultas est, nam hi testes videntur fuisse singulares, & ideò non sufficientes ad probationem faciendam. *Arg. c. Cùm Dilectus. 32. De elect.* R. Non fuisse singulares, sed contestes, quia singuli testificabantur de eodem facto, videlicet communi contradictione seu reclamatione Conuentûs, sed casus dicti *c. Cùm dilectus,* diuersus est, nam ibi suffragia in secreto data fuere, & ideò Canonici testari non poterant, nisi de singularibus suffragationibus, ita ut quisque ipsorum diceret, se in electum non consensisse. 1

Nota II. Contra instrumentum in judicio productum aduersarius excipere potest, sigillum esse adulterinum, id est, vel factum secundùm imitationem, vel furto subtractum, & ad alterutrum horum per testes probandum admitti debet. *c. Cùm Ioannes. 10. De fide instrument.* Et verò talis probatio fieri potest, non tantùm directè ostendendo fraudem, sed etiam indirectè, videlicet reclamatum fuisse à Conuentu, v. g. ne fieret, instrumentum Conuentûs nomine productum, esse suppositititium. 2

CAPITULUM VI.

Iurauit.

Paraphrasis.

Titius jurauit se Caiam ducturum in vxorem, & cùm vellet eam ducere, seu verbis de Præsenti contrahere, quidam opposuerunt se, juramentis secundùm morem editis, quòd illi in quinto Consanguinitatis gradu coniuncti essent, quorum testium juratæ depositiones cùm publicatæ essent, alius testis accessit, qui probare voluit, nullo illos consanguinitatis gradu junctos esse, dubitauerat judex

dex vtrùm iſte audiri deberet, ad hoc reſpondit Clemens III. ſtandum eſſe probatione teſtium priore.

SVMMARIVM.

1. *In caſu, quo Iudex poſt factam denuntiationem ex officio procedit, per viam inquiſitionis, poteſt denuntiatus poſtmodum eſſe teſtis.*
2. *Poſtquam in cauſa concluſum eſt, alij teſtes ſuper ijſdem articulis ordinariè recipiendi non ſunt; niſi animæ periculum vertatur, aut vitium ſententiæ per partem non ſit remiſſibile.*

1 NOTA I. Qui crimen vel impedimentũ matrimonij judici denuntiat, poteſt deinde adhiberi, vt teſtis, ſicuti colligitur etiam *ex c. In omni. 4. de Teſt.* Debet tamen id intelligi, ſi judex ex officio per inquiſitionẽ procedat, non item, ſi denuntiator litem proſequi velit, cùm non poſſit idem eſſe accuſator, aut litis promotor, & teſtis, ſicuti pluribus allegatis bene notauit *Decius hîc Not. 4.*

2 Nota II. Si publicatis teſtibus concluſum ſit in cauſa, alij teſtes ſuper eiſdem articulis recipiendi non ſunt, ſed ſententia ferenda ſecundùm teſtium priorũ depoſitionem. Ita *gl. hîc verb. Partibus.* & habetur etiam *in c. Fraternit. 17. de teſtibus.* Ratio dari debet, quia partes per concluſionẽ in cauſa cenſentur renuntiaſſe probationibus, igitur ad nouas ſuper eiſdem articulis admitti non debent, ordinariè loquendo. Conſequenter vbi hæc ratio ceſſat, quia partes non poſſunt probationibus ſuis aut defenſionibus renuntiare propter animæ periculum, in eo caſu dicendum eſt, quòd etiam poſt publicatas atteſtationes, imò etiam poſt latam ſententiam teſtes aliæque probationes recipi debeant, vt in caſu *c. Series. 26. de teſtibus.* ſi agatur de impedimento matrimonij contracti, vti notauit *Hoſtienſ. ibi. & gl: hîc*, & DD. communiter, quando aiunt, quòd vbi periculum animæ vertitur, ſententia non cenſetur tranſire in rem judicatam, propterea quòd in tali caſu vitium ſententiæ non ſit per partem non appellantem remiſſibile, vt ait *Imola hîc n. 4. Panorm. n. 5.* & ſumitur *ex c. Lator. 7. de re judicata.* Imò etiam ſi ageretur de impedimento matrimonij contrahendi, & poſt publicationem teſtium ex vtraque parte productorum, vnus ſponſorum nouos teſtes producere vellet, ad oſtendendum impedimentum, audiri deberet, propter animæ periculum, ſi matrimoniũ inter impeditos ſeu inhabiles contrahatur. Contra hanc tamen doctrinam communiter traditam ſentit & objcit *Decius hîc n. 6.* in cauſa capitali, ſi crimen probatum ſit, vel Reus confeſſus, ſententia lata tranſit in rem judicatam. *Arg. l. 1. §. vlt. ff. de quæſtion.* & tamen vitium ſeu iniquitas ſententiæ non eſt remiſſibilis per partem, videlicet Reum condemnatum, cùm non ſit Dominus membrorum ſuorum. *l. Liber homo. 27. ff. ad legem Aquiliam,* conſequenter juri defenſionis ſuæ renuntiare non poteſt. ℟. hoc argumento conuinci, quòd Reus poſt latam ſententiam vltimi ſupplicij aut mutilationis, ſemper audiri debeat ſuper defenſione ſuâ, ſi probabiliter exiſtimari poſſit, eum malitiosè non agere, ſed innocentiam verè demonſtrare poſſe. Et ad *l. 1. §. vlt.* ℟. ex eo loco potiùs contrarium colligi, vti *gloſſ. Marginal. notat, & Bart. ibi. n. 4.* quod videlicet Reus in cauſa capitali, etiam poſtquam concluſum eſt, audiri debeat, ſi innocentiam ſuam oſtendere velit: ſed neq; latam ſententiam condemnationis judex exequi debet, ſi de innocentiâ Rei poſtea conſtiterit, quamuis in dicto §. dicatur, quòd non ipſemet judex inferior, qui tulit ſententiam, reſcindere debeat, ſed cauſam (tanquam arduam) ad principem deferre. Interim verum eſt, quòd judices propter præſumptionem, quam habent contra Reum legitimè damnatum, reuocationem eius poſt confeſſionem aut latam ſententiam plerumque attendere non ſoleant.

CAPITULUM VII.

Poſt ceſſionem.

PARAPHRASIS.

Ait hoc c. *Innocentius III.* cùm ipſi ex

literis judicis ordinarij (quibus in hac re standum est, donec contrarium probetur) constiterit, quòd Vitus excommunicatus fuerat, quando procuratoris officium assumpsit, ipsum tanquam procuratorem in judicio recipere noluisse.

SVMMARIVM.

1. *Fides habenda est literis ordinarii debitè munitis, dum oppositum probetur.*
2. *Sigillum propriam à quocunque etiam priuato appositum, & legitimè recognitum, fidem facit literis in præiudicium apponentis.*
3. *Quamuis consultum sit, vt aliæ etiam cautelæ ad fidem faciendam idoneæ adhibeantur.*
4. *In præiudicium tamen alterius plenam fidem non facit sigillum à priuato appositum; faciunt tamen plurium vitæ probatæ virorum sigilla, si recognita fuerint.*
5. *Qualem fidem etiam facit oppositum literis sigillum publici magistratûs aut communitatis, saltem attendendo consuetudinem Doctorum, quamuis de jure communi contrarium probabilius sit.*
6. *Qui in excommunicatione positus Procuratoris munus assumpsit à judicio per exceptionem repelli potest.*

1 NOTA 1. Literis Episcopi alteriúsue Ordinarij (sigillo aut subscriptione munitis) fides habenda est, donec oppositum probetur: Difficilis hîc quæstio proponitur, num sigillum appositum literis, sufficiat ad fidem faciendam. Bz. &

2 Dico 1. Sigillum proprium à quocunq; etiam priuato appositum, facit fidem literis in præiudicium apponentis, est communis doctrina, cuius ratio est, quia sicuti subscriptio, ita & sigillum adhibetur ad fidem faciendam scripto, id est, emanâsse ab eo, quem sigillum vel subscriptio ostendit, opus tamen est recognitione, id est vt cognoscatur esse scripturam aut sigillum eius, de quo profertur, juxta *l. Si Procuratorem. 65. ff. de Procuratoribus. vbi Bart. n. 1.* Est autem controuersia inter DD. si neget is, cuius sigillum esse perhibetur, cuinam probatio incumbat; communior est sententia, *gl. & Bart. in cit. l. Couarr. in pract. quæst. c. 22. n. 9. Menochij in arbitr. casu 173. Georg. Euerhard. vol. 1. Consil. 51. n. 6.* si is, cuius sigillum esse perhibetur, neget suum esse, aut à se appositum, probationem incumbere affirmanti, quamuis contrarium docuerit hîc *Anton. Decius in c. 3. n. 2. hoc tit. Mascard. in Volum. 3. Conclus. 1032. n. 9.*

Corollarium. Cautus esse debet, qui alicuius obligationis confessionem suscipit, vt non contentus sit sigillo, sed requirat etiam subscriptionem sigillantis, quia ea faciliùs recognosci & minùs in dubiũ reuocari potest. Consultiùs verò est, vt duo testes adhibeantur, vel publicus notarius, qui de sigillatione, subscriptione, & vno verbo de consensu contrahentis, v. g. donantis testentur, *vti Bartolus monet in cit. l. Si procuratorem. n. 3.* Præterea cautus esse debet, qui confessionem accipit, vt accipiatur sigillum proprium sigillantis, quamuis etiam alienũ adhiberi possit, cùm proprium non habeatur, vel ad manum non sit, sed expedit vt hoc ipsum in instrumento dicatur, signantẽ alieno sigillo vsum fuisse, qua de re *Mascard. cit. Conclus. n. 18.* de hoc plura in *c. Inter. de fid. Instrum.* Limitari debet superius tradita cõmunis doctrina 1. quòd judicis arbitrio permittatur, vt ex circumstantiis præsumptionem facere possit, sigillum vel subscriptionem eius esse, quem præsefert, nisi eam cõtrariis maioribus præsumptionibus idem superare possit, *vti Menochius indicat n. 3.* 2. Ob temporis antiquitatem seu vetustatem accedit authoritas & fides sigillo, præsertim cum recognitio seu approbatio eius facilè tunc fieri non possit, *vti annotauit Euerhard. cit. consil. 51. n. 7.* Limitant multi, nisi sit sigillum videlicet Episcopi alteriúsue Ordinarij, Capituli vel vniuersitatis in rebus pertinentibus ad eius officium: quod tali sigillo indistinctè fides habeatur, docet *Bart. in sup. cit. n. 3. gl. marg. 16.* vbi ait, quòd literæ quibus publicum sigillum affixum est, hoc ipso approbatæ censentur. Et *Menoch. in cit. casu 113.* quod necessaria non sit alia recognitio, cùm satis notum sit, esse sigillum authenti-

3

thenticũ alicuius Magistratûs, quippe quod difficiliùs surripi aut falsari potest, quàm priuati alicuius sigillum. Et id verum esse videtur, & vsu receptum, dummodo nulla adsit suspicio fraudis, vti admonet *Felin. hîc n. 18.* & colligitur ex *c. 1. de Clericis peregrinis*, videatur *Couarr. loc. cit.*

4 Dico II. Sigillum à priuato appositum literis, fidem plenam non facit contentis in literis, quatenus cedere potest in alterius præiudicium, sed secus esse videtur, si sit sigillum publicum Magistratûs aut cõmunitatis. Prior pars assertionis est certa, quia sigillum non potest plus fidei facere, quàm testimonium, ad quod significandum adhibetur, vnius autẽ priuati viri testimonium non sufficit ad plenam fidem seu probationem. *c. Licet 23. de testibus.* ergo nec sigillum eius: duorum autem vitæ probatæ virorũ sigilla, si recognita seu approbata fuerint, fidem faciunt literis in præiudicium alterius; at verò in proprium præiudicium, sigillum vel subscriptio sigillantis, fidem facit, si recognita fuerit, perinde ac propria confessio, vti constat ex prima responsione; Altera pars assertionis, hunc sensum habet, si literæ Magistratûs ex sigillo publico vel subscriptione cognoscantur, quòd fidem plenam faciant, etiam in præiudiciũ alterius. Sumitur ex hoc capitulo, vbi absolutè dicitur, quòd literis ordinarij judicis credatur in præiudicium subditi, qui excommunicatus dicitur. *& ex l. Si publicanus. 4. §. de reb. ff.* de Publicanis. tradit Bart. *in cit. l. si Procuratorem. gl. in c. 2. de fide Instrum. Decius hîc n. 7.* si enim Notarij publici literis propter publicũ eius officium & obligationem plena fides habetur, vti docet *gl. & DD. in l. in donatione 31. C. de donationibus*, cur non etiam literis consignatis ab Episcopo aut alio Magistratu, in pertinentibus ad officium eius. Verumtamen tradita doctrina fermè tantùm niti debet consuetudine Doctorum, vti admonet *Baldus in Rubr. Cod. de fide Instrum. n. 45. arg. c. Cùm dilectus 1. de fide Instrument.* & *Felinus hîc n. 8.* refert Dominos Rotæ dicentes, quòd consuetudo curiæ Romanæ, & totius orbis hoc teneat, quòd sigillatis literis Episcopi credatur, quando in spectantibus ad officiũ testatur, v. g. quòd duo Clerici beneficia permutârint &c. Verumtamen spectato communi jure, probabilior est sententia *Panorm. hîc n. 5. Felin. n 7. Baldi loc. cit. & aliorum*, quòd solis literis siue instrumento judicis vel magistratûs credendum non sit, in alterius præiudiciũ, non enim plus fidei adhibendũ est literis seu voci mutæ, quàm voci viuæ, atqui Episcopo aliquid voce viuâ asserenti in alterius præiudicium, fides non habetur. *c. Si tantùm. 6. q. 2.* ergo nec literis eius. Quamobrem securiùs est, vt dicatur, instrumentũ à judice ordinario aut delegato, vel quolibet Magistratu scriptum aut obsignatum, non censeri authenticum & fide plenâ dignum in alterius præiudicium, nisi insuper testium subscriptione munitum sit, exceptis causis leuibus, in quibus tanta certitudo necessaria non videtur, quanta in arduis, vt *Panorm. hîc monet n. 6.* Ad argumentum quod sumptũ est ex officio Notarij, bene respondet *Panorm. n. 5.* quòd ipsius potestas, vt authenticum instrumentũ adhibitis testibus, etiam sine ipsorum subscriptione conficere possit, extraordinaria & exorbitans sit, quia ad hoc specialiter per publicum officium deputatus est; id verò extendi non debet ad judicem, absque expresso juris textu.

6 Nota II. Si quispiam procuratoris munus in excommunicatione assumpsit, à judicio per exceptionem repelli potest; ita docet *Innoc. hîc in fine. Decius n. 17. Suar. de censur. disp. 16. sect. 8. n. 19. & seq.* Sunt autem duo modi id explicandi, primus est, quem sequitur Decius, quòd Vitus iste credebatur adhuc persistere in excommunicatione, & nondum absolutus esse, ideò meritò repelli poterat, imò debebat à judicio repelli, si vitandus fuit. Alter modus & textui magis conformis, est *Suarij n. 14.* Vitum ideò solùm à Pontifice repulsum fuisse, quia in excõmunicatione positus non sine iniuria Ecclesiasticæ potestatis, Prôcuratoris officium susceperat. Contra hanc doctrinam sentit *glossa hîc verb. Excommunicatus. Panorm. n. 10. Imola n. 8. Felin. n. 20.* & alij communiter, quos refert & sequitur *Sairus in thesauro lib. 2.*

lib. 2. c. 8. n. 6. quòd constitutio Procuratoris excommunicati, non tolerati, ipso jure irrita sit, ita vt acta eius in judicio non valeant, tametsi interea absolutus sit, verumtamen tanta censura ex verbis huius Capituli non colligitur, neque alius textus afferri potest, quare cùm in materia pœnali ac restringibili versemur, extensio hæc DD. vltra verborum proprietatem, probabilis videri non potest. Vide quæ à nobis dicta sunt, *l. 1, tract. 5. p. 2. c. 2. n. 14.*

CAPITVLVM VIII.

In præsentia.

Paraphrasis.

Inter duos fratres ex vna parte, & quoddam Monasterium ex alterâ parte coram Ecclesiæ Romanæ Cardinale vertebatur quæstio super bonis & juribus hæreditatis. Duo illi fratres proposuerunt, quòd frater ipsorũ germanus quondam testamentum fecerit, in quo Marcum filium suum hæredẽ instituit, præcipiens, vt si sine liberis decesserit, bona ad fratres suos deuoluerentur, quamobrem per actionẽ hæreditatis petebant bona omnia sibi restitui, quæ Monasterium possidebat, atq; insuper inposterũ cohiberi à molestationibus. Sed Syndicus Monasterij ex aduerso opposuit, Marcum se & omnia sua Monasterio obtulisse, ideóq; omnia eius bona ad Monasterium deuoluta esse, consequenter petere Monasterium bona, quæ fratres inuaserant, sibi restitui, & super ceteris silentium illis imponi. Contra hæc replicabant fratres germani, quòd Marcus dum se & sua Monasterio offerret, Minor annis fuerit, & quòd votum suum, quod ex ætatis infirmitate conceperat, postea maturior factus reuocârit, firmũ itaque manere, quandoquidem Marcus sine liberis decessit, quòd hæreditas ex Patris eius testamento ad ipsos pertinere debeat, Syndicus verò ad hæc respondit, licet dictus Marcus ex Monasterio egressus fuerit, postea tamen iterum se & sua humiliter ac deuotè obtulisse, oblationem suã juramento confirmans: quamobrem, licet detur primæ oblationis tempore fuisse minorem natu, tamen probatum non esse, quòd tempore posterioris oblationis minor natu fuerit; præterea verbum istud *Minor natu* seu Minor annis ambiguum sensum habet, cùm & de Minore annis quatuordecim seu impubere intelligi possit, & de Minore annis viginti quinque. Consequenter talis ambigua exceptio Monasterio obesse non debet, cùm dicta donatio valeat, si facta & juramento firmata sit intra annos pubertatis ante completos annos viginti quinque. Accedit & id, quòd Marcus censeri non possit sine hærede decessisse, quando Monasterium hæredem suum reliquit; propter hæc allegata cõsiderans Cardinalis quòd Syndicus Monasterij intentionem suam plenè probârit, at verò ex parte aduersa nihil sufficienter probatum sit, ex mandato Papæ sententiam protulit, fratribus germanis silentium imponendo super petitione, eósque ad restitutionem condemnando eorum, quæ ex bonis Monasterij occupârunt.

Svmmarivm.

1. *Consortes eiusdem litis possunt eodem libello Reum conuenire.*
2. *In fauorem Ecclesiæ, aut alterius piæ causæ donatio omnium bonorum præsentium & futurorum facta, valida est.*
3. *Quamuis de jure antiquo quindecim anni sufficiant ad professionem religiosam, de nouo tamen Concil. Tridentini jure anni sedecim requiruntur.*
4. *Quæ jure ciuili statuta sunt circa minores 25. annis, quatenus cum vel sine consensu Curatoris obligari, aut bona sua alienare possunt, vel non possunt, locum non habent circa hos minores, puberes tamen, Religionem professuros, quibus liberè licet de bonis suis disponere.*
5. *Etiam per testamentum, seruatis tamen debitis solemnitatibus.*
6. *Factum de quo constat, præsumitur legitimè factum esse, & probatio contrarij illi incumbit qui negat.*

7. Du-

7. *Dubia & ambigua probatio non relevat probantem.*
8. *Qui substitutus est in testamento in defectum liberorum, excluditur à monasterio in bonis sui Professi illa substitutione grauati; non quidem quia monasterium loco vili habetur, sed quia testator censetur aquè dilexisse monasterium, ac liberos.*
9. *Substituta tamen alia causa pia in defectum liberorum, non videtur excludi taliter à monasterio.*

1 NOTA I. Duo in causa sibi communi eodem libello & actione Reum conuenire possunt. Ita annotauit *Panorm. hîc not. 1.*

2 Nota II. Tametsi alioqui irrita sit donatio bonorum omnium, tam præsentium, quàm futurorum seu deferendorum, quia liberam de bonis testandi facultatem adimit, quod jure ciuili indecens censetur, vti docet *glossa, Bart.* & alii *in l. Stipulatio. 61. ff. de verb. oblig.* tamen fauore Ecclesiæ, aut alterius piæ causæ valere debet, cùm jus ciuile pietatis opera restringere aut impedire non possit, vti ex communi sententia docui *lib. 3. tr. 4. c. 12. n. 16.* Ceterùm jure nouo *Concil. Trid. sess. 25. c. 16. de Regularibus.* irritæ pronuntiantur donationes & renuntiationes quæ fiunt à Nouitiis aut professuris religionem ante duos menses professionem ipsam proximè antecedentes: deinde si intra hoc bimestre spatium fiant, requiri debet consensus Episcopi, etiamsi Ordo exemptus sit (nisi super hac re priuilegium Apostolicum habeat) atque nisi professio re ipsâ sequitur, donatio facta intra bimestre corruit. De hac re fusè egi, *lib. 3. c. 7. n. 5. & seq. Videatur Rodrig. tom. 2. Reg. q. 48.*

3 Nota III. Minor annis 14. religionem profiteri non potest, vt hîc apparet, & in *c. 1. De Regular. in 6.* sed Maior annis 14. seu qui ingressus est annum 15. poterat olim profiteri, eâque professione omnia bona sua in monasterium transferre, quod successionis & bonorum capax esset. *authent. Ingressi C. de Sacrosanct. Ecclesiis. c. Quia ingredientibus. c. Si qua Mulier. caus. 19. q. vlt.* hodie autem ad professionem in vtroque sexu requiritur ætas annorum sedecim, & vt professionem faciens integro anno post susceptum habitum in Religione steterit. *Concil. Trid. sess. 25. cap. 15. De Regularibus.*

Nota IV. Tametsi Cæsareo jure constitutum sit, vt Minor 25. annis, si Curatorem habeat, absque eius consensu & authoritate ciuiliter obligari non possit. §. *Admonendi. Instit. quibus alien. licet. & lege 3. C. de in integrum restitut.* Si autem curatorem non habeat, tunc obligetur quidem ex contractu, sed si læsus sit, in integrum restitui debeat *cit. l. 3.* Præterea siue habeat siue non habeat Curatorem natu minor, vt bona immobilia & mobilia pretiosa quæ seruari possunt, sine judicis decreto alienari nequeant. *l. Lex qua. 22. C. de administr. tutorum. l. Siquidem ij. l. Si prædium. 16.* & toto ferme titulo. *C. de prædiis Minorum.* hæ tamen constitutiones locum non habent, si pubes minor natu religionem professurus, bona sua seu in monasterium transferat, seu cuicunque alteri donet, vt hîc docet *Ioan. Andr. n. 15. Panorm. n. 10. Decius. n. 35.* Ratio dari debet, quia profitendo religionem in ordine ad bona sua censetur mori, cùm postea nec de bonis, neque inter viuos, neque per vltimam voluntatem ipsi disponere concessum sit. *cit. c. Quia ingredientibus.* Consequenter professuris religionem, concedendum est, vt de bonis omnibus liberè disponere possint, dummodò puberes sint. *arg. l. Quâ ætate. 5. ff. Qui testamentum facere possint. & authent. de Monach. §. Illud quoque.* Imò plurimi DD. sunt, vt *Bart. auth. si qua Mulier. n. 7. Cod. de sacrosanct. Ecclesiis Panorm. hîc n. 49. Clarus, verb. Testam. q. 28. n. 2.* qui putant valere testamentum conditum ante Religionis professionem, etiamsi minus solenne sit, quia tale priuilegium militibus terrenis concessum est. *l. 1. & seq. ff. de testam. militis.* sed contraria sententia *Sanch. l. 7. Moral. c. 3. n. 18.* placet, cùm nullus textus juris afferri possit, quòd talis facultas absque solennitatibus testandi Nouitiis aut ingressuris religionem concessa sit, neque est eadem

aut æquiparata ratio inter militem & nouitium, vt vnius specialia jura aut priuilegia ad alterum transferri possint. Porrò licet solenniter testari debeat religionem ingressurus, aut professurus, tamen liberè testari potest, ita ut neque ipsum Monasterium instituere teneatur, ideóque nec rumpatur testamentum per religionis professionem, sicuti rumpitur per superuenientem filii natiuitatem, quandoquidem nullo jure ostendi potest Monasterium loco filii habendum esse. quâ de re *Sanchez. loc. cit. n. 34. Molina tract. 2. disp. 139. n. 15.* accedit quod testamentũ semel legitimè factum, non tollatur per simplicem etiã expressam, multo minùs tacitã abolendi voluntatem. §. *Ex eo autem. Instit. quibus modis Instrumenta infirmentur.*

6 Nota V. Si constet de facto, præsumi debet legitimè factum esse, v. g. Professionem religionis in requisitâ ætate editam, atque probatio contrarii illi imponenda est, qui negat, vti ex hoc c. colligitur, & habetur in *l. Sciendum. 30. ff. de V. O.* & in *l. Ab ea. 5. ff. De Probationibus.* vti Paulus J. C. respondit, si quis negat emancipationem rectè factam, probationem ipsum pręstare debere. Neque dicam, quòd qui ætatem suam maiorem vel minorem asserit, eam probare teneatur secundùm glossam in *c. Presbyter. dist. 78.* vbi gl. ait, quòd ordinem petens, probare debeat ætatem, quæ requiritur. & in *l. Cum te 9. C. De Probationibus.* habetur, quòd asserens, se minorẽ, vt in integrum restituatur, ætatem probare teneatur, ergo non rectè Monasterii procurator onus probandi minoritatem seu defectum ætatis in fratres germanos reiecit. Accedit *cap. Cùm nobis. 19. de elect.* vbi secundùm Rubricam dicitur, nisi electus ostenderit, se ætatem legitimam habuisse, electionem eius confirmandam non esse, ergo similiter Marcus Professus, vel post mortem eius procurator ostendere debebat, professionis tempore ætatem legitimam adfuisse. Resp. Enim, cùm ætas hominis in continuo naturali processu sit, ideò de nulla certa hominis ætate præsumptionem fieri posse, vti gl. obseruat, in *cit. l. Cùm te.* præterquam quòd in dubio ex corporis constitutione & aspectu (non turpi) judex coniecturam capere possit. *l. minor. 32. ff. de Minoribus.* & tradit *Menoch. in arbitrariis. casu. 117.* Quamobrem vnica regula tradi solet in *gl. in cit. c. Presbyt. & gl. Marg. in cit. l. Cum te.* quòd fundans intentionem suam super ætate alicuius maiore vel minore, probare teneatur, atqui in causa huius capituli Syndicus Monasterii principaliter non fundabat intentionem suam super ætate completâ annorũ quatuordecim, sed super professione, quâ probatâ, præsumptio aderat ætatis requisitæ; sed fratres germani, ad ostendendum professionem & translationem bonorum in Monasterium irritã fuisse, debebant intentionẽ suam principaliter fundare super Minoritate seu defectu ætatis, & ideò onus probandi ipsis incubuit.

Nota VI. Dubia & ambigua probatio nõ releuat probantẽ. Ita gl. magna. hîc. *Jo. And.* & alii, quia præsumptio semper est pro Reo conuento, donec aliquid contra ipsum ostẽsum sit, dum autẽ verbum aliquod, aut sententia dubia profertur, nihil ostensum est, cùm nesciatur in quo sensu intelligi debeat. 7

Notandum Vlt. Si grauatus hæreditatem aut legatum alteri restituere, sine liberis decesserit, aut Religionem profiteatur, tum, exclusò substituto, Monasteriũ succedit in bonis professi. Ita habetur in *auth. De Sanctiss. Episcopis. §. Sed & hoc.* Bene autem monet Bartolus, in *auth. Nisi. rogat. 1 Cod. ad Trebell.* causam huius constitutionis non esse eã, quæ in hoc *c.* à syndico allata est, quia Monasterium loco filii habeatur, id enim ex nulla lege aut Canone ostendi potest, sed causa ea est, quæ in *cit. auth. de Sanct.* Episcopis insinuatur, quòd, quia præsumptio esse debeat, si testatori in mentẽ venisset, cogitare de Religionis professione, talẽ casum excepturus fuisset, cùm non minùs causam piam Monasterii, quàm liberos dilexisse censeatur. Et hinc obiter colligitur, si actoris aut Rei intẽtio justa sit, tametsi ineptis rationibus eam ostendat, nihil tamẽ id causę obesse, vt judex ex officio jura suppleat. Limitanda verò est tradita doctrina, quòd, si causa pia substituta sit in liberorum defectum, v. g. si filius meus

sine

sine liberis decesserit, bona eius pauperibus dentur, vel Ecclesiæ parochiali, hoc casu præferenda sit causa pia substituta, quia si priuilegiatus concurrat cum priuilegiato, tum cessantibus priuilegiis seruatur jus commune. Vti latè hîc tradit *Panorm. n. 36.* & limitatio ista habetur in *cit. authent.* expressè §. *Sed & hoc.*

CAPITVLVM IX.

Licet.

Paraphrasis.

Inter Archiepiscopum Rauennatensem, & Communitatè Fauentinam Controuersia erat super jurisdictione, honore, atque districtu in Villa S. Petri & Castro Arioli, quod dicta Ecclesia ad se pertinere dicebat, hæc causa coram Pontifice discutiendæ erat; sed quia partibus molestum erat, testes Romam adducere, ideò Pontifex Innocentius III. mandauit Episcopo Placentino, vt attestationes tam super negotio principali, quàm super personis testium intra trimestre reciperet; dein partis vtriusque procuratores vnà cum signatis attestationibus ad Sedem Apostolicam destinaret. Publicatis postea corã Pontifice attestationibus Syndicus Fauentinorum proposuit, se quædam contra testes partis aduersæ obiecturum, sed æconomus Ecclesiæ replicauit, id fieri non debere. Tum Pontifex interlocutoriè decreuit, Syndicum illum audiendum non esse, quia tempus trimestre, quod partibus datum erat ad proponendum tam super testibus, quàm super negotio ipso, elapsum esset. Postea idem Syndicus obiecit, quòd testes corrupti falsum dixissent, tunc considerans Pontifex huiusmodi exceptionem, non solùm ante, sed etiam post sententiam opponi posse, licet aliqui crederent, malitiosè ad impediendum processum talia obiici, tamen ne à juris regula discederetur, Papa præcepit quibusdam, vt testes super exceptione corruptionis ac falsitatis à Syndico producendos intra mensem reciperent ac examinarent, de omnibus circumstantiis exactè inquirentes, indulto altero mense Ecclesiæ æconomo, intra quem, si velit, alios ex aduerso testes producere possit, atque dicta testium diligenter conscribentes, ea postea Pontifici mittant, viginti dierum spatio præfixo parti vtrique, intra quod vnà cum attestationibus, Papæ conspectui se præsentare debeant. Id cùm factum esset, attestationes istæ publicatæ sunt, atque permissum partibus, vt quæcunque vellent, proponere possent, tametsi verò Fauentini multos testes super negotio principali produxerint, vix tamen sex eorum concordes fuerunt, sed alii quidem inter se contradicentes, alii autem singulares reperiebantur. Quod verò attinet ad testes qui à Fauentinâ vniuersitate producti erant, ad reprobandos testes Ecclesiæ Rauennatensis, plures eorum reprobandi erant, quia euidentissimè inter se contradicebant, alii verò pauci, licet expressè non fuerint reprobandi, tamen adeò malæ famæ & leuis opinionis erant, vt eorum dictis nulla aut modica fides adhibenda esset. Sed & iidem testes Fauentini vniuersim reprobandi erant, quia non probârunt id, ad quod probandum Syndicus se adstrinxerat, videlicet quòd testes Rauennatenses corrupti falsa dixissent; quia tametsi de corruptione aliquid dixisse videbantur, tamen de falsitate nihil omnino dixerunt. Ceterùm ex depositione testium productorum ex parte Ecclesiæ, qui & numero plures erant & aptiora ac propinquiora negotio afferebant, clarè apparebat ex vniuersis articulis jurisdictionem exprimentibus, quòd dicta Ecclesia à sexaginta jam annis in illis locis jurisdictionem, honorem ac districtum possederit, quamobrem si Communitas Fauentina ab annis quinquaginta, sicut testes eorũ asseuerâsse videntur, seruitia quædã in iisdẽ loci percepit, colligitur eos (Fauentinos) possessionẽ

iniustè inchoâsse, cùm duo simul, & eodem modo eandem rem in solidum possidere haud possint, præsertim cùm Fauentini justum possessionis titulum non ostendant, at verò pro Ecclesia Rauennatensi ex Imperatorum & Pontificum Romanorum priuilegiis appareat, eorum possessionem justam esse. Quare cùm constet Fauentinos ex eo tempore, quo possessionem suam probârunt, aliqua minùs justè ac sine titulo occupâsse, atque Procurator Rauennatensis petiuerit, Fauentinos prohiberi à turbatione & inquietatione, ideò perpendit Pontifex, in hoc casu non ita locum esse interdicto, *vti possidetis*, vt dicatur, *vti possidetis, ita possideatis*, quandoquidem probationes Ecclesiæ longè potiores sunt, & ideo ea in interdicto hoc possessorio superare debeat: quapropter Pontifex dictam communitatem super honore, jurisdictione & districtu locorum condemnat in judicio possessorio, de quo tantùm actum fuerat, perpetuum silentium indicens, & vt in posterum à molestatione abstineatur.

SVMMARIVM.

1. *In oppido vel ciuitate competere alicui possunt Iurisdictio, Honor & Districtus.*
2. *Quibus modis Actor in judicio versari possit, si latiùs sumatur actoris vocabulum.*
3. *Variis varia jurisdictio competit.*
4. *Ad testes producendos, vel vt contra eos opponatur, certum tempus à Iudice præfigi potest.*
5. *Admittitur etiam post latam sententiam ad hanc rescindendam oppositio, & probatio, de testium aut instrumentorum falsitate; ita vt executio prioris sententiæ suspensa maneat, dum lis super testium aut instrumentorum falsitate pendet.*
6. *Si pars litigans, testibus contra se productis, nulla formauit interrogatoria, vel non sufficienter, tenetur Iudex ex officio supplere defectum accuratè ea formando.*
7. *Testi improba vita, in causis ciuilibus, aut criminalibus exceptis, admisso, pro ratione maioris, aut minoris improbitatis, aliqua, aut nulla fides adhibenda.*
8. *Dari non possunt duo eiusdem rei possessores simul in solidum.*
9. *Quâ formâ vti debeat Iudex in possessorio retinenda, & vnde colligi possit, penes quem litigantium sit possessio, si plures eam sibi in solidum attribuant.*

NOTA I. Tria sunt quæ alicui in ciuita- 1
te, vel oppido &c. competere possunt. Iurisdictio, honor & districtus. Jurisdictio interdum accipitur latè, ita vt imperium sit eius species, interdum strictè, in *l. 3. de Iurisdictione.* vbi jurisdictio distinguitur ab imperio mero, quod jus gladii continet. Mixtum autem imperium dicitur, cui non tantùm imperium, sed etiam jurisdictio inest, vt tutores dare, in bonorum possessionem mittere. *cit. l. 3.* Denique jurisdictio cui Imperium non inest, sed tantùm mercenario judicis officio exercetur, ea simplex dicitur, vti explicat *Bart. in l. 1. ff. de Iurisdictione*, & dixi *lib. 1. tr. 4. c. 5.* Honor dicitur, quòd aliquis in eo loco tanquam Dominus agnoscatur, cui obsequia & seruitia deferenda sint. Districtus verò significat terræ spatium munitum & armatum jurisdictione, vti ex Baldo definit *Felinus c. Rodulph. n. 18. de Rescript.* Dicitur etiam quandoque jurisdictio territorialis.

Pro meliore intellectu quædam sunt ad- 2
uertenda. 1. Tribus modis aliquis in judicio versari potest, vt actor, latè sumpto vocabulo, exigendo publicam vindictam ob crimen accusati. 2. Aliquid exigendo à parte ob jus seu obligationem priuatam. 3. Exigendo aliquid à judice ob vtilitatem priuatam. In primo casu, qui judicio criminali ad publicam vindictam agit contra malefactorem, is crimen commissum in libello proponere debet, sed necesse non est, vt conclusionem seu petitionem adiungat, cùm judex ex nobili officio teneatur pœnam publicam decernere, si crimen in judicio notificatum fuerit *l. 3. ff. de accusationibus.* In 2. Casu, qui pro priuatâ vtilitate agit contra aduersarium,

debet

debet in libello concludere & petere id, ad quod Reus obligatus est. *l. 1. ff. De edendo*, nam judex tunc & non aliter officium suum Actori impartitur, ideò enim dicitur hoc judicis officium mercenarium, quia adstrictũ est seu deserviens actioni, prout explicat *Bartolus in cit. l. 1. n. 10.* In tertio casu, petitio ad Judicem referri debet, ita ut eius officiũ misericorditer imploretur, v. g. ad tutorem dandum, ad in integrum restituendum, dispensationem aliúdve beneficium conferẽdum. Strictiùs enim obligatur pars ex contractu aut delicto, videlicet secundùm commutativam justitiam, non autem tam strictè judex ex officio suo nobili obligatur ad succurrendum utilitati priuatæ, sed tantùm ex æquitate aut justitia legali, ita tamen, ut frequenter iniuria quædam reputetur, si denegetur; *l. 1. §. planè junct. gl. marg. ff. De aqua quotid.* & ideò etiam appellationis remediũ in tali casu concessum est. *l. 1. C. Si sæpiùs in integrum.*

3 Alterum. Interdum aliquis habet Dominium seu jus proprietatis in fundo, etiam junctum cum usufructu, & tamen non habet jurisdictionem ullam, quare dicunt aliqui ex *Bartolo in cit. l. 1. n. 15.* quòd aliquis habere possit territorium, & non districtum seu jurisdictionem territorialem; nam territorium definitur universitas agrorum intra fines utriusque loci, tametsi plerumque adjuncta sit jurisdictio & species quædam imperij mixti aut meri: quamobrem Jure Consulti *in l. pupill. 239. §. Territorium. ff. de verb. signific. junct. l. Moris ff. de pœnis*, existimant, territorium dici à terrẽdo, tanquam à communiter accidente; tamen talis qualitas separari aut abesse nonnunquam potest, uti bene explicat *Everhard. tom. 2. Consil. 34. n. 29.* Vt si Imperator in criminis pœnam ciuitatem aliquam Imperialem omni jurisdictione priuaret in territorio suo. Interdum verò habet aliquis imperium merum seu jus gladij, das Blut- oder Halßgericht/ sed etiam jurisdictionem nullam obtinet, ut idem Everhard notat fol. 478. Et vice versâ interdum aliquis habet jurisdictionem simplicem & imperium mixtum, videlicet ut tutores dare, in integrum restituere, in bonorum possessionem mittere, item seruitia & alia onera indicere subditis possit, & tamen non habet imperium merum seu jus gladij, quod in Germania à plerisque etiam appellatur, das Obergericht. Multi tamen habent jus capiendi & incarcerandi malefactores in territorio suo, quos intra certum tempus v. g. 24. horas superiorem jurisdictionem habenti præsentare debent.

Nota II. Judex interdum etiam non petentibus partibus terminum temporis præfigit, intra quem testes produci, vel contra eos opponi debeat, ita ut postea testes non recipiantur. Ita *gl. magna hic. Decius n. 13.* 4

Nota III. Postquam in causa conclusum fuit, imò etiam post latam sententiam, opponi potest, testes fuisse falsos. Sed intelligi id debet non directè in Ordine ad articulum probatorium, quandoquidem circa eum probationes in utramque partem auditæ fuerunt, sed formaliter in ordine ad ipsos testes, quòd dolo seu mendaciter deposuerint, ut si ostendatur, eos non fuisse præsentes negotio cui testimonium perhibent. Ita habetur *in Clem. 2. de testib. junct. gl. verb. Contrariis.* Idem quoque traditur de Instrumentis, ut si de falsitate argui possint, talis oppositio atque probatio etiam post latam sententiam recipi debeat *l. 1. C. Si ex falsis Instrum.* & proderit talis ostensio falsitatis ad hoc ut sententia rescindenda sit per in integrum restitutionem *cit. l. 1. & l. 2. C. eodem*, atque interim dum lis super falsitate testium aut instrumentorum pendet, etiam executio prioris sententiæ suspensa esse debet. *l. vlt. C. eod.* Duo tamen requiruntur, ut sententia ex hac causa rescindi debeat, videlicet, ut quæstio falsitatis seu falsationis priùs in judicii progressu mota non fuerit; & quod judex ex falso instrumento aut falsis testibus ad ita judicandum motus fuerit, uti habetur *in l. 3. C. eod.* His adde, esse etiam hanc speciem testis falsi, si sit corruptus pecuniâ, ut talia diceret. *c. Sicut. 9. De testibus. l. 5. ff. ad leg. Cornel.* de falsis. & tradunt *Panorm. Felin. hic. n. 4. Mascard. verb. Corrup. Conclus. 454.* & ideó sententiam latam ex taliter corru- 5

ptorum testium allegationibus, per restitutionem in integrum rescindendam esse. *l. Divus. 33. ff. De re judicata.* Neque obstat his textus huius Capituli, nam ad testium corruptionem, quæ aliquo modo probata videbatur per testes ex adverso adductos, ideò Pontifex non attendit, quia ut *glossa hìc monet*, Syndicus adstrinxerat se ad duo probanda, videlicet quòd corrupti falsa dixerint; quamobrem cauti esse debent Procuratores & Advocati, ut protestentur quòd tametsi plura allegent in articulis, non tamen se ad superfluas probationes obligare velint. Deinde responderi potest, quòd testes à Syndico producti, corruptionem non sufficienter probârint, & quòd Pontifex habuerit sufficientia documenta de justa & plurimis annis continuatâ possessione, ut nullum fuerit periculum falsæ depositionis in obiecto seu materia litis.

6 Nota IV. Licet pars litigans, contra quam testes producuntur, interrogatoria dare possit, id est, super quibus circumstantiis articulorum productorum testes examinari debeant. *cap. 2 junct. gl. verb. Interrogatoria, de testibus. in 6.* Si tamen pars interrogatoria non dedit, aut non sufficienter dedit, tum judex ex officio supplet, & interrogatoria accuratè format, uti apparet in hoc *cap. & c. Cùm causam. 37. de testibus.* & docet *Francus in cit. c. n. 6. Farinac. de testib. q. 73. n. 9.* Nam quotiescunque æquitas postulat judex ex officio interrogationes formare potest ad veritatem eruendam. *l. Undecunque. 21. ff. de Interrogatoriis action.*

7 Nota V. Tametsi testis improbæ vitæ admitti possit in causis civilibus atque in criminalibus exceptis, non tamen ei tanta fides habenda, acsi integræ famæ esset, imò tanta esse potest improbitas ac levitas, ut nulla omnino fides habeatur, nisi dictum suũ indiciis seu adminiculis probabile reddat. Ita apertè in hoc capitulo. & dixi de hoc *in cap. 1. de Confessis.*

8 Nota VI. Duo eandem rem simul & eodem modo in solidum possidere non possunt. Dicitur eodem modo, nam diverso modo id fieri potest, videlicet, ut unus possideat tanquam proprietarius, alter ut usufructuarius eundem fundum. Item ut unus civiliter, alter corporaliter possideat, deinde sicuti duo Domini eiusdem rei esse possunt Communionis jure, sed non in solidum seu totaliter, ita etiam duo eandem rem totam simul eodémque modo possidere possunt, sed non totaliter seu in solidum, & tum dicitur res à pluribus possideri pro indiviso, *l. 1. §. hoc interdictum. ff. Vti possidetis.*

9 Nota ultimò. Duobus modis agi potest interdicto retinendæ possessionis. Vel ut actor contendat & petat sibi omnem possessionem adiudicari, & adversario præcipi ut desistat à præsente molestatione, & in futurum non molestet: Insuper peti potest compensatio damnorũ, seu quanti interest molestationem factã non esse. Vel ut parti adversariæ non negetur, aut rationabiliter negari non possit omnis possessio, quia v.g. duo rem secundùm partes diversas possident, vel unus possidet ut proprietarius, alter ut usufructuarius; & hoc posteriori casu seruari debet formula interdicti, ut judex dicat, *vti possidetis, ita deinceps possideatis:* vel sic clariùs: quia ex actis & probationibus constat, habere te possessionem proprietatis, pronuntio, quòd ita possidere debeas, & vim tibi aut molestationem inferri veto, & quia adversarius tuus probauit possessionem vsusfructûs, ideò jubeo illum possidere, ut vsufructuarium, & molestationem circa vsumfructum non inferre. In priori autem casu, si quis omnem rei possessionem sibi attribuat, & alterum repelli petat, tum judex, si pro possessore judicio retinendæ pronuntiet, non utitur eâ forma, *vt quisque vestrûm possidet, ita possideat*, si quidem in possessione quam vi aut clam, aut precario aliquis ab adversario suo habet, defendendus non est, iuxta *l. 1. ff. Vti possidetis. & l. Vnic. Cod. eod.* ubi dicitur, quod per hoc interdictum possessor in possessione defendendus sit contra alterum, dummodo nec vi, nec clam, nec precario possessionem ab eo nactus sit. Quòd si verò duo sibi possessionem eiusdem rei in solidum

attribuant,ut in casu huius cap, atque adeò vterque contra alterum sit Actor, & Reus, quando vterque petit, ut possessio sibi adjudicetur, alter desistat ab occupatione aut molestatione iniustâ, quomodo tunc procedendum sit, Si quæres; ex textu patebit responsio, quòd scilicet judex ex utraque parte testes aliásque probationes tum ipsius possessionis, tum etiam tituli (si offerantur) præcipere possit, ex his enim apparebit, utra pars vincere debeat; potissimùm verò ex quatuor. Primùm, si una pars plures testes adduxerit pro possessione sua. Alterum, si testes producti aptiora & probabiliora dicant. Tertiùm. Si pars antiquiorem suam possessionem ostenderit, tum altera præsumitur vi, clam, aut precariò accepisse. Quartùm, si altera pars titulum possessionis ostenderit, licet enim id necessarium non sit, quia possessor ostensa nuda possessione contra adversarium tuendus est, dummodo nec vi, nec clam, nec precariò ab ipso possessionem nactus sit. §. *Quorum. verb. Hodie. Instit. de Interdict.* tamen si probationes ex utraque parte pro possessione æquales censeantur, proderit ostendisse titulum possessionis, nam hoc casu ea potior, ac justior censebitur, altera autem possessio invasio quædam ac turbatio præsumetur.

CAPITULUM X.

Per tuas.

Paraphrasis.

Tiburtinus civis Caiam per septennium ut concubinam habuit, sed prolem toto tempore non procreauit; postea Caia recessit à Tiburtino, & post non multum temporis reversa in domum, peperit, asserens Patrem prolis esse Tiburtinum, is licet ab initio negârit esse filium suum, tamen postea eum recognouit, appellans Raphaëlem, Raphaël cùm adolevisset, Sophiam Tiburtini ex sorore neptem uxorem ducere voluit, & cùm parentes Sophiæ propter consanguinitatem contradicerent, mater Raphaëlis cum juramento testata est, se non ex Tiburtino, sed alio viro suscepisse Raphaëlem; de hac quæstione consultus Innocentius, Respondit, præsumendum esse quòd Raphaël sit Consobrinus Sophiæ, atque adeò impeditus eam habere uxorem. Rationes afferuntur in textu. Prima, quia Caia primum constanter asseruit, Raphaëlem ex Tiburtino natum esse, imò potissimùm ob mulieris asseverationem Tiburtinus eum recognouit, ideò credendum non est contrariæ mulieris asseverationi, quamvis juratæ, cùm nimis indignum sit, quod sua quisque voce dilucidè contestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonióque proprio resistere. *l. Generaliter. 13. Cod. De non numerata pecunia.* Altera ratio, quia Raphaël communiter appellatus fuit filius Tiburtini, & pro tali habitus ab ipso & Caia.

Svmmarivm.

1. *Judex non permittet matrimonium cum consanguineis Patris, si præsumptiones pro filiatione adsint.*
2. *Præsumitur autem pro filiatione legitima, si in domo mariti, eo præsente, & potente generare, nata sit ex coniuge proles.*
3. *Neque sola mulieris adulterà contra filium assertio præsumptionem hanc elidit.*
4. *Pro filiatione tamen geniti ex concubina si alium à concubinario patrem nominet mulier, Iudicis arbitrio res committitur.*
5. *Probat etiam filiationem, si quis à quopiam vt filius nominatus, alitus & tractatus fuit.*
6. *Neque per hoc solùm quod priùs pro filio agnitus & tractatus, postmodum reiiciatur, filiationis præsumptionem & possessionem amittit.*
7. *Facit etiam pro præsumenda filiatione communis fama & opinio præsertim vicinorum & Domesticorum.*
8. *Contra proprium testimonium, quo jus alteri, aut juris præsumptio acquisita fuit, non creditur contrarium postmodum asserenti in præiudicium illius.*

Nota

1 Nota I. Si præsumptiones adsint pro filiatione, judex non permittet matrimonium cum consanguineis patris. Dico si præsumptiones adsint, quia probationes certæ generationis ex patre rarò haberi possunt. *l. Lucius. 83 ff. De conditionibus.* sed plerumque per coniecturas probari potest. *l. Filium. 6. ff. De his qui sunt.*

2 Prima coniectura est, si filius sit natus in domo Mariti eo præsente, & generandi potente. *cit. l. Filium.* Sed etsi constet matrem eodem tempore adulterium commisisse, ita ut utriusque viri filius esse possit, in dubio legitimus judicari debet. quod multi probant ex *l. Miles. 2. §. Defuncto. ff. ad l. Jul. de Adulteriis.* Sed textus ille non sufficit, cùm solùm ibi dicatur, si muler de adulterio convicta sit, nullum inde præiudicium generari filio, si res ita constituta sit, ut spectatis circumstantiis temporis, loci, personarum, etiã ex marito nasci potuerit. Itaque rationem dare debemus, quia iste esse debeat favor matrimonij, ut in dubio pro legitima nativitate præsumendum sit, uti docui *l. 3. tr. 3. p. 3. cap. vlt.* Videatur *Menoch. in arbitrar. casu 89. n. 20.* Extenditur id primò: Præsumptionem hanc non elidi, eo quòd mulier dicat ex adulterio natum esse filium, nisi id coniecturis & indiciis ostendat, cùm alioqui sit mera unius vilis mulieris asseveratio, non sufficiens ad abolendam juris præsumptionem, quæ pro legitima natiuitate adest, secundùm *gl. communiter receptam, in l. etiam. 16. ff. De probationibus.* Extenditur secundò, si proles nata sit ex concubina, quam domi aliquis habuit, quod concubinarij censeri debeat, uti docet *gl. recepta in c. Michaël. 13. verb. Constiterit, de filiis Presbyt. Panorm. hîc n. 2.* Verumtamen, cùm favor pro naturali nativitate non sit tantus, quantus est, pro nativitate legitima; ideò si alterius etiam filius esse possit, & mater id fateatur, nominétque patrem, ad judicem pertinebit examinare, num fides mulieri habenda sit nec ne, negari enim nõ potest, in filiationis quæstione, cùm difficilis probationis sit, multum judicis arbitrio concedendum esse. Vti docet *Menoch. cit. casu 89. n. 1.*

Altera coniectura. Si à quopiam filius nominatus, & ut filius alitus ac tractatus fuerit; uti tradit *gl. hîc*, verb. *Nominatus*: & admonet, quòd sola nominatio non ostendat aliquem filium, ut colligitur *ex l. Non epistolis. 13. Cod. De probationibus*; idque verum est, si contrariæ coniecturæ ex adverso stent, ut quia non ut filius habitus & tractatus fuit, alioqui negari non potest, quin nominatio filiationis præsertim geminata, vel in instrumento aliquo posita, magnam præsumptionem, & saltem semiplenam probationem faciat. *argum. cit. l. Nec epistolis. junct. gl.* & tradit *Felinus hîc n. 12.* Ceterùm si, ut dixi, cum nominatione tractatus filij junctus sit, tum acquiritur possessio filiationis cum maxima præsumptione veritatis. Ex quo duo colligi possunt. 1. Est extra controversiam, si adversarius agendo vel excipiendo neget esse filium huius Patris, intentionem suam fundans super tali negatiua, quòd onus probandi ipsi incumbat, quia actor & non possessor probare debet. Alterum minùs certum est, attamen valde probabile, quod tradit *Menoch. n. 70. cõtra Mascard.* & alios ab ipso citatos, *Conclus. 786.* Tametsi existens in possessione filiationis, intentionem suam fundet super filiationem, quia petit hæreditatem Patris, aut agit familiæ herciscundæ judicio, quòd ipsi onus probandi filiationem non incumbat, sed adversario qui negat. *argum. l. Circa. 14. ff. De Probationibus.* Ratio est, quam glossa marginalis indicat *in l. 1. ff. eod.* Lanfrancus *in praxi seu in cap. Quoniam. h. tit. cap. 8. num. 95. gloss. in cap. Transmissa. verb. Indiciis. qui sint legitimi filij.* cum filiatio respectu Patris non possit probari nisi per coniecturas, & possessio filiationis fundetur in coniecturis, videlicet, nominatum & agnitum esse pro filio, ideò qui probat possessionem præsumptiuè, etiam probat filiationem, cùm ordinariè maior probatio haberi nequeat.

5 Sed quid, si Titius Caium ut filium agnoverit, & tractauerit, postea verò eundē reiecerit, ut spurium, tollitúrne præsumptio filiationis. Resp. Cum *Felino hîc n. 9. Menoch. n. 73.*

n.73. quòd filius maneat in possessione, & consequenter præsumptione filiationis, præterquam si is agnoscat & acceptet reiectionẽ, vel alteri tanquam Patri adhæreat, vel nisi pater errorem suum probabiliter edocea-, cur inquã eum pro filio habuerit deceptus.

7 Tertia coniectura, communis fama & opinio, præsertim domesticorum ac vicinorũ persuasio, uti ex hoc cap. colligitur, *& l. Si mater. 6. C. Ne testator defuncto.*

Nota II. Non creditur alicui etiam jurato, si dicat contrarium ei, de quo antea dilucidè testatus fuerat. Verùm hoc dictum intelligi debet de tali confessione aut testatione antecedente, per quam alteri jus, aut juris præsumptio acquisita est, ut in casu huius cap. Si tamen aliquis neget quidpiã, postea autem confiteatur, in suum præiudicium creditur ipsi. Vt si Titius Caium reiecerit, tanquam filius non suus sit, postea autem eundem agnouerit, ac receperit, præiudicat sibi, ut filius ipsius esse præsumatur, uti Felinus hîc docet *n. 12. Menoch. cit. n. 73.*

CAPITULUM XI.

Quoniam.

Paraphrasis.

Quidam judices iniqui mendaciter asserebant, aliqua in judicio esse acta in præjudicium partis litigantis, quæ cùm veram negatiuam probare interdum non posset, quia neganti factum, nulla probatio directè suppetit, ideò ne falsitas veritati præiudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati, Innocentius III. in Generali Concilio statuit, ut tum in judicio ordinario, tum in extraordinario seu delegato judex tabellionem adhibeat, si id fieri possit, vel duos idoneos viros, qui universa acta judicii videlicet citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, & interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, concursiones, & cetera quæ occurrerint, fideliter, & competente ordine conscribant, designantes loca, tempora, & personas; quæ acta ita conscripta partibus tribuantur, Originali penes scriptores remanente, ut si super processu judicis controuersia oriatur, per acta legitimè consignata terminari queat. Quòd si verò judex aliquis hanc constitutionem obseruare neglexerit, & propter negligentiam eius difficultas emerserit, per superiorem judicem puniatur. Insuper pro processu eius præsumptio non fiat, nisi quatenus ex legitimis actorum documentis constiterit.

Svmmarivm.

1. *Propositio seu depositio merè negatiua directè probari non potest, potest tamen nonnunquam indirectè.*
2. *Acta judicii ex præcepto Judicis in scriptum redigi debent à Notario vel aliis duobus Notarij locum supplentibus, nisi causæ tantùm leuiores essent.*
3. *Maiorem etiam fidem obtinet Notarius in rebus ad suum officiũ pertinentibus, quàm alius testis; ita tamen vt duorum testimonia eidem æquivaleant.*
4. *Originale consulendum, si super transumptis dubium oriatur.*
5. *Cui præcipitur aliquid ob causam vitandi mali, ordinariè non punitur transgressu hoc præceptum, nisi malum evenerit.*
6. *Non habetur actis judicii aut processui fides, nisi scripta sint: de illis tamen amissis potest per duos testes, qui ea legerunt, fieri fides.*

NOta I. Merè negatiua propositio seu depositio, directè probari non potest: dicitur merè negatiua, ut distinguatur à propositione negante, quæ virtualiter continet in se affirmantem, ea enim directè probari potest, v. g. me non sponte consensisse, adeóque coactè. *cap. Super. 5. De Renunt.* At verò quæ verè seu merè negatiua est, v. g. quòd Reus in judicio crimen confessus non fuerit, per se directè probari non potest, sed interdum indirectè, & I

per aliud, ut si ostendatur, quòd judex testium allegationes pro defensione Rei acceperit usque ad conclusionem in causa.

2 Nota II. Acta omnia judicii à Notario vel aliis duobus viris Notarij locum supplentibus in scriptum præcipiente judice redigi debent. Excipi tamen solent communiter causæ leviores, in quibus creditur judicis informationi ac relationi, uti colligitur *ex Authent. Nisi breues. vbi Bart. n. 3. Cod. De sententia ex periculo,* & tradit *Panorm. hîc. n. 3. contra Decium. n. 7.*

3 Nota III. Notarius juratus & approbatus propter publicum officium suum, maiorem fidem quàm alij meretur in pertinentibus ad officium, quâ de re *Menoch. in arbitrar. casu 99. n. 2.* Duorum autem testium confessio æquivalet testimonio Notarij, uti ex hoc cap. colligitur; & tradit *gl. hîc verb. Duos viros. gl. in c. Cùm Ioannes. 10. §. Quodlibet, de fide Instrum.*

4 Nota IV. Si super exemplis seu transumptis scripturis dubium oriatur, recurrēdum est ad Originale, videlicet in casu nostro ad Protocollum manu Notarij scriptum, quod penes judicem vel ipsum Notarium asservari debet, propter maiorem fidem & veritatis custodiam.

5 Nota V. Si quidpiam alicui præceptum sit ob causam mali evitandi, transgressio præcepti puniri non solet, si malum reipsâ non sequitur; quanquam id perpetuum non est, potuisset enim etiam in hoc casu pœna judicibus decerni, si acta judicii in scriptum à Notario redigi non curârint, siue difficultas seu controuersia propter hanc negligentiam sequeretur, siue non. Porrò causa seu motivum legis decernendæ, plerumque in eius proœmio proponitur, uti hîc apparet.

6 Nota VI. Processui & actis judicii non habetur fides nisi fuerint scripta. Ita hîc, & docet *Bart. l. Ne in arbitris.* Si tamen acta judicii amissa fuerint, tum duo testes qui acta inspexerunt, ac legerunt, de ijs fidem facere possunt. *Arg. l. Testium. 18. Cod. De testib.* & tradit *Felinus hîc. num. 55.* Ad extremum adverte, præter judicem & tabellionem alios testes adhibendos non esse ad fidem faciendam actis, cùm enim utriusque officium publicum sit, creditur illis absque maiore probatione. Vsus tamen obtinuit, ut in sententia ferenda adhibeantur testes, uti obseruauit. Lanfrancus super hoc cap. *n. 15.* Scribit autem Notarius acta, judicis autoritate, seu ad mandatum judicis; interest tamen, utrùm Notarius cognouerit rem ita se habere, tunc enim scribere debet, testis v. g. inter deponendum inconstans fuit, siue vacillauit; an verò Notarius id non adverterit, tunc enim hoc solùm scribere debet, quòd Iudex v. g. dicat testem vacillâsse &c. uti explicat *Lanfrancus, cit. loc.* ubi addit, quòd in tali casu Reus si defendere se velit, ne talia scribantur, audiendus sit.

CAPITVLVM XII.

Ad nostram.

PARAPHRASIS.

In regno Daciæ lex erat, ut tametsi crimen alicuius per testes legitimè probari posset, tamen Reus ad purgandum se super crimine admitteretur, testes adducendo, qui de eius innocentia testarentur, cùm verò talis lex perversio & corruptela censeri debeat, quippe omni juri contraria, statuit Honorius III. ut ea à Clericis non obseruetur; atque super eiusmodi negatiuæ propositionis probatione, videlicet crimen commissum non esse, nemo audiatur, si affirmatiua probari queat.

SVMMARIVM.

1. *Omni juri diuino & humano repugnat, admittere Reum infamatum, cuius crimen per testes legitimè probari potest, ad purgationem canonicam propositionis negatiuæ.*
2. *Neq; tamen negari potest aut debet indirecta negatiuæ expurgatio per testes scilicet, contra testes, qui de affirmatiua deponunt, productos.*
3. *In pari testium absolutè idoneorum numero, præferuntur, qui pro Reo stant.*

Nota

1 Nota I. Lex nisi sit rationabilis; honesta atque utilis Reipublicæ, non habet veram legis rationem, sed pestis ac corruptela appellari debet.

2 Nota II. Si per testes crimẽ commissum legitimè probari potest, non debet Reus infamatus admitti ad purgationem canonicã, cuius forma præscribitur *in cap. Quoties. 5. §. Porrò. de Purg. Canon.* ut si Titius suspectus juret, se crimen non commisisse, & adducat conpurgatores, qui jurent se existimare, quòd Titius verè jurárit. Ratio dari debet, quia purgatio per juramentum subsidiaria est, si aliæ legitimæ probationes deficiant. *cap. Accedens. 14. De purgat. Canon.* Sed neque statuto aut consuetudine introduci potest, ut canonica expurgatio per juramentum fiat, si crimen legitimè probari possit, cùm sit omni juri, videlicet non tantùm positiuo, sed etiam Diuino contraria, partim, quia scelera pleraque impunita manebunt cum magno Reipublicæ detrimento. *cap. Est iniusta. 33. Caus. 23. quæst. 4.* partim quia periuriis occasio præbetur, quando multi reperientur, qui ut sceleris pœnam ac infamiam declinent, falso juramento se purgare aggredientur. Videatur *Decius hîc. n. 4. & 5.*

3 Loquitur itaque textus noster de purgatione seu ostensione negatiuæ per juramentum. Alia autem est expurgatio seu ostensio negatiuæ indirecta, quæ fit per testes à Reo ex adverso productos contra testes Actoris de commisso crimine deponentes, talis expurgatio licita & consueta est, iuxta *cap. Ex tenore. 35. de testib.* & tradit *glossa in cap. Clerici. 32. distinct. 81.* Se quid, inquit, si duo Clerici dicunt me commisisse fornicationem cum aliqua tali die; duo laici dicunt me fuisse secum totâ die in alio loco. Dico præponendos esse laicos, quia stant pro Reo, ubi glossa marg. monet, testes præferendos esse qui stant pro Reo, cùm causa ipsius fauorabilior sit quàm Actoris, nec interest, tametsi testes pro Actore adducti, magis idonei videantur, videlicet Clerici, dummodò & alij quos Reus innocentiæ suæ testes adduxit, absolutè loquendo sint idonei.

CAPITVLVM XIII.

Cùm Causam.

Paraphrasis.

Inter Colubrienſem & Egitanenſem Episcopos controversia erat super finibus diœcesium, eam rem Honorius III. commisit duobus aliis Episcopis, mandans, ut libros antiquos, & similia ex quibus fines dignosci possent, inspiciant, testes quoque audiant, famam & alia adminicula perpendant, & ita in negotio illo procedant.

Svmmarivm.

1. *Scripturæ antiquæ, conferunt aliquid ad faciendam fidem.*
2. *Et quidem vbi non agitur de præiudicio alterius, fidem plenam faciunt.*
3. *Secus, si de præiudicio alterius agitur.*
4. *Nisi in archiuio, seu loco publico, vbi authenticæ Scripturæ sub custode publico asservantur, repertæ fuerint.*
5. *Vel nisi illis communiter ab antiquis creditum sit.*
6. *Vel nisi modica tantùm causa sit.*
7. *Plures imperfectæ probationes, si ad eundem finem tendant, possunt simul junctæ, plenam probationem facere.*

NOta I. Libri & Scripturæ antiquæ enuntiantes aliquid, factum vel non factum, fidem aliquam merentur. Pro intellectu adverte, certum esse apud omnes, quòd antiquitas Scripturæ conferat aliquid ad probationem, uti videre est, apud *Aimonium Menoch. de arbitrar. lib. 2. Casu 3.* tum quia ipsa antiquitas venerationem & Autoritatem aliquam Scripturæ tribuit, tum quia gesta antiqua difficilè probari possunt, & ideò leviores probationes admitti solent; sed quantum fidei antiquis libris aut Scripturis tribuendum sit, sequentibus assertionibus dicam. 1

Assertio I. Scriptura libri, vel marmori seu monumento incisa litera fidem facit in Causa, quâ non agitur de præiudicio alteri,

v. g. quòd infans baptizatus, Ecclesia consecrata sit. Secũdùm *Innoc. in Rubr. de Consecr. Eccles. Panorm. hîc n. 1.* & ita intelligi debet *gloss. hîc.* verb. *per libros. gl. in c. Sanè. 6. caus. 24. q. 2.* verb. *Diptychis.* Ratio est, quia enim in tali casu præsumptio non est, quod aliquis fallere velit, ideò receptum est, ut etiam unius testimonio credatur; sicuti *loc. cit. Innoc. tradit.*

3 Assertio II. Si agatur de alterius præiudicio, scriptura antiqua fidem plenam non meretur. Ita *Panorm. hîc. Mascard. Conclus. 975. Georg. Euerhardus. vol. 1. Consil. 27. n. 6. Decius Felin. n. 3.* Nam alioqui magna occasio præberetur quoscunque fallendi, posset enim Prælatus vel Officialis eius in libro cẽsuali varia scribere debitorum nomina & possessiones ad Monasterium spectantes; quamobrem neq; publico instrumento solet credi, nisi sit confectum cum consensu eius, in cuius præiudicium cedit. *Arg. legis Censualis, 6. C. de don.* & tradit *Felinus hîc. n. 3.* quod in dependẽtibus à consensu duorum scriptura publica facta ad assertionem unius non probat. Si tamen in instrumento antiquo inter duos confecto, aliquid adiectum sit, quod cedere possit in præiudicium tertij, v. g. locum aliquem esse sub iurisdictione aut diœcesi hac, tum magnam veritatis præsumptionem facit, imò plenam probationem, si plura talia instrumenta non ab uno & eodem Notario confecta reperiantur. quâ de re *Felinus hîc. n. 4.*

4 Limitatur hæc Assertio. Primò. Si scriptura antiqua conservata reperiatur in archiuio seu loco publico in quo solùm authenticæ scripturæ asseruantur, eique Archiuio magna communiter fides adhiberi soleat. *Argum. cap. Ad audientiam. 13. de Præscript.* ubi id tradit *gloss.* verb. *Censualem,* & habetur expressiùs *in Authent. Ad hæc. Cod. De fide instrum.* docet *Bart. in l. 1. ff. Si certum petatur. Panorm. hîc, num. 1. Felin. num. 3. Euerhard. loc. cit.* Requirunt tamen DD. apud *Felin. cit. loc. Dec. hîc. n. 7. gl. marg. in cit. Authent.* ut Archiuium publicum custodem habeat, cui ex publico officio incumbat, ut non nisi quę fidem mereantur inter Scripturas Archivij reponãtur.

Limitatur II. Si talis sit liber aut scriptura, cui ab antiquis communiter creditum sit, ita colligitur ex hoc cap. & tradunt *Panorm. Felin. Euerhard. loc. cit.* & confert ad hoc quod tradit *Innoc. in c. Veniens. n. 6. de verborum signific. Bald. in Authent. quas actiones. n. 16. C. De SS. Ecclesiis,* quòd in excedentibus hominum memoriam cõmunis fama & persuasio fidem facere debet. Exinde colligit *Bartolus in l. 1. n. 22. ff. Si certum pet. Felinus hîc n. 1. Euerhard. n. 6.* fidem habendam esse Historicis, Chronicis ac similibus scriptis antiquis, si ex traditione authoritatem habeant, quia communiter ipsis creditum est, tunc enim & nos credere oportet, ait Bartolus, & confert hoc dictum ad convincendos hæreticos, nam licet fateamur, quòd Patres antiqui singuli ac seorsim errare potuerint, si tamen aliquid doceant, quod ex traditione constat, pro vero communiter agnitum esse, nunc sine pertinacia aut intellectûs stupiditate fides negari non potest. 5

III. Limitat *Panorm. hîc n. 1.* Si causa modica sit, quod ad probandũ sufficiat scriptura antiqua, & vera videtur limitatio, ob generalem regulam apud *Decium hîc n. 1.* quòd in causis modicis minor probatio sufficiat, quænam autem causa modica censeri debeat, ita ut spectatis circumstantiis maior probatio requirenda non sit, iudicis arbitrio committitur. 6

Nota II. Probationes semiplenæ seu imperfectę & simul iunctę, facere possunt probationem plenam. Ita *Panorm. hîc. n. 2. Decius n. 9. Felin. n. 9.* Sed ita distinguendum, vel plures probationes imperfectæ ad eundem finem tendunt, vel nõ ad eundem, hoc posteriori casu se mutuò non adiuvant, ut si testes omnino singulares sint de diversis v. g. furtis deponentes, priori casu adiuvant se mutuò & efficiunt probationem plenam, idq; clarum est, si duo v. g. testes de eodem facto, eodem modo testentur; sed etiam id locum habet, si de diversis testentur, sed ad eundem finem tendentibus actibus, ut si unus testis oculatus testetur Titium commisisse homicidium, alij duo testes deponant de fama publica, alij duo de fuga eiusdem Titij, hęc enim sunt indicia & 7

admi-

adminicula, quæ si plenè probata fuerint, adiuuant se mutuo, & tum inter se, tum multo magis cum vnico teste ipsius facti plenam probationem efficiunt; sin autem indicium v. g. fama semiplenè tantùm, videlicet per vnicum testem probetur, non tantam vim habet.

CAPITVLVM XIV.

Causa.

Paraphrasis.

Puella quædam Matrimonium contraxerat cum juuene, sed post nuptias recessit, & monasterium ingressa professionem edidit, asseuerans se Virginem mansisse, sed juuenis eam repetebat, allegans, quòd matrimonium cũ ipsa consumârit. Super hac causa consultus Pontifex Honorius III. rescribit, vt puella interim in Monasterio secura permaneat, donec judicialis sententia lata fuerit, & vt judices delegati ex vtraque parte probationes recipiant; & specialiter si vir opponere velit contra mulieres de Virginitate puellæ testificantes, super hoc audiatur; deinde cùm obstetricum judicia quandoque fallant, ideò præter mulieres modò adhibitas, aliæ adhuc honestæ ac prouidæ Matronæ adhibeantur, quæ de Virginitatis priuilegio testimonium dent.

Svmmarivm.

1. *Agens interdicto recuperandæ tanquam spoliatus, non restituitur nisi probata fuerit spoliatio.*
2. *Qui adhibentur vt periti artis ad judicium suum in casu dubio proferendum, debent esse honesti & probatæ vitæ.*
3. *Donatio illius, qui se & bona sua æquè principaliter religioni dedicauit, reuocari potest professione non secuta, si per errorem validam hanc esse, aut fore existimauit: secus, si irritam sciuit.*

1 Nota I. Sponsus de præsenti post contractum, sed nondum consummatum matrimonium religionem ingredi ac profiteri potest. *c. 2. de Conuersione Coniugatorum. c. Desponsatam. 27. & seq. 27. q. 2.* & dixi *lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 3.*

Quæritur, cur mulier quæ à marito propriâ authoritate recessit, non statim ei restituta fuerit, *iuxta c. Ex transmissa. 8. c. Ex Parte. 14. de restit. spol.* Resp. Quia agens interdicto recuperandæ possessionis tanquam spoliatus, non restituitur nisi probata sit spoliatio, in hoc autem casu spoliatio nondum probata fuit, quandoquidem mulier excepit se intactam à viro discessisse, & inter Virgines canonicè professam esse; non enim spoliare censetur, qui jure suo vtitur, rectè itaque differtur restitutio, donec probationibus vtrinque allatis intelligatur, num justè recesserit, an iniustè. Quare idem arbitror dicendum, etsi mulier nondum professa esset, sed tantùm ingressa & inter nouitias numerata, quia nisi constet de spoliatione, non debet fieri restitutio secundùm gl. & DD. in *c. Consultationibus. 10. de Offic. delegati.* dum autem ignoratur, num mulier à viro cognita sit, consequenter an jus habuerit Monasterium ingrediendi, non constat de spoliatione, ergo non debet ipsi restitui statim. Excipe, nisi sit præsumptio contra mulierem, vt quia non paucis mensibus habitauit cum marito, & postea se separauit. *arg. c. Ex publico. 7. de Conuers. Coniugat.*

Nota II. Periti artis, qui in casu dubio 2
aduocantur, vt judicium suum siue credulitatem proferant, debent esse honesti ac vitæ probatæ, idque sumitur ex lege *Magistros. 7. C. de Professoribus. l. 10.* vbi dicitur, quòd Magistri studiorum doctoréque moribus primùm excellere debeant.

Quæritur hîc, si Professio facta à muliere, irrita censeatur, quia contra fidem Matrimonii consummati facta sit, num bona donata Monasterio restitui debeant? Hanc quæstionem proponit glossa in *authent. Ingressi. C. de SS. Eccles.* & bene decîdit *Bart. ibi n. 13.* vel aliquis dedicat se cum bonis suis Religioni, adeóque bona accessoriè donat; hoc casu expressio nihil operatur, cùm

talis donatio seu translatio bonorum suapte naturâ insit professioni: vel aliquis dedicat se & bona sua Religioni, ita vt animus principaliter ad vtrumque referatur; hoc casu si professio irrita sit, refert, vtrùm existimet valere professionem, an verò sciat irritam esse: Primo casu reuocari potest donatio tanquam facta ob causam, causâ non secutâ; idque sumitur ex *l. Non omnis, 17. ff. Si certum pet.* vbi dicitur, si quis causâ mortis donauit, reuocari donationem, si donans conualescat, aut donatarius prior decedat: altero verò casu donatio subsistit, nec reuocari potest, quia absolutè & independenter à professionis valore facta fuit, atque hîc locum habet *Reg. 53. ff. Cuius per errorem dati repetitio est, eius consulto dati donatio est.* Verumtamen post *Trident.* constitutionem, *sess. 25. c. 16. de Regular.* existimat *Sanch l. 7. Moral. c. 5. n. 54.* donationem reuocari posse, tametsi fiat ab eo, qui impedimenti seu nullitatis conscius est, nam in Tridentino dicitur, donationem bonorum factam à Nouitiis non valere, nisi professio sequatur, non est autem secuta professio, si ipso jure irrita sit, quia perinde est, actum non fieri & inualidè fieri, sicuti docet idem *Sanch. 3. de Matrimon. disp. 33. n. 5.* sed contrarium arbitror probabilius in casu nostro, si mulier post contractum & consummatum Matrimonium, religionem ingrediatur, eâque occasione principaliter ac independenter ad professionem, quam irritam esse aut fore non ignorat, Monasterio donationem faciat, eam subsistere, neque reuocari posse, quia constitutio Tridentina *cit. c. 16.* hunc casum non comprehendit, cùm tantùm de iis loquatur, qui libertate præditi sunt, ita vt religionem profiteri possint, & non possint, siue vt aliis verbis dicam, de iis qui Nouitiatûs seu probationis capaces sunt.

CAPITVLVM XV. & vlt.

Cùm bonæ.

Paraphrasis.

Controuersia erat inter Mespurgensem Episcopum, & Abbatem ac Conuentum Pigamensem, super statu Monasterii, & quibusdam spoliationibus, quas Episcopus intulerit; ea commissa erat judicibus, coram quibus litis contestatio facta est, & processum in causa, sed ob quædam impedimenta ad finem non perducta; postea Gregorius IX. eandem causam aliis judicibus delegat, mandans eis, vt acta originalia apud priores judices diligenter inquirant, & si reperta fuerint vnà cum aliis, si qua insuper partes proponere apud ipsos voluerint, ad Sedem Apostolicam mittant, sin autem acta reperta non fuerint, tunc supersedentes litis contestatione (cùm eam factam fuisse non dubitetur) probationes partium de nouo recipiant, audiant quoque eas partes, num in compositionis tractatum consentire velint, & quæ intellexerint, causámque sufficienter instructam ad Pontificem remittant.

Svmmarivm.

1. *Ad litis contestationem probandam, si acta judicii prioris perdita sint, sufficit confessio partium.*
2. *Acta prioris judicii exhiberi debent alteri Iudici, ad quem causa deuoluta est.*

Nota 1. Si acta judicii perdita sint, sta- 1
tur confessione partium, quod v.g. interuenerit litis contestatio, vt tali casu eam repetere, necesse non sit. Ita *glossa hîc intelligit Not. 2. & DD. communiter.* Sed obiicitur *c. Super. 5. De eo qui cognouit.* Ex quo DD. colligunt, quòd confessio alicuius facti non dependentis ab arbitrio confitentis, seu quod à confitente remitti non potest, fidem non facit, atqui partes non possunt remittere litis contestationem, cùm ea pertineat ad substantiam processûs ordinarii, secundùm glossam communiter receptam. *c. de causis. 4.* verb. *de Consensu. de offic.* delegati; ergo confessio partium de præcedente litis contestatione fidem non merebatur. Resp Maiorem vniuersaliter veram non esse, sed tunc tantùm, si suspicio esse possit de collusione aut fraude, vel si confessio

in

in alterius præiudicium cedere possit, at verò in proposito casu, de modico aut nullo præiudicio agitur, neque est suspicio vlla collusionis; imò maxima præsumptio, quòd litis contestatio interuenerit, ea enim est processui intrinseca ac substantialis, atqui intrinsecæ, & necessariæ solennitates interuenisse præsumuntur. *l. Seiendum. 30. ff. de V. O.* Accedit, quòd sicuti admittuntur testes ad probandum acta seu instrumenta, si amissa fuerint. *l. Testium. 18. C. De testib.* dummodò amissio sit verisimilis, & timor non subsit collusionis aut fraudis, vti hîc limitat *Felinus. n. 1.* Ita etiam in casu simili, amissa acta Originalia probari possunt per confessionem partium. Denique credibile est, quòd judices priores etiam testati fuerint, litis contestationem factam esse, quamobrem ait Pontifex, de ea non dubitari, quia videlicet judices testabantur, & partes non negabant.

Nota II. Si causa ad alios judices deuoluatur, acta & processus prioris judicii eis exhiberi debent, vti expresè etiam habetur in *c. Causam ij. de testib.* & sic patet, inquit *gl. hîc. verb. judices*, quòd acta vnius judicii coram altero judice produci possint.

TITVLVS XX.

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

POstquam de Probationibus generatim dictum est, nunc ad species descenditur, & Primò omnium agitur de testibus & attestationibus eorum, cùm is probationis modus per viuæ vocis testimonium præcipuus censeatur, quippe communiter vsurpatus, clarus item & efficax, præ cæteris probationum modis. *arg. 6. Cùm Ioannes. 10. de Fide instrum.*

CAPITVLVM I.

Placuit.

PARAPHRASIS.

Statuit Concilium Maticense, vt testes pretio non conducantur, ac idonei & fideles in testimonium assumantur, & non nisi jejuni. Quod ad Primum horum attinet, dicendum est, si testi pro testimonii ferendi actu pecunia data aut promissa sit, corruptum censeri, seu ad hoc instigatum & conductum, vt falsum testetur, sicut ex Communi docet *Farinac. de Testibus, q. 67. n. 236.* quamobrem eius testimonium à parte aduersa reiici potest, imò etiam judicis officio, teste eodem *n. 254. Mascard. de Probationibus. Concl. 454. n. 8.* Quin & sententia per corruptorum testium attestationes lata, retractari debet. *l. Diuus. 33.* vbi *Bart. n. 1. & 2. ff. de re judicata. Mascard. Conclus. 454. n. 6.*

SVMMARIVM.

1. *Testis corruptus censetur, cui pro testimonio ferendo pecunia data vel promissa fuit.*
2. *Qui pecuniam pro testimonio ferendo accepit, torqueri quidem potest super crimine falsi, non tamen ex eo præcisè capite, vt falsarius puniri.*
3. *Peccat etiam contra Iustitiam, qui pro vero testimonio ferendo coram Iudice suo pecuniam vt pretium operis accepit.*
4. *Et restituere eam debet danti, nisi animum donandi hic habuerit, aut post præstitum testimonii actum ex liberali animo nulla promissione obligato dederit, vel dederit in compensationem expensarum.*
5. *Idoneus ac fide dignus testis habetur, de quo*

quo nulla potest ostendi inhabilitas, aut defectus. Et quia per nullam exceptionem repelli potest, dicitur omni exceptione maior.

6. *Vt testes jeiuni sint, quando deponunt, ob juramenti præstandi religionem, consilium est, non præceptum; vel saltem contraria consuetudine abrogatum.*

1 QUæritur I. Vtrùm testis qui pecuniam pro testimonio ferendo accepit, hoc ipso tanquam falsarius seu de crimine falsi puniri possit. Affirmat *Bart. cit. l. Diuus. n.* 7. & alii plerique apud Clarum, verb. *Falsum. n. 13. arg. l. 1. §. Sed etsi. ff. ad. l. Corneliam. de Falsis.* sed æquius est, & tradit ipse Clarus & *Farinac. n. 238.* non esse consequens, si quis pecuniam acceperit ad testificandum, falsum dixisse, vti constat ex *c. Licet. 9. de Probationibus.* quamuis magna sit præsumptio falsi, & ideò torqueri possit super falsi testimonii crimine, sin autem persistat in tortura & nihil fateatur, tum Judicis arbitrio puniri poterit, non tanquam falsarius, sed qui contra jus pecuniam acceperit pro testimonio ferendo, quemadmodum & is puniri potest, qui vt verum testimonium diceret, pecuniam accepit, cùm id turpe ac legibus prohibitum censeatur, *c. Non sanè. 15. Caus. 14. q. 5.* & videatur Menochius in *arbitrar. quæst. casu 310.*

Quæritur II. Num testis qui proferendo testimonio vero pecuniam vt pretium operis accepit, contra justitiam delinquat. Resp. Est affirmatiua ex communi, apud *Menoch. l. c. Couarr. in reg. Peccatum p. 2. §. 3. n. 2.* quæ apertè colligitur ex *cit. c. Non sanè.* vbi judicis justa sententia æquiparatur testimonio testis, & dicitur neutrum eorum venale esse, seu justè emi posse. Ratio reddi debet, quia opus justitiæ non potest fieri Venale, id est, quod ex justitia debitum est, non potest pretio constituto vendi; sicuti docuimus *lib. 3. tract. 4. c. 4. n. 9.* atqui cuius quilibet ex justitia obligatus est, vt jubente Magistratu suo testimonium verum proferat, dummodo juridicè & legitimè interrogetur. Contra hanc doctrinam sentire videtur *Siluest.* verb. *Testis. q. 8. dicto 1.* & inclinat *Less. l. 2. de justit. c. 30. n. 95.* quòd jussus à superiore suo testimonium dicere, si legitimè non excusatus recusset, aut subterfugiat, peccet contra obedientiam & charitatem proximi, non item contra justitiam, quamobrem non obligari eum ad restitutionem si ex denegato testimonio damnum alter incurrerit. Sed persisto in communi sententia & rationem affero; quia hoc ipso quòd homines in communem societatem coëunt, secundùm gentium jura tacito quodam fœdere obligantur inter se, vt jubente multitudine, aut Magistratu multitudinis regimen tenente, testimonium veritatis dicant legitimè interrogati, cùm alioquin pax, societas & justitia conseruari non posset. Sed alia ratio est, si quis ad alienum Magistratum trahatur causâ ferendi testimonii, non enim parére compellitur, nisi quandoque ex charitatis obligatione ad proximi iniustum damnum impediendum, prout docet *S. Th. 2. 2. q. 70.*

Corollarium. Si quis pecuniam tanquam pretium acceperit pro ferendo testimonio coram judice suo, non comparat eius dominium, sed restituere debet danti, vti colligitur ex *cit. c. Non sanè.* & docet ibi *gl. verb. Ille.* sin verò is in cuius gratiam testimonium fertur, donandi animum habuerit, in foro conscientiæ cessat restituendi obligatio, sed in foro externo turpis censebitur & pœnis obnoxia talis promissio aut donatio, nisi fiat post præstitum testimonii actum, nullâ promissione antecedente, quia hoc casu nullum periculum subest. Deinde certum est, quòd pro labore & expensis factis in accedendo, morando, redeundo testibus compensatio debita sit, juxta *c. Statutum. 11. §. Proferendo. de Rescript. in 6. & l. Quoniam ij. C. de Testib.*

Quod ad alterum, videlicet testium idoneitatem & fidelitatem attinet, inprimis Regula statui debet, quòd testis censeatur idoneus ac fide dignus, nisi inhabilitas aut defectus de eo ostendatur. *c. vlt. de Præsumpt. & l. 1 ff. de Test.* ex qua habetur, quòd idoneus testis est, cui testimonium ferre interdictum non est, & dicitur talis testis omni

omni exceptione maior *c. 1. de Consanguinitate.* id est, cui nihil obiici potest impedimenti, seu qui per nullam exceptionem à testificando repelli potest, quamobrem bene monet *Panorm. hîc n. 2.* edictum de testibus admittendis permissorium esse, vt quisque testificari permittendus sit, nisi prohibitus censeatur. Deinde aduertendum, quòd gl. hîc verb. *Fideles.* & alii plerique interpretes ita vocabulum hoc intelligunt, vt concilii mens fuerit à ferendo testimonio contra fideles, excludere infideles. Sed hic non videtur esse sensus verborum, nam Capitulum istud Maticensis Concilii expressiùs refertur apud *Gratianum. 4. q. 3. c. Placuit.* vt quique optimi & fideliores in testimonium adhibeantur, cùm enim testium numerus à judice refrænandus sit, ita vt plures non recipiantur, quàm causæ conditio postulare videatur *l. 1. §. Quanquam. ff. de testib. Menoch. in arbitrar. Cas. 240. n. 4.* ideò æquum est, vt qui vitæ magis probatæ apparent, minúsque suspecti sunt, ij præ aliis eligantur. *argum. l. 2. ff. eodem.* Alioquin autem doctrina vera est, quòd infideles, & qui à fide Catholica defecerunt, ad testificandum contra fidelem Catholicum idonei non sint. *c. Non potest. 24. 2. q. 7.* vbi dicitur, quòd infirmari oportet eorum testimonium, qui in fide falsi docentur, nec eisdem credendum, qui veritatis à se fidem reiecerunt. Ratio ibi redditur, quia non potest erga homines esse fidelis, qui Deo extiterit infidus, & Justinianus Imp. Nouella 45. constituit, vt contra hæreticum tam hæreticus quàm Orthodoxus testimonium proferre queat, sed contra Orthodoxum Orthodoxus tantùm, non autem hæreticus.

6 Ad Tertium quod attinet, ideò requiri videtur vt testes jejuni sint, quia juramentum præstare debent, hoc autem honestum est non nisi à jejunis edi. *c. Honestum. 16. causa 22. q. 5.* idque propter maiorem Numinis reuerentiam, consilium tamen id est, non præceptum, vti gl. hîc monet verb. *jeiunus.* Quòd si verò olim præceptum fuerat, vt non nisi testes jejuni admitterentur, id vel particularis regionis fuit, vel per consuetudinem abrogatum. Ceterùm vt testes sobrii sint, non vinolenti aut semi ebrii, ad judicem pertinet cauere.

CAPITVLVM II.

In nomine.

Paraphrasis.

Episcopus aliquis questus erat Gregorio I. Papæ quòd contra ipsum absentem testes viles & non idonei recepti fuerint, ideò respondit Papa, attestationes eorum nullius esse momenti oportere, sicuti constat ex Justiniani authentica de Testib. §. *& hic verò. Collat. 7.* vbi decernitur, vt ad receptionem testium altera etiam pars citetur à judice aut defensore, quòd si citata venire nolit, & ineuitabili necessitate impedita non sit, valere debeant testimonia, perinde ac si pars præsens fuisset. Ex hac itaque Constitutione Imperatoriâ constat aduersarium citandum esse ad testes audiendos, quod cùm in casu isto omissum fuerit, irritum censeri debet, quod contra legem actum est.

Svmmarivm.

1. *Ad testium receptionem, citari debet pars contra quam hi producuntur, ad videndum fieri eos, & articulos super quibus producuntur, & ad audienda eorum juramenta.*
2. *Necessaria tamen non est ad hunc finem trina citatio, sed sufficit vna: immò sunt casus aliqui, in quibus citatio partis ad testium receptionem necessaria non est.*
3. *Si Iudex contra citatum absentem, quem scit legitimè impeditum, procedat, acta illius ipso jure nulla sunt: secus si ignorans procedit, quamuis petente parte & legitimum impedimentum probante, acta rescindi debeant.*
4. *Actus contra legem prohibentem factus, jure cæsareo irritus est.*

1 NOTA I. Ad testium receptionem pars contra quam producuntur, citari debet, id verò intelligendum 1. vt pars citetur ad videndum testes, & articulos super quibus producuntur, eorúmque juramenta audienda, vti *gloss. hîc tradit.* verb. *audire. gl. in cit. authent.* verb. *Præsentem.* Postea verò depositiones seu dicta testium secreto à judice coram Notario recipi possunt, vti Innoc. hîc docet, & *Panorm. n. 4.* Publicatio autem attestationum iterum parte præsente fieri debet. *teste Felino. hîc n. 6. Farinac. de Testib. q. 72. n. 28. Mascard. De Probationibus. Conclus. 682. n. 12.* Et adeò quidem citatio partis requiritur ad testium receptionem, vt si attestationes aliter recipiantur, nullius momenti esse debeant, adeóque ne judicium quidem generare aduersùs Reum, vt ex communi hîc tradit *Felinus. n. 3.* post *Bartol. in l. Maritus. ff. De quæst.* contra *Decium hîc n. 18.* Cuius tamen sententia admitti potest, quòd testis parte non citata indicium faciat, si judex ex officio procedens testium examen instituat, juxta *gl. in c. Cùm olim. 12. verb. Fratrum. de priuileg.* 2 2. Intelligi debet Notandum de vna, non de trinâ citatione, si quidem trina citatio ordinariè non vsurpatur, nisi in principio litis, & ad audiendam sententiam definitiuam, vti Felinus hîc docet *n. 21. & 22.* sunt autem aliqui casus, in quibus nulla necessaria est citatio partis ad testium receptionem, videlicet si periculum in mora sit, vt quia debitor de fuga suspectus est, vti ex communi tradit *Mascard. n. 26. Farin. n. 37.* si testes in partes longinquas discessuri sint, aut mortis periculum ipsis incumbat, & pars aduersaria citari seu interesse non possit, vti hîc *Felinus. n. 13. Farinac. n. 38.* & colligitur ex iis, quæ dicta sunt in *c. vlt. vt lite non contest.* quòd propter periculum amittendi probationes, testes ad perpetuandam memoriam recipi possint, etiam non contestata lite, igitur multo magis post factam contestationem, item in casibus, quibus contestatio litis necessaria non est, receptio testium fieri potest parte non citatâ.

Nota II. Contra citatum in eius absen- 2
tiâ procedi non potest, si legitimè impeditus sit accedere, rectè autem loquitur Pontifex de ineuitabili ac necessario impedimento, quia non quælibet leuis causa sufficit, vt judicis aut Magistratûs citantis imperium declinetur, vti habetur in *l. 60. ff. de judiciis.* Porrò si judex contra citatum, legitimè impeditum v. g. febricitantem (febri non leui, aut diuturna quartana, vt in ea negotiis aliis supersedere soleat) processerit, tunc refert, num sciens id egerit, hoc casu acta, v. g. lata sententia ipso jure nulla est, an verò ignorans, tunc valet sententia sed parte petente rescindi debet, si impedimentum ostendat. *c. Cum Bertoldus. 18. De re judicata.*

Nota III. Actus gestus contra legem 3
prohibentem, non tantùm illicitus, sed etiam irritus est, idque jure Cæsareo. *l. Non dubium. 5. C. de leg.* & videri possunt, quæ diximus *lib. 1. tr. 4. c. 16.*

CAPITVLVM III.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Intellexit Gregorius I. de Epiphanio Presbytero quædam crimina, ideò mandat Sabino Sardiniæ defensori, vt tum mulieres cum quibus deliquisse dicitur, tum alios, quos de causa aliquid scire intellexerit, Romam adduci curet, vt per Ecclesiasticam districtionem veritas aperiri possit.

SVMMARIVM.

1. *In causa ciuili recipitur mulieris testimonium in vtroque foro.*
2. *In causis tamen ciuilibus arduis non est mulier omni exceptione maior.*
3. *Neque recipitur illius testimonium in causa feudali.*
4. *Aut in publicis contractuum instrumentis; nisi rogatæ à partibus fuerint in illis casibus*

casibus, in quibus juri & fauori suo cere possunt partes.

5. *Cæteris tamen paribus præfertur etiam in causa ciuili testimonium viri præ femina.*

6. *In causa criminali mulier, nisi criminosa & infamis sit, potest esse testis in foro Cæsareo, ita tamen vt in causis grauioribus non sit omni exceptione maior: non tamen in foro canonico.*

7. *Afferuntur tamen plures limitationes, vbi etiam in foro canonico mulieris testimonium in causa criminali admittitur.*

8. *In testamentis requirentibus omnem solennitatem ciuilem, mulieres testes esse non possunt.*

1 HOC loco disputari solet, vtrùm mulier testis esse possit. Resp. & Dico I. In causa ciuili mulieris testimonium tam in Canonico quàm ciuili foro recipitur, ita *gl. in c. Testes. §. Hermaphroditus. 4. q. 3. gloss. in c. Forus. 10. verb. Pœnam. de verborum signific.* habetur in *l. Ex eo. 18. ff. de testibus. c. 2. 36. q. 5.* vbi dicitur, quod etiam conjuncti vtriusque sexûs in testimonium adhibeantur in causa Matrimoniali, quæ tamen inter ciuiles causas grauissima & valde ardua censeri debet. Hîc verò controuersum est id, vtrùm mulier omni exceptione maior censeri debeat in Ciuili causa, ita vt vnius testimonium efficiat probationem semiplenam, duarum autem plenam. affirmat *Ioan. Crottus. de Testibus. p. 4. n. 154. Panorm. in c. Ex insinuatione.*
2 *n. 6. de Procurat.* & est vera sententia, dummodò excipiantur causæ valde arduæ seu magni momenti, vt si agatur de dissolutione Matrimonii propter impedimentum dirimens, tunc enim feminas non censeri omni exceptione maiores, ideóque duarum testimonium non efficere probationem plenam, vt pluribus relatis docet *Farinac. q. 59. n. 37.* Certum enim est, quòd in causis arduis testes magis idonei requirantur, & quibus nihil prorsus obiici possit vitii, at verò mulieribus obiici potest, quod habetur in *cit. l. Forus. varium & mutabile semper femina testimonium producit.* Præterea limitari debet assertio 1. quòd in causa feudali, mulieris testimonium non admittitur. *lib. 2. feudorum. tit. qui testes sunt necessarii, ad inuestituram probandam,* & docet *Felinus. hîc n. 2. Farinac. n. 39.* rationem afferens, quia in causa feudali testes esse debent summæ & integræ opinionis, vti sumitur ex *lib. 2. feud. tit. quot testes necessarii sint ad probandam feudi ingratitudinem.* 3

II. Quòd in instrumentis publicis 4
contractuum, testes mulieres adhiberi non debeant, vti docet *Angelus in §. Testes. n. 1. Inst. de testam. var. n. 48.* quamuis contrarium sentiat *Bald. in l. Scripturas. n. 4. C. Qui potiores in pignore.* Id tamen certum est, si constet v. g. ex Notarii relatione, mulieres à contrahentibus vocatas & rogatas esse, earum testimonium sufficere, quia testes instrumentarii alioquin non idonei, per talem rogationem partium idonei fiunt, (nisi omnino inhabiles sint ad actus publicos) Ratio est, quia partes juri & fauori suo renuntiare possunt teste *gl. in authent. de testibus. §. Et licet.* verb. *suppliciis.* Sed alia ratio est de testibus testamentariis, quia solennitates testamentorum ob publicum fauorem introductæ sunt, quibus partes renuntiare aut derogare haud possunt, vti colligitur ex *l. Nemo. 25. ff. De legat.* vbi dicitur, quòd testator cauere non possit, ne leges in testamento suo locum habeant. Videatur *Farinac. q. 62. n. 110.*

III. Si cætera paria sint, etiam in causa ci- 5
uili testimonium masculi præfertur testimonio feminæ; vti colligitur ex dictis, & tradit *Farinac. n. 49.* qui bene id sublimitat, nisi femina testetur pro innocentia Rei, masculus autem pro actore, juxta ea quæ diximus in *c. Ad nostram. 12. de Probationibus.*

Dico II. Mulier potest esse testis in 6
causa criminali in foro Cæsareo, non foro Canonico. Prior pars habetur in *l. Ex eo. 18. ff. de testib.* & tradit *Panorm. hîc n. 2. Angel. cit. §. Testes. Clarus in pract. q. 24. n. 2. Petrus Duenas. Reg. 315.* & alii. *Cæterùm*

si causa sit valde grauis, vt cum agitur ad pœnam mortis vel mutilationis, mulier non censetur omni exceptione maior, adeò vt secundum *Farinacium. q. 59. n. 28.* in capitalibus, & vbi agitur de pœna mortis, tres feminæ conteſtes Reum non conuincant, & *n. 31. ex Angelo refert*: licet furtum (alicuius momenti) si agatur ciuiliter, per duas feminas probetur, non tamen si agatur criminaliter. Verumtamen si mulier criminosa aut infamis sit, non admittitur eius testimonium in criminalibus. *l. Qui testamento. 20. §. Eum qui.* vbi Bartolus & alii *ff. de testament.* præterquam in crimine hæresis & aliis exceptis, in quorum judicio etiam testes infames admittuntur, vti dixi in *c. 1. de Confessis.* & docet *Farinac. in praxi q. 41. n. 70.*

7 Altera pars habetur in *c. Mulierem. 17. junct. gl. verb. nec testis. 33. q. 5.* & ex *c. Forus. junct. gl. verb. Non femina. de verborum signific.* & docent DD. suprà citati. Limitari debet I. in crimine hæresis, læsæ Maiestatis, Simoniæ & aliis exceptis, mulier in foro Canonico admittitur testis *arg. c. Tanta. 7. de Simonia*, & *c. In fidei. 5. De hæreticis.* & docent DD. apud *Duenum. n. 3. Farin. n. 10. Mascard. Conclus. 762. n. 21.* Limit. 2. Mulier in Criminalibus admittitur propter defectum, si virorum testimonium haberi nequeat, vti hîc docent *Io. Andreas, Felin. Panorm. Imola. n. 2. Farin. n. 8. & q. 62. n. 50.* vbi generatim docet, quòd testis alioquin inhabilis admitti possit propter defectum aliorum, ita tamen vt minor ei fides habeatur, quàm habili. Limit. 3. Si judex ex officio procedat ad inquisitionem de crimine, tunc mulieris testimonium admittitur, vt in hoc c. & ita intelligit gl. verb. Mulieres. *Imola not. 1.* Limit. 4. Si agatur de crimine non criminaliter, sed vel per modum denuntiationis, aut per modum exceptionis, vel ad resartionem damni illati, aut ad electionem reiiciendam, juxta *c. Tam literis. 33. h. tit. junct. gl. verb. Feminis.* & docet *Innoc. & Panorm. hic. n. 1.* Limit. 5. Ad defensionem Rei, seu innocentiam eius ostendendam mulieres admittuntur, vti docet *Mascard. Conclus. 904. n. 4. Farin. q. 59. n. 15.* Nam ordinariè loquendo testes alioqui minus idonei in causis criminalibus admittuntur ad Rei defensionem, vti docet *Mascard. n. 5. Farin. q. 62. n. 90.*

Porrò discrimen inter jus ciuile & Canonicum ad hoc inseruit, vt in terris Ecclesiæ pleno jure subiectis seruetur jus Canonicum, in terris autem Imperii jus ciuile. Deinde quotiescunque in foro Ecclesiastico agitur contra Reum Ecclesiastico tribunali subiectum, itidem secundùm Canones procedatur, ita vt mulier non admittatur in causa criminali, præterquam in limitationum casibus.

Dico III. Mulier non potest esse testis 8
in testamento. §. *Testes. Instit. De Testam.* & docet *gl. in cit. c. Mulierem. gl. in c. Forus. Gail. l. 2. Obseru. 112. n. 6.* Limitatur 2. Quòd in Codicillo & omni vltimâ voluntate propter testamentum mulier testis adhiberi potest, secundùm *gl. in l. vlt. C. de codicillis. Angel. in cit. §. Testes. de Testam.* ex quo colligit, cùm hodie plerumque in testamentis adhibeatur clausula codicillaris, ideò si mulieres testes adhibitæ sint, licet non valeant, vt testamenta, valere tamen vt Codicillos. Limitatur 2. Quòd in testamento inter liberos, & testamento ad pias causas duarum mulierum testimonium sufficiat; secundùm gloss. receptam, in authent. *Quod sine. C. De testament. Angel. cit. §. Testes. n. 5. Felin. hic. n. 3.* quia in talibus testamentis non considerata solennitate ciuili, jus gentium & naturale obseruatur. Limitat. 3. In testamento militis in expeditione testantis, mulier testis esse potest, vti docet gloss. in *cit. §. Testes. 16. Angel. n. 1. Duenas. reg. 314. n. 1.* Nam vbi remissa est solennitas juris ciuilis, sufficiunt duo testes, etiam feminæ, vti docet glossa recepta, in *cit. authent. Quod sine.* sed in testamento militis, in militari expeditione testamentum condentis, remissa est juris ciuilis solennitas. *l. 1. ff. de testam. militis.* ergo. Denique quòd in terris Ecclesiæ subiectis,

mulier

mulier testis esse possit, docet *Panorm. in cap. Cùm esses. n. 3. de testam. Angel. loc. cit. num. 5. Muscard. Conclus. 663. n. 16.* Sed contrarium consuetudine obseruatur, ut mulier nunquam adhibeatur testamento edito in terris Ecclesiæ, cùm non omnis solennitas in tali testamento remissa sit, uti apparet ex *cit. cap. Cùm esses.* uti id monet *Couarr. n. 14 Crotus de testibus. p. 1. n. 10.*

CAPITVLVM IV.

In omni.

Paraphrasis.

Persona principalis denuntians rem sibi notam, potest esse testis, ita ut si unus ipsi adjungatur, fiant duo testes, si duo adiungantur, tres testes, iuxta dictum Domini *Matth. 18.* Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te non audierit. adhibe tecum unum adhuc vel duos, ut in ore duorum stet omne verbum.

Svmmarivm.

1. *Si Iudex vel Prælatus ex officio contra denuntiatum procedat, ad emendandum præcisè delinquentem, imposita salutari quandoque pœnitentia, potest denuntiator etiam priuatus esse testis contra negantem denuntiatum.*
2. *Si tamen procedat ex officio quidem, ad pœnam tamen contra denuntiatum, non potest esse testis priuatus denuntiator in causis grauibus & multum præiudicialibus.*
3. *Potest tamen esse testis in leuibus criminibus, si aliunde suspectus non sit.*

PErsona principalis hîc dicitur, quæ crimen commissum defert ad eum, qui cognoscendi & corrigendi jus habet, videlicet Prælatum. Hinc verò difficultas oritur, quia non potest idem simul esse accusator & testis. *c. 1. & 2. 4. q. 4. & c. Forus. §. In omni. de verborum significat.* & nemo in propria (seu quod ipsemet agit) causa testis esse potest. *l. Nullus, 10. ff. De testibus. l. Omnia. 10. C. eodem.* Resp. Id verè dici de actore & accusatore, qui rem in judicium deductam probare debet, non suâ asseueratione, sed aliorum testimoniis aliisve probationibus. Verùm hic agitur de denuntiatione, qui crimen fratris Prælato aut Iudici denuntiat, ut emendetur, non adstringens se ad probandi onus, uti docui *lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 9.* Si enim Prælatus aut Iudex ex officio instituto processu denuntiatum, qui crimen negat, convincere velit, tum ipsum denuntiatorem, ut testem, adducere potest, uti ex hoc cap. colligitur. Sed advertendùm est judicem duobus modis procedere posse post factam sibi criminis denunciationem. Primò, ad tollendum peccatum duntaxat, quandoque imposita pœnitentiâ salutari, hoc casu levior probatio sufficit iuxta glossam receptam *in c. Multi. 18. 2. q. 1.* tanta videlicet, ut Prælatus animum suum informare possit, crimen commissum esse, ordinariè tamen ipsius denũtiatoris testimonium merum sufficere non debet, ad convincendum Reum negantem, nam id speciale est, ut unico denuntianti matrimonij impedimentum credatur, ad amovendum peccatum futurum. *c. Super. 22. h. tit. c. Præterea. 12. De sponsalibus, vbi Panorm. n. 7. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 71. n. 7.* Sed si denuntiator indicia attulerit commissi criminis, vel aliũ testem, tunc ipsius quoque denuntiatoris attestatio computabitur ad fidem faciendam. Imò verò etiam ipsemet judex vel Prælatus, si non procedat ad vindictam, sed ad pœnam salutarem seu medicinalem super crimine commisso ex propriâ notitiâ & priuata testari potest, uti hîc docet *Ioan. Andr. n. 2. & sequitur Panormitanus n. 4.* quòd in denũtiatione charitatiua seu canonica idem esse possit judex, actor & testis. Secundò, Judex ex officio instituere potest processum judicialem contra denũciatum ad pœnam, v.g. depositionem ab officio & beneficio, & hoc casu distinguendum est inter crimina grauia, & leuia delicta, & iterum inter denuntiatorem priuatum & publicum officialem.

Dico itaque I. In criminibus grauibus seu causis multum præiudicialibus, denuntiator non potest esse testis, licet judex ex officio procedat, seu per meram inquisitionē. Ita *Panorm. hic n. 4. Ioan. Campegius de testib. Reg. 103. Farin. q. 60. n. 75.* Ratio est, quia denuntiator se ipsum ingerit, & ideò aliquo modo suspectus est, & non satis idoneus testis in causa graui & valde præiudicante; hæc tamen ratio cessat, si Officialis ad obseruanda & denuntianda crimina deputatus denuntiet, huic maior fides habetur, ita ut si cum juramento testificetur vera esse quæ denuntiat, & reddat causam scientię (v. g. quod oculis vidit) hoc casu, ut ait *Clarus in pract. quæst. 7. num. 1.* fidem faciat, prout alius testis, qui super delicto ipso deponeret, & potest super eius dicto formari inquisitio, quæ Reo transmittitur ut compareat, & super crimine respondeat; cuiusmodi tamen inquisitio formari non posset super merâ assertione denunciatoris priuati, ut Clarus ibidem testatur. Ratio autem, cur Officiali magis credatur, ea reddi debet, quia facilius ministro creditur in ijs ad quæ deputatus est, v. g. si dicat: se citâsse, aliúdve egisse ex judicis mandato, sicuti ex communi docet *Bart. in l. Divus. num. 8. ff. De Custod. Reorum. Panorm. in cap. Præterea. de Testibus. Cogend. num. 7. Clarus loco citato.* ubi specialiter loquitur de deputatis Custodibus agrorum, vinearum, quòd eis credatur contra denuntiatum negātem. Vide tamen *l. Ea. 7.* & DD. *ibidem. C. De accusat.*

3 Dico II. In criminibus leuibus si denūtiator aliter suspectus non sit, sed bonâ intentione denuntiâsse videatur, adhiberi potest, ut testis, ita ut cum uno alio aut pluribus testibus probet delictum, & exinde sententia cōdemnatoria ferri possit. Ita *Panorm. hic n. 4. & cit. n 7. Bart. cit. n. 8. Campegius loc. cit. Fallentia. 5.* Idque maximè locum habet, si loquamur de publico denunciatore, de quo etiam DD. loquuntur; sed videtur etiam id dici posse de priuato, quòd & is à judice produci possit in testem unà cum aliis, uti expressè hîc docet *Panorm. n. 4.* Si principalis persona seu denuntians crimen, non sit reportatura commodum ullum, nec aliâ affectione notetur, in numero testium computari posse; dummodò non agatur de graui præiudicio, quia in causis levibus tam exactæ probationes requiri non solent, quāvis contrarium doceat *Farinac. quæst. 60. n. 75.* id tamen fateri debemus, quòd denuntiatori minor fides habeatur quàm alteri testi, tum quia ipse se ingerit, ut pono, tum quia ipse reprehensionem reportaret, si, quod crimen denuntiauit, postea commissum negaret. Igitur ex hoc cap. Vnicum Notandum sumitur. denūtiator etiam priuatus in testem adhiberi potest à Prælato, si procedat secundùm charitatiuam denuntiationem, & quandóque etiam si judicialiter per inquisitionem meram procedat, saltem in causis non grauibus, seu non multum præiudicialibus.

CAPITVLVM V.

Quotiens

Paraphrasis.

Si matrimonium accusetur propter impedimentum consanguinitatis, ut separatio fiat, consanguinitas probari debet per duos aut tres testes ex eâdem consanguinitate, sed in defectum consanguineorū adhibendi sunt senes ex eodem loco meliores seu probatiores, & debent testes deponere cum duplici juramento, videlicet, quòd non priuato odio, nec amicitiâ, nec ob aliquod cōmodum, quod habuerint, vel habeant, vel habituri sint, ad ita testificandum adducantur, & quod ab ipsis asseritur, à maioribus suis, ut vera se accepisse & credere ita esse.

Svmmarivm.

1. *Testes de credulitate quamuis non in omnibus causis recipiantur, admittuntur tamen ad probandam consanguinitatem.*
2. *Qui ex testimonio dato commodum, vel non dato damnum patitur, idoneus testis non est.*

Pro-

Pro intellectu adverte, quòd testes alij sint de scientia & sensu, qui videlicet deponunt se scire rem gestam esse, eo quòd proprio visu, auditu &c. deprehenderint, & talium testium testimonium ordinariè requiritur ad facti probationem secundùm *gloss. in l. 2. §. Idem Labeo. verb. Audierint. ff. De aqua pluvia.* Alij autem sunt testes de credulitate, qui jurati deponunt se credere ita esse, quia videlicet à fide dignis audiuerint, & tales testes multum à proprietate testium deficiunt, quare non in omnibus, sed tantùm in quibusdam causis recipiuntur, uti videre est apud *Farinac. q. 64. num. 69.* Inter has autem causas recensetur consanguinitas, ad quam probandam interdum etiam testes de auditu & credulitate admittuntur, dummodo conditiones adsint, quę hoc cap. insinuantur, & clariùs exprimuntur in *cap. Licet. 47. h. tit.* ubi proprius explicandi locus est. 1

Nota, testis, qui ex testimonio ferendo commodum, aut si non testificetur, damnum reportaturus est, idoneus censeri non debet, quia dicitur testari in propria causa, iuxta *l. 1. ff. Quando appellandum.* ubi dicitur: palam est, eam esse propriam causam, cuius emolumentum aut damnum ad aliquem suo nomine pertinet. Videatur *c. 3. Caus. 4. q. 3.* 2

CAPITVLVM VI.

Insuper.

Paraphrasis.

Capitulares ipsèque Prælatus in causa Ecclesiæ suæ testes esse possunt, excepto, si unus eorum aut plures constituti sint, qui procuratorio nomine causam in judicio agant aut promoueant, horum enim testimonia non admittuntur.

Svmmarivm.

1. *Singuli de vniuersitate possunt testes adhiberi in causis suæ Vniuersitatis.*
2. *Saltem ciuilibus & non arduis.*
3. *Nisi vniuersitas illa valde parua esset.*
4. *Et nisi æstimabilis vtilitas propria coniuncta esset cum causa communitatis.*
5. *Neque tamen hi testes pro sua communitate deponentes, sunt omni exceptione maiores.*
6. *Legatarij quòd testes testamentarij esse possint, speciali fauore concessum est.*
7. *Non potest quis in eadem causa esse Procurator & Testis.*

Nota I. Prælatus Capitularis aut Conventualis in causa Ecclesiæ suæ testis esse potest, ut hîc, & *in cap. Nuntius. 12. hoc tit. & cap. 1. Causa. 14. q. 4. iuncta gloss. verb. Stephani.* & debet id extendi ad Causam cuiusvis universitatis, aut Collegij, quòd singuli qui sunt eius universitatis, testes adhiberi queant, secundùm *Ioan. Andream in cit. cap. Cùm Nuntius. Panorm. hîc n. 2. Felin. num. 1. Menoch. in Arbitrar. Casu* 106. Ratio reddi debet, quia talis non fert testimonium in causa propria, cùm aliud sit jus Universitatis, & aliud jus singulorum, *l. Sed si. 10. §. Qui manumittitur. ff. De in jus vocando.* Confirmatur. Propria causa non esse censetur, nisi quis suo nomine eam agere possit, *l. 1. §. In propria. ff. Quando appellandum.* Sed aliquis è communitate non potest causam communitatis suo nomine agere, ut docent *DD. in cap. Edoceri. 21. de Rescript. c. Causam. 9. de judiciis. & Clement. 3. de Procuratoribus.* ergo causa universitatis non est propria singulorum. 1

Nec refert quòd commoda universitatis quodammodo etiam participant singuli, istud enim interesse, seu commodi participatio, non censetur esse tanta, ut in causis ciuilibus præsertim non arduis testimonium repelli possit, quia verisimile non est, quòd propter commodum universitatis aliquis, maximè si Religiosus sit aut Clericus bonæ vitæ, peierare velit, cùm negligi plerũque soleant, quæ cõmuniter possidentur. *l. 2. C. Quando & quibus quarta pars &c.* Videatur *Felin. hîc. n. 2.* Porrò in causa criminali membrũ cõmunitatis nõ potest testis adduci in favorẽ cõmunitatis. *c. 1. 14. q. 2.* propterea quòd causa ardua & valde præiudicialis sit in qua proinde exactissimæ probationes ordinariè requirũtur, ideóq; tales testes quibus 2

bus nihil opponi possit, quare simili ratione dicendum videtur, si causa ciuilis valde ardua sit, tunc testes ex eodem collegio productos contra extraneum repellendos esse. Contra extraneum, aio; at verò si universitas v. g. vel Capitulum ageret contra Canonicum aut Prælatum suum, tunc posset alius Canonicus produci in testem, etiam in causa criminali & ciuili ardua, uti docet glossa communiter recepta *in cit. c. 1. verb. Stephani. Panormit. & Felin. hîc n. 4. Farinac. quæst. 60. n. 56.* Nisi sit parva vniversitas seu paucis membris constans, tunc enim qui à communitate ut testis producitur, censetur esse domesticus ac familiaris, qui repelli debet à testimonio in tali causa, iuxta *cit. c. 1. & l. Etiam. 3. Cod. De Testib. l. Testes. 24. ff. eod.* & docent *DD. co. Ioan. Andreas cit. cap. Cùm Nuntius n. 4.* Præterea si causa Universitatis cum propria alicuius utilitate juncta sit, tunc is prohibetur esse testis, v. g. Prælatus, si agatur de redditibus pertinentibus ad mẽsam suam; uti docet *Ioan. Andr. cit. n. 4. Panorm. hîc n. 6. Felin. n. 9.* ex quo inferunt, si controuersia sit circa pascua aut siluas cæduas, in quibus singuli oppidani jus obtinent, quòd idonei testes non sint. Præterea magis cõmuniter receptum est, quòd testes ex corpore communitatis in causa ejusdem producti, non sint omni exceptione maiores, ideóque duo non sufficiant ad plenam probationem; uti docet *Couarr. in pract. q. c. 18. num. 4. Mascard. Conclus. 1414. n. 15. Farinac. num. 536. contra Panorm. hîc n. 2.* quia negari non potest, inesse aliquam affectionem, si quis pro jure patriæ aut universitatis, cuius pars est, testari debeat; quamobrem, si ex adversa parte producti testes de contrario deponant, his maior fides habetur, uti docet hîc *Panorm. num. 2. Felin. n. 3.* nisi agatur de gestis per ipsam vniversitatem aut Collegium; hæc enim magis nôsse censentur ij, qui sunt è Collegio, ideóque etiam testes magis idonei reputantur, quàm alij iuxta *c. cit.* & notat *Felinus cit. n. 3. Farin. n. 539.*

Quæritur, num Legatarius testis adhiberi possit in causa testamenti, videtur negandum, quia commodum inde reportat, quandoquidem legatum ex valore testamẽti pendet, si sit ad causas profanas, *l. Eam. 4. Cod. De fideicommissis.* Sed contrarium est expressum *in* §. *Legatariis*, *Instit. de testamentis*, ubi Ratio datur, quia Legatarij non juris successores sunt, id est, testamentum principaliter fit propter jus succedendi in hæreditate, licet secundariò annectantur legata. Sed contra hanc rationem est, quia testis repelli debet, etsi commodum tantùm indirectè & per consequentiam percipiat, dummodò id æstimabile & certum sit. *arg. cit.* §. *In propria.* Videatur *Farinac. quæst. 60. num. 10.* Resp. cum *Minsingero in cit.* §. id legatariis speciali favore concessum esse, ut testes testamentarij esse possint, cùm enim rogati esse debeant, nemo facilè adduceretur ad testimonij actum, si ex testamento nihil consequi posset, verumtamen ipsi hæredi concessum non est, ut testis esse queat, *cit. l. qui testamento*, propterea quòd testamentum jus hæredis principaliter & substantialiter contineat, quandoquidem testamentũ sine hæredis institutione non consistit.

Nota II. Procurator, in ea causa, quam agit in judicio, testis esse non potest. Ratio est, quia quis naturâ propensus est ad consequendum id cuius causa agere cœpit, quare idem locum habet in Advocato, tutore, administratore, & negotiorum gestore, *l. vlt. ff. De testib. iuncta gl.* & notat *Farinac. quæst. 60. n. 158. & 201.* quòd nec finito officio testis esse possit, si commodum eius aut honor inde dependeat, multo verò minùs, potest esse judex. His adde, si Prælatus pro juribus Ecclesiæ suo nomine procuratorem instituit, quòd in ea causa testis esse nequeat, uti docet *Bartolus, in cit. l Qui testam. num. 5. Panorm. hîc n. 5.* quandoquidem in tali causa censetur esse actor principalis. Secus autem est, si Prælatus cum Conventu procuratorem constituit, teste *Bart. loc. cit. Felin. hîc n. 9. Mascard. Conclus. 3. n. 3.* Secus item est, si Prælatus solus constituit procuratorem, qui nomine Ecclesiæ agat, teste

teste *Mascardon. 7. Farinac. q. 60. n. 165.* & sumitur *ex Baldo in l. Vn. C. Ne quis in sua causa. num. 3.* Si Episcopus Syndicum constituat, qui nomine Ecclesiæ agat, quod ipsemet judex esse possit, quia ista non est causa personæ sed Ecclesiæ, & utilitas principaliter respicit Ecclesiam, si ergo Episcopus in tali casu potest esse judex, multo magis testis, nam judex facilius repellitur, quàm testis, *cap. Cùm R. 35. De officio delegati.* verb. *Cùm sint.* Verumtamen si Prælatus seu Rector Ecclesiæ Collegium non habeat, non potest esse testis in causa Ecclesiæ, si Procuratorem ipsemet constituit, quia censetur esse Actor principalis, secus est si Procurator generalis ab Episcopo constitutus fuerit, aut si ipsemet Episcopus, tanquam generalis administrator causam agat, ut docet *Panorm. n. 5. Farinac. n. 571.*

CAPITVLVM VII.

Ex parte.

Paraphrasis.

Contra Adamum Presbyterum Rectorem Ecclesiæ Clunodensis, quam canonicè adeptus, amplius triginta annis possederat, miles quidam literas Papales impetrauit, dissimulato quòd esset laicus. In literis ijs destinatis ad judices delegatos continebatur; si dictus Presbyter filius esset illius, qui proximè in Ecclesia ministrauit, aut si publicè foricariam seu concubinam haberet, ipsum ab Ecclesia illa amoverent; Postea miles per Procuratorem lite motâ, quosdam laicos infames, ut testes produxit, sed quamvis contra ipsos Presbyter exceperit, quòd alij eorum manifesti latrones & raptores essent, alij autem jam ante de periurio in judicio commisso convicti, ídque probare vellet Presbyter, tamen judices testes receperunt, & non obstante appellatione, Presbytero, dum absens esset, Ecclesiam abjudicârunt: quamobrem mandat Eugenius III. aliis judicibus, si hæc vera esse cognouerint, ut priorum judicum rescisså sententiâ non obstantibus literis confirmationis, si interea à Pontifice impetratæ fuerint, eidem Ecclesiam restituant, & adversariis silentium imponant. Sin autem res aliter se habeat, tunc causam audiant, & juridicè definiant, quòd si dictus Presbyter testes pro causa sua adducere velit, eos recipiant, moneántque, ut coram ipsis veritatem edicant.

Svmmarivm.

1. *Laicus contra Clericum criminosum si per viam accusationis agere velit, non admittitur; nisi suam aut suorum iniuriam prosequatur, aut nisi crimina excepta sint.*
2. *Si tamen per viam denuntiationis procedat, & quidem ad emendandum præcisè criminosum, admittitur.*
3. *Secus, si agit quidem per viam denuntiationis, ad amouendum tamen Beneficiatum propter bonum publicum.*
4. *Nisi specialiter eius interesset, bona & jura Ecclesiæ conseruare.*
5. *Aut nisi ageret non tam ad prosequendam denuntiationem, quàm ad indicia Prælato præbenda, vi quorum ex officio deinde procedat.*
6. *In Clericis publicis concubinariis puniendis hodie seruanda est constitutio Tridentini.*
7. *Periurus nec in criminibus exceptis idoneus testis est.*
8. *Quamuis opposita exceptio contra testes eorum receptionem ordinariè non impediat, potest tamen etiam contra judicem, oppositam exceptionem non statim admittentem quando tenetur, appellari.*

NOta I. Querela Laici contra Clericum tanquam criminosum difficilè recipitur. Ita sumitur ex textu, quando dicitur, quòd miles impetrans rescriptum, dissimulârit se laicum esse, quod tamen distinguendum videtur; si enim de crimine agitur criminaliter, seu, per modum accusationis, tum laicus non admittitur ad accusandum, *cap. De catero. 14. h. t. c. Cum P. 10. de Accusationibus, & cap. Laicos. 5. Caus. 2. quæst. 7.* quia eiusdem non sunt conversationis, & oppidò quidam eis infesti existunt,

Excipitur tamen 1. Si laicus suam suorúmque iniuriam prosequitur, admittitur ad accusandum Clericum *c. 2. Caus. 4. q. 6.* vbi generalis Regula traditur, quibus accusatio denegatur in causis propriis vel conceditur. Excipitur 2. Nisi sit crimen exceptum, ut hæresis, læsæ Maiestatis, Simonia &c. *c. Tanta. 7. De simonia*, & docet *gl. in cit. c. Cùm P. verb. Laicus.*

2 Quòd si verò agitur de crimine per modum denuntiationis; tunc vel in commodũ peccatoris tantùm agitur, ut peccatum eius per Prælatum paternè emendetur, quod priuatâ monitione corrigi non potuit, hoc casu quilibet Christianus admittitur, iuxta præceptum Domini, *Matth. 18.* & colligitur ex *c. Nouit. 13. De iudiciis*; vel instituitur propter bonum publicum, Ecclesiæ, ut damnũ eius auertatur per priuationem seu amotionem ministri, qui bona Ecclesiæ dilapidat, aut aliàs noxius est per vitam improbã; hanc vocare possumus canonicam denuntiationem, uti dixi *lib. 3. tract. 3. p. 2. c. 4.* De qua statui hîc debet Regula negatiua, quòd laici nisi eorum peculiariter interfit, non admittantur ad prosequendam denuntiationem contra Clericum, ut ab officio vel beneficio deponatur. Ita *Panor. hîc n. 6. Felin. n. 6. Clarus in pract. q. 14. n. 21. arg. c. De cætero. 14. h. t.* Si quidem negari non potest, quin actio ista ad accusationis naturam multum accedat.

4 Dixi autem 1. nisi peculiariter interfit, ut excipiatur patronus, cuius interest bona & jura Ecclesiæ conseruari, ipsam quoque Ecclesiam bene administrari, quamobrem ministrum seu beneficiarium aut Prælatũ, qui malè versatur, aut improbè se gerit, Episcopo denuntiare potest, ut causâ cognitâ priuetur seu amoueatur. *c. Filiis. 31. caus. 16. q. 7.* & tradit *gl. in c. Constitutum. 60. Eâdem caus. q. 1.* Dein quilibet Parochianus ad talem denũtiationem admitti debet, quia eius etiam interest, ut bonum Ecclesiæ Rectorem habeant, à quo sacra, uti par est, tractétur, teste *gl. in cit. c. Constitutum. verb. Conditorib. gl. in cit. c. Filiis. verb. Propinqnis. Claro. q. 7. n. 9.*

5 Dixi 2. ad prosequendam denuntiationẽ; At verò si laicus crimen Clerici merè denũtiet Prælato, ostensis indiciis, poterit is ex officio seu per inquisitionem procedere. Nam hoc casu non multũ interesse videtur, à quibus personis Prælatus seu Iudex indicia nactus sit, Clericis an laicis, dumodò ea spectata qualitate personarũ aliisq; circumstantiis sufficientia sint. Non dico, quòd laici priuati denuntiatoris mera depositio mouere possit Prælatum seu Judicem Ecclesiasticum ad specialem processum contra Clericum, id enim de nullo priuato denuntiatore dici potest, saltem in grauibus causis, uti videre est apud *Farinac. in prax. de testibus. q. 52. n. 172.* Sed quòd indicia criminis scandalosi aut pernicioſi, quæ affert & ostendit denuntiator, judicem mouere possint.

Nota II. Clericus publicus concubinarius olim erat priuandus seu deponendus ab officio, nã erat ab officio suspensus ipso jure, nec licebat fidelibus eius Missam audire. *c. Nullus. 5. c. Prater. 6. distinct. 32. c. Vestra. 7. De cohabitatione Clericorũ.* Nunc autẽ sublatâ per consuetudinẽ hac censurâ, seruari debet constitutio *Trid. sess. 24. c. 14. de Reform.* 6

Nota III. Personæ infames in causis criminalibus repelluntur à testimonio, de hoc infrà *in c. Testimonium. 54. h. tit.* 7

Nota IV. Periurus non est idoneus testis. *c. Quicunq;* 18. *Caus. 6 q. 1.* Sicuti enim semel peierauit, ita iterũ peieraturum suspicio est, ait *gl. arg. c. Non potest 24. Caus. 2. q. 7. & Reg. 8. Juris in 6.* Semel malus, semper præsumitur esse malus: idque adeò verum esse, testatur *gl. c. Per tuas. 32. verb. Furti. Panorm. ibid. n. 12. de simonia. Mascard. Concluſ 462. n. 39.* ut & in casibus exceptis, v.g. criminum exceptorum, in quibus alioqui testes minùs idonei admittuntur, periuri reijci debent. 8

Nota V. Si judex oppositam exceptionẽ contra personas testium non statim admittat, cùm admittere & examinare deberet, rectè à grauamine isto appellatur, adeò ut quæ post interpositã appellationẽ acta sunt, cassari debeant, id est, cassa declarari. Ordinariè tamen opposita exceptio contra testes non impedit eorum receptionem, cùm quæstio de habilitate testium in finem litis reseruari possit. Ita sumitur ex Authent. *Si testis. c. De testibus, vbi Bartolus hîc in princip. Io. And. hîc n. 1. Felin. n. 12.* quia fortasse apparebit in 9

pro-

progressu, quòd judex sine testium eorum, quibus defectus objicitur depositionibus, ex aliis probationibus sententiam ferre possit, ut supervacaneum sit, de eorum habilitate disputare.

Sed limitari debet, nisi sit præsumptio cõtra testes, vel si defectus notorius sit, vel in continenti probari queat, uti Bartolus docet *& Farinac. q 62. n. 357. 362.* & est casus nostri capituli.

Denique si obiiciatur excomunicatio, ob quam testis vitãdus sit, ut notat *Farin. n. 361.*

10 Not. VI. Si judicis sententia vel contractus à Superiore confirmetur in formâ cõmuni seu ordinariâ, & postea reperiatur, sententiam aut contractum irritum fuisse, tunc etiam confirmatio nullius roboris erit, uti etiam colligitur *ex c. Bonæ. de confirm. vtili & o. Quia. juncta gl. verb. Communi. de concessione Prabendæ.* Ratio est, quia quod non subsistit, non solet confirmari, cùm confirmatio supponat esse, & sententia aut cõtractus est fundamentum confirmationis, quare si sententia nulla sit, aut contractus irritus, etiam confirmatio irrita erit.

CAPITVLVM VIII.

Si qui.

Paraphrasis.

Si testes valetudinarij sint, aut senes, aut infirmi, aut paupertate pressi, ut ad judicem accedere non possint, tunc judex personas discretas ac peritas mittere debet ad illorum domos, ut examinentur.

Svmmarivm.

1. *Productio testium coram judice fieri debet; si tamen sint personæ egregiæ, vel aliæ rationabiliter impeditæ, v. g. valetudine, ad eas examinandas mitti debent personæ idoneæ & discretæ.*
2. *Nomine egregiarum personarum qui comprehendantur.*
3. *In criminalibus causis, & ciuilibus arduis egregiæ personæ in præsentia judicis testari debent.*
4. *Aliàs illæ fruuntur suo priuilegio, neque ei renuntiare possunt.*

1 NOt. vn. Judex Notarium aliásve personas idoneas mittere debet ad domum testium, qui commodè venire non possunt ad judicii locum.

Pro intellectu adverte; non excipi omnes valetudinarios, senes aut pauperes, sed eos tantùm qui judicis præsentię se facilè nõ possunt sistere propter virium imbecillitatẽ, aut quia cùm honestæ personæ sint, non sine dedecore suo venire possunt, quare propter similitudinẽ rationis, hæc constitutio ad omnes personas rationabiliter impeditas extendi debet teste Bartolo in auth. *Apud eloquẽtissimũ. C. de fide instrũ. n. 11. Io. Andr. hîc. n. 1.*

Consentit lex 15. *ff. de rebus creditis.* ad personas egregias, eósq; qui valetudine impediuntur, domũ mitti oportet ad jurandũ. Nomine personarũ egregiarum cõprehenduntur Episcopi, *auth. sed judex, de Episcopis.* personæ illustres teste *Felino hîc. n. 6.* & Doctores *iuxta l. Medicos. 5. C. de Professorib. lib. 10.* & docet *gl. in cit. l. Ad personas. 5.* Milites quoque, seu Equestres personę, uti docet *Iason in eâdem lege. n. 1. Farinac. q. 77. n. 223.* 2

Adverte 2. quod dictum est de personis egregiis, locum non habet in causis criminalibus aut ciuilibus arduis v. g. matrimonialibus, cùm enim testimonia in præsentia judicis recipienda sint. *cit. auth. Apud eloquentissimũ c. 2. iuncta gl. verb. Iure prohib. de judiciis in 6.* magis decet, ut personæ etiam egregiæ ad judicem vadant, quàm ut judex ad ipsas, uti ex communi hîc *Abbas n. 1. Felinus n. 2.* Quòd verò attinet ad infirmos & aliter impeditos, ad hos judex accedere debet pro testimoniis recipiendis, aut si eum non deceat ob dignitatem, tum demum Notarium, aliósve peritos mittere debet, uti Farinacius docet, *cit. q. 77. n. 276.* 3

Quæres num personæ egregiæ priuilegio huic renuntiare possint, & judici se sistere ad testificandum. Resp. absolutè non possunt renuntiare, ita ut priuilegium amittant; cùm non personæ, sed dignitati concessum sit, ut notauit *gl. in cit. l. Ad personas.* Potest tamen persona egregia semel, iterum, aut sæpiùs nõ tanquam ad id teneatur, sed ex liberâ voluntate se sistere judici, cùm id prohibitum non reperiatur, quomodo Clericis prohibitum est, ne coram judice sæculari se sistant. 4

CAPITVLVM IX.

Sicut.

PARAPHRASIS.

Aliqui pecuniâ corrupti testimonium dixerunt de impedimẽto consanguinitatis inter coniuges, ob quam causam separatio seu divortium factum est, posteà illi testes priuatim confessi sunt, se corruptos falsũ dixisse, hoc intellecto respondit Alexand. III. si vir aut mulier, aut vterque ad alias nuptias transiuit, testibus pœnitẽtiam injungendam de periurio vno vel pluribus, quibus causam dederunt. Sin autem neuter aliud matrimonium cõtraxit, tunc diligenter examinãdum, cum quibus & coram quibus corruptio testiũ interceſſerit, quòd si in hoc examine cognoscatur de testium corruptione, tunc sẽtẽtia divortij revocanda est, quandoquidem testium talium periurorum testimonia legitima non sunt.

SVMMARIVM.

1. *Judicialiter confesso, se falsum in judicio dixisse, non creditur in præiudicium partis, nec sententia ex tali testimonio lata retractatur.*
2. *Creditur tamen ei in proprium suũ præiudicium, saltem ad pœnitentiam imponendam.*
3. *Et in casu, quo agitur de Reo torquendo, aut damnando ob crimen commissum.*
4. *Qui suo facto alteri causam seu occasionem præbet peccati, eiusdem in specie peccati reus est (saltem in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ) ad quam permouit.*
5. *Testimonia eorum qui convicti sunt accepisse pecuniam pro testimonio ferendo, reprobãtur, & sententia ex ipsis lata retractãda est.*

NOt. I. Si quis judicialiter confitetur se falsum in judicio testimonium dixisse, non creditur ei in preiudicium partis, ideóq; sententia ex tali testimonio lata nõ retractatur. Ita *Bart. in l. Eos. n. 4. ad l. Corneliã de falsis. Abbas hic & Felin. n. 1.* & sumitur *exc. Tuas. 10. de probat. l. Generaliter. 13. C. De non numerata pecuniâ.* Ratio dari debet, tum quia act⁹ confessionis judicialis firmior est, tum quia etiã parti jus acquisitum est, ergo non debet superari, ac tolli à contrariâ confessione extraiudiciali.

Declaratur & limitatur 1. Quòd creditur testi in suum præiudicium saltem in ordine ad pœnitentiam imponendam, uti colligitur ex *hoc cap.* & notat *gl. verb. Periuri*, imò etiam sufficeret hæc confessio ad processum instituendum contra confessum extraiudicialiter, licet non sufficiat ad condemnationem, sicuti confessio judicialis. 2

2. In casu quo agitur de reo torquendo aut damnando ob crimen commissum propter testimonia aut denuntiationes sociorum, si v. g. veneficus proximus supplicio aut post sumptam Eucharistiam, ut sacrum viaticum, revocet denuntiationẽ suam, cõtestans coram Deo, se falsò affinxisse crimen Titio, hoc casu negari non potest, quin prior judicialis denũtiatio aut testimonium multum eneruatur, sicuti docui *lib. 3. Th. mor. Tract. 6. cap. 5. num. 21. & 22.* Imò denuntiationem seu testimonium, si merum & nõ adminiculatum sit, penitus infirmari ac tolli docet *Mascardus concl. 1130. n. 14. Farinacius in praxi. quæst 46. n. 68.* Propterea quòd revocatio eo tempore, iisq; circumstantiis facta adminiculis veritatis non careat, & ideò priorem non adminiculatam assertionem vincere debeat. 3

Not. II. Qui suo facto alteri causam seu occasionem præbet peccandi, is particeps fit peccati, adeò ut eâdem peccati specie peccare censeatur (saltem in ordine ad pœnitentiæ Sacramentum) ad quam speciem peccati permouit, quamvis id non egerit ex intentione directâ, & debet quoque explicare quot numero personis occasionem peccandi præbuerit, uti habetur in textu, & dixi *lib. 2. Th. mor. Tract. 3. cap. vlt. n. 6.* 4

Not. III. Si testes convicti fuerint pecuniam accepisse pro testimonio ferendo, tum eorum testimonia reprobantur, adeò ut & sententia ex ipsis lata retractanda sit, partim quia præsumptio contra testes est, quòd falsum deposuerint, partim quia sunt periuri, quandoquidem delato ipsis juramento inter alia jurare debuerant, quòd nullo dato aut promisso sibi pretio ad testimonium dicendum veniant. 5

CAP.

CAPITULUM X.

Veniens.

PARAPHRASIS.

Lucio presbytero obiectum fuit coram judice, quòd ad parochiam suam canonicum non habuerit ingressum, eò quòd pro præsentatione parochianis singulis promiserit 5. vini barillos se remissurum, quos ipsi parochialium prouentuum nomine parocho dare debebant; cùm autem coram Ordinario ista causa tractaretur, duo testes jurati deposuerunt contra Lucium, vnus autem testatus est pactum tale Simoniacum secum initum fuisse, tunc judex considerans alterum ex his testibus esse criminis socium, ideóque fidem non mereri, alterius verò testimonium cùm vnicum sit, non sufficere ad condemnationem, dictum Lucium absoluit, eámque sententiam Alexander III. comprobat & confirmat.

SVMMARIVM

1. *Parochiani admittuntur ad accusandum & testificandum contra Ecclesiæ suæ Rectorem, si agatur de crimine ad eius amotionem.*
2. *Simonia committitur & dando aliquid pro beneficio, & remittendo debitum ex pacto & promissione.*
3. *Per vitium Simoniæ præsentati ad beneficium institutio Canonica non est, neque eius ingressus.*
4. *In causa criminali contra Clericum, licet non agatur criminaliter, sed canonicè, vel vt alii loquuntur, ciuiliter, ad eius amotionem, requiritur plena probatio. Neque actori plus, quàm semiprobandi potest deferri juramentum in supplementum.*
5. *Testis criminosus neque in exceptis criminibus est integræ fidei, & omni exceptione Maior.*
6. *Vnius testis omnino inhabilis & repellendi defectus non suppletur ex alterius superabundanti fide.*
7. *In causis tamen ciuilibus testis non integri vel deficientis inhabilitas suppletur ex magna habilitate seu fide alterius, vt etiam ex numero, vt quatuor vel quinque tales plenam probationem faciant.*
8. *Secus est in criminalibus & ciuilibus valde arduis in ordine ad condemnationem, cuius contrarium quoad numerum verius est.*

NOT. I. Parochiani admittuntur ad accusandum contra Ecclesiæ suæ rectorem, si agatur de crimine ad eius amotionem. hâc de re dixi supra *c. Ex parte. hoc tit.* & notat *Abbas hîc not. 1.* quanquam ex isto capitulo doctrina hæc colligi generatim non potest, cùm hîc sermo sit de crimine Simoniæ, quod inter excepta numeratur. 1

Not. II. Simonia committitur non tantum dando aliquid pretio æstimabile pro beneficii assecutione, sed etiam debitum remittendo, si id fiat ex pacto seu promissione, nam obligationem certam alicui remittere, est dare, secundùm *gl. hîc. verb. remittere.* & habetur in *regula 115. ff. Si quis obligatione liberatus sit potest videri cepisse.* 2

Not. III. Qui per vitium Simoniæ præsentatus est ad beneficium, quia patrono aliquid dedit, promisit aut remisit, eius institutio Canonica non est, consequenter etiam ingressus seu possessionis acceptio vitiosa, quare talis à beneficio amouendus est, nisi dispensationem à Papâ impetret, quâ de re dixi *lib. 4. Th. mor. Tract. 10. cap. vlt. §. 7.* idque haud dubiè verum est, si Simoniæ crimen ex vtraque parte completum est, vt in casu huius capituli. 3

Not. IV. In causâ criminali contra Clericum licet non agatur criminaliter sed Canonicè, seu vt alii aiunt, ciuiliter ad eius remotionem seu beneficii priuationem requiritur probatio plena. ita *Abbas & Felinus. hîc n. 4.* vbi etiam monent, quòd in tali casu actori tametsi plus quàm semiplenè probauerit, non possit deferti juramentum in supplementum. 4

Obiicitur, quòd Simoniæ crimen ex numero exceptorũ sit, & ideò testes etiam infames ac criminis participes admittẽdi sint, juxta *c. Si quis Papa. juncta gl. verb. pratulerit.* & docent *DD. in l. Quoniam. 11. C. De testibus.* Omissâ solutione glossæ, respondeo regulam illam vtroque jure receptam, quòd socius criminis non sit testis idoneus, non ideò hîc allegari, quasi etiam in exceptis crimini- 5

minibus tales testes penitus repellendi sint, id enim falsum esse docent *DD. in c. 1. de Confessis. Abbas in c. Cùm P. n. 12. de accus. Felinus. hic. n. 5.* sed ideò allegârit, quia testis criminosus ne quidem in exceptis crimibus integræ fidei est, & omni exceptione maior, quamobrem si vnus producatur testis idoneus seu integer, alter verò non integer, sed criminosus seu socius criminis non fiet probatio plena, ea enim fieri debet per duos testes integros, seu omni exceptione maiores, maximè in causis criminalibus, & omnibus arduis, seu quæ magni sunt præiudicii.

6 Quæres: quòd si vnus testium sit dignissimus fide, suppletne alterius non integri testis defectum, ita vt vtriusque testimonium plenam probationem efficiat. &. & Dico 1. si vnus testis omnino inhabilis ac repellend⁹ sit v. g. socius criminis non excepti, aut infamis juris infamia, tunc eius defectus non suppletur ex alterius superabundante fide, vti ex communi *Farinacius* docet *q. 62. n. 341.* quod imperfectum est, per alterũ suppleri potest, non autem quod omnino nullum aut inane quemadmodum nec prorogari potest seu extendi quod nullum est. *l. Sed si. 5. ff. de precaria.*

7 Dico 2. In causis ciuilibus testis non integri seu deficientis inhabilitas suppletur ex magnâ habilitate seu fide alterius, sicuti etiam ex numero suppletur, vt v. g. quatuor vel quinque tales testes plenam probationem faciant; ita Gabrielius de testibus *concl. 5. p. 1. Farin. n. 328.*

8 Dico 3. In causis criminalibus & ciuilibus valde arduis testium inhabilitatem in ordine ad condemnationem nunquam suppleri seu ex aliorum abundante habilitate seu ex numero testium, tradit Gabrielius *cit. loc. n. 11. & Concl. 6. n. 1. Farinacius. n. 311. & 345.* sed contrarium huius, quod videlicet aliquis ex plurium v. g. 10. consentientium testium criminosorum seu criminis excepti participum, testimonii inspectâ qualitate, numero deponentium, aliisque consideratis circumstantiis condemnari possit colligi videtur ex *c. Infidei. 5. de Hæret.* vbi *Ancharanus not. 4.* & dixi *de hoc, lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 6. n. 27.*

CAPITVLVM XI.

Causam.

Paraphrasis.

Causa delegata erat quibusdam judicibus, posteà verò aliis commissa, hoc casu mandat Alexander III. vt attestationes, quæ à prioribus judicibus receptæ sunt, posteriores judices accipiant, & ex iis litem definiant.

Svmmarivm.

1. *Acta prioris judicii fidem faciunt in altero judicio inter easdem personas, & in eâdem causa.*
2. *Sunt autem, acta judicii alia ordinatoria, alia instructoria causæ pro litis decisione.*
3. *Vtraque fidem faciunt coram judice subrogato.*
4. *Acta instructoria causæ, seu spectantia ad merita litis, etiam in alio judicio, fidem faciunt inter easdem personas.*
5. *Ordinatoria actu repetenta sunt, si in alio tribunali causa sit agitanda.*
6. *Confessio facta in vno judicio, in altero etiam inter alias personas, indicium seu probationem imperfectam generare potest, vti & confessio extra judicialis.*
7. *Non tantùm litigantibus, sed etiam hæredibus eorum Acta prosunt, imò omnibus quibus res judicata prodesse potest.*

Not. Vnic. Acta prioris judicii fidem fa- 1
ciunt in altero judicio inter easdẽ personas & in eâdem causa. Pro intellectu inprimis notanda est glossæ doctrina in Clem. *Sæpe de verb. signif.* hîc, & Abbatis, quod ea, 2
quæ in judicio aguntur, alia sunt acta judicii ordinatoria, vti est libelli oblatio, citatio, litis contestatio, juramentum Calumniæ, datus terminus probationum &c. alia sunt acta causæ instructoria pro litis decisione, vti sunt attestationes, instrumenta, confessiones vsque ad sententiam. Hoc posito, ad quæstionem num acta in vno judicio, fidem faciant in alio. Resp. &

Dico

3 Dico 1. Acta omnia tam ordinatoria judicii, quàm instructoria causæ, fidē faciunt coram judice subrogato, constat ex *c. vlt. de prob.* & ex *l. Mortuo. 60. ff. de judiciis.* vbi docent DD. quòd mortuo judice eius successor omnia acta assumat, & secundùm ea judicet, sicuti prior judicaturus fuisset, nam judex subrogatus veluti idem censetur cum priore, sicuti & eadem causa, idémque judicium. *l. Proponebatur. 76. de judiciis.* & idē eâdem ratione dicendum de judice appellationis, aut reuisionis, sicuti hîc *Felinus* docet *n. 1.* & sumitur ex *Clem. 2. hoc tit.* & videri potest *Lanfrancus in pract. cap. 3. n. 35.*

4 Dico 2. Acta instructoria causæ seu spectantia ad merita litis, etiā in alio judicio fidem faciunt inter easdem personas, vti colligitur ex *l. Penult. C. de arbitris.* vbi id docet *gloss. verb. judiciis,* & videri possunt, quæ dixi in *c. At si Clerici. 4. de judiciis.*

5 Loquor autem de actis instructoriis, quia acta ordinatoria repeti debent, si in alio posteà tribunali causa agitanda sit; teste Abbate hîc *n. 1.* deinde loquor de iisdem personis litigantibus, at verò in alias personas acta judicii plenam fidem non faciunt; quia res inter alios acta, aliis præiudicare non debet. *c. Inter. 6. verb. Porrò. de fide instrumentorum.*

6 Verumtamen confessio facta in vno judicio, in altero judicio inter alias personas indicium seu probationem imperfectam generare potest, sicuti & confessio extra judicialis, quâ de re *Felinus. hîc. n. 19.*

7 Deinde non tantùm ipsis personis litigantibus, sed & hæredibus seu successoribus eorum acta prosunt, immò omnibus personis quibus res judicata prodesse potest. *argum. l. 2. C. de edendo.* exemplum affert *Innoc. hîc.* Titius petebat à te fundum, tu per testes ostendis esse tuum; posteà cum vendidisti Caio, attestationes illæ dummodo in præsentia actoris receptæ ac publicatæ fuerint, ab emptore allegari ac produci poterunt, quemadmodum & sententia lata pro venditore prodest emptori, vel alteri successori particulari. *l. Si à te. 9. §. Iulianus. ff. de except. rei judicatæ. vbi gl. margin.* ait, quòd exceptio rei judicatæ, quæ venditori & in venditorem competit eadem emptori & in emptorem datur.

CAPITULUM XII.

Cùm nuntius.

Paraphrasis.

Clerici nisi aliud eos impediat à ferendo testimonio in causâ Ecclesię suę, repelli non debent. hâc de re dixi, in *c. 6. hoc. tit.*

Svmmarivm.

1. An Clericus compelli possit ad testandum contra suam Ecclesiam, quæritur, & ordinariè fieri posse negatur. n. 4.

2. Clericus à sæculari Magistratu in quacunque causa etiam ciuili, judicari, vocari, aut cogi non potest ad testimonium dicendum.

3. Valet testimonium Clerici & Religiosi, si absque licentia Superioris à judice sæculari parte nihil opponente, ad illud cogatur vel admittatur.

4. Ordinariè Clericus cogi non potest, vt contra Ecclesiam suam coram Ordinario Ecclesiastico testimonium ferat,

5. Nisi per alios testes veritas cognosci nequeat.

6. Vel Clericus vt testis pro Ecclesia sua productus sit, tunc enim etiam contra ipsam testari cogitur.

7. Differentia inter testes absolutè, & non absolutè inhabiles, & qui illi.

QUærit autem gl. hîc, vtrùm Clericus 1
compelli possit, vt & contra suam Ecclesiam testetur.

Resp. & Dico 1. Clericus à sæculari ju- 2
dicari, vocari, aut cogi nō potest ad testimonium dicendum in quacunque causa etiam ciuili *c. Statutum. 37. junct. gl. verb. in testimonium. 2. q. 6.* & dixi *lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 4. n. vlt.*

Accedit quòd testes jurati esse debeant, Clericus autem coram judice sæculari absque Episcopi sui licentiâ jurare non debet, vti dictum est in *c. 1. de juram. calum.* sin autem necessitas postulet, quia alii tam idonei testes haberi nequeunt, tali casu vel ipsemet

Epi-

Episcopus rogatus à sæculari judice examinabit Clericum, eiúsque depositiones ad sæcularem judicem mittat vel si ita ei videbitur, Clericum mittet ad judicem sæcularem, vt coram ipso, sicut Clerici solent, juramentum ac testimonium edat, juxta *c. 2. juncta gl. causa. 14. q. 2.* & docet *Archidiaconus ibid. in fine. Abbas hîc. n. 3. Gail. lib. 1. obseru. 100. n. 16.* quemadmodum hoc ipsum obseruari solet, si testes ex alieno territorio rogentur.

3 His addendum 1. Si Clericus, vel religiosus absque licentiâ superioris à judice sæculari, parte nihil opponente, ad testimonium cogatur, vel admittatur, valiturum esse, vti docui *lib. 4. Th Mor. Tract. 5. cap. 11. n. 3.* & tradit *Abbas hîc. n. 3. Farinacius. q. 61. n. 84.* & indicat *gl. in c. 1. de juram. Calum. verb. Inconsulto.* contra *Felinum. hîc. n. 3. Crottum de testibus n 178.* qui putant, saltem monachi seu religiosi testimonium irritum fore, sed contra est, quòd nullo jure tale testimonium irritum dicatur, sed tantùm illicitè præstitum sine Prælati consensu; accedit, quòd consensus Prælati præcedere debeat nõ vt forma seu substãtialis solemnitas actº, sed vt requisitum quoddã ad actûs honestatem.

4 Addendum 2. Quòd in *cit. c. 2.* dicitur, ne pro conficiendis instrumentis in negotiis sæcularibus Clerici testes rogentur, id vel ad honestatem & consilium spectat, vel per consuetudinem abolitum est, vti *Felinus hîc notat n. 3. Farinacius. n. 64.* quòd per generalem consuetudinem Clerici in quibuscunque contractibus testes adhibeantur, etiam non petitâ superioris licentiâ.

5 Dico 2. Ordinariè Clericus cogi nõ potest, vt contra Ecclesiam suã corã Ordinario Ecclesiastico testimonium ferat, idq; propter cõiunctionem ac reuerentiam, quam gerit erga suam Ecclesiam. *arg. l. Lege Juliâ. ff. de testibus.* vbi cauetur, ne invito denuntietur testimonium aduersùs sanguine aut affinitate proximâ junctos, volentes tamen ad mittuntur, eorúmque testimonium non minus, quàm alienum valet, vti docet Farinacius quòd testibus deponentibus contra cõiunctos, magis etiam, quàm aliis credatur.

6 Limitari debet 1. Si aliter seu per alios testes veritas cognosci non possit, tunc etiam Clerici contra Ecclesiam testari coguntur, vti *Abbas hîc notat. n. 3.* idémque de consanguineis & affinibus, quòd in tali casu testari debeant contra coniunctos, ex communi *Farinacius* docet *q. cit. n. 18.* quia priuilegium seu fauor juris hoc casu cessare debet, ne veritas occultetur.

Limitatur 2. Si Clericus in judicio producatur vt testis pro Ecclesiâ suâ, cogitur etiam testari contra ipsam ita *gl. hîc communiter recepta, verb Repellendi.* Ratio est, quam *gl.* dat *in c. Fraternitatis. 17. verb. juramentis. hoc tit.* quia testes jurare debent, quòd dicere velint omnem veritatem, testari enim debent de facto contingente, quod nisi in vtramque partem explicatis instrumentis rectè intelligi non potest.

Contra dicta obiicitur *lex 9. ff. de testib.* testis idoneus pater filio aut filius patri nõ est, ideò vt nec volẽtes filii contra parentes, aut parentes aduersùs filios admittãtur. *l. Parẽtes. 6. C. eodẽ.* præterquàm in criminibº exceptis, vel si veritas aliter cognosci nõ possit, vel si pars vtraq; filius videlicet & parens consentiat, vti videre est apud *Farinacium. 54. regulâ 3.* sed Clericus Ecclesiæ suæ filius censetur, ergo ordinariè loquendo testimonium eius etiam volentis recipi non debet.

Resp. cum *gl. & Abbate hic. n. 3.* cùm prohibitio testium contra jus commune sit, omnibus testificandi facultatem concedens, ideò strictæ interpretationis esse debet, neq; extendi vltra casum expressum, quòd autem parentes aduersùs liberos & vice versâ, ne volentes quidem, ad testimonium admittantur, id de carnalibus parentibus ac filiis statutum reperitur *cit. l. Parentes.* ergo extendi non debet ad spirituales.

Pro pleniore intellectu aduerte, quòd inter 7
testes inhabiles alii absolutè inhabiles sunt, ita vt neque cum partium consensu eorum testimonium validè recipiatur, sunt tales infames juris infamiâ, serui, furiosi; alii verò sunt inhabiles non absolutè, quia licet repelli possint & interdum debeant, tamen si admittantur, eorum testimonium indicium vel probationem aliquam affert, vti notauit

Cle-

Clarus q. 24. n. 23. talis est Religiosus, Clericus coram sæculari judice, item mulier, criminosus, propinquus, affinis, domesticus.

CAPITVLVM XIII.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Si testi objciatur, quòd sit criminosus & de crimine conuincatur in causâ tam ciuili, quàm criminali, repelli debet, tametsi antea de crimine conuictus, confessus aut damnatus non fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Criminosus à testimonio ferendo repellendus est.*
2. *Emendatus, si crimen juris infamiam annexam non habet, admitti debet in causa ciuili.*
3. *Citatus ad videndum testes, conscius eorum criminum, & tamen nihil opponens, consentire in eos censetur.*
4. *Repelli tamen tales nihilominus debent à judice ex officio.*
5. *In causis summariis talium testium repulsio partibus non conceditur.*
6. *Testis criminosus admittitur ad ostendendam innocentiam Rei.*
7. *Prædicta locum habent in foro Canonico, in foro Ciuili non prohibetur esse testis criminosus, nisi de crimine damnatus sit, vel ipsâ lege lata infamiam contraxerit.*

1 NOT. Vnic. Criminosus seu is, cui graue crimen objcitur, atq; de eo ostenditur, à testimonio ferendo repellendus est. ita habetur *in c. Testimonium 54. hoc tit.* & *in c. Constituimus 9.* vbi inter alios numerantur homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, & dicitur tales ad accusationem, vel testimonium admittendos non esse.

2 Limitatur 1. Si emendatus sit, & crimen juris infamiam annexam non habeat, admitti debet in causâ ciuili. *cit. c. Testimonium.* Porrò emendatio cùm sit mutatio vitæ, non præsumitur, sed probari debet, si videlicet ostendatur non exiguo sed triennali saltem tempore laudabilem vitam actam esse, vti docet *Farinacius q. 36. n. 140.*

Limit. 2. Si citatus ad videndum testes, 3
sciens eorum crimina, nihil opponat, in personas testium consentire censetur, vti constat ex *l. Si quis testibus 17. C. de testibus.* vbi generatim traditur de teste, qui repelli potest, si in productione non repellatur, postea repelli non posse, sed de hac re dicetur *in c. Præsentium 31. hoc tit.* Addit *Felinus cit. c. Testimonium n. 3. Mascardus concl. 464. n. 32. Farinacius q. 56. n. 141. & q. 62. n. 176.* si pars non opponat contra testem criminosum, quòd judex ex officio eum repellere debeat, idémque sentiendum, si aliquis testis esse prohibeatur propter statum, aut conditionem personæ, aut sexum, quia est minor, mulier, religiosus, sed alia ratio est, si testis solùm repellatur in fauorem aduersarij, vt quia est domesticus aut affinis eius, qui producit, vti distinguit *Farinacius q. 62. n. 191.* tametsi verò testes criminosi, domestici, affines &c. non repulsi, sed admissi sint ad testimonium, non tamen integræ fidei, & omni exceptione majores censeri debent.

Limit. 3. Quòd in causis summariis, in 4
quibus leuis aliqua, non plena, nec exactè semiplena probatio requiritur, talis testium repulsio partibus non conceditur, vti ex communi docet *Farinacius n. 196. Menochius in arbitrariis. q. 32. n. 11.*

Limit. 4. Quòd testis criminosus in 5
criminalibus admittatur ad ostendendam innocentiam rei, vti docet *Mascardus concl. 1366. n. 16. Farinacius q. 56. n. 137.* nam tales inhabiles testes, qui absolutè non repelluntur, sed solùm propter defectum fidei repelli possunt, admissi verò indicium aliquod faciunt, ij ad innocentiam ostendendam absolutè admittendi sunt & repelli non possunt, quamuis non integræ fidei esse censeantur, quâ de re *Clarus q. 24. n. 20.*

Limit. 5. Quæ dicta sunt, locum tantùm 6
habent in foro Canonico, at verò in Cæsa-

reo foro criminosus non repellitur à ferendo testimonio, nisi de crimine damnatus sit, vel nisi ipsa lege lata infamiam contraxerit, quia talis ob periculum facilè subornari poterit, ita habetur *in l. 3. §. l. Iulia. ff. de testibus.* & videri potest *Farinacius q. 56. n. 130.* vbi addit, quòd Sodomita etiam in ciuili foro repellendus sit, cùm infamiam juris contraxisse censeatur.

Verumtamen tales omnes infames ad testimonium admittuntur propter necessitatem, si alij testes haberi non possint, vti ex communi idem *Farinacius cit. q. 56. n. 50.* ita tamen vt non integræ fidei censeantur, teste eodem *q. 62. n. 50.*

CAPITULUM XIV.

De cætero.

Paraphrasis.

Secundùm sacros Canones laicus aduersùs Clericum in causâ criminali non admittitur ad ferendum testimonium, si tamen suam vel suorum injuriam prosequatur, tunc ad accusandum admittitur, sed non ad testificandum.

Svmmarivm.

1. *Laicus in causâ criminali non admittitur testis contra Clericum.*
2. *Nisi in criminibus exceptis, notoriis, & scandalosis, vel si Clericus infamatus sit, aut in subsidium; vel si de crimine agatur ciuiliter, aut per modum denuntiationis seu inquisitionis ad priuationem beneficij.*
3. *Talis tamen admissus, non erit testis integer; si sit cum eo conteſtis Clericus bonæ famæ, vterque efficient probationem plenam.*

Not. Vnic. Laicus in causâ criminali ordinariè non admittitur in testimonium aduersùs Clericum. Ratio dari debet, partim quia laici frequenter sunt infesti Clericis. *c. Laicos 5. causa 2. q. 7.* partim quia indecens est, vt statu inferior, testimonium in causâ criminali ferat contra superiorem statu. *Argum. cit. l. Laicos. & Argum. c. Clericus. eâdem. q. 7.* vbi dicitur, quòd minores non debent accusare, vel testimonium ferre contra maiores.

Ampliatur doctrina 1. vt quod de Clericis hîc dicitur, etiam in Religiosis locum habeat, cùm materia fauorabilis sit. 2. tametsi aliquis propriam, aut sibi valde coniunctorum iniuriam prosequatur criminaliter, testes laicos adhibere non potest, vt in textu dicitur, loquimur autem de causâ criminali, at verò in ciuili laicus aduersùs Clericum coram judice Ecclesiastico testis produci potest, cùm id nullibi prohibitum sit.

Deinde dictum est, laicum in causâ criminali ordinariè non admitti, excipiuntur verò crimina excepta, notoria, & scandalosa, vel si Clericus infamatus sit, item in subsidium, si testes Clerici haberi non possint, quia crimen à Clerico inter laicos commissum est, aut si de crimine agatur ciuiliter v. g. ad restitutionem iniustè ablatorum, vti videre est apud *Abbatem hîc n. 3. Crottum q. 60. Bernardum Diaz in practicâ canonicâ cap. 131. n. 2. Farinacium q. 61. n. 13.* denique si agatur de crimine per modum denuntiationis aut inquisitionis ad depositionem seu priuationem beneficii, quòd laici testes esse possint, colligitur ex *c. Ex parte 2. hoc tit.* vbi id monet *Abbas n. 2. Felinus n. 5. & 9.* siquidem testes laici, qui à milite in casu eius capituli adducti erant, ideò tantùm repellebantur, quòd essent infames ac perjuri, licet contrarium, sentiat *Farinacius q. 61. n. 114.*

Porrò si laicus in causâ criminali contra Clericum bonæ famæ admittatur, non erit testis integer & omni exceptione maior, nisi cum eo concurrat testis Clericus bonæ famæ, tunc supplebitur defectus laici alio defectu non laborantis, vt amborum testimonia efficiant probationem plenam, vti *Crottus n. 68. notauit.*

Cap.

CAPITVLVM XV.

In causis.

PARAPHRASIS.

In quibuscunque causis tam Ecclesiasticis, quàm ciuilibus vltra tertiam testium productionem non admittitur quarta, nisi cum solennitate exacti juramenti, vti habetur *in Auth. de testibus §. Quia verò. collat. 7. & c. Vltra. 55. hoc tit.* cùm autem dicta testium publicata fuerint, publicè de iis disputari potest.

SVMMARIVM.

1. *Productione testium aliquorum & receptione in præsentia partis factâ, possunt alij vel ijdem deinde produci & recipi.*
2. *Nisi producens testium examini, ac depositioni præsens fuerit.*
3. *Vel conclusum sit in causa.*
4. *Vel denique tertiò jam testes sint producti, ad quartam enim progredi non potest, nisi producens juret, se testium attestationes non explorâsse, aut didicisse, nec dolo quartam hanc eorum productionem postulare, nec copiam testificationum habuisse.*
5. *Si de dolo & aliis modò prædictis suspicio, aut præsumptio esse non possit, procedi potest etiam sine juramento ad quartam testium productionem.*
6. *Attestationes in secreto receptæ in præsentia partium publicari debent, factâ eis opponendi potestate.*
7. *Plenior huius intellectûs, & quomodo Reo citato & interrogato super crimine sint attestationes publicandæ.*
8. *Hodierno jure nomina testium nunquam in processu judiciario de hæresi publicantur.*
9. *Nec consuetum in processu judiciario contra regularem, vt coram eo negante crimen, testes qui in inquisitione contra eum deposuerunt, iterum producantur, aut eorum nomina publicentur.*

1 NOT. 1. Postquam testes adducti aliqui fuerunt, & in præsentiâ partis recepti, possunt deinde alii, vel iidem produci, ac recipi.

Sed excipiendum 1. nisi is, qui produxit, testium examini ac depositioni præsens fuerit, tunc ad aliam testium productionem ordinariè admittendus non est, secundùm *gl.* receptam *in c. Imprimis. 7. verb. si eo præsente causâ 2. q. 1.* 2

Excipe 2. Si concluſum sit in causâ, tunc nec testes nec aliæ probationes de jure aut de facto recipi debent, nisi aduersario consentiente, aut saltem non reclamante, vti ex communi *Abbas hîc n. 4.* 3

Excipe 3. Si testes tertiò producti sint, tunc ad aliam quartam productionem admitti aliquis non debet, nisi præstito juramento, quòd attestationes testium per se vel per alium non explorârit aut didicerit, nec dolo hanc quartam testium productionem postulet, sed quia hos testes ante producere non potuerit. *cit. c. Vltra. & cit. §. Quia verò.* Hinc rectè inferunt *Abbas & Felinus hîc n. 2.* si suspicioni ac præsumptioni huic locus esse non possit, seu quia testes alij & alij continuo actu producti sunt, ita vt eorum depositiones non potuerint à producente explorari aut cognosci, vel si testium productorum examen nondum institutum fuit, his casibus etiam quartam testium productionem admitti posse sine juramenti solennitate, quandoquidem cessante causâ adæquatâ constitutionis, ipsa etiam constitutio cessare debet, vti docui *lib. 1. Theol. Mor. Tract. 4. cap. 21. n. 3.* 4 5

Not. 2. Attestationes testium secretò receptæ in præsentiâ partium publicari debent factâ eis opponendi facultate, quemadmodum etiam electio Prælati per secretum scrutinium fieri debet, postea verò suffragia publicanda sunt. *c. Quia propter. 43. de elect.* 6

Pro pleniore intellectu aduerte, quòd testes vel à judice examinantur ante processum, vt acquirantur indicia sufficientia ad Reum in causâ criminali citandum & examinandum, vel examinantur testes in ipso processu ad Reum conuincendum tam in criminali, quàm ciuili causâ.

Hoc posito ita dicendum: Reo citato & interrogato super crimine, de quo infama-

tus vel suspectus est, propter indicia non sunt promulganda nomina testium, debet tamen judex ostendere ipsas depositiones & indicia ad hoc, vt intelligat se legitimè ci-
7 tari & examinari super crimine, cùm alioquin respondere non teneatur, quemadmodum nec testis testificari poterit de crimine occulto, nisi appareat ipsi, quòd judex legitimè siue ex sufficientibus indiciis, inquirat secundùm S. Thomã 2. 2. q. 69. art 1. ad 1. & q. 70. art. 1. in Corpore, juncto Caietano; Bernardus Diaz & Salsedo in practicâ crimin. canonicâ cap. 129. vide Copiam indiciorum. vbi ait semper sibi eam forensem praxin placuisse, quâ Ecclesiastici & seculares judices Deum timentes vti solent, vt licet informationem istam seu copiam depositionum Reo non tradant, tamen præcipiant per tabellionem coram eo legi dicta testium, suppressis eorum nominibus, vt nimirum compertum habeat, quidnam contra ipsum depositum fuerit, idq; etiam in processu judiciario inter Regulares obseruandum esse monet *Franciscus Suarez tom. 4. de Relig. cap. 12. n. 30. & 31.* licet hoc ipsum, sicut & plura alia, quæ æquissimè constituta sunt, in quibusdam tribunalibus non obseruentur, vt testatur *Iulius Clarus in pract. crimin. q. 45. n. 8. & Salsedo l. c.*

Datâ autem Reo aut saltem prælectâ copiâ indiciorum ac depositionum, tunc vel fatetur crimen, vel negat; si fatetur vltrò, ac sine tormentis, statim quidem condemnatoria contra eum sententia ferri potest, spectato juris rigore, & ita in Germaniâ contra fures sponte confessos procedi testatur *Clarus q. 65. n. 1.* æquum tamen est, & ita communiter obseruatur, vt Reo etiam nòu petenti concedatur spatium deliberandi, num aliquam sui defensionem, aut excusationem allegare queat, vti *Clarus ibid.* testatur ex *Suarezio n. 31.* sin autem Reus exhibitis indiciis ac depositionibus nihilominus neget delictum, tunc vlterior contra ipsum processus instituitur ad hoc, vt conuincatur; quamobrem testes seu iidem, qui antea contra ipsum deposuerunt, seu si qui alij de nouo accesserunt, ipsi Reo proponi debent, vt videat eos jurare, & interrogatoria ipsis formentur, idq; tam in ciuili, quàm criminali causâ, vt dixi in *c. 2. hoc tit.* posteaquam verò testes ita propositi ac veluti legitimati fuerunt, secretò eorum responsiones ac depositiones audiuntur, & à Notario in scripto excipiuntur, additâ ipsius judicis, atque Notarij subscriptione, vti *Suar. monet n. 29.*

Hæc denique dicta seu attestationes testium, eorundémque nomina publicanda sunt coram Reo, concessâ ipsi copiâ opponendi, aut contrarios testes producendi, vt si v. g. opponat Titium falsò dixisse, quòd eum hoc die viderit Augustæ in hospitio potitantem, furantem, cùm ipse Reus testes producere velit, qui jurati deponant se Titium eodem toto die vidisse Fridbergæ. ita habetur *in 6. Qualiter. 24. §. Debet ergo, de accusat.*

Excipitur 1. hæresis crimen, in quo no- 8
mina seu accusantium seu denuntiantium tum testificantium publicari non debent, si scandalum, vel periculum ex tali publicatione timeatur, sed cessante periculo etiam in hæresis crimine, tametsi de plano procedatur, testium nomina publicari debent. ita habetur *in c. vlt. de hæreticis in 6.* Verumtamen hodierno jure testium nomina nunquam in processu judiciario de hæresi publicari monet *Salsedo cit. cap. 31.* propter constitutionem Pij IV. in bullâ, quæ incipit *Cùm sicut.*

2. Excipit *Suarez. cit. cap. 12. n. 31.* quòd in 9
processu judiciario, quem Prælatus inter Regulares instituit, consuetum non sit vt testes, qui in inquisitione contra suspectum deposuerunt, postea iterum producantur ad ratificandam suam depositionem coram eo negante crimen, sed simpliciter procedit contra ipsum ex depositionibus testium ipsi intimatis ac prælectis sine nominum publicatione. Dummodò testes fide digni Prælato videantur; id enim quàm maximè cauendum est, ne inimicitiâ, proprio commodo, aliáue sinistrâ affectione ducantur ad testificandum, idémque in generalibus Visita-

sitationibus Prælati obseruari notat *Simancha de Cathol. Institut. lib. 64. n. 3.*

Verumtamen rectè notâsse videtur *Salsedo cit. cap. 29. §. Videtur itaque*: si testium nomina nunquam publicentur, vt accusatus contra eos obijcere possit, non posse comparatione eius censeri omnino integros seu omni exceptione majores.

CAPITVLVM XVI.

Cùm tu.

Paraphrasis.

Archiepiscopus quidam excommunicationem tulit in Ecclesiæ Præpositū & quosdam Canonicos, illi autem dixerunt sententiam irritam esse, quia, antequam ea lata fuit, appellârunt, idque testibus probârunt, vicissim verò ex parte Archiepiscopi producti testes deposuerunt appellationem factam esse post latam sententiam. His coram Pontifice Alexandro III. quæsitis, respondit sententiam pro irritâ habendam esse, nam dicta testium, ne perjurii reatu notentur, benignè esse in casu isto interpretandâ, vt & ante & post sententiam latam appellatio interposita fuerit, cùm vtrumque fieri potuerit.

Svmmarivm.

1. *Depositiones testium, qui ex vtrâque parte producti sunt, si possunt, ita interpretandæ, vt non contradicant.*
2. *Similis conciliatio & interpretatio facienda etiam est de actis diuersis iterabilibus, contra ipsum Reum.*

1 Not. Vnic. Si testes ex vtrâque parte producti conciliari possint, vt non contradicant, sed de diuersis actibus testentur, tunc ita interpretandæ sunt eorum depositiones. Ratio est, quia non est præsumendum delictum, & inde consequens pœna: sin autem testes contraria, aut contradicentia dicant, tunc vna pars perjurii crimine, ac pœnâ notabitur. itaque talis interpretatio, aut præsumptio facienda non est, sed ita accipi debent depositiones, si fieri possit, vt diuersa, non aduersa loquantur, dummodo iterabiles sint, vt in casu proposito; quod bis appellatum fuerit, semel ante, & iterùm post latam sententiam. Idémque eâdem ratione dicendum est, si testes ab eâdem parte producti non eadem deponant, sed aduersantia, si de eodem actu accipiantur, tali casu ita eorum dicta intelligenda esse, vt de diuersis actibus testentur, adeóque vt testes singulares sint, non vt contradicentes, exempli causâ, si vnus testium dicat, se vidisse Clericum egredientem è domo mulieris horâ diei tertiâ, alter verò se vidisse horâ diei octauâ, præsumi debet, quòd vterque verum dicat, quippe de diuersis egressibus testantes, quâ de re videri potest. *gl. in c. Nihilominus. 16. verb. Puniendi causâ 3. q. 6.* & hæc doctrina certa est, si loquamur de præsumptione fauorabili faciendâ erga testes, ne alioquin perjuri censeantur, quia in dubio nemo est condemnandus, *juxta c. Estote. de regulis juris. & gl. receptam in c. Absit. 14. verb. Aut gladio. causâ 11. q. 3.* vbi ait, si quid possit trahi in bonum & in malum, potiùs interpretandum esse in partem meliorem. certa quoque est doctrina, si loquamur de præsumptione fauorabili faciendâ erga Reum absoluendum, vti etiam ex hoc c. colligitur, quia Præpositus & Canonici propter benignam præsumptionem actûs iterati immunes ab excommunicatione judicantur.

Sed quæstio est, num talis interpretatio 2
facienda sit de actis diuersis iterabilibus etiam contra ipsum Reum. Exempli causâ. si Titius accusetur, quòd frumentum è prouinciâ euexerit, productis tribus testibus, qui deponant id factum esse post decretum principis; ipse verò alios è diuerso testes producat, qui testentur euectionem factam esse ante decretum; vtrùm testium dicta ita intelligi debeant, vt bis euexisse censeatur, ideóque pœnam legis incurrisse. Affirmat *Abbas hic n. 5.* idque verum est, dummodo diligenter examinatis omnibus circumstantiis appareat, duos illos, qui

contra Titium testantur, esse veros contestes, nullúmque subornationis, aut collusionis periculum adsit, sed in dubio, vtrùm sint veri contestes, præsumptio quidem fiet pro ipsis, ne perjurii damnentur; attamen talis præsumptio eò extendi non debet, vt alius condemnetur. Ratio est, quam dedi *lib. 3. Th. Mor. Tract. 3. p. 2. cap. 2. n. 7.* quia prior illa præsumptio est tantùm negatiua, si vtroque modo se res habere possit, videlicet, vt testes vel contradicentia, vel diuersa dicant, non debeo judicare, eos contradicentia dicere, aut vt perjuros damnare, at verò posterior præsumptio esset positiua, videlicet frumenti euectionem factam esse post prohibitionem seu decretum, quod in dubio (videlicet si erroris aut collusionis suspicio aliqua sit) præsumi non debet.

CAPITVLVM XVII.

Fraternitatis.

Paraphrasis.

Si post renuntiationem partium, seu conclusionem in causâ, attestationibus publicatis sententia lata sit, & pars appellauerit, quæritur, num coram judice appellationis testes denuò produci possint, ad hoc respondet Alexander III. quòd in causâ appellationis seu secundâ instantiâ super nouis tantùm articulis liceat testes vel eosdem, vel alios producere, recepto tamen ab iis juramento.

Svmmarivm.

1. *Articulus probatorialis est pars seu membrum eorum, quæ litiganti probanda sunt.*
   Alius articulus antiquus, alius omnino nouus, alius denique directè vel indirectè contrarius. An super iis publicatis semel, iterum testes produci possint ijdem vel alij. num. seqq.
2. *Articulus antiquus quis dicatur.*
3. *Quid sit Articulus omnino nouus.*
4. *Quid sit non omnino nouus.*
5. *Articulus directè contrarius quid?*
6. *Quid Articulus indirectè, seu per accidens contrarius.*
7. *Publicatis ritè attestationibus neque in prima instantia, neque in secunda testes recipiuntur super articulis ijsdem, aut directè contrariis.*
8. *Contra hanc negatiuam regulam enarrantur exceptiones.*

MAteria huius capituli expressiùs decisa habetur *in Clem. 2. hoc tit.* quòd testibus ritè receptis & testificationibus publicatis neque in causâ principali, neque in causâ appellationis seu eosdem, seu alios testes producere liceat super articulis eisdem, aut directè contrariis. Ratio adiungitur, quia in vtrâque causâ periculum subest, ne testes subornentur.

Pro intellectu aduerte, quòd articulus alius dicitur antiquus, & alius nouus, & hic vel omnino nouus vel dependens ex antiquis, alius denique articulus contrarius directè vel indirectè. Articulus (videlicet probatorialis) est pars seu membrum aliquod eorum, quæ parti litiganti probanda sunt, vti dixi *in c. vn. de litis contest.* 1

Articulus antiquus dicitur, qui antea propositus fuit, vt probaretur. Super hoc, si testes recepti & publicati sunt, iterum super eodem non recipiuntur. 2

Articulus omnino nouus est, qui nec propositus fuit, nec ad intentionem partis vllo modo pertinet, talis articulus in omni causâ reijcitur, quia probatus in judicium adductam causam non adjuuaret. *c. Cùm contingat. 26. de off. deleg.* v. g. si actor in libello petiuerit bouem à Caio ex causâ venditionis, postea verò ponat articulum, bouem sibi deberi ex causâ promissionis. 3

Articulus non omnino nouus, sed dependens seu per se conjunctus cum antiquis est, qui propositus ac probatus adjuuat causam seu intentionem agentis: Exempli causâ: Parochus petiit decimas à quibusdam personis, ex objecerunt priuilegium exemptionis, & ideò pro ipsis sententia lata est, sed Parochus appellans proponit, quòd per annos 40. priuilegio 4

vsi

vsi non fuerint, adeóque ipse contra priuilegium præscripserit. *c. Accedentibus. 15. de priuileg.* hoc casu recipitur nouus iste articulus per se spectans ad causam in judicium ante deductam.

Excipitur, si articulus, qui expressè non erat propositus, ideóque externâ specie nouus apparet, in antiquis articulis contineatur secundùm necessitatem facti ac probationis, tunc reputari debet antiquus, ideóque super eo post publicatas attestationes, nec in principali, nec in appellationis causa testes recipiendi sunt, vt hîc docet *Innoc. n. 2. Imola n. 9. Bartolus in auth.*

Exempli causa: Aliquis inter articulos probatoriales contra conciuem suum posuit, quòd rem immobilem præscripserit annis 10. & post publicationem testium proponit titulum, non debet audiri, quia iste articulus in priore illo virtualiter continetur tum quoad factum, tum quoad onus probandi, quandoquidem nemo absque titulo contra priuatum ciuem rem immobilem præscribere potest intra 10. annos, sed nec præscriptio in hoc casu probari potest, nisi ostenso titulo.

5 Articulus directè contrarius dicitur, si quis offerat se probaturum, quod directè contrarium est, seu aduersans depositioni testium ex parte alterâ productorum, vt si actor per testes probârit, se mutuum dedisse certo loco, ac tempore, Reus autem post publicatas attestationes, aut coram judice appellationis probare velit, se eo tempore non fuisse in loco illo, audiendus non est. *cit. Clem. 2.* dummodo actor inter positiones habuerit de loco illo, nam si Reus circumstantiam loci primùm intellexerit ex publicatione depositionum, admittitur ad reprobationem testium. *c. Ex tenore. 35. hoc tit.*

6 Articulus indirectè seu per accidens contrarius est, si actor v. g. posuerit absolutè mutuum datum esse Caio, testes autem postea producti deponant de certo tempore aut loco, hoc casu publicatis attestationibus Caius reprobare potest dicta testium, & consequenter seu indirectè articulum probatorium Titii infringere, ostendendo per testes à se in contrarium adductos, se tunc in loco illo non fuisse, vt dicam pleniùs *in cit. c. Ex tenore.*

His præmissis *ex c. isto, juncta Clem. 2.* 7 colligimus notandum vnicum; ritè publicatis attestationibus seu testium dictis neque in primâ instantiâ, neque in secundâ seu judicio appellationis testes recipiuntur super articulis ijsdem aut directè contrarijs.

Nota quòd dicitur, si attestationes ritè publicatæ sint, sin autem non legitimè testes recepti v. g. ante litis contestationem, tunc testium noua receptio fieri debet, vti notat *gl. in cit. Clem. verb. Ritè. Gail. lib. 1. observ. 105. n. 12.* deinde loquor de articulis ijsdem seu antiquis, nam qui omnino noui, aut alij sunt, adeóque impertinentes, ij nec ante testium publicationem recipiuntur. at verò, qui non omnino noui, sed dependentes à prioribus, ij recipi debent, sicut & qui indirectè contrarii sunt, videlicet propter aliquam qualitatem à testibus allegatam & probatam, ex quâ reprobari possunt. *cit. c. Ex tenore.* Ratio regulæ negatiuæ positæ in notando redditur *in cit. Clem. 2.* quia post publicatas & cognitas depositiones testium major subesse potest timor aut suspicio subornationis, vt videlicet nouiter producendo testi suggeratur id dicendum, quod cognito jam totius causæ statu eam maximè adjuuat ac promouet.

Cæterùm, si publicatio facta sit, sed depositiones pars non cognouerit, tunc non prohibetur testes iterum producere, nisi appareat, quòd antea voluerit renuntiare testium productioni, vti docet *gl. cit.* & *Abbas hîc. n. 5. Gail. n. 3.*

A regulâ illâ negatiuâ plures sunt excep- 8 tiones, quarum pleræque alibi explicatæ sunt v. g. *c. Licet. 9. de probat.* quòd contra testes etiam post latam sententiam objici possit esse corruptos, item quòd exceptio peremptoria post attestationũ publicationem opponi queat. *c. Litem. 5. de dolo.* deinde quotiescunque partes probationibus ac defensionibus renuntiare nõ possunt, tunc etiã publi-

publicatis testificationibus noui testes, aliæque probationes super iisdem articulis recipiuntur, vt in causâ matrimoniali, quæ ne latâ quidem sententia transire censetur in rem judicatam propter animæ periculum, si vel separarentur, qui legitimè copulati sunt, vel copularentur, qui legitimè copulari nequeunt, vti dixi *in c. Iurauit. 6. de prob.* & docet *Gail. cit. obsern. 105. n. 5.* eâdemque ratione in causis criminalibus locus non est regulæ huic ex parte Rei; cùm respectu ipsius, vt ad innocentiam suam ostendendam admittatur, nunquam in causâ concluſum censeatur *juxta l. vnius 18. §. Cognituram. ff. de quæst.* vbi dicitur, quòd defensionem quocunque tempore postulante reo negari non oportet. Vide *Gail lib. 1. observ. 107. n. 11.* sed & judex ex officio post publicatas attestationes & concluſionem in causâ, antequam sententia lata sit, interrogationes ac positiones formare & testes recipere potest, quatenus necessarium videtur ad pleniorem & perfectam causæ cognitionem *juxta c. Cùm Ioannes. 10. vbi Felinus n. 11. de fide instrum. Gail. cit. observ. 107. n. 6.* similitérque ad instantiam partis vtriusque testes de nouo recipi nihil prohibet, cùm partes suo fauori renuntiare possint. *Argum. l. Si quis 29. Cod. de pactis.* & docet *Gail. cit. obs. 105. n. 14.* plures exceptiones videbis apud speculatorem *tit. de teste. §. 8. Imolam hîc Gail l. c. Fariuac. q. 73.*

CAPITVLVM XVIII.

Intimauit.

Paraphrasis.

Guilielmus Clericus jurare sibi fecit Capellanum Romani Presbyteri, quòd testimonium, consilium, vel auxilium dicto presbytero aduersùs ipsum *Capellanum* præstare nollet, hoc intellecto Alexander III. respondit, si testium depositiones publicatæ non sint neque renuntiatum, tunc tam ij, qui juramentum illud ediderunt, quàm alij idonei testes admittantur.

Svmmarivm.

1. *Testificari compellitur, qui jurauit se non testificaturum, suppositò, quòd judex habeat jus examinandi testes, seu quòd juridicè interroget.*

Not. Vn. Ad testimonium ferendum aliquis compelli potest, non obstante, quòd jurauerit se non testificaturum. ratio est, quia lex charitatis obligat ad testimonium ferendum pro proximo, imò etiam lex justitiæ, si superior jubeat, vti docui *c. 1. hoc tit.* cùm itaque testimonium negari non possit absque peccato & quidem ex genere suo mortali, consequens est, quòd juramentum de non testando seu veritate celandâ obligatorium non sit, ideóque nec seruandum. *c. Constit. 14 hoc tit. & c. Olim 26. de accusat.* nam juramentum non est vinculum iniquitatis. *c. Quanto 18.* nec est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum *Reg. 88. in 6.* 1

Supponitur autem, quòd judex jus habeat testes examinandi, seu quòd juridicè interroget, videlicet præcedentibus sufficientibus indiciis, si loquamur de causâ criminali, sin autem crimen occultum sit, id est indiciis sufficientibus non proditum, licet duobus vel tribus notum sit, hoc casu non debet aliquis de eo testari, *teste S. Thomâ 2. 2. q. 70. art. 1.* nisi sit perniciosum in futurum, aut nisi agatur secundùm denuntiationem charitatiuam vel canonicam ad tollendum peccatum aut animæ periculum, v. g. si aliquis jubeatur deponere de commisso incestu cum duabus consanguineis in 1. aut 2. gradu eò tantùm fine, vt nuptiæ cum alterâ impediantur aut dirimantur tanquam irritæ juxta ea, quæ docet *Suar. lib. 3. D. 13.* & dixi *Lib. 3. Theol. mor. Tract. 6. cap. 4. q. 4.*

Cap.

CAPITVLVM XIX.

Causam.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem & Monachos ex vnâ parte, & plebanum atque clericos Ecclesiæ de Marturâ ex alterâ parte lis erat coram judicibus à Papâ delegatis, in quâ testibus receptis, & factâ vtrinque renuntiatione ac publicatis attestationibus, monachi priuilegium nuperrimè à Papâ impetratum produxerunt, super hoc consultus Alexander III. respondit super aliis capitulis siue articulis, super quibus testes necdum recepti, & testificationes publicatæ fuerunt, testes idoneos recipiendos esse, & ita causam decidendam. verumtamen si quæ priuilegia seu indulta à Sede Apostolicâ post factam causæ illius commissionem impetrata sunt à Monasterio, ea parti alteri in causâ ista impedimentum seu præiudicium afferre non possunt, præterea cùm Episcopus Florentinus retulerit ad Papam, quòd prædicto priuilegio quædam inserta sint, quæ rationi aduersentur, ideò illud per nuntium ad Sedem Apostolicam transmittendum esse.

SVMMARIVM.

1. *Publicatis attestationibus, testes recipiendi denuò sunt super aliis capitulis ad eandem causam pertinentibus.*
2. *Priuilegium impetratum, lite pendente, nullâ factâ mentione litis, aduersario in ea causa non generat præiudicium,*
3. *Etiamsi priuilegium illud motu proprio Princeps concesserit.*
4. *Si in rescripto aut priuilegio aliquid contineatur, quod rationi aut consuetudini Curiæ contrarium videatur, remitti debet tanquam suspectum de falsitate.*

1 NOT. I. Factâ publicatione testificationum testes denuò recipi possunt super aliis capitulis ad eandem causam pertinentibus, vt etiam dictum est *in c. Fraternitatis, 17. hoc tit.*

Not. II. Priuilegium impetratum lite pendente nullâ factâ mentione litis, aduersario in eâ causâ impedimentum aut præiudicium non generat, ita etiam habetur *in c. vlt. vt lite pendente nihil innouetur*, quòd verò *gl.* hîc ait, *verb. Commissio*: causam censeri litigiosam, cùm primùm commissio facta est, licet citatio nondum emanauerit, id ex hoc capitulo non colligitur, nihilominus placet hoc, quòd priuilegium ad instantiam alicuius concessum, nõ factâ mentione commissionis, quæ super eâdem causâ emanauit, vitio obreptionis laboret, quia Papa aliúsue Princeps non facilè commissionem reuocare censetur, nisi exprimat. vide *Abbatem hîc n. 5.* 2

Sed quæstio est, si princeps non motus alterius petitione (tametsi fortasse ea antecesserit) sed sponte seu motu proprio priuilegium concessit, non factâ mentione litis pendentis, num priuilegium aduersario præjudicet, responsio est negatiua cum *Hostiensi hîc. Io. Andreâ n. 6. Abbate n. 5. Imola n. 21.* idque probatur ex regulâ receptâ, quòd Princeps motu proprio priuilegium concedens, non censeatur derogare juri alterius, siue sit in rem siue ad rem. *Argum. l. 2. §. Si quis à principio. ff. Ne quis in loco publico.* & docet *Felinus hîc n. 2. Sanch. lib. 5. de matr. d. 21. n. 50.* quare si Papa motu proprio conferat beneficium Caio, quod ante contulerat Titio, nullâ huius collationis factâ mentione, præfertur primus impetrans, vti docet *Anton. & Imola in c. Mandatum 38. n. 7. De rescriptis.* deinde si Papa motu proprio conferat beneficium, non censetur præjudicare vnioni factæ per ordinarium, licet ea effectum nondum consecuta sit, neque derogare juri patronatûs laicorum, neque derogare particularibus statutis loci, nisi de iis mentionem faciat, vti *Felinus* hîc docet *n. 3. Imola in c. Constitutus. 19. n. 11. de rescriptis. Sanch. cit. n. 50.* multò minus censetur derogare velle particulari statuto alicuius fundationis, nisi exprimat, vti monet idem *Felinus.* 3

Porrò hæc ipsa regula probari debet ex alterâ magis generali, quam tradit *Ioannes*

Andreas in c. Si motu. n. 1. de præb. in 6. Imola, Abbas, Felin. Sanch. l. c. Menochius casu 201. n. 80. licet motus proprius tollat suspicionem obreptionis, non tamen ampliat priuilegium siue gratiam vltra voluntatem concedentis verisimiliter præsumptam, quamobrem si Papa motu proprio conferat beneficium irregulari, aut aliter inhabili, non factâ mentione inhabilitatis, gratia irrita censetur ob defectum voluntatis, quia præsumitur ignorâsse secundùm *gl.* receptam *in Clem. Si Romanus, de præb.* præterea si in priuilegio motûs proprii exprimatur falsum tanquam causa finalis concessionis, ita vt appareat, vel præsumi possit, nisi in eo errâsset seu malè persuasus fuisset Papa, gratiam talem concessurum non fuisse, tunc irrita censebitur ob voluntatis defectum, vti docui *lib. 1. Theol. Mor. Tract. 7. cap. 23. n. 10. in fine.* & videri potest *Sanch. cit. disp. 21.*

Not. III. Si in rescripto aut priuilegio à Papâ alióue principe emanante aliquid contineatur, quod rationi aut consuetudini curiæ contrarium videatur, remitti debet tanquam suspectum de falsitate, vti etiam habetur *in c. 2. de rescriptis.* & ideò ait *Abbas hîc n. 7.* non debet Ordinarius esse facilis in executione horum priuilegiorum, sed consulere principem & exspectare secundam jussionem.

CAPITULUM XX.

Personas.

Non Svmmatvr.

TEstis productus, si consimili morbo laborare ab aduersâ parte cõuictus fuerit, repelli debet: sensus est, quem *gl. & Io. Andreas hîc* tradunt, quòd causam consimilem habens ei, ad quam testis producitur, repelli possit, sicuti plenius colligitur ex *parte 10. cap. 5. post Conc. Lateranense sub Alexandro III. tom. tertio Conciliorum*, vnde hoc capitulum desumptum est, v. g. *Si Parochus*, contra aliquem ex Parochianis agat pro decimarum solutione, pro se autem Reus immunitatem à soluendis decimis per tempus immemoriale obijciat, eiúsque rei testem producat alium parochianum, qui consimili morbo laborat, seu eâdem in naui nauigat, quia & ipse similiter, si actio contra eum instituatur se defendere velit per temporis immemorialis immunitatem, hoc casu repellendus erit propter affectionem, quam gerit erga causam istam, sic & judex tanquam suspectus recusari potest, si consimilem ipse causam cum altero habeat. *c. Causam. 18. de judic.*

Corollarium. Si pluribus rixantibus homicidium comissum sit, & nesciatur, à quo eorum vulnus lethale inflictum, tum si vnus ad se exonerandum fateatur de Titio, ac probare velit per alios testes socios, horum testimonia suspecta esse debent, & ideò contra eos excipi potest, quia videntur ad seipsos à suspicione eximendos, crimen in vnum Titium conijcere, quâ de re vide *Farinacium q. 60. n. 19.*

CAPITVLVM XXI.

Iudæi.

Paraphrasis.

Testimonium Christiani aduersùs Iudæos in omnibus causis recipiendum est, cùm & ipsi aduersùs Christianos testes suos producere præsumant, & excommunicandi sunt ij, qui judæos Christianis in hâc parte præferre voluerint, cùm illos Christianis subjacere oporteat, licet & Christiani illos pro suâ humanitate fouere debeant.

Svmmarivm.

1. *Iudæi vt testes recipi possunt in quibusdam casibus.*
2. *Christiani aduersùs Iudæum testes produci possunt adeò, vt per priuilegium, vel consuetudinẽ introduci non possit contrariũ.*
3. *Ecclesia habet jurisdictionẽ in Laicos ipsósque Principes sæculares, si quid decernãt, aut introducant Religioni Christianæ, aut eius decori contrarium.*

Sum-

SVmptum est *hoc c. ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. cap. 26.* in quo tamen absolutè dicitur, quòd judæi testibus suis aduersùs Christianos vtantur. quod est contra *l. vlt. C. de hæreticis:* vbi dicitur, quòd judæus non possit adhiberi testis in judicio, sed tantùm in testamentis & instrumentis seu contractibus, ne alioquin probationum facultas angustetur. ad id R. Alexandrum III. non dixisse in illo *cap. 26.* judæi testimonium recipiendum esse contra Christianum, sed quòd judæi soleant etiam suos testes producere aduersùs Chri- 1
stianos, ex quo tamen colligi videtur, quòd in quibusdam casibus judæi testes recipi possint, videlicet propter consuetudinem loci, vti docet *Farinacius q. 56. n. 235.* item in defectum aliorum testium, siue si veritas per testes Christianos & idoneos agnosci nõ possit. *Argum. cit. l.* & docet *Farinac. n. 231.*

Not. I. Christiani aduersùs judæum te- 2
stes produci possunt adeò, vt per priuilegium vel consuetudinem introduci non possit contrarium, videlicet ne judæi per Christianos testes conuincantur, vti etiam habetur *in Clem. 1. hoc tit.* quia tale priuilegium aut consuetudo cederet in opprobrium & iniuriam fidei Christianæ, cùm constet, quòd post Christi mortem subesse judæi, & seruire debeant Christianis, vti hîc dicitur & *in c. Etsi judæos 13. de judæis,* & sumitur ex Apostolo *ad Galatas 4.*

Not. II. Ecclesia habet jurisdictionem 3
in laicos ipsósque principes sæculares, si quid decernant aut introducant, quòd Christianæ Religioni aut decori eius contrarium sit, vti sumitur *ex hoc c. cit. Clem. 1. & l. c. Conc. Lateranensis in fine.* vbi prohibetur laicis potestatibus, ne ad fidem conuersos à successionibus hæreditariis excludant; sin secus factum, injungitur sub excommunicationis pœnâ, vt portionem ipsis competentem integrè exhiberi faciant. Videri potest *Abbas hîc n. 2.*

CAPITVLVM XXII.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Caia petebat Titium vt maritum suum, sed Titius negauit se ei fidē dedisse, aut cum eâ contraxisse: quæritur, num sufficiat ad probationem, si mater Caiæ & alia mulier testes producantur. Respondit Alexander III. non esse admittendam matrem, si vir superior sit diuitiis, nobilitate, aut honore, cùm enim mater filiæ incrementum, ac honorē desideret, testimonium eius suspectum est.

Alia quæstio proposita erat, vtrùm mulier viro coniungenda sit, necnè, quando sola mater consanguinitatem inter illos intercedere testatur, ad hoc respondet Papa, si matrimonium nondum contractum sit, non esse permittendū, vt contrahatur, cùm matris confessio seu testimonium non modicam consanguinitatis intercedentis præsumptionem afferat, sin autem matrimonium contractum sit, non debet dissolui seu separatio fieri absque plurium testium juramento, id est, duorum, nam pluralis numerus duobus contentus est, vti habetur *in l. Vbi numerus. de testibus.*

SVMMARIVM.

1. *Proponitur quæstio, an, & quibus in causis parentes possint esse testes in causis filiorum, & vice versâ.*
2. *Pater contra filium, & filius contra patrem, aliúmue ascendentem ordinariè testari prohibetur.*
3. *Neque Pater pro filio, aut hic pro Patre testis admittitur.*
4. *Collaterales consanguinei non sunt cogendi ad testificandum contra coniunctos, in causa seu ciuili, seu criminali, volentes tamen admitti debent. Non tamen in causis criminalibus aut arduis.*
5. *Limitatur tradita Regula, quòd Parens in causa filij, & vicissim testis esse nequeat.*
6. *Exactè discutitur, quomodo in casu Matrimoniali, parentum, fratrum, & cognatorum vtriusque sexûs testimonia recipienda sint.*

QVæstio hîc tractari debet, an & quibus 1
in causis parentes possint esse testes in causis filiorum & vice versâ. R. & dico 2
ordinariè contra filium parens, aut filius vel filia contra parentem aliumue ascendentem

testis in judicio esse non potest, vti dixi in *c. Nuntius 12. hoc tit.* idque propter reuerentiam ac naturalem amorem & propensionem, quam inter se gerunt, & adeò id verum est, vt nec volentes admittantur. *c. Si testes. §. Parentes. causâ 3. q. 4.*

3 Sed neque pro filio parens aliúsue ascendentium, aut vice versâ, filius pro parente admittitur testis ob eandem affectionis causam. *l. Testes 9. de testibus.* potest tamen aduersarius fauori suo renuntiare, & tales personas sponte admittere ad testificandum contra se, vti docet *Farinacius q. 54. n. 189.* eo tamen casu veritatem plenè dicere debent pro & contra partē vtramque.

De aliis porrò collateralibus consanguineis paulò alia ratio est; imprimis, licet cogendi non sint ad testificandum contra conjunctos in causâ seu ciuili seu criminali. *l. Iulia. juncta gl. de testibus.* tamen volentes admitti debent, sicuti ex communi *Farinac. cit. q. 54. n. 16.* deinde si testes producantur pro conjunctis in causis criminalibus vel arduis, repelli possunt propter suspicionem affectionis, vti colligitur ex *c. 1. Similiter. causâ 3. q. 9. & c. Absens. 16. cãdem causâ q. 9. & cit. l. Lege Iulia.* & docet *Angelus in §. Pater. n. 4. institut. de testam. Speculator de testibus. §. 1. n. 14. gl. cit. c. 1.* nisi tam constantis virtutis appareat persona, vt nulla eius animo affectio dominari possit contra veritatem, sicuti limitat *Crottus p. 4. n. 119.* denique in causis ciuilibus non arduis consanguinei & affines admitti debent. teste *gl. in cit. c. 1. verb. Parentes.* ita tamen vt non sint testes integri & omni exceptione maiores, vti docet *Angelus l. c. Farinacius n. 80.* at verò parentes in causâ liberorũ & vicevsâ etiam ordinariè in causis ciuilibus repelli possunt *juxta cit. l. Si testis.* vbi dicitur, testis idoneus pater filio, & filius patri non est.

4 Sed neque in testamento patris, filius testis esse potest, nec pater in testamento filii. *l. Qui testamento 20. §. qua autem. ff. de testamentis. §. Pater institut. eodem.* vbi id docet *Angelus n. 2. Clarus. §. Testamentum q. 55.* vbi id ampliat, siue filius in potestate parentis sit, siue emancipatus, & rationem adfert, quia pater & filius quasi eadem persona censentur. *l. vlt. C. de impub. & alijs substitut.*

Sed limita, quòd si filiusfamilias in expeditione, seu ante missionem de peculio castrensi testamentum condat, pater testis esse possit, sicuti & frater, sin autem post missionem, commune jus obseruare debet, ideó q; nec patrem nec fratrem filiusfamilias vt testem adhibere potest *cit. l. Qui testamento. & cit. §. Pater*, reprobatum est enim testimonium domesticum, id est, eorum, qui ex eâdem domo seu familiâ sunt, vt Mynsingerus ibi interpretatur.

Porrò supra tradita regula negatiua, 5
quòd parens in causâ filii, & filius in causâ parentis testis esse non possit, limitari debet I. quòd in contractibus seu instrumẽtarii testes esse possint, si pars vtraque contrahentium consentiat, sicuti docet *Mascardus concl. 1118. Farinacius q. 54. n. 167.* dummodo pars altera sciat esse filium vel patrem eius, quocum contrahit, nam qui ignorat, approbare, aut consentire non censetur. *l. Nec ignorans 10. C. de donat.* vbi dicitur, quòd ignorans non consentit.

2. Quòd pater possit esse testis in causâ, quam filius procuratorio nomine agit, si ipsi patri aut filio directè nihil acquiratur, vti docet *Glossa. Angelus in cit. §. Pater. n. 2. Crottus n. 116.*

3. In criminibus exceptis, item in iis criminibus aut factis, quæ difficilis probationis sunt, aut quorum cognitionem alii non habent, pater ad testificandum contra filium aut filius contra patrem quandoq; à judice cogi potest, quâ de re *Clarus §. fin. q. 24. n. 23. Farinac. n. 171. Mascard. concl. 1148. n. 28.*

4. In quæstione ætatis filiorum, testimonium parentum, inprimis verò matris valere debet, teste *Bartolo in l. Parentes 6.* & habetur *in l. Etiam 16. de prob.* vbi tamen *gl.* monet confessionem matris vel patris de ætate præsumptionem aliquam adferre, licet non ita fides ei adhibeatur, sicut alteri testi, si filio exinde commodum acquiratur cum alterius præiudicio, idque satis colligitur ex hoc ipso c.

5. Si

5. Si causa agatur inter duos filios, tunc parens potest esse testis, item frater in causa duorum fratrum, idque propter parem affectionis causam, vti docet *Bartolus l. 6. n. 5. Maseard. n. 29. Crottus n. 110. Farinac. n. 205.*

6. In causâ matrimoniali, parentum, fratrum & cognatorum vtriusq; sexûs testimonium ob matrimonii fauorem recipitur, vti 6
habetur *in c. Videtur. 3. qui matrimonium accusare possunt*, vbi etiam significatur horum testimonium in hac causâ plerumque magis idoneum esse, cùm veritatem certiùs cognitam habeant.

Verumtamen secundùm textum huius capituli exactius distinguendum, vel agitur de matrimonio contrahendo, si videlicet dubitetur, num vir & mulier fidem matrimonii dederint de præsenti, vel de futuro, hoc casu parentes recipiendi sunt in testes, ita vt mater v. g. cum alio teste affirmante, factam esse promissionem, efficiat probationem plenã: excipe nisi filio aut filiæ, quia est impar diuitiis, nobilitate, potentiâ aut honore, ex nuptiis peculiaris honor aut incrementum accedat, tunc suspectum est matris testimonium, vt minus æstimari debeat propter affectionem.

Vel agitur contra matrimoniũ, quod dupliciter fieri potest; ne contrahatur, quia obstat impedimentum dirimens v. g. consanguinitatis, hoc casu sufficere debet vnius matris testimonium, seu confessio; cùm agatur de peccato vitando & honore Sacramenti seruando, & ita habemus casum, in quo fides habetur vni testi, etiã cum aliquo præiudicio tertii. 2. vt quod contractum jam est matrimonium, dissoluatur propter impedimentum dirimens, hoc casu agitur de magno præjudicio, & ideò non sufficit vnius hominis testimonium, sed minimùm duo testes jurati requiruntur, & ad tale testimonium (si dubitetur de consanguinitate aut affinitate) præ aliis idonei sunt parentes & propinqui. *cit. c. Videtur*, & *c. Quotiens. h. t.*

* * *

CAPITVLVM XXIII.

Licet.

PARAPHRASIS.

Sicut Christianis concessum nõ est, ita multò minus permittendum est judæis, vt vnius legitimo producto testimonio, causa obtineatur. quamobrem mandat Papa, vt si judæo controuersia sit cum Christiano, præsertim Clerico, non minus quàm duorum vel trium virorũ, qui probatæ vitę ac fidelis conuersationis sint, testimonia admittantur, quia licet quædã causæ sint, quæ plures, quàm duos exigant testes, nulla tamen est causa, quæ vnius, quamuis legitimo testimonio terminetur.

SVMMARIVM.

1. *Duo idonei testes ordinariè sufficiunt in causis tam criminalibus, quàm ciuilibus.*
2. *Vnus vel singularis testis in nulla judiciali controuersia, quæ sit alicuius æstimabilis præiudicij, plenè probat.*
3. *Recensentur Casus certi, in quibus vnus testis plenè probat.*
4. *Vnus testis licet non sufficiat ad conuincendum, vel condemnandum, sufficit tamen ad inquirendum, citandum, & quandóque ad torquendum Reum.*
5. *Attestatio vnius juncta cum aliis indiciis vel præsumptionibus, potest plenam fidem facere in ciuilibus causis, & in criminalibus occultis, quæ sunt difficilis probationis.*

NOT. I. Ordinariè ad probationem rei 1
gestæ duo testes idonei sufficiunt tam in criminalibus, quàm ciuilibus causis *juxta cap. 17. Deutron. & Matth. 18. In ore duorum vel trium stat omne verbum*, id est, omne negotium ostendi ac confirmari potest.

Sunt tamen aliquæ causæ, vt vltimæ voluntates & quædam species contractuum vel solutionum, ad quas plures testes solen-

nitatis cuiusdam loco, cæsareo jure requiruntur. vti in casu *l. Testium 18. de testibus.* & plura accumulat speculator de testibus §. 11. olim etiam ad condemnandum Episcopum, Presbyterum, vel Clericum, plurium quandoque testimonia requirebantur, vt videre est in *c. Præsul. Causa 2. q. 5.* sed hæc non vbique, nec semper recepta sunt, quin potiùs generalis regula tradi debet, quòd ad conuincendam quamcunque personam quâcunque dignitate fulgentem, duo idonei omnique exceptione maiores consentientes testes sufficiant, vti ibidem Gratianus testatur, & docui *lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 4. n. 3.*

Not. II. Nulla judicialis controuersia est, quæ per vnius hominis testimonium terminari possit, quare dici solet, quòd vnus testis nullus testis est, item vox vnius vox nullius, vti docet speculator, *l. c. Farin. q. 62.* & adeò hoc verum est, vt contrarium per statutum vel consuetudinem generalem introduci nequeat, videlicet vt in quibuscunque controuersiis criminalibus, aut ciuilibus ad alteram partem conuincendam sufficiat vnius hominis testimonium, sicuti *Crotius tradit, Mascard. de prob. lib. 1. in præfat. q. 11. n. 10. Farin. n. 9.* quia id occasionem apertam præberet hominibus calumniandi, peierandi, & innoxios opprimendi, at verò vt quædam causæ leuiores ac summariæ, quibus de modico præiudicio agitur, per vnum testem decîdi possint de plano & solâ facti veritate inspectâ, per consuetudinem introductum est, teste *Gabriel. de testibus. concl. 1. n. 45. Maranta de ord. judiciario. p. 4. dist. 9. n. 76. Mascardo l. c. n. 19.*

Deinde aduertendum est primò, quòd loquamur hîc de dubiis seu controuersiis judicialibus, in quibus agitur de æstimabili præiudicio tertii. *Argum. c. Indicas. 14. Causa 3. q. 5.* & tradit Glossator *verb. Vnius.* quòd vni testi non creditur in alterius præjudicium.

Alij autem casus sunt, in quibus vnius hominis testimonium ad plenam rei fidem faciendam accipitur; quòd per vnicum testem probari possit, hominem esse baptizatum, ordinatum, confessum de peccatis, ab excommunicatione absolutum, doctoratûs gradu insignitum, Ecclesiam esse consecratam. *Argum. c. Cùm itaque. 113.* & docui *lib. 5. Th. Mor. Tract. 2. cap. 5. n. 3.* 2. cùm agitur de euitando peccato, vt si ante contractum matrimonium de impedimento dirimente dubitetur, vnus testis affirmans sufficit, vti dixi *in c. In omni hoc tit. & lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 4. n. 9.* 3. ad probandam innocentiam Rei, vt si confessus aut conuictus homicidium excipiat ac probet per vnum testem non suspectum, quòd necessariæ defensionis causâ occiderit, aut quòd vulnus lethale non fuerit, sed ex aliâ causâ homo occubuerit, dummodò in partem contrariam non sint alij testes, quâ de re *Farin. q. 62. n. 42. Gabriel. concl. 2. n. 35.*

Aduertendum 2. Quòd testis vnus licet 4
non sufficiat ad conuincendum aut condemnandum, quia non plenè probat, tamen sufficit ad inquirendum, citandum, immò etiam quandoque ad torquendum Reum, si videlicet sit testimonium vnius omni exceptione maioris, vti docet Speculator *tit. de testibus. n. 11. Lanfrancus in praxi. cap. 8. n. 71. Gabr.* & dixi *cit. c. 4. n. 7.*

Aduertendum 3. Licet vnius testimo- 5
nium, si solùm sit, non sufficiat ad probationem plenam, tamen si cum aliis indiciis seu præsumptionibus junctum sit, efficere potest probationem plenam, saltem in ciuilibus causis, immò etiam in criminibus occultis, & quæ difficile per testes probari possunt, nam quæ singula non efficiunt, juncta inter se facere possunt, juxta ea quæ dixi *c. Cùm causam 13. de prob.* & docet *Farin. q. 62. n. 35.* & tradit Speculator *cit.* §. *11. n. 11.* quando ait, quòd vnus testis cum famâ plenè probat.

CAPITVLVM XXIV.

Ex litteris.

Paraphrasis.

Nobilis quidam cum muliere contraxit in facie Ecclesiæ, eique fermè septennio cohabi-

cohabitauit, postea separationem instituipetiit, allegans se prius cognouisse consobrinam dictæ mulieris, & ad hoc probandum testes è familiâ suâ produxit, hac re intellectâ, respondit Papa Episcopo, cuius diœcesanus erat nobilis ille, separationem conjugum propter dictorũ testium depositiones nequaquam faciendam esse, neque contra istud coniugium aliquos testes recipiendos & audiendos, nisi sint probatæ vitæ ac famæ, vt nulla suspicio de iis esse possit perjurii committendi.

SVMMARIVM.

1. *Quæstio decidenda proponitur: an, & in quibus Casibus testes domestici produci possint: & Quid nomine domesticorum importetur.*
2. *Strictè primò domesticorum nomine veniunt, qui ex eodem patre geniti sunt, Secundò latè, qui in domo sunt constituti sub imperio Patrisfamilias, vt vxor, filij, famuli; & latissimè Tertiò, qui in cãdem domo viuunt & conuescuntur.*
3. *De domesticis secundi generis hîc quæstio est, de quibus regula traditur negatiua, quòd ij, vt testes producti in ciuilibus, & criminalibus causis repelli possint.*
4. *Limitatur hæc regula.*
5. *Contra Matrimonium non sunt admittendi testes nisi vitæ probatæ.*
6. *In quo casu etiam judex ex officio testes non integros, & suspectos repellere debet, licet aduersarius dissimulet; adeò vt tales admissi ne indicium suo testimonio generent.*
7. *Domestici Tertij generis, vti & amicus pro amico, subditus pro domino vt testes admittuntur ordinariè; non tamen censentur esse integri, & omni exceptione majores.*

1 HOc loco quæstio tractanda est, an & in quibus casibus testes domestici produci possint, imprimis verò aduertendum, quòd domesticorum nomen trifariam accipitur strictè, latè & latissimè.

2 Strictè sumitur pro iis, qui ex eodem patre geniti sunt filiifamilias, videlicet fratres inter se cum patre & matre in domo domestici sunt, vti dixi in *c. super. hoc tit.* latè accipitur pro iis omnibus, qui in domo sunt, constituti sub imperio patrisfamilias seu quibus dominus domûs præcipere potest, vt vxor, filij, famuli & famulæ conductitiæ. *l. Respiciendum 11. §. furta. ff. de pœnis.* latissimè domestici dicuntur, quicunque in eâdem domo seu ædibus viuunt & conuescuntur, aliàs vocantur familiares, vt *gl. hîc* notat vulgò commensales.

De domesticis secundi generis mentio est in hoc capitulo, de quibus regula traditur negatiua, quòd testes producti ex domo seu familiâ patrisfamilias, quibus ille aliquo modo imperare potest, tam in ciuilibus, quàm criminalibus causis repelli possint. ita habetur in *l. Etiam 3. C. de testibus. c. Si testes. § Idonei. Causa 4. q. 2.* & docui *lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 4. n. 4.* Ratio est, quia tales personæ persuasionem habent, quòd omnibus jussis domini seu patrisfamilias obsequi debeant, etiam vt injustè agant & peierent. 3

Limitandum est 1. quòd domestici esse possint tam probatæ vitæ v. g. principis alicuius domestici, vt in testimonium pro domino admitti debeant judicis arbitratu. *Argum. l. 3. de testibus.* & docet *Felinus hîc num. 3. Gabrielius concl. 10. num. 19.* 4

Limitandum 2. qui eo tempore, quo in testem producitur, desijt esse domesticus, repelli non potest, quare consilium hîc *Abbas dat n. 6.* vt officiales & famuli, si in testes producendi, priùs dimittantur: quamuis in foro externo etiam contra tales excipi possit tanquam in fraudem dimissos, vti *Gabrielius num. 16.* notat, & *Felinus num. 8.* vbi hanc rem judicis arbitrio committit. 5

Limita 3. Quòd domesticus produci possit ad probandã innocentiam domini accusati, aut suspecti, cùm enim causa Rei fauorabilior sit, quàm actoris, idcò faciliùs aliquis

quis admittitur ad testificandum pro Reo. ita ex communi *Farin. q. 65. n. 70.*

4. Si aduersarius sciens esse domesticum testem, contra eum non excipiat, tum ex eius testimonio maius, aut minus judicium probatióue secundùm qualitatem personæ resultare videtur, sicuti docet *Felinus n. 12. Gabriel n. 52.*

5. Domesticus à domino domûs coram agente produci potest testis in subsidium, si factum difficilis probationis sit, & alii testes haberi nequeant, quia crimen v.g. furti, domi commissum est, aut de nocte. *juxta l. Consensu. 9. junctâ auth. C. de repudiis.* & docent hîc *Abbas & Felinus n. 6.* ita tamen vt propter affectionem, quam erga dominum gerunt, non censeantur domestici esse testes integri, omnique exceptione maiores, teste *Farinacio n. 46. & n. 50.*

Verumtamen ex altero capite, si videlicet domestici ea, quæ domi facta sunt, meliùs nosse credantur, tunc aliis testibus etiam præferri debent. *Argum. c. Veniens 38. in fine hoc tit.* & *c. 1. Causâ. 14. q. 2.* & docet *Gabrielius cit. concl. 10. n. 39 Mascard. concl. 124. n. 48.* idque etiam procedere videtur in causâ matrimoniali, si agatur ad dissolutionem eius ob impedimentum dirimens, sicuti constat ex *c. Videtur 3. qui matrimonium accusare possunt:* vbi dicitur, quòd in tali casu parentes, aliíq; consanguinei testes esse possunt: igitur etiam domestici.

Hæc autem directè obstant huic nostro capitulo, in quo dicitur, quòd ad probandum affinitatis impedimentum contractum ex copulâ fornicariâ cum consanguineâ mulieris postea in vxorem ductæ, testes domestici nequaquam admitti debeant. *Nec. cum Baldo & Felin. hîc n. 6.* ideò repulsos fuisse, quia censebantur participes criminis se profiteri, & ideò personæ viles & fide non dignæ, quare subjungit Papa, vt ad probandum impedimentum non nisi probatæ vitæ & integræ opinionis testes adhibeãtur.

5 Not. I. Contra matrimoniũ, id est, cùm agitur ad eius dissolutionem propter impedimentum, non sunt admittendi testes nisi vitæ probatæ.

Not. II. Testes non integros aut suspectos in tali causâ judex ex officio repellere debet, etsi aduersarius litis simulet, adeò vt si admittantur tales, eorum testimonium nullius valoris sit, & ne indicium quidem generet, secundùm *Felinum in c. Cùm dilecti. n. 11. de accusat.* propterea, quòd testes in hoc casu repellendi sint non propter fauorem partis, sed ob fauorem Sacramenti. *Argum. c. Licet. 47. in fine, hoc tit.* 6

Ad extremum dicendum est, quòd domestici tertio modo, seu familiares, sicuti & testimonium amici pro amico, & subditi pro domino ordinariè admittuntur, quamuis propter affectionem eiusmodi testes non censeantur esse integri, seu omni exceptione maiores, nisi suspicio, quæ ex hoc capite oriri posset, ex alio tollatur, quia videlicet est vir probatissimæ vitæ. Videri potest *Gabrielius n. 21, Mascardus concl. 86. Farin. q. 55. n. 181.* 7

CAPITVLVM XXV.

Cùm venisset.

Paraphrasis.

Controuersiam, quæ super pluribus articulis seu quæstionibus erat inter Abbatem de Sicolano & M. Martinum; Lucius III. judicibus quibusdam delegauit, postquam ipsi partes citârunt, mors Papæ superuenit, quamobrem pars altera in negotio procedere recusauit, eò quòd jurisdictio judicum extincta censeretur; & cùm illi nihilominus procedere vellent, appellauit, sed mox mutatâ sententiâ agendo, producendo testes, ac respondendo appellationi tacitè renuntiauit, ideóque judices post testimonia publicata & conclusionẽ in causâ, sententiam tulerunt. Hoc processu intellecto scribit hic Vrbanus III. successor Lucii Papæ si ita res acta fuit, vt sententia illa auctoritate Apostolicâ confirmetur, sed & alias quæstiones, postquam depositiones testium publicatæ fuerint, vel testium productioni renuntiatum, judices legitimè definiant, si quæ verò

quæ-

quæstiones restent, super quibus testes nondum producti sunt, aut necdum productioni renuntiatum, audiant utrinque testes, ac postea finem debitũ imponant. Ita intelligo casum huius textûs cum Felino, & videri possunt ea, quę dixi in *c. Gratum. de off. delegati*, quod tempore Lucij III. cõtroversum erat num jurisdictio judicis delegati per mortem delegantis exspiret, si citatio facta sit, non item litis contestatio, sed negatiuam partem postea definiuit Vrbanus III. huius capituli Author.

SVMMARIVM.

1. *Prosequens litem coram judice, à quo appellauit, censetur appellationi renũtiâsse.*
2. *Publicatis attestationibus, vel factâ vtrinque renuntiatione testium, nulla amplius productio testium super iisdem articulis in eâdem instantia admittitur.*

1 NOt. I. Qui coram judice, à quo appellauit, litem prosequitur, appellationi renuntiare censetur, ita etiam habetur in *cit. c. Gratum.* & docet *gl. inc. Si à judice. 18. verb. Teneris. de appell. in 6.*

2 Not. II. Postquam testium depositiones publicatæ sunt, vel productioni testiũ utrinque renuntiatum est, alij testes super iisdem articulis in eâdem instantiâ recipi non debent, de hoc dictum est *in c. Fraternitatis. 17. hoc. tit.*

CAPITVLVM XXVI.

Series.

PARAPHRASIS.

Duorum nobilium liberi Caius & Sempronia matrimonium contraxerant, cùm autem posteà matrimoniũ accusaretur propter intercedentem consanguinitatem, actor posuit duas personas Titiũ & Blancam, asserens, & per testes legitimos probans, eas fuisse in 1. gradu consanguinitatis transversali coniunctos, id est, fuisse fratrem & sororem, sed pars altera è diverso producebat testes & instrumentũ publicum, quibus probare volebat dictas personas non ita fuisse coniunctas, accusator porrò opponit, testes hos in contrarium non esse recipiendos, judex quoque confirmat non esse eius Ecclesiæ consuetudinem, ut postquam testes recepti sunt, qui consanguinitatem secundùm formã canonum computârunt, & probârunt, alij testes ex opposito recipiantur. His relatis Clementi III. respondit ipse, non obstante illâ consuetudine, quippe quæ juri contraria est, si nihil aliud obstet, testes recipiendos esse.

SVMMARIVM.

1. *In dubio de impedimento consanguinitatis vel affinitatis, paradigma deriuatæ cõsanguinitatis secundùm formam Canonum exhibendum. Et quæ hæc forma.*
2. *Id quod narratur in publico instrumento incidenter, indicium facit & præsumptionem, sed non plenam probationem.*
3. *Non valet cõsuetudo, quæ juri naturali adversatur, aut cum animæ periculo jũcta est.*
4. *In dubio de valore matrimonij publicatis attestationibus, alij adhuc testes super articulo produci possunt.*

NOt. I. Si dubitetur de impedimento cõ- 1
sanguinitatis aut affinitatis, paradigma deriuatæ consanguinitatis secundùm formã canonum exhiberi debet, forma autem cõputationis est, ut à stipite, seu communi parente, vel saltem duobus nominatis fratrib⁹, aut fratre & sorore fiat inchoatio, & exinde gradus deducantur. ita hic. *& in c. Tua. 7. de consanguin.* & videri potest. *c. 1. Causa. 35. q. 5.*

Exemplum: accusatur matrimoniũ Caij cum Semproniâ, quòd sint quarto gradu cõsanguinitatis lineæ inæqualis coniuncti: accusator exhibere debet schema coniunctionis, seu arborem consanguinitatis; proponit itaque, & per testes probare paratus est quòd Titius & Blanca dudum defuncti fuerint in primo gradu transversali coniuncti, quippe ex eâdem matre Placidiâ geniti, quare cùm notorium sit, quòd Caius sit nepos Blancæ, quippe genitus ex filio eius Lupo, notorium quoque sit, quòd Sempronia sit proneptis Titij, quippe genita ex Publiâ, quæ erat filia Lucij, qui erat filius eiusdem Titij necessariò consequi ait, quòd dicti Caius & Sempronia in quarto gradu consanguinitatis lineæ inæqualis juncti sint.

Placidia

I	I
Blanca	Titius
II.	II.
Lupus	Lucius.
III.	III.
Caius	Publia.
	IV.

Sempronianа.

2 Not. II. Si in publico instrumento ob alium finem confecto aliquid narretur incidenter v.g. Titium esse fratrem vterinum Blancę, talis relatio affert incidiũ ac præsumptionem licet non plenã & indubitatã probationẽ. *arg. l. Eavis. 7. C. de testam. militis. c. Cùm olim. 19 junct. gl fin. de test.* & docet *Felin. hic. n. 3. & 4.* vbi monet eiusmodi instrumentis multũ autoritatis addi ex antiquitate, quâ de re dixi *in c. Cùm causam. 13. de probat.* potest tamen textus capituli nostri aliter etiã intelligi, quòd accusatus de impedimẽto matrimonii ex instrumento quodã natalitũ ostẽderit, quòd Titii mater fuerit Elpidia, & consequenter non Placidia mater Blancę.

3 Not. III. Non valet consuetudo, quæ juri naturali adversatur cũ animæ periculo juncta, ita sumitur ex hoc c. Potest autem casus huius capituli dupliciter intelligi, ut videre est apud *Io. Andr. hic n. 8.* 1. Quòd testes ex parte actoris recepti tantùm fuerint, eorúmque depositiones auditę & reo intimatę, hoc casu dicendum, non tantùm in causâ matrimoniali, sed etiã in aliis causis, præsertim arduis, ac valde præiudicialibus reo, naturali jure debitũ esse, ut pro suâ defensione testes æquè idoneos ac legitimos in oppositũ producere possit, quare contraria consuetudo, tamq; juri videlicet naturali repugnans, hîc reprobatur. 2. Quòd testiũ vtrinq; productorũ attestationes publicatæ fuerint, vel in causâ conclusum seu renuntiatum, hoc casu speciale id cẽseri debet in causâ matrimonij, si dubitetur de valore eius ob impedimentũ, quòd publicatis cum partium consensu attestationib⁹ alij testes super articulo directè produci possint, vt dixi in *c Iurauit. 6. de probat. & in c. Fraternitatis 17. hoc tit.* & adeò quidem, vt talis facultas producendi testes per nullam consuetudinem tolli queat, quia cum animæ periculo juncta est, seu præbet peccandi facultatem, uti *Abbas hîc docet n. 5.*

CAPITVLVM XXVII.

Præterea.

Paraphrasis.

Quæsitum fuit ex Cęlestino III. si quis alterũ de copulâ fornicariâ accuset, vtrùm debeat adducere testes de visu, an sufficiat solã famã viciniæ allegare & probare, aut quòd testes producti jurati affirment se constios esse comissi delicti, tamesi de visu nihil dicant. ad hæc respondit Papa, si testes jurati deponant de visu; & fama consentiens præsumptionem violentam faciat, atq; alia legitima adminicula suffragentur, tunc standum esse testium depositionibus de crimine illo. Etenim circumspectus & discretus judex motum animi sui ex argumentis ac testimoniis, quę rei aptiora sunt, confirmare debet. cõsentit *lex 3. § ideóq; in fin. hoc tit.*

Svmmarivm.

1. *Accusari aliquis potest de fornicatione, adulterio &c. Primò criminaliter; secundò ciuiliter. Tertio per denuntiationem charitatiuam, vel canonicam.*
2. *Pro varietate causæ maior & minor requiritur probatio: si agatur denuntiatiu, è sufficit semiplena.*
3. *Si agatur contra adulteriũ ad diuortiũ &c. requiritur probatio plena.*
4. *Si ad dissolutionem matrimonij agatur, maiores & clariores probationes exiguntur.*
5. *In causis criminalibus criminaliter intentatis, probationes debent esse certissimæ, & luce meridianâ clariores.*
6. *In occulto fornicationis crimine, plerumque testis haberi non potest de scientia, vnde judex præter vnius vel plurium testiũ depositiones, ex aliis adminiculis se informare debet.*
7. *Si tamen agatur ad pœnam legalem, certitudo de crimine commisso omnimoda & moraliter non fallibilis necessaria est.* (tia.
8. *Doctrinæ hîc traditæ vsus in foro etiã conscię-*
9. *Maritus putatitius impedimentũ dirimens post nuptias intelligens, per se loquendo non tenetur dispensationem petere, per accidens tamen subinde ex charitate obligabitur.*
10. *Idem est de sponsis nisi tempore sponsaliorum*

conscij fuerint impedimenti, tunc enim censebũtur se obligâsse ad petendã dispensationẽ.

1 ADverte 1. quòd variis modis aliquis accusare possit alterũ de fornicatione, incestu, aut adulterio, 1. Criminaliter ad pœnã legalé seu publicã vindictam criminis. 2. Civiliter ad divortiũ instituendum quoadlocũ & cohabitationem, aut dotis priuationẽ. 3. Per denuntiationem charitatiuam, tantùm ad amovendum peccatum, vel canonicã, ad impediendã electionem, seu promotionem beneficiarij vel promotũ amovendum, item ad matrimoniũ impediendũ, ne cõtrahatur, aut contractũ dissolvendũ, propter impedimentũ affinitatis ex fornicariâ copulâ cõtractæ ante nuptias, vt in casu 6. *In literis 24. h.t.*

2 Requiritur autẽ maior aut minor probatio secũdùm varietatẽ causæ; si enim agatur denuntiatiuè ad tollendum peccatũ duntaxat, aut imponendã pœnitentiam salutarem, vel ne aliquis promoveatur, qui nullũ jus acquisitũ habet, vel impediendũ matrimoniũ, ne sacrilegè cõtrahatur, sufficit semiplena probatio, videlicet vnus testis, aut solâ famâ, dũmodò verisimilib⁹ indiciis, & non leui origine orta cognoscatur. Videri potest *Mascard. concl. 59. n. 10.* & quæ dixi *in c. Super. 22. hoc tit. & lib. 3 Theol. moral. tract. 6. cap. 4. n. 6.*

3 Sin verò agatur contra adulterũ, vel adulteram ad divortium instituendũ, vel dotis amissionẽ, requiritur probatio maior, & quæ plena ac indubitata cẽseri possit; idémq; dicendum, si agatur contra Clericũ, seu beneficiariũ, cui jus acquisitũ est per electionem, vt non cõfirmetur & multo magis, si jã promotus est aut etiã possessionẽ accepit, vt deponatur, iuxta ea, quę dixi *in c. Veniẽs. 10. h.t.*

4 Deniq; si accusetur matrimonium contractũ, ut dissoluatur propter impedimentũ dirimens, tũc maiores adhuc & clariores probationes requirũtur iuxta *cit. c. Super.* idémq; dicendũ, si agatur criminaliter ad pœnã legalem siue per viã accusationis, siue per viã inquisitionis, cùm enim tales causæ valde arduæ ac præiudiciales sint, ideò certissimæ & luce meridianâ clariores probationes requirũtur, uti docent *DD. in l. vlt. C. de Probat.*

5 Adverte 2. cum Abbate hic. *n. 5. Io. Andr. n. 10.* cùm fornicatio crimẽ occultũ sit, quod secretò cõmitti solet, ideò testes tametsi dicantur de visu, vel auditu proprio, tamẽ plerumq; non posse censeri de scientia, cùm tãtùm deprehẽderint indicia, quãvis verisimilia criminis, quare judex prętер vni⁹ aut plurium taliũ juratorum testiũ depositiones, etiam ad famã viciniæ, & alia adminicula seu coniecturas attendere debet, & ex his omnibus animũ suũ informare, ut sibi persuadeat crimen verè cõmissum esse, ita tamen ut maior aut minor præsumptio, vel certitudo requiratur pro diversitate causæ; omnimoda autem & moraliter non fallibilis certitudo, si agatur ad pœnam legalem, aut dissolutionem matrimonij, vt dictum.

His addendũ pro praxi, quæ hoc capitulo 6
dicta sunt, etiã pro foro conscientiæ inseruire posse, ita vt si maritus v.g. coniugis suę adulteriũ moraliter certis indiciis, adeóq; præsũptione violentâ cognitũ habeat, licet in foro externo probare non possit, tamen, per se loquendo, & debitum coniugij negare, & prętextu militiæ v.g. à muliere discedere possit, ac divortiũ instituere, vti dixi *lib. 5. Th. mor. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 8.* certior autẽ & absolutè indubitata cognitio impedimẽti requiritur, vt viro (si in Ecclesiæ judicio probare se posse diffidat, vt putatitiæ vxoris fornicationẽ v.g. cum fratre viri ante nuptias cõmissam) alias nuptias in remotissimâ regione contrahere liceat, dummodò scandalum cesser.

Sed nunquid putatitius maritus si impedi- 7
mentũ dirimẽs ante nuptias ignoratũ posteà intelligat, dispensationẽ pontificiã petere tenetur, si eam impetraturũ se confidat. R. per se loquendo non tenetur. cùm id ordinariũ sit, vt nemo dispensationis gratiã petere teneatur, sed quisq; communi legi se conformare possit, sed interdum per accidens ad vitandum scandalum vel succurrendum liberis & mulieri, obligabitur ex charitatis lege saltem, si mulier extra culpam sit.

Multo minus spõsus, si post cõtracta spõsalia 8
intelligat subesse impedimentum v.g. cõtractũ ex cognatione spirituali, dispensationem petere tenetur, cùm absolutè loquẽdo liber sit à muliere, sponsalib⁹ ipso jure irritis, cæterùm si spõsi tempore sponsaliorũ conscij sint impedimẽti, ita vt nõ tantùm sciãt se v.g. cõ-

patres esse, sed etiã sciant cõpaternitatẽ dirimere matrimoniũ, hõc casu probabiliter dici potest, quòd sponsi se obligare censeantur ad dispensationẽ petendam, seu quòd spondere censeantur sub conditione dispensationis Papalis, quam etiam petere velint iuxta ea quæ dixi *cit. tract. 10. p. 2. c. 7. n. 4. & 5.*

CAPITVLVM XXVIII.

Cùm ânobis.

PARAPHRASIS.

Judicis solius assertioni secundùm jus ciuile & canonicum credendum nõ est in causis seu controuersiis testamentorum, contractuũ &c. sed nec scriptura judicũ, nisi testium adminiculis fulcita sit, tantã obtinere debet firmitatem, quin duorum vel trium idoneis ac legitimis testimoniis reprobari possit, exceptâ Apostolicæ sedis auctoritate.

SVMMARIVM.

1. *Scriptura judicis, sigillo eius munita, saltem in causis leuioribus authentica censetur, per duos tamen testes reprobari potest.*
2. *Qui tamen per alios testes idoneos pro instrumento judicis à parte productos rursus reprobari possunt, quibus etiam plus fidei, quàm illis adhibetur.*
3. *Literis Papalibus narrãtibus rem gestã à Papa, si super tali narratione, gratiâ &c. intẽtio eius fundatur, plena fides est tribuenda.*
4. *Imò etiam eadem fides debetur viuæ Voci Papæ talia narrantis.*
5. *Etiam secularium Principũ narrationes super facto proprio, aut gesto corã ipsis vt personis publicis, plenissimam fidem merẽtur, si quidem super ijs intentio principis fundetur.*
6. *Iudex (idem est de arbitro) testis produci nõ potest in causa quæ coram ipso agitur.*
7. *Nec corã alio judice, si agitur de justitia vel iniustitia sententiæ aut laudi; potest tamen esse testis, si agatur de processu causæ.*

1 ADverte, quòd hic nõ ponatur regula affirmatiua judicis, scripturã oportere esse authenticã, seu fidem mereri, cùm officium judicis nõ sit condere scripturas publicas & instrumenta authentica, sed Notarij jurati, uti hîc ex Innocentio docet *Ioan. Andr. n. 4.* Verũ quia judicis scriptura sigillo eius munita, saltem in causis leuioribus, aut etiam in grauioribꝰ propter quorundã locorum consuetudinem authẽtica censetur, ideò Innoc. III. hic auctoritatẽ talis scripturæ interpretatur ac temperat, ut non debeat esse tanta, quin per duos legitimos testes deponẽtes de falsitate reprobari queat, cùm enim instrumentũ publicum Notarij per duos testes reprobari queat, uti multi docent *in c. Cùm Ioannes 10. de fide instrument.* multo magis instrumentum, seu scriptura judicis, tametsi testium subscriptionem habeat.

Excipitur 1. Si pro instrumento judicis à 2
parte producto adsint testes idonei viuâ voce deponentes, verè ita actum fuisse, sicuti in instrumento narratur, tum his potiùs, quàm aliis testibus pro parte adversa contrariũ asserentibus fides haberi debet, quia duo momenta plus movere dicuntur, quàm unum, pro priori autẽ parte adsunt duo momenta judicis auctoritas & testes, pro alterâ autem parte tantùm testes.

Excipitur 2. quòd literis Papalibus narrã- 3
tibus rem gestam à Papâ, si super tali narratione, gratiâ &c. intẽtio eius fundatur, plena fides tribuatur, ita hîc insinuatur & expressius habetur *in Clem. vn. de probat.* vbi exempla afferuntur, si Papa in litteris narret se beneficium suæ aut sedis Apostolicæ collationi reseruâsse, beneficij resignationẽ ab aliquo accepisse, beneficia conferendi potestatẽ alicui dedisse &c. aliquem excomunicâsse, suspendisse, aut aliquẽ Papæ sacellanũ aut familiarem fecisse, & his similia, ut si Papa, inquit glossa ibi, conferat alicui beneficiũ vacans per priuationem, quam fecit Titio &c. si scribat Ordinario, ut nullam jurisdictionem exerceat in personas, aut aliqua, quæ narrat se exemisse.

Ampliari debet hæc exceptio 1. ut non 4
tantùm procedat, si per literas Papa talia narret, sed etiã si viuâ voce, ut ex hoc c. colligitur, & notauit *Zabarella in cit. Clement. 1.* ut non procedat tantùm si narret factũ propriũ, sed etiam si rem gestam coram se v. g. Titium Romæ querelam proposuisse, testes hoc vel illud deposuisse, in curiâ, uti docet *Felin. hic n. 2. Mascard. concl. 1227. n. 79. Farin. q. 63. n. 98.* qui tamen id declarant, si Papa motu

motu proprio talia scribat, secus si ad instantiam partis, tum enim de subreptione argui poterunt. 3. Vt procedat etiam si Papa testetur de gestis à se ante Pontificatum, secundùm *gl. in c. 2. verb. promisissent. de re judicatâ in 6. Gabr. Felinus. l. c. 4.* vt procedat, etsi Papa narret aliquid actum ab antecessore suo; sicut docet Cardinalis Zabarella *l. c. q. 9. Mascardus. l. c. n. 48.*

5. Quòd ita plenam fidem faciat narratio Papæ, vt non admittatur probatio in contrarium, secundùm glossam receptam, vbi aptè distinguit, si Papa ex litteris narret aliquid non coram se factum v. g. beneficium vacâsse per mortem Titii in vrbe, facere quidem fidem seu præsumptionem, sed admitti probationem in contrarium, videlicet, Titium extra vrbem mortuum fuisse, sin autem narret aliquid in suâ præsentiâ factum, tunc verissimam fidem meretur, dummodò de contrario non constet, siue ex euidentiâ facti, siue ex aduersarii confessione prout limitat *Farin. n. 142.*

Deinde admittitur probatio in contrariũ, per quã factũ aut narratio Papæ directè non perimitur, sed indirectè tantùm eius intentio destruitur, vti in exemplo gl. citatæ, si Papa narret se conferre beneficium, quòd vacet per renuntiationem factam in manibus suis, admittendus est aduersarius, si probare velit beneficium non pertinuisse ad renuntiantem, sed ad se, vel renuntiantem priùs in manibus Ordinarii renuntiâsse. 6. Quòd dicta doctrina non tantùm in sumo Pontifice locũ habeat, sed etiam in sæcularibus principibus, qui superiorem nullum agnoscunt, vt eorum narrationes super facto proprio, aut gesto coram ipsis pleniſſimam fidem mereantur, modo explicato, sicuti ex communiore docet *Bartolus in l. Ambitiosa. n. 28. ff. de decretis ab ordine faciendis. Farinac. q. 62. n. 83.*

5 Porrò tradita doctrina limitari ac declarari debet 3 quòd procedat tantùm si princeps asseratur aliquid à se vel coram se factum tanquam auctoritatem habente, non item si perinde vt aliquis priuatus testimonium ferat in alterius præiudicium, tunc enim etiam in ipso locum habet jus gentium, vt vnius hominis testimonium non probet in alterius præiudicium, quod hic sentire videtur *Albas. n. 2.* idque maximè procedit, si princeps testimonium contra alterum ferret in suum commodum aut in causa valdè ardua, videlicet criminali, vt si diceret se aliquem vidisse graue scelus committentem, non esset id sufficiens ad hominem condemnandum, vti docet. *Farin. n. 171.*

2. Quòd locus tantùm sit doctrinæ, si princeps se fundet super facto, quod narrat; quia videlicet causa sit, aut occasio, ob quam moueatur ad tale quidpiam concedendum, mandandum &c. secus autem est, si quidpiam narratur incidenter, ita vt super ea intentio principis non fundetur, vt si Papa Monasterio indulgentias v. g. concedens incidenter & per accidens vocet exemptum & Sedi Apostolicæ immediatè subiectum, non debet id sufficere ad probationem plenam juxta *c. Si Papa. 10. de priuileg. in 6.*

Quærunt hîc Canonistæ, vtrùm judex in 6
causa, quam judicat, aut judicauit, testis esse queat. Resp. & Dico 1. Pendente coram ipso lite, seu in eâdem instantiâ litis, judex non potest produci vt testis, constat ex *c. Dilecte. 40. hoc. tit.* vbi judex delegatus remouendus dicitur, quia eius testimonium in eâ causâ necessarium erat, & ex *c. Forum. 10. de verb. signif.* quòd personæ istæ: judex, actor, reus, testes, in judicio distinctæ esse debeant, adde quòd idem etiam in arbitro locum habeat, vt in causâ, quæ coram ipso agitur, testis produci non possit, cùm arbitria ad judiciorum formam redacta sint. *l. 1. ff. de arbitris.* & notauit hoc *Imola. l. c.*

Dico 2. Finito judicio seu coram alio 7
judice videlicet appellationis in integrum restitutionis judex vel arbiter non potest esse testis, si agatur de justitiâ vel iniustitiâ sententiæ aut laudi, potest tamen in testem produci, si agatur de processu causæ, ita gl. hîc communiter recepta *verb.* vnius. *Abbas n. 2. Bart. in l. Ne in arbitris. n. 6. de arbitris.* & habetur *in c. Statutum. 38. causâ 2. q. 6.* ratio prioris partis est, quia judex affectus est erga causam, quam judicauit, ideóque testis

stis quodammodo esset in propriâ causâ, quâ simili ratione causę Aduocatus vel Procurator non potest in eâdem testis produci. *cit. c. Statutum. c. Si testes. §. Testes quos causa 4. q. 3. & l. vlt. de testibus.* & docet *Innoc. in c. de arbitris. n. 1.* quòd judex, Aduocatus, & executor, non possint esse testes, idq; verum est, tametsi quispiâ deposuerit munus Procuratoris, vel Aduocati, quia nihilominus ad causam, quam semel susceperat, affectus esse censetur, secundùm *Imolam. hîc. n. 7.* ideóque saltem non integer seu omni exceptione maior testis esse potest, vti docet *Farin. q. 60. n. 159.* & confert adhoc, quod legitur in *l. vlt. C. de Assessorib. juncta gl. verb. vindicare.* quòd Aduocatus causæ, etiam finito officio, non possit in eâdem esse judex vel assessor, & additur ratio, ne aduocationis suæ memor incorrupti judicis non possit nomen præferre.

Altera pars declarari & limitari debet, dummodo ipsius judicis prioris nihil interfit ad qualecunque commodum etiam honoris aut laudis consequendum, aut damnum qualecunque seu dedecus euitandum, sicuti *Abbas hic* docet *Mascard. concl. 124. Farin. n. 100.*

CAPITVLVM XXIX.

De testibus.

Paraphrasis.

Si testes producti sint tantùm ad probandam exceptionem dilatoriam, non possunt à parte aduersâ cogi ad testificandum super causâ principali, immò nec admitti possunt, cùm tantùm jurauerint se veritatem dicturos super exceptione dilatoriâ; at verò si testes ad probandam peremptoriam exceptionem producti fuerint, tunc petente aduersario, jurare debent, se dicturos veritatem super toto negotio, & ita jurati cogendi haud dubiè sunt ad testificandum de negotio principali, nisi super eo sufficiens testium productio præcesserit, aut si productioni renuntiatum sit, vel testium depositiones publicatæ.

Svmmarivm.

1. *Testes producti ad probandam exceptionem dilatoriam, non possunt cogi ad testificandum super causa principali.*
2. *Testis productus super certo articulo pertinente ad meritum causæ, cogi potest ad jurandum de veritate dicenda super totâ causâ, quatenus cognitam habet.*
3. *Non permittendum, vt testes jurent tantùm super certis articulis, sed cogendi vt jurent super totâ causâ.*
4. *Testis non juratus examinari non debet.*
5. *Ad substantiam testimonii pertinet, vt juramentum antecedat depositionem.*
6. *In scripto testes testimonium dare non possunt.*

Not. I. Testes producti ad probandam exceptionem dilatoriam non possunt compelli, vt deponant super causâ principali; cùm enim exceptiones dilatoriæ tendant ad impediendum judicii processum, vti docui in *c. 1. de litis contestat.* sequitur, quòd testis productus super exceptione dilatoriâ, non possit examinari super negotio principali, quandoquidem non jurauit se dicturum veritatem super principali, esset enim contradictio, si testis receptus ad deponendum super exceptione dilatoriâ (v.g. quòd extra diœcesin crimen commissum, aut extra jurisdictionis fines contractus institutus sit) jurare etiâ deberet super causâ principali, idémque locum habet, si testis producatur super exceptione peremptoria vim habente dilatoriæ, cuiusmodi est exceptio litis finitæ per sententiam, transactionem &c. vti docui in *cit. c. 1.* 1

Not. II. Testis productus super certo articulo pertinente ad meritum causæ, cogi potest à judice, præsertim petente alterâ parte, vt juret, se veritatem dicturum super totâ causâ, quatenus cognitam habet pro vtrâque parte litigantium, juxta *c. Non sanè. 15. verb. illi enim. causâ. 15. q. 5. & c. Fraternitatis. in hoc tit.* & ita docet *Bartolus. in l. Si* 2

duo

duo patroni. §. Idem Julianus. ff. de iureiurando. gl. magna hic. alioquin verò, si super vno tantùm articulo jurârit, non poterit examinari super aliis non connexis, vti hic docet *Imola. n. 2.* & breuiter tradit Speculator de testibus. §. *4. n. 2. & 3.* quòd nec judex nec partes pati debent, vt testes jurent tantùm super datis articulis, sed cogendi vt jurent super *datis articulis* & totâ causâ, nam
3 alioquin non valeret testimonium eorum, si quid dicerent extra illos articulos.

4 Not. III. Testis non juratus examinari non debet, quia non valet eius testimonium. ita *gl. hîc recepta. verb. non iuncti* & docui *lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 4. n. 6.* sed

5 Quæritur 1. An necessarium sit ad substantiam testimonii, vt juramentum antecedat depositionem. Responsio est affirmatiua, apud *Gail. lib. 1. obsern. 131. n. 9. Felinum. hîc. n. 5.* qui tamen limitant. Si in continenti sequatur juramentum, tunc moraliter loquendo, depositionem censeri juramento informatam, maximè cum juramentum referatur ad præcedentem depositionem, ita vt sit veluti assertio repetita, eáque nunc jurata, quæ anteà erat nuda. Sed bene admonet Felinus, non satis fore cautum parti, contra quam deponitur, si testis sine juramento se examinari ratus deposuerit, si enim postea jurare jubeatur, non audebit suum dictum falsum retractare, mendaciumque fateri, & ita facilè peierabit.

6 Quæritur 2. Vtrùm testes in scripto testimonium dare possint, responsio est negatiua ex *c. Testes. 15. causâ. 3. q. 6.* vbi dicitur, quòd non per scripturam, sed præsentes testimonium veraciter proferre debeant, & docet *ibi Ioan. Turrecremata. Io. Andr. hîc.* & alii apud *Farin. q. 80. n. 27.*

CAPITVLVM XXX.

Constitutus.

Paraphrasis.

Vacante Archidiaconatu Richemundię Archiepiscopus Eboracensis eum contulit Magistro Honorio, sed eiusdem Ecclesiæ Decanus, & Capitulum existimantes conferendi potestatem ad se pertinere, tum per Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *capitulo. 2. de conces. præbendæ*, tum per priuilegii cuiusdam concessionem, vti legitur in *c. Post electionem. 7. cit. tit. lib. 3. decret.* eundem Archidiaconatum Magistro Rogelio contulerunt, & in possessionem introduxerunt, cùm autem lis coram judicibus delegatis, receptis etiam testibus, penderet, Honorius post interpositam appellationem spoliauit Rogelium, quare iste à Papâ commissionem impetrauit ad quosdam super restitutione ipsi faciendâ, sed Honorius in curiâ personaliter existens, mox alias litteras Papales impetrauit reuocatorias prioris commissionis, quippe cùm per falsi suggestionem impetrata diceretur, inter alia etiam petebat Honorius à Pontifice, vt juberet testium quorundam depositiones publicari, sed Rogelij Procurator ex aduerso stans, dicebat non esse publicandas, quia non in hac causâ, sed in aliâ diuersâ, quæ inter Archiepiscopum, & eundem Rogelium vertebatur testes producti fuerint; quare Innoc. III. noluit eas aperire, sed judicum in partibus delegatorum examini commisit hâc formâ, vt si cognouerint testes coram prioribus delegatis judicibus productos fuisse ab ipso Honorio, non permittatur eosdem testes denuò reproducere, cùm prioribus attestationibus contentus esse debeat. Sin verò testes non ab Honorio, sed ab Archiepiscopo producti fuerint, tunc Honorius, si voluerit eosdem (sicuti & alios testes) in suâ causâ producere poterit.

Svmmarivm.

1. *Causâ ab vno judice ad alium delegatum translatâ, attestationes vel appellationes facta à priori judice petendæ & publicandæ.*
2. *Attestationes inter certas personas receptæ in judicio, ad petitionem tertiæ Personæ non sunt publicandæ, etsi eius interfit, nisi aduersarius consentiat.*

3. Co-

3. Coram diuerso judice, ne parte quidem principali petente, attestationes sunt publicandæ, nisi aduersarius consentiat, vel testes mortui sint.

1 NOT. I. Si testes recepti sint super quibusdam articulis, & accidat, causam ad alios delegatos judices transferri, non debent testes super eisdem articulis iterum produci, sed attestationes, si adhuc extant, à prioribus judicibus peti, & publicari debent juxta *c. vlt. junctâ gl. in notand. de probation. & c. Causam. 11. hoc tit.*

2 Not. II. Attestationes receptæ in judicio inter certas personas non debent ad petitionem personæ tertiæ publicari, tametsi eius aliquo modo interfit. ita *Io. Andr. hîc n. 3.* qui tamen id *limitat. n. 4. & Abbas. n. 5.* si aduersarius consentiat, quòd attestationes publicari possint.

Loquimur autem in casu, si coram eodem judice aut subrogato, vel judice appellationis attestationum publicatio petatur, at verò coram diuerso judice ne pars quidem principalis attestationum publicationem obtinebit, nisi aduersario consentiente, aut si testes mortui sint, vt denuò produci non possint, sicuti dixi in *c. Causam. 11. hoc tit.*

CAPITVLVM XXXI.

Præsentiam

PARAPHRASIS.

Si quis post attestationes publicatas opponere aliquid velit contra personas testium, non audiatur nisi priùs jurauerit, quòd id malitiosè non petat, præterquam si ante publicationem protestatus fuerit contra testes, aut nisi ostenderit, quòd post publicationem cognouerit ea, quæ testibus obiicit; veruntamen in casu illo, quo aliquis protestatus fuit contra testes, quòd post publicationem dictorum eos vt inhabiles repellere velit, neque si aliquid pro ipso dixerint, facile iis credendum erit.

SVMMARIVM.

1. Ante publicationem attestationum, excipiendum contra testium personas.

2. Inhabilitas testis cognita post publicationem attestationum censetur posteà primùm superuenisse, ideóque proponi post eam potest, sed plerumque cum præuio juramento.

3. Exceptio contra personas testium partim est dilatoria, partim peremptoria.

4. Testes semel producti in nullo posteà judicio amplius reprobari possunt, nisi superueniente reprobandi causâ, v. g. inimicitiâ.

Ita vniuersim approbans personam ad certum actum vel officium, ad idem vel simile reprobare non potest, nisi ex causâ superueniente vel antè incognita.

5. Testium dicta reprobare, & falsitatis arguere potest productus, non autem contenta in instrumento à se producto.

6. Si quis contra personas testium protestatus sit, tunc credendum non est ipsis, quatenus pro protestante deposuerunt.

NOT. I. Si quid contra testium personas obiiciendum sit, fieri id debet, priusquam eorũ attestationes publicentur, nam si quis posteà repellere velit, videtur id malitiosè agere ad protrahendam aut impediendam litis definitionem, quamobrem monet *Innoc. hîc. n. 2.* consultum esse, vt judex, antequam testimonia promulgentur, admoneat partes, si quid obiicere velint contra personas, vt id faciant maturè. Procedit autem hæc doctrina, si aduersarius citatus ad videndum testes productos, reseruauit sibi facultatem excipiendi contra eorum personas; talis enim exceptio admitti solet, sed non tam facilè admittitur protestatio, vt liceat etiam post publicationem opponere, sicut *Innoc. hîc* tradit *n. 2. Ioan. Andr. n. 4.* quare quod in textu dicitur malitiæ suspicionem tolli per juramentum, non ita intelligi debet, quasi ordinariè aliquis admittendus sit ad opponendum contra testes etiam post publicationem, cùm antè non opponendo in eos consensisse videatur, vti

vti dixi in *c. Super.* 13. *hoc tit.* sed si ex justâ causâ admittendus videatur, vt id fiat, præmisso juramento.

2 Not. II. Si quis ostenderit quòd testis inhabilitatem post publicatas attestationes cognouerit, perinde censeri debet, ac si inhabilitas posteà superuenerit, cùm in tali casu æqualia censeantur non esse, & non apparere. *argum. l. in lege. 77. de contrahendo.* probari autem plerumque debet per juramentum; quòd inhabilitas, quæ testibus obiicitur, antè ignorata fuerit, ob regulam quæ sumitur ex *c. Nulli. 8. de elect. in 6.* quòd ea quæ in animo latent, vel aliàs occulta sunt, difficilémque ostensionem habent, per juramentum probari solent, prout etiam dixi *lib. 5. Th. Mor. Tract. 10. p. 1. cap. 2. n. 18.* Porrò quæ hîc dicta sunt, intelligi debent de eorum testium inhabilitate, qui non repulsi, sed admissi probationem aliquam, aut saltem indicium pariunt, ideóque non absolutè inhabiles sunt, vti dixi in *cit. c. Super. & c. Cùm nuntius. hoc tit.* at verò contra testes absolutè inhabiles, cuiusmodi est excommunicatus vitandus, seruus, furiosus, infamis juris infamiâ, etiam absque juramento opponere licet post publicatas juris depositiones, vti hîc *Felinus. notat. n. 4.*

Obiici potest *l. 1. eod. de testam.* vbi dicitur, si seruus, qui alioquin inhabilis est, testis adhibeatur in condendo testamento, cùm conditio seruitutis publicè ignoratur, testamentum ex hâc causâ infirmari non posse, ergo neque contra inhabilitatem testium post depositiones eorum præsertim publicatas, opponi potest, si eorum tunc defectus publicè ignorabatur. Resp. *cons. ant. neg. conseq.* ratio discriminis est, quia in priore casu testis requiritur ad solennitatẽ & substantiam actus, quare si eius defectus publicè ignoretur in loco vbi actus celebratur, jus supplet defectum, si remissibilis sit per legislatorem, juxta *l. Barbarius. de off. prætorum* & docui *lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 22. n. 9.* at verò in posteriore casu testis requiritur ad probationem quæ non censetur suppleri, eò quòd inhabilitas testis publicè ignoratur.

3 Quæritur 1. Vtrum exceptio contra personas testium dilatoria sit an peremptoria. Resp. cum *Abbate hîc n. 1.* propriè loquendo neutram esse, participare tamen de vtraque. Probatur & explicatur, nam dilatoria exceptio impedit processum, ideóque ante litem contestatam proponi debet, ista autem de quâ loquimur etiam exceptio post litem contestatam proponi potest, vti dictum est in *c. Ex parte. 7. hoc tit.* sed non post testium publicationem, vt hîc apparet, sed peremptoria exceptio semper opponi potest; deinde exceptio peremptoria tendit ad destruendam vim actionis & causæ. *l. 3. de exception. §. Appellantur. institut. eodem.* at verò ista exceptio actionis vim & causæ meritum absolutè non destruit, sed quadantenus & secundùm quid, quatenus ex his testibus intentionem aduersarii; probari non permittit.

Quæritur 2. Vtrùm is, qui testes produxit, eos posteà reprobare possit. Resp. & 4
Dico 1. personas testium, quos aliquis produxit, neque in hoc neque in alio judicio reprobare potest, nisi causa reprobãdi v.g. inimicitiæ postea superuenerit, ita habetur in *l. Si quis. 17. de testibus.* ex quâ generaliter annotandum est, quòd approbans personam adcertum actũ aut officium, non possit deinde eam tanquam inhabilem reprobare ad idẽ vel consimile, nisi ex causâ superueniente vel priùs incognitâ. *arg. c. Nulli. de elect. in 6.* & ita docet *Innoc. in c. Cùm venerabilis. n. 7. de except. Abbas hîc. n. 7.* quare hîc applicari potest juris *regula 21. in 6. quod semel placuit, amplius displicere non potest.*

Dico 2. Qui produxit testes ad testificandum, potest deinde eorũ testimonia reprobare, seu dicta eorum falsitatis arguere, vti 5
Barr. & alii docent in *cit. l. Si quis. & gl. hîc. verb. Si quis.* ratio est, quia producens non censetur approbare, quæ testes acturi sunt, cùm ea scire nõ potuerit, quare alia ratio est de instrumẽto producto, cuius contenta nõ possunt deinde reprobari à producente, vti gl. citata monet, quare dici solet, quòd producens instrumentum, censeatur approbare contenta in eo. *vide Innoc. in c. Cũ olim. de test.*

Not. III. Si quis contra personas testium 6

protestatus sit, tunc neque credendum est ipsis, quatenus pro protestante deposuerunt, ita explicat *Felinus. hîc. n. 4.* ratio est, cùm testes pro vtraque parte veritatem, quam nôrunt, edicere debeant, iniquum esset, quòd aliquis nollet eis credi dicentibus contra se, & tamen credi dicentibus pro se.

CAPITVLVM XXXII.

In nostrâ.

PARAPHRASIS.

Controuersiam, quam Archidiaconus contra Monachos quosdam habebat, Papa delegauit quibusdam judicibus, iis receptis, quos vtraque pars produxerat, testibus, eorum testimonia non tantùm diuersa, sed etiam penitus aduersa esse cognouerunt, vt nescirent, pro quâ parte judicare deberent, quare causam cum attestationibus ad Pontificē remiserunt, is rescribit non tantùm ad multitudinem testium hinc inde productorum attendendum esse, sed multò etiam magis ad qualitatem, seu habilitatem, nec non depositiones eorum, quibus maior lux veritatis seu verisimilitudo inesse videatur, ita vt judex motum animi seu assensum formare queat, ideóque si æqualis honestatis & existimationis videantur esse testes vtrinque producti, tum pro Archidiacono, qui plures testes produxerat, judicandum esse, sin verò testes ex parte Monachorum producti tantæ præeminentiæ sint, vt aliorū multitudini meritò præferendi videantur, tunc Monachos à petitione Archidiaconi absoluendos esse.

SVMMARIVM.

1. *Testibus pro vtraque parte contraria deponentibus, cæteris paribus, causa adiudicanda est ei parti, etiam actrici, quæ plures pro se testes habet.*
2. *Attendenda potissimum qualitas testium, an plebei, nobiles, rustici, personæ viles.*
3. *Magnus numerus testium præferendus paucitati magis honestorum, nisi horum sit maximus excessus in honestate.*
4. *Attendendum etiam est ad qualitates depositionum.*
5. *Si numerus maior testium, qui ab vna parte sunt producti, consentiat, probat; licet vnus aut duo, sed pauciores numero contradicant. Hi tamen illorum fidem debilitant.*
6. *Testes vtrinque producti si contraria deponant, vnius contradictio non destruit plenam probationem alterius partis. Plures testes ex vna parte producti æquè idonei, superant testes potiores alterius partis, in causis saltem ciuilibus, in criminalibus, & Matrimonii magna prudentiâ & cautelâ vti debet judex.*

NOT. Vn. testibus qui ex vtrâque parte 1
producti sunt directè contraria deponentibus, si cætera paria sint, causa adiudicanda est ei parti etiam Actrici, quæ plures testes pro se habet.

Aduerte 1. Quòd dico etiam parti actrici, nam alioquin si numerus testium & cætera omnia æqualia sint, tunc reus absoluendus erit, cùm eius causa fauorabilior esse censeatur, similiterquè in dubio, seu si æquales ex vtrâque parte probationes allatæ videantur, pro causâ fauorabili pronuntiandum, & vbi minus periculi subest, videlicet pro Matrimonio, libertate, religione, Ecclesiâ, pauperibus, vti annotauit *Gabriel. de probat. conclus. 4. n. 81. gl. hîc verb. aduersa.*

Aduerte 2. Quòd dixi: si cætera paria 2
sint, attendendum esse ad numerum testium, at verò ante omnia & potissimùm judex attendere debet ad qualitatem testium juxta *l. 3. de testibus. & l. Ob carmen 21. §. Si testes omnes. ff. eodem.* videlicet num in dignitate positi sint, an plebei, nobilesnè, an rustici, aut ignobiles honestæ vitæ, an personæ viles, diuitésne, an pauperes, vel pecuniæ cupidi, amici, an inimici, viri, an mulieres, Clerici, an laici, senes, an juuenes &c. vt videre est apud *Gabriel. l. c. Abbatem hîc, n. 1. Felinum. n. 2.* vbi cum Hostiensi hîc aiunt duobus viris honestis ac probatæ vitæ plus credendum esse, quàm aliis 100. vilibus ex aduerso deponentibus, id verò intelligi debet, si maximus excessus sit in honestate. Alioquin verò magnus numerus te- 3
stium.

stium præferetur paucitati testium magis honestorum, secundùm *Bart. in cit. l. Ob carmen. gl. in c. Monachus. 9. verb. quorum. dist. 77.* vbi ait, quòd tantum valeat testimonium quatuor Clericorum, quantum 6. laicorum.

4 Deinde attendendum est ad qualitates depositionum, siquidem verisimiliora ac negotio aptiora deponentibus, facilius credendum est juxta *c. verisimile. 5. de præsumpt.* vbi dicitur maiorem probationem ab eo requiri, qui non verisimilia, aut insolita asserit.

Porrò circa contradictionem testium ex doctrinâ glossæ, & aliorum Canonistarum hîc. verb. aduersa ita distinguendum videtur: vel loquimur in casu, cùm testes ex vnâ parte producti inter se contradicunt, tunc nullam probationem efficiunt, quia vnus alterius dictum infringit & eneruat, sicuti docent *DD. in l. Qui falso. 16. de testibus. l. Eos. 27. ff. ad l. Corneliam de falsis. Mascard. concl. 2361. Farin. q. 65. principio.* imò quòd tales testes puniri debeant tanquam criminis falsi ac periurii Rei, significatur *in cit. legibus.* id tamẽ intelligi debet, quòd se suspectos reddant, ideóq; examinari ac torqueri possint, præsertim pars ea, quæ minus verisimilia deponit, vti docet *Clarus lib. 5. sentent. §. Falsum. n. 6. Farinac. n. 9.*

Cæterùm id difficile est, si duo vel tres testes producti consentiant, vnus autem seu tertius vel quartus illis contradicat & quidem in substantiâ negotii, quod ideò addo, quia si in accidentalibus ad rei, quæ gesta est, veritatem parum aut nihil pertinentibus, v. g. si in die, vel mense, quo contractus institutus sit, dissentiant testes, probationi plerumque officere non debet, vti docet *gl. cit. §. Si testes omnes. verb. assistit*, & alii DD. apud *Farin. n. 16.*

5 Ad dictam autem difficultatem *gl. hîc. verb. aduersa. Abbas in c. Cùm causam. n. 17. hoc tit.* & plerique Canonistæ existimant, numerum maiorem testium consentientium probare, tametsi vnus, aut duo, sed pauciores numero contradicant. Verumtamen negari non potest, ex tali contradictione testium aliorum consentientium fidem debilitari, vt proinde minor & infirmior probatio censeri debeat: idque maximè in casu nostro, cùm testes contradicentes ab vnâ parte v. g. actore producti sunt, voluisse enim censetur actor, vt omnibus ac singulis fides habeatur, si de falsitate conuinci nequeant, quâ de re videri potest & *Imola. n. 4. hoc tit.*

Velloquimur in casu, cùm testes contra- 6
ria seu aduersantia deponentes hinc inde producti sunt, tunc omnes DD. fatentur, quòd testis vnius contradictio non destruat probationem plenam partis alterius, quam facit per duos testes integros, item quòd plures testes si æquè idonei sint & ex vnâ parte producti, superent testes potiores ex alterâ parte productos, vti suprà in hoc capitulo dixi, & colligitur ex *c. Cùm in tua. 44. hoc tit.* & hæc quidem rectissimè dicuntur in causis ciuilibus, quippe in quibus judex non exactã certitudinem requirere, sed ei parti litigantium victoriam tribuere debet, quæ probabiliùs suam causam tuetur, ita vt judex motum animi sui siue assensum intellectûs rationabiliter, saltem opinatiuè inclinare possit, quòd justam causam habeat, juxta ea quæ dixi *lib. 1. Th. Mor. Tract. 1. vbi de judice.* at verò in causâ criminali, præsertim si agatur de vitâ hominis, vbi luce meridianâ clariores probationes requiruntur, & quæ omnem moralem dubitationem excludunt; item in causâ matrimonii, si agatur de eius dissolutione, res ista non caret difficultate, nam si ex vnâ parte sint v. g. 3. vel 4. testes, qui deponant de crimine, aut impedimento dirimente, ex alterâ verò sint duo testes omni exceptione maiores, qui directè contrarium deponant, negari non potest, quin triũ vel 4. illorum testium, quamuis paris honestatis sint, depositio debilitetur ac minuatur, prout annotatum etiam reperies apud *Felinum. hîc.* consequẽter magna hic prudentia & cautione judex vti debet.

CAPITVLVM XXXIII.

Tam litteris.

PARAPHRASIS.

Electioni Episcopi Lucani oppositum est Ar-

chipresbyter, sacrista & alii quidam, inter alia impedimenta denuntiantes Pontifici, quòd cum viduâ matrimonium contraxisset, sed & litteras nomine Capituli quamuis ignorantis, ad Pontificem eodem tenore destinârunt. His intellectis Papa Innocentius III. judicibus à se delegatis mandauit, vt veritatem inquirerent, cùm autem hi super quibusdam articulis testes recepissent, ac deinde etiam super matrimonii contractu laicos & mulieres quasdam recipere vellent, appellatum est ad Sedem Apostolicam, tunc judices testium depositiones vnà cùm litteris suis ad Pontificem miserunt. Ad has respondit Pontifex: visis litteris & attestationibus se cognouisse contra electum nihil sufficienter ostensum fuisse, cùm testes tantùm deposuerint de auditu & famâ; in quibusdam verò articulis testes vel singulares sint, vel ad probandum inhabiles personæ. Cœterùm quia super matrimonio, quod ab electo contractum dicitur, testes qui producti erant, laici ac fœminę recepti non sunt, obstante appellatione, ideò mandat, vt eos si alioquin idonei sint, recipiant & examinent prudenter, excommunicéntque solenniter illos, qui eiusmodi testium receptionem impedire volunt, publicatis autem testificationibus, si appareat irregularitatem illam sufficienter probatam non esse, electo indicatur Canonica de obiectis purgatio per septem Cathedralis Ecclesiæ Canonicos, aut aliarum Ecclesiarum Priores Presbyteros, aut Diaconos bonæ famæ, eâque receptâ purgatione, præfigatur ei terminus consecrationis petendæ; sin autem vel irregularitatis impedimentum de eodem probatum fuerit, vel ipse inter terminum præstitutum Canonicam purgationem non præstiterit, ipso amoto ab Ecclesiæ Lucanæ prælatione, Capitulo Pontificis nomine & auctoritate præcipiatur, vt alium Canonicè eligere non differant; Archipresbyterum verò, sacristam & alios, qui nomine Capituli litteras ad Pontificē miserunt, cùm tamen maior eius pars inscia fuerit, denuntient, tamdiu esse ab officio & beneficio suspensos, donec à Papâ absolutionem consequantur.

Svmmarivm.

1. *Episcopus electus & confirmatus Prælatus rectè dicitur, non tamen absolutè Episcopus, sed cum addito* Electus *Episcopus dicendus est.*
2. *Testes de auditu non probant plenè contra denuntiatum de crimine, huic tamen purgatio Canonica indicenda, quam si recuset, habetur pro confesso.*
3. *Laici & mulieres possunt esse testes contra Clericum, si agatur de crimine, vel impedimento per modum exceptionis ad amotionem alicuius à beneficio.*
4. *Index delegatus Ecclesiasticus contra quoscunque spirituali suæ iurisdictioni subditos, impedientes eius iurisdictionem, censuram ferre potest.*
5. *Clericus in sacris, cum Vidua, licet inualidè, contrahens, eámque cognoscens bigamiam similitudinariam & irregularitatem contrahit.*
6. *Suspensus à Summo Pontifice per sententiam, vel excommunicatus, sine eius speciali licentia, ab alio absolui non potest. Idem est de alio Prælato, qui per sententiam particularem in aliquem censuram tulit. Censuratus absolui non potest, nisi ab ipso Prælato, vel eiusdem delegato, vel successore, vel superiore.*

Not. I. Episcopus electus & confirmatus priusquam consecratus sit, licet Prælatus rectè dicatur, non tamen absolutè, Episcopus vocari solet, sed cum addito Episcopus electus, ita colligitur *ex textu.* & notauit *Abbas hîc. n. 1. not. 1.* & docui *in quæst. de elect. Prælatorum. q. 138.* 1

Not. II. Testes de auditu seu relatione ab aliis acceptâ ipsâque famâ, non plenè probant contra denuntiatum de crimine sed quia probant infamationem, ideò denuntiato purgatio Canonica indicenda est, quam si is præstare noluerit, habetur pro confesso, saltem in ordine ad eius amotionem, si di- 2

si dicatur cum irregularitate seu inhabilitate electus aut promotus ad beneficium.

3 Not. III. Laici, immò etiam mulieres possunt esse testes contra Clericum, si agatur de crimine vel impedimento per modum exceptionis, vt aliquis amoveatur à beneficio tanquam inhabilis seu non canonicè electus, vel promotus. ita *Innoc. hic. & gl.* communiter recepta verb. *Fœmina.* & dixi *in cap. 3. hoc tit.*

4 Not. IV. Judex delegatus Ecclesiasticus contra quoscunque etiam laicos si jurisdictioni delegantis in spiritualibus subiecti sunt, censuram ferre potest, quando eius jurisdictionem impedire conantur, vti hîc apparet & habetur in *cap. Ex literis. 29. de offic. deleg.*

5 Not. V. Clericus in sacris, si cum viduâ matrimonium quamvis invalidè contrahat, eámque cognoscat, bigamiam similitudinariam & irregularitatem contrahit, iuxta *cap. vlt. De bigam.*

6 Not. VI. Qui à sumo Pontifice per sententiam suspensus vel excommunicatus est, non potest ab alio absque speciali eius licentiâ absolui, idémq; dicendum est, si quicunque Prælatus in aliquem censuram tulerit per sententiam particularem, quòd absolui non possit, nisi ab auctore censuræ aut eiusdem delegato vel successore vel superiore, vti docui *lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. cap. 7. n. 2.*

CAPITVLVM XXXIV.

Cùm olim.

PARAPHRASIS.

Archidiaconus Ecclesiæ Menensis mouebat quæstionem Archiepiscopo Cantuarienſi super statu dictæ Ecclesiæ, dicebat enim eam esse Archiepiscopalem, ideóque non subiectam Cantuarienſi, quare Innoc. III. citauit Archiepiscopum, vt per se, vel per Procuratorem Romæ se sisteret, cùm autem ille non paruisset, causam judicibus delegauit hac formâ: si Archiepiscopus Archidiaconum per legitimam exceptionem repellere non possit, vt partibus, vel earum procuratoribus, si id fieri possit, ad locum securum atque idoneum convocatis, ac lite contestatâ, testes quos Archiepiscopus in Angliâ & Archidiaconus in Valliâ produxerit, recipi curent, sin autem Archiepiscopus post legitimam citationem nec per se, nec per Procuratorem idoneum comparere voluerit, litémque contestari, tum ipsimet judices testes maximè senes ac valetudinarios ab Archidiacono productos, remotâ appellatione, recipiant, & depositiones eorum cõscriptas ad sedem Apostolicam mittant, ac partibus terminum peremptorium statuant, intra quem per se, vel per Procuratorem Pontifici se præsentes exhibere debeant ad sententiam definitiuam audiendam.

SVMMARIVM.

1. *Episcopo jura Ecclesiæ negligente, neque Capitulo se interponente, quilibet eius Ecclesiæ Clericus (etiam sine mandato) ad agendum admittitur, maximè Archidiaconus.*
2. *In causa liberali testes propter contumaciam absentis recipi possunt, etiam lite non contestatâ.*
3. *Receptis contra contumacem testibus, iterum citandus est, & quidem peremptoriè ad sententiam audiendam.*

NOT. I. Si Episcopus jura Ecclesiæ perdat, aut recuperare negligat, neque Capitulum se interponat, tum alius quilibet Ecclesiæ eiusdem Clericus ad agendum admittitur, etiam sine mandato, cùm ipsius interesse censeatur. ita *gl. hic. verb. Per exceptionem. Innoc. Abbas n. 6 Imola not. 1. Felinus n. 2.* & sumitur ex *cap. Non liceat. 20. causa 12. q. 12. c. Dilecti.* vbi id docui *not. 1. de maioritate.* Maximè autem ad Archidiaconum pertinet agere pro juribus Ecclesiæ, si de Episcopi & Capituli negligentiâ cognitum sit, cùm ille in Ecclesiâ qualibet spectato communi jure, maximam post Episcopum jurisdictionem obtineat, vti dixi *lib. 1. decret. tit. de off. Archidiaconi.* 1

Accedit, quòd in casu huius capituli agebatur de statu Ecclesiæ Menensis, num Ecclesiæ Metropolitanæ subiecta esse debeat, an verò libera; at verò in causa liberali (id est, si agatur de statu libertatis) in defectum eius, cuius propriè interest, & coniunctos ad agendum admittendos esse constat ex *l. 1. & seq ff. De causâ liberali ex arg. cit. c. Non liceat*; si enim pro recuperandâ re Ecclesiæ malè alienatâ quilibet Clericus agere potest, multò magis pro personarum libertate recuperandâ, vti hîc *Abbas argumentatur n. 5.*

2 Not. II. In causâ liberali, si videlicet agatur de statu hominis aut Ecclesiæ, num sit libera, an subiecta, testes propter contumaciam Rei absentis recipi possunt etiam lite non contestatâ. ita *Immola hîc. n. 2. Felinus n. 6. Baldus in l. 1 De testibus, & alij fermè communiter.*

3 Not. III. Si contra contumacem testes recepti sint in eius absentiâ, iterum citari debet, & quidem peremptoriè ad audiendam sententiam definitiuam, quâ de re *Felinus not. vlt.*

CAPITULUM XXXV.

Ex tenore.

Paraphrasis.

Causam matrimonialem inter militem & mulierem commisit Papa judicibus, coram his mulier allegauit, quòd miles post præstitum corporale juramentum contrahendi matrimonij, eam carnaliter cognouerit, & in domum suam traduxerit, miles verò ista negauit, adiiciens etsi vera essent, non posse tamen consistere matrimonium cum ea muliere, quâdoquidem ipse prius aliam duxerit, quæ adhuc viuat. Super hoc auditis testib⁹, qui ex parte militis producti erant, eorum depositiones testabantur, quòd alteram illam mulierē ante festum Purificationis solenniter duxerit. quare cùm à muliere hâc actrice producti testes deponerent, quòd in paschali septimanâ juramentum de eâ ducendâ præstitum esset, ideò miles ab huius petitione se absolui petiuit. Veruntamen ex parte huius mulieris replicatum fuit, quòd eo ipso tempore & ante id tēpus, quo cum alterâ muliere contraxisse perhibetur, miles fuerit in Eboracensi prouinciâ commoratus, cùm tamē testes ipsius deposuerint, longè extra prouinciā id actum fuisse, determinantes tempus & locū, & hanc explicationem ac depositionum reprobationē mulier probare parata erat, sed miles ex aduerso triplicauit, cùm testium depositiones publicatæ sint, productioni testium amplius locum non esse; his ita relatis, Innocentius III. ipse respondit, non obstante publicatione, testes mulieris audiendos esse.

Svmmarivm.

1. *Matrimonium clandestinum olim validum erat.*
2. *Allegans suam propriam turpitudinem ordinariè non auditur, nisi vertatur periculum animæ, vel Ecclesiæ aut alterius Reipublicæ.*
3. *Testes restringentes factum ad certum locum & tempus, indirectè reprobari possunt per alios testes.*
4. *Et primò quidem etiam post publicatas attestationes, si ex ijs primùm reprobandi facultas acquisita est.*
5. *Secundò, licet plures sint illorum testes, possunt ij per duos integros indirectè reprobari.*

NOt. I. Matrimonium clandestinum olim validum erat, & præsumebatur cōtractum, si post sponsalia de futuro copula carnalis inter sponsos intervenerit. 1

Not. II. Licet ordinariè aliquis non audiatur allegans propriam turpitudinem, vti docet *gl. recepta in c. Cùm super. 5. de conces. præbendæ. verb. Posse.* Excipi tamen debet nisi vertatur periculum animæ, vt hîc, vel periculum Ecclesiæ alterius vè reipublicæ, vti docui *lib. 3. Th. mor. Tract. 4. cap. 10. n. 4. §. Quod si.* 2

Not. III. Testes restringentes seu determinantes factum certo loco ac tempore, ab adversâ parte reprobari possunt indirectè per alios testes testificantes, quòd vel is, qui id fecisse dicitur, aut testes qui se vidisse aiūt, 3

alibi

alibi eodem tempore fuerit, aut fuerint, ita vt impossibile sit testium depositionem veram esse.

4 Amplia 1. Quòd talis testium reprobatio fieri possit etiam post publicatas eorum depositiones, vti docui *in c. Fraternitatis. 17. hoc tit.* & colligitur *ex hoc cap.* imò hæc est præcipua eius doctrina, quòd post publicationem testificationum adversarius admitti debeat ad articulum indirectè reprobandũ, quando talem reprobãdi facultatem ex publicatis testificationibus primùm didicit & acquisiuit, vt in casu huius Capituli, nam miles in exceptione suâ absolutè tantùm posuerat se contraxisse cum aliâ, antequam huic mulieri promitteret; posteà verò publicatis attestationibus apparebat, quòd testes de certo loco ac tempore deponerent, ideò ad hos testes reprobandos admittuntur alij qui testentur militem eodem tempore alibi fuisse, consequenter exceptionem probatam non esse.

5 Amplia 2. Hanc doctrinam veram esse, tametsi plurimi testes sint qui deponant militem contraxisse cum Caiâ & inter deponendum specificent locum ac tempus, possunt enim ij omnes per duos testes omni exceptione maiores reprobari indirectè, quãdo testantur eundem militem eodem tempore fuisse in loco tam distante, vt impossibile esset eum ad alterum locum advolare, quemadmodum instrumentum, cui quatuor aut plures testes subscripti sunt, per duos testes reprobari potest, vti docent *DD. in c. Cùm à nobis. 28. hoc tit.* & *c. Cùm Ioannes. 10. de fide instrument.* Ratio est, quia directè non deponunt super eodem articulo; nam testes actoris v. g. deponunt super articulo, quòd res gesta sit v. g. contractus celebratus, at verò testes à Reo producti deponunt de priorum testium mendacio, quia videlicet dixerunt ipsos vel actorem fuisse tali tempore in tali loco, cùm tamen alibi fuerint, qua simili ratione sex aut plurium testium corruptio per duos testes probari potest, & hanc doctrinam indicat etiam *Abbas c. Cùm in tua, n. 5. hoc tit.*

CAPITULUM XXXVI.

Significauerunt.

PARAPHRASIS.

Abbatissa & moniales de Fortellis litem movebant Abbati & Monachis S. Dionysij tam super proprietate, quàm possessione Prioratûs de Argentolio, dicentes antecessores suas moniales à monachis inde violenter eiectas fuisse, & priùs quidem causam proprietatis vrgebant, ac testes super eâ produxerunt, sed mox omisso petitorio possessionis judicium intentabant, eóque in causâ processum erat, vt testium vtrinq; productorum depositiones publicandæ essent, verùm cùm moniales nollent testes super possessione tãtùm publicandos esse, monachi se opposuerunt ac petiuerunt nouã testium productionem fieri super possessorio, appellantes cõtra interlocutoriam judicũ sententiã, quâ publicatio decernebatur. His intellectis mandat Innoc. III. si ita est, quòd monachi quartam testium productionẽ super possessorio cum juris solennitate petiuerint, & ab interlocutoriâ sententiâ intra decendium appellârint, admittendos eos esse, nisi judices ideò productionem testiũ denegârint, quòd effrænatam multitudinem coërcere vellent. Porrò si quarta productio monachis cõcessa fuerit, atque in probatione defecerint, ad expensas legitimas condemnandi erunt, etsi in petitorio non vsque eò processum sit, ut possit de causâ proprietatis liquere, tunc causa possessionis priùs terminetur, dilato petitorio judicio, alioquin verò vtramque quæstionem simul determinent judices.

SVMMARIVM.

1. *Actor proposito etiam vtroque judicio petitorio, & possessorio, & super vtroq; testibus productis, potest petere, vt suspenso petitorio possessorium definiatur.*
2. *Successor vniuersalis agere potest interdicto* Vnde vi, *si anteccessor spoliatus fuit.*
3. *Si quarta testium productio irrationabiliter negetur à judice, appellari potest.*

4. Liti-

4. Litigans crebris testium productionibus litem protrahens, & in probatione deficiens, condemnari debet adversæ parti in expensas.

1 NOt. I. Etsi actor in libello vtrumque judicium petitorium & possessorium recuperandæ proposuerit, & super vtroque testes produxerit, potest tamen petere à judice, vt suspenso petitorio, si causa proprietatis non satis liquidata sit, possessorium tantùm definiatur, de hâc re dictum fuit *in c. 2. & c. Pastoralis. 5. De causâ possess. & proprietatis.*

2 Not. II. Successor universalis agere potest interdicto, *vndi vi* seu judicio recuperandæ possessionis, si antecessor spoliatus, seu vi deiectus sit de possessione. *l. 1. de vi & vi armatâ. §. hoc interdictum, & hæredi, & cæteris successoribus competit.*

3 Not. III. Si quarta testium productio legaliter facienda negetur à judice sine causâ rationabili, appellari potest intra dies 10. vide quæ dixi *c. In causis. 15. hoc tit.*

4 Not. IV. Si pars litigans aliis & aliis testium productionibus litem protrahat, & postea in probatione deficiat, condemnari debet ad expensas parti adversæ præstandas, vti constat etiam ex *cap. Finem. 5. De dolo.*

CAPITVLVM XXXVII.

Cùm causa.

PARAPHRASIS.

Controversia erat inter Archiepiscopum Ravennatensem & communitatem Faventinam super quorundam locorum jurisdictione, vti videre est *cap. Licet*: in eâ causâ lis coram Pontifice contestata erat, & juramentum calumniæ receptum, sed quia difficile & onerosum fuit testes Romam adducere, ideò mandatur hîc Episcopo Placentino, vt testes tum super negotio principali, tum super personis testium, qui ex vtrâque parte producti fuerint, recipiat, & diligenter examinari cures inquirendo de circumstantiis singulis, videlicet causis, personis, locis, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, famâ & certitudine, eaque omnia plenè perscribuntur, quòd si Faventini, aliivè productionem testium impedire præsumpserint, ab Episcopo coërcendi erunt. Verùm vt nimia multitudo testium refrænetur, vltra quadragenarium numerum non suscipiat, ita vt si Fauentini depositiones testium, quæ coram Episcopo Ferrariensi & Abbate Pomponensi factæ sunt, ratas esse velint, & hi in numero isto computari debeant, alioquin cùm attestationes adhuc clausæ seu non publicatæ sint, ijdem testes, si opus sit, iterum audiantur.

SVMMARIVM.

1. An, in, & ex quâ causa judex possit examen testium committere alteri, & cui.
2. Quæ cautela in eo examine adhibenda.
3. Quomodo examinandi sint testes.

NOt. I. Si testes remoti sint, vt difficile ad judicem accedere possint, tum judex alteri committere debet eorum examẽ, ita vt depositiones perscriptæ ad judicem transmittantur, ita habetur etiam in *l. Judices. 18. C. De fide instrum.* quòd judex examinationem testium committere possit judici eius territorij, vbi testes degunt, & mandare partibus, vt ibidem compareant, & idem habetur in *c. 3. De fideiussoribus.* vbi tamen glossa monet, verb. *Transmittentes.* id locum tantùm habere in causis ciuilibus, non item in criminalibus, quippe in quibus ipsemet judex testes recipere & examinare debet, vti dixi *in c. Si qui. 10 hoc tit.* quamvis id consuetudine non vbique obseruatur, siquidem propter necessitatem, ne crimina impunita maneant, etiam in causâ criminali v. g. violatæ pacis publicæ, commissio examinandorum testium absentium alteri fieri solet, teste Baldo *auth. Apud eloquentissimum. n. 1. C. De fide instrum. n. 1. Gail. l. 1. obseru. 96. n. 10.* Id quoque consuetum, vt judex propter multitudinem negotiorum, testium examen etiam in causâ criminali (nam de ciuili dubium non est, iuxta *c. 2. De jud. in 6.*) Notario com-

committat, uti testatur *Farinac. de testibus. q. 77. n. 598.* Porrò tametsi Notarij scripturæ propter officij eius obligationem magis credendum sit, quàm testi, si postea neget talia se dixisse, nihilominus in causis criminalib⁹, aliisq; judiciis valde consultum est, vt testes etiam adhibeantur, siue judex cum Notario, siue Notarius absq; judice testes productos examinet, ut videlicet scriptura Notarij seu depositionum annotatio fidem pleniorē faciat, & oppugnari deinde non possit, si v. g. testes postea negarent se talia deposuisse, quâ de re *Abbas hic in fine capituli.*

2 Not. II. Testes diligenter examinandi sunt inprimis de negotio rei gestæ, an sciant negotium gestum, & ut causam scientiæ dicant, quo sensu videlicet oculis, auribus &c. deprehenderint, sin autem res sensu perceptibilis nō est v. g. quòd Titius sit dominus, tum aliā causam scientiæ suæ afferre debent, quia v. g. legerunt testamentū, in quo ipsi Titio ager ille legatus erat, deinde examinari debent de loco, tempore & aliis circumstātiis pertinētibus ad facti declarationē & testium deprehendendum consensum vel dissensum; deniq; de famâ & relatione aliorū, ipsorúmq; testium credulitate, id est, num credant, vel etiam certi sint, rem gestam esse, abstinendum tamen est non tantùm ab incongruis, seu ad causam non pertinentibus, sed etiam à nimiū exquisitis interrogationibus, consideratâ tamen qualitate personæ, quæ examinatur, uti videre licet apud *Farin. q. 73. n. 26. & 48.* addit hic *Imola n. 6. Abb. n. 13.* Si testis persona ignota sit, saltem generatim examinari posse, num sit criminosa vel aliter inhabilis ad testificandum. item an sit dies &c.

CAPITVLVM XXXVIII.

Veniens.

Paraphrasis.

Archidiaconus Claremontensis electus fuerat in decanum, cùm autem aliqui è capitulo se ei opponerent, causa commissa fuit judicibus, qui latâ sentētiâ pro Archidiacono, eā ex parte mandârunt executioni, petebat itaq; à Pontifice Archidiaconus, vt juberet totam sententiæ executionem fieri, sed alii procuratores se opposuerūt, eò quòd sententia iniustè, & post interpositā ad Pontificem appellationē promulgata fuisset; cùm autem Archidiaconus procuratores nec admittere, nec eis respondere vellet, quòd videlicet excomunicati essent, prodiit Petrus Subdiaconus asserens se in Decanum Claremontensem electū esse, ideóq; decanatū ad se, non ad Archidiaconum pertinere, tunc Pontifex interlocutus fuit, audiendū esse Petrum, si in continenti suā intentionē probare posset, quòd ubi testibus & instrumentis productis fecisset, Pontifex interloquendo pronuntiauit Petri interesse, ac proinde se opponere posse; quare postquam lis inter Petrum & Archidiaconū contestata esset, tam super electione, quàm super sentētiâ priùs pro Archidiacono latâ, quæsitū fuit ex Archidiacono, num attestationes, quæ super præcedente articulo, an Petri interesset, latæ fuerant, in hoc principali judicio admittere vellet; respōdit ille se admissurum, dummodò contra testium dicta & personas obiicere posset, sed Petrus dixit, quòd attestationibus illis uti nollet, cùm tantùm super incidente articulo receptæ fuissent, lite non contestatâ, quare vel eosdem, vel alios testes se denuò producturum super causa principali; Archidiaconus autē ex adverso opposuit, cùm testes tam super sententiâ, quàm super electione deposuissent, & depositiones publicatæ & cognitæ fuerint, non esse concessum alios testes super articulis eisdem producere. His omnibus consideratis respondet ac mandat Innoc. III. vt testes ex vtrâque parte producendi super toto negotio recipiātur, & tam super causâ principali, quàm super incidente pronuntietur, & quia ea, quæ in capitulo aguntur, nō faciliùs per alios, quàm ipsos Canonicos nosci possunt, ideò Claremontensis Ecclesiæ Canonici ab excomunicatione absolui debent ad cautelam, vt testimoniū pro vtrâq; litigantium parte proferre queant.

Svmmarivm.

1. *Ob duas præcipuè causas sententia nulla est,*

& eius executio retractari debet.

2. *Sententiâ latâ, tertius cuius interest, eius executionem impedire potest, debet tamen ante litis contestationem saltem summariè probare, quòd suâ interfit.*

3. *Post attestationes publicatas, possunt adhuc testes super eodem articulo inter easdem personas produci, si agatur de alio modo, & ad alium finem.*

4. *Testes producti & non plenè recepti in judicio summario, in ordinario plenam fidem non faciunt; nullam, si contra ea dicant, quæ in summario deposuerant.*

5. *Dicta testium horũ possunt cõmuni consensu partium approbari, vt plenã fidem mereãtur.*

6. *Testis, de cuius excommunicatione dubitatur, priùs ad cautelam absoluendus, quàm ad ferendum testimonium admittatur.*

1 NOT. I. Duæ sunt præcipuæ causæ, ob quas lata sentẽtia nullius roboris est, & ideò executio eius retractari debet. Prima, si lata sit post legitimè interpositã appellationẽ, quandoquidem appellatio suspendit jurisdictionem judicis à quo. Secunda, si lata sit iniustè v.g. ex falsis instrumentis. *l. vlt. C. si ex falsis instrum.* ita notat *gl. hîc. verb. Appellationem.*

2 Not. II. Si sententia lata sit inter partes, tertius cuius interest, eius executionẽ impedire potest, sed antequã admittatur ad judiciũ litisq; contestationẽ, in continenti probare debet saltem sumariè ac leuiter, quòd sua interfit, idq; procedit secũdùm *Innoc. hic. n. 1.* Si res à nemine possideatur, v.g. beneficiũ (de quo contenditur) vacans sit, vt in casu huius capituli. At verò si res possessa fuisset ab vno; quæ alteri restitui deberet, tum executio sententiæ facienda esset, præstita priùs indemnitatis cautione illi, qui sua interesse ostendit; idq; ordinariè verum est; nõ itẽ si tertius ille hoc ipsum sua interesse summariè ostendat, ne possessio ad alium potentiorẽ transferatur, à quo poste à difficiliùs recuperari queat, vti *Abbas hìc notat n. 5. arg. c. Pisanis. 19. de restit. spoliat.* vide Felinum hîc, & quæ dicentur *in c. Cùm super. 17. & c. pen. De sententiâ & re judicatâ.*

3 Not. III. Tametsi attestationes publicatę cognitæ sint, possunt tamen testes super eodem articulo inter easdem personas produci, si agatur de alio modo & ad aliũ finem. ita *Innoc. hîc. n. 4 gl. verb. Vtraq; pars, Abbas. n. 15. Farin. de testib. q. 75. n. 102. & seqq.* Exẽplum habes hîc. nam Petrus priùs testem super hâc electione & infirmitate sententię latæ pro Archidiacono produxerat, ad ostendendum suâ interesse, posteà verò admissus est ad testes producẽdos, per quos probaret sibi jus competere ad decanatum.

4 Not. IV. Testes producti & non plenè recepti in judicio sumario, v.g. super incidente quęstione aut in possessorio judicio fidẽ plenam non faciunt in judicio ordinario, quare non obstãte publicatione iidem quoq; produci possunt super causâ principali, vel in petitorio judicio. Ita *Joan. Andr. hîc. in princ. Imola. n. 2. Felinus n. 19. Farinacius. n. 112.*

Limita & declara 1. quòd nihilominus attestationes præsumptionẽ aliquam faciant, & ideò allegari possunt à parte pro quâ factæ sunt, vti ex hoc capitulo colligitur.

2. Si testes in plenario judicio dicant cõtra ea, quæ in summario deposuerant, fides ipsis habenda non est, secundùm *gl. receptam Abbatem. n. 16. Felinum. n. 20.*

3. Quòd partes cõmuni consensu approbare possint dicta testium, ita vt plenam fidem mereantur, sicuti ex hoc cap. colligitur, & docet *gl. recepta. verb. Vellet. Hostiensis & Immola hîc. n. 3.* quòd partes minus sufficientibus probationibus se submittere possunt. 5

Not. V. Testis, de cuius excomunicatione dubitatur, priùs ad cautelã absolui debet, quã. judiciale testimonium proferre permittatur, sed bene monet gl. fin. hîc requiri aliquam causam necessitatis, cur excommunicati, præmissâ absolutione, in testes admittantur, quia v. g. alii tam idonei haberi non possunt, vt in casu huius capituli, siquidem capitulares magis odisse censentur ea, quæ in capitulo gesta sunt.

CAPITVLVM XXXIX.

Tuis.

PARAPHRASIS.

Monachi & Conversi in causis propriis monasterii

nasterij possunt quidem testes produci, sed eorum testimonium absque juramento non recipitur, nisi ipsis à parte adversariâ remittatur.

SVMMARIVM.

1. *Juramentum testibus ex partium consensu expresso, in causis ciuilibus remitti potest.*
2. *Non autem juramentum Calumniæ, nisi sit persona, de quâ suspicio non sit, quòd falsum dicere præsumat.*
3. *Actori & Reo omnino remitti non potest expressa conuentione.*
4. *In causa matrimoniali, cùm agitur de eius valore, partes juramentum testibus remittere non possunt.*
5. *Quin judex in casu quo agitur de periculo animæ, aut jure publico, etiam partibus cõtradicentibus, testes ad jurandum cogere potest ac debet.*
6. *De jure juramentum testium debet esse corporale, de consuetudine aliter fieri potest, & in personis fide dignis, sola subscriptio aut commonefactio fidei suæ sufficit.*

1 NOt. vn. Juramentum testibus ex partiũ consensu expresso in causis ciuilibus remitti potest, ita docet *Hostiensis. Abbas Felinus & alii in c. Nuper. 51. hoc tit. cum gl. verb. Contradicente*, nam hoc conforme est juri naturali, vt quis contentus sit in propriũ præjudicium fidem haberi simplici alterius assertioni. *arg. l. vlt. cod. de fideicommissis.* necesse tamen est, vt vtraq; pars litigantiũ juramentum testibus remittat, cùm vtriusq; interfit, ideóque locum habeat juris regula *19. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*, & ita docet *Io. And. hîc n. 1. Abbas n. 4.*

2 Dixi autem etiã expresso partiũ consensu remitti posse juramentum testis de dicendâ veritate, in quo differt à juramẽto calumniæ (*vt Abbas hic tradit n. 6.*) aut dicendæ veritatis, quod pars litigans præstare debet. vti constat ex *c. 1. De juram. calumn. in 6.* nam talis pactio seu remissio juramenti calumniæ, id est, vt de calumniâ inferendâ iurari non debeat, videtur ansam præbere, calumniãdi, & jus publici judicii violãdi, ideò contra bonos mores, ac turpis talis remissio censetur. *argum. l. Illud. 5. ff. de pactis dotalibus*, vbi dicitur irritum esse pactum, quo aliquis invitari possit ad delinquẽdum v. g. vt propter res iniustè amotas actio non competat, at verò remissio iuramenti non invitat testem ad peccandũ, cùm simplex promissio apud bonos viros instar juramenti esse soleat, si tamẽ partes inter se convenirent, vt neq; simplex promissio de veritate dicendâ exigi queat, tunc videtur tale pactum esse contra bonos mores, nisi fiat propter auctoritatem & excellentem fidem personæ, de quâ non possit esse vlla suspicio, quod falsum dicere præsumat. Alia verò ratio est de Actore & Reo, cùm enim ij ob propriũ interesse in judicio litigent, faciliùs eorũ animus corrumpi potest, ideóq; ipsis juramentum expresâ conventione remitti non potest, sed testis non habet incitamentum falsum dicendi in causa aliena seu ad ipsum non pertinente.

Corollarium: in causâ matrimoniali cùm agitur de valore matrimonij, siue de eius impedimento dirimente, partes non possunt testibus remittere juramentum, sicuti *glossa hîc communiter recepta notauit verb. Remittatur*, idque propterea quia hic vertitur periculum animæ, & irreverentia Sacramenti; quâ simili ratione dicitur *in c. Super eo. 5.* de eo, qui cognouit &c. quòd matrimonium separandum non sit eò solùm, quia vterque coniux confitetur inter ipsos affinitatem ante nuptias interveniſſe. Quamobrem rectè docet hîc *Felinus n. 4. Gail lib. 1. obseru. 101. n. 5.* quòd in tali casu, quo de periculo animæ aut jure publico agitur, judex etiam partibus contradicentibus testes ad jurandum cogere possit ac debeat.

Quærunt hic Abbas, Felinus & alii, vtrùm à teste exigendum sit iuramentum corporale, videlicet tactis sacris Evangeliis. Responsio est affirmatiua, quæ colligitur *ex c. Hortamur. penult. casu. 3. quæst. 9.* Potest tamen per consuetudinem introduci vt aliter iuretur, item vt in quibusdam fide dignis personis sola subscriptio aut commonefactio fidei suæ sufficiat, quâ de re *Gail. cit. disp. 101. num. 11.*

CAPITVLVM XL.

testimonium delegantis coram delegato in particulari causa.

Dilecto.

PARAPHRASIS.

Inter Præpositum Atrebatensem & Comitissã Flandriæ controversia erat super donatione præbendarum sacerdotalium; eam Papa commiserat Episcopo Attrebatensi, Abbati Dedimenensi, & Attrebatensi Decano; coram his Præpositus litem non contestando, asseuerauit, Decani Attrebatẽsis testimonium sibi in hâc causâ fore necessarium, quia non nisi per ipsum & aliũ quendam testẽ de jure suo probare possit, ideóque rogauit, vt judices procederent in causâ, Decano remoto, aut processu supersederent, donec consultus Pontifex in locum illius alium judicẽ subrogârit, at verò judices petitionẽ Præpositi reiecerunt, & eundem post interpositã appellationem à præbendarũ collatione suspenderunt. His relatis Innoc. III. respondit, ne ob testis defectũ justitia Præposito denegetur, se Abbatem Vrsi campi in locũ dicti Decani subrogare, mandans si ita est, sicuti narratum fuit, vt relaxatâ suspensione Præpositi, iin causâ iuxta prioris mandati formã legitimè procedant.

Videtur hîc actum esse de collatione præbẽdarum, quam liberè ad se pertinere contendebat Præpositus Attrebatensis; ea enim magis propriè donatio appellari potest, at verò Comitissa se opponebat dicens, præbendas esse patronatas, & jus patronatûs seu præsentationem ad se pertinere, licet *Io. Andr. Panor. & alij aliter casum intelligãt.*

SVMMARIVM.

1. *Judex delegatus remoueri debet, si eius testimonium parti necessarium sit in ea causa.*
2. *Judex delegatus subdelegans statim initio totam causam alteri, potest in ea esse testis.*
3. *Ordinarius judex in casu necessitatis, potest admitti in testem in causa, quæ coram eius Vicario vel Delegato ad Vniuersitatem causarum agitur.*
4. *Imò propter necessitatem admittendum est*

NOt. vn. Judex delegatus remoueri debet, si eius testimonium parti necessarium sit in eâ causâ: ratio est, quia facilè reperietur alius judex, sed testis alius, qui causam ita cognitam habeat, non tam facilè reperiri poterit, quare ne jus partis ob defectum probationum pereat, succurri debet per alterius judicis subrogationem. Debet tamen pars judicis amotionem petere ante litis contestationem, nam per eam censeretur in judicem consensisse, vt posteà nisi ex nouâ aut nouiter cognitâ causâ amotionem petere non possit, vti *Abbas hîc monet n. 3.* deinde necesse est præmitti aliquam causæ cognitionem, quòd alterius judicis testimonio opus sit, adeóq; alius ei subrogari debeat, vt in textu huius capituli colligitur. 1

Quæritur 1. Vtrùm duo illi judices procedere potuissent absque tertio, qui in testẽ assumptus fuisset. Respondet rectè *gloss. hîc. verb. Exclusa*, si delegati fuissent cum clausulâ: *si non omnes potestis*, &c. tunc potuissent, vti colligitur ex *c. Prudentiam. 21. & c. penult. de off. delegati*, nam hæc censetur juris impotentia, si necessarium sit judicem ad testimoniũ ferendum produci, ne jus partis pereat. sin autem sine dicta clausulâ delegati sint, tunc à delegato peti debet, vt alius subrogetur, sicuti hic factum est. 2

Quæritur 2. Si judex delegatus causam alteri subdelegârit, vtrùm in testem adhiberi possit. Resp. cum *Joan. Andreâ hic; Abbate, n. 8.* Si statim ab initio in totum subdelegauit, adeóque jurisdictionem, quâ nunquam in eâ causâ vsus fuit, omnino à se abdicauit, tunc potest esse testis, secus si ex parte tantùm subdelegauit, seu aliquid sibi jurisdictionis retinuit, iuxta *cap. Iudex. de offic. delegati in 6.* 3

Quæritur 3. Si Ordinarius judex propter necessitatem, ne veritas occultetur, testimonium dicere debeat in causâ, quæ coram Vicario eius agitur, vtrùm possit admitti. affirmandum est cum *gl. communiter receptâ, Abbate. n. 11. Immola n. 3. Felin. n. 2.* 4

Ratio

ratio dari debet, quia ordinarius totam judicandi liberam voluntatem vicario permittit, nec se immiscet, nisi quòd causam ad se revocare possit, sed tunc in isto casu alteri committere deberet, & non suspecto, sicut in casu simili docet *gl. in c. Querelam. 24. verb. commisit. de electione.*

Idémque dicendum, si Ordinarius coram delegato suo ad vniuersitatem causarum testimonium dicere velit, admittendum esse. *argum. l. Est receptum. 24. de jurisdict. omnium judicum.* imò probabile est, quod docet *Abbas hîc. n 8.* propter necessitatem admittendum esse testimonium delegantis etiam coram judice delegato in causâ particulari, propterea quòd delegans actualiter partes judicis non agat, & si vel revocare velit concessam jurisdictionem, vel si ad eum appellatur, tunc alteri cogetur causam committere, si testis ipse officio functus fuit.

CAPITVLVM XLI.

Significauit.

Paraphrasis.

Quidam laici fundárunt Ecclesiam S. Nicolai, volentes, vt libera sit eius collatio, atque vt ipsi & successores sui nihil juris in Ecclesiâ quoad præsentationem &c. habeant, sed quia super hoc instrumentum publicum factum non erat, rector eius Ecclesiæ petiit ab Innoc. III. vt prouisionem faciat, nè temporis successu probationum copia depereat, ideò mandat Papa judici Sabinensi, vt testes idoneos, quos rector produxerit, diligenter examinet, eorúmque dicta in publicum referat instrumentũ, priùs tamen hoc denuntiet fundatoribus, aut successoribus eorum, vt receptioni testium interesse possint, si velint, atque super hâc ipsâ denuntiatione, quòd videlicet facta fuerit, publicum conficiatur instrumentum.

Svmmarivm.

1. *Fundator potest renuntiare juri suo, quod ex fundatione sibi quæsitum est. Manebit tamen nihilominus Patronus Ecclesiæ, neque eius curam omnino deserere potest.*
2. *In periculo ne quis super jure suo conueniatur, aut jus eius impetatur, peti potest vt receptis super jure illo testibus, publicum instrumentum conficiatur.*
3. *Ad receptionem testium & publicationem attestationum citandi, quorum interest. Si non compareant, nihilominus procedi potest.*
4. *Cautela in conficiendo instrumento adhibenda.*
5. *In factis antiquis præsumuntur interuenisse solemnitates etiam extrinsecæ propter probandi difficultatem.*

NOTA I. fundator potest renuntiare juri suo, quod ex fundatione consequitur ad præsentandum & alimenta petenda, si ad inopiam devenerit, ipse aut hæredes eius, nihilominus tamen permanebit Patronus Ecclesiæ, quam fundauit, vt proinde eius curam deserere omnino non possit, quamobrem etiam honor ipsi vt Patrono debitus negari non debebit, vide quæ dixi *lib. 4. Th. Mor. Tract. 2. cap. 13. q. 4.* 1

Nota II. Si periculum aliquod esse possit, ne quispiam conueniatur, aut jus eius impetatur, tunc petere potest, vt testes recipiantur ac publicentur super jure suo, atq; ex depositionibus instrumentum publicum conficiatur ad perpetuam rei memoriam, ita etiam habetur in *l. vlt. de vsuris pupillaribus.* 2

Loquor in casu, cùm periculum est, ne quis aliquando, cùm minimè exspectat, aut probationibus instructus est, in judicium trahatur, seu jus eius impetatur, vt in casu huius capituli, nam Patronus seu qui Ecclesiam fundauit, intentionem etiam suam fundatam habet, quòd ad ipsum pertineat jus præsentandi, quamobrem Ecclesia secura non esset de suâ libertate, nisi per testes aut instrumenta eam ostendere queat, sed quia testes temporis progressu moriuntur, ideò maturè prouidendum est Ecclesiæ per publicum instrumentum.

Non autem loquimur de actore seu qui jus

jus habet quidpiam petendi ; huic enim ordinariè postulare non licet, vt testes recipiantur super causâ, cùm is arbitratu suo agere possit, neque conueniens sit, vt causa actoris priùs instruatur, quàm inchoëtur & ordinariè testes actoris, lite non contestatâ, non recipiantur juxta ea, quæ dicta sunt in *c. vlt. vt lite non contestata.* quòd si verò casus accidat, vt actio intentari non possit, nisi priùs receptis ac publicatis testimoniis, tum & actor petere id poterit v.g. hæres, qui vult agere ex testamento, sicuti ex Hostiensi docet *Felinus. hîc. n. 7. Imola. n. 3.*

3 Not. III. Cum testes recipiuntur ac publicantur ad perpetuam rei memoriam & securitatem alicuius, debet parti alteri, cuius interest, denuntiari, vt veniat & intersit, quòd si adesse nolit, aut legitimè citata non compareat, nihilominus in negotio proceditur, vt hîc & in *cit. l. vlt.* vbi Salicetus ait, quòd reus non possit compellere eum, qui se creditorem eius dicit ad agendum, sed possit petere, vt testes examinentur ad perpetuam rei memoriam, vel possit petere à judice vt actori illi seu creditori præfigatur tempus, intra quod agat.

4 Adde consultum esse vt in instrumento ponatur parti aduersæ legitimè denuntiatum fuisse, vt receptioni testium intersit, cùm enim ea extrinseca sit actui, interuenisse non præsumitur, sed ab asserente probari debet, vti docet *hîc gl. finalis. Abbas in c. Albericus. n. 6. hoc tit.* & sumitur ex *l. Quacunque. 13. ff. de Public. in rem act.* vbi dicitur, eî, qui à pupillo se emisse ait, probandum incumbere, quòd tutoris auctoritas interuenerit, vbi rationem dant DD. quòd hæc sit extrinseca solennitas, quæ non præsumitur, sed probari debet. Alia verò est solennitas intrinseca siue substãtialis actui, vt si quis fateatur testamẽtum factum esse, præsumitur legitimum numerum interuenisse, aut si quis fateatur emancipationẽ factã, præsumitur omnia solenniter acta fuisse. *l. Ab eâ parte. 5. ff. de prob. §. vlt. Instit. de fideiuss.* excipiunt tamen DD. hîc apud *Felinum. n. 3.* quòd in factis antiquis præsumuntur interuenisse solennitates etiã extrinsecæ propter probandi difficultatem.

Dicet aliquis, etiam Presbyter nomine Ecclesiæ agere potuisset actione negatoriâ in rẽ, vt declararetur Ecclesiam liberã esse seu alteri jus nullum in re competere juxta *l. Etsi fortè. 5. §. Sciendum ff. Si seruitus vindicetur.* Resp. licet agere posset, non tamen ad id obligatur, sed potest sibi remedium opportunius eligere defendendi se, seu potiùs prouidẽdi sibi aduersùs futuram actionẽ alterius. 5

Dico itaque breuiter, quòd Presbyter in hoc casu agere possit & non agere, puta tamen securius esse non agere, sed tantùm prouidere, ne contra ipsum agatur, ita cum Hostiensi docet *hîc Imola, columnâ. 2. Abbas & Felinus. n. 5.* denique adiungit *gl. hîc. verb. monumenta,* quòd Presbyter seu rector nomine Ecclesiæ suæ condictione ex lege, aut judicis implorato officio, cogere debuisset Patronum, vt daret instrumentum promissæ libertatis, vti constat ex *l. Sicut. 21. C. de liberali causâ.* vbi dicitur, quòd Patronus, qui manumisit, manumissionis instrumentum præstare cogatur, vnde vniuersim colligunt DD. hic nominatim *Felinus. n. 8. Bart. in l. Si finita. §. Eleganter. n. 3. ff. de damno infecto.* quòd creditor si debitum recepit, vel pactum non petendi fecit, eius rei confessionẽ scriptam seu apocham tradere debeat, cùm id ipsi non obsit, alteri verò hoc prosit, cúmq; in suo jure securum reddat, juxta *l. 2. ff. Soluto matrimonio.* quòd si verò accidat, vt etiã vicissim creditor v.g. dominus fundi, qui à colono pensiones accepit, satis securus non sit, ne fortè successu temporis fundum vt proprium sibi vendicet, tunc cogi potest ad dandam antapocham gegen-Revers / seu gegen-Verschreiben / per quam confitetur se pensionem quot annis soluisse, vt ita facultas præscribendi tollatur. *l. Plures. 19. de fide instrum.* & videri potest *gl. in l. vlt.* vbi notatur, quòd apocha datur à creditore debitori, antapocha à debitore creditori.

CAPITVLVM XLII.

Cùm causam.

PARAPHRASIS.

Monasterium S. Martini vendiderat quasdam

dam possessiones ciuibus Viterbiensibus, sed quia se læsum existimauit vltra dimidium pretii justi, actionem mouit emptoribus, ex remedio *legis 2. cod. de rescindendâ vendit.* vt vel contractus rescindatur, vel justum pretium suppleatur, cùm autem Monasterium læsionem vltra dimidium justi per testes probâsset & in judicio obtinuisset, ciues Viterbienses elegerunt alteram partem, vt pretium justum supplerent, sed quia neque de pretio justo conuenire poterant, dubitabatur, num monasterium eosdem testes, qui antea de læsione vltra dimidium justi absolutè deposuerunt, factâ publicatione, denuò producere possit, vt deponant super valore justo possessionum, ad hoc respondet Innoc. III. omnino esse admittendos, quia non super eodem articulo producuntur, cùm aliud sit probare deceptionis excessum, aliud verò probare quantitatem valoris.

SVMMARIVM.

1. *Venditor agens ex* l. 2. de rescind. vendit. & c. 3. de Except. *tantùm probare debet, se vltra dimidium pretii justi læsum esse, vt rescindatur venditio, vel suppleatur pretium.*
2. *Publicatis attestationibus testes iidem produci possunt super articulo connexo tamen cum antiquis eiusdem causæ.*

1 NOTA I. Venditor agens ex *lege 2. c. de rescindendâ vendit. & c. 3. de except.* tantùm probare debet se vltrà dimidium pretii justi læsum esse, hoc enim probato rescindetur venditio, nisi emptor malit supplere, quatenus minus pretio justo dedit, tunc verò disputandum erit de vero valore seu pretio justo rei venditæ, illúdque æstimabitur tum ex qualitate rei, loci opportunitate, ad quantitatem reddituum, qui inde prouenire solent, si de re immobili sermo sit, tum ex pretio similium finitimorum fundorum, secundùm *gl. Bart.* & alios in *cit. l. 2. gl. hîc. verb.* præterea per testes aut per peritos rerum æstimatores, qui si non conueniant inter se, tum judex arbitrari debebit, quod justum & æquum est, vti tradit *Menochius casu 143. Mascard. concl. 1225. n. 7.*

2 Nota II. Publicatis attestationibus testes etiam iidem produci possunt super articulo alio seu nouo pertinente tamen ad causam, seu connexo cum prioribus antiquis articulis, de hoc dixi in *c. Fraternitatis. 17. hoc tit.*

CAPITVLVM XLIII.

Albericus.

PARAPHRASIS.

Albericus miles à putatitiâ vxore suâ per capituli Rauennatensis judicium separatus fuit, aliamque deinde vxorem duxit, ex eâque liberos procreauit, sed quia sententia illa diuortii in scripturam redacta non fuerat, ipséque timebat, ne sibi, & liberis ex alterâ muliere legitimè natis præiudicium aliquando generaretur, supplicauit Innoc. III. vt testes, qui diuortii latæ sententiæ interfuerant, recipi curaret, quamobrem mandat hîc Pontifex, vt testes super eâ re recipiantur & depositiones ipsorum in publicam scripturam redigantur.

Videtur hoc tempore Sedes Rauennatensis Archiepiscopalis Ecclesiæ vacâsse, vt causa ista matrimonialis coram capitulo agitata fuerit; quia capitulum cathedrale vacante sede exercet omnem jurisdictionem Episcopalem. *c. Cum olim. 14. de maioritate.* vide quæ dicam in *c. Præterea. 7. de testibus cogendis.*

SVMMARIVM.

1. *Victor causæ petere potest, vt super sententia lata instrumentum conficiatur ad perpetuam rei memoriam.*

1 NOT. Vnicum. Consultum est, vt cùm sententia ex scripto profertur, juxta *c. vlt. de sent. & re judicatâ in 6.* testes adhibeantur; tunc verò petere potest is, pro quo sententia lata

lata est, vt instrumentum super hoc edatur ad perpetuam rei memoriam, aut si id statim factum non fuerit, postea implorato judicis officio consequi id debet victor causæ, vt denuò vocatis testibus super latâ sententiâ instrumentum publicum manu & sigillo notarii conficiatur, consentiunt ea quæ dixi *c. 41. hoc. tit.*

CAPITVLVM XLIV.

Cùm in tua.

Paraphrasis.

Cùm vir & mulier matrimonium contrahere vellent, Parochus inquisitionem fecit, num consanguinitatis vel affinitatis impedimentum inter personas intercederet. *iuxta c. vlt. de clandestinâ desponsat.* & apparuerunt 11. vel 13. propinqui integræ fidei, qui omnes jurati testimonium tulerunt, non esse consanguinitate impeditas personas, earundem prosapiam secundùm gradus & personas distinguendo; sed cùm matrimonium contractum esset, quidam illud accusauit de impedimēto consanguinitatis, producens in judicio tres, vel quatuor testes, qui jurati id affirmârunt, quærebatur, num testes priores posterioribus an posteriores prioribus præferendi essent, respondit Innoc. III. tametsi testes, qui ante matrimonium auditi fuerunt, ad aliud, & ob aliud jurârint, quàm testes post contractum matrimonium producti, in judicio tamen, si illæ priùs auditæ personæ eadem in judicio iterum testarentur, tum earum testimonium præferendum fore tribus, vel quatuor affirmantibus de impedimento consanguinitatis; neque verò testes illi 11. aut 12. repelli possunt, eò quòd partes testificata jam didicerint; quia exceptio ista in hoc casu matrimoniali locum non habet.

Svmmarivm.

1. *Testes deponentes in processu inquisitionis per modum denuntiationis, non faciunt fidem in processu Ordinario, nisi denuò jurati deponant.*
2. *Plures testes, si propinqui sint & idonei, negantes consanguinitatem, maiorem fidem merentur, quam affirmantes pauciores, & non ita idonei.*
3. *Limitatur commune dictum: plus esse credendum duobus testibus affirmantibus, quàm centum negantibus.*
4. *Testes in summario judicio aut negotio inquisitionis, iterum in plenario recipi possunt vt plenam fidem faciant. In quo si jurati coram eodem judice varient, eorum testimonium non valet.*

Testis varians in eâdem instantia, ordinariè statur eius priori dicto legitimè deposito.

5. *Referuntur Casus, in quibus oppositum sit.*
6. *Fides testis siue in eâdem siue diuersa instantia variantis ante sententiam latam per interuallum debilitatur.*
7. *Publicatio testium non obstat in causa Matrimoniali.*
8. *Admittitur quilibet ad accusandum Matrimonium de impedimento dirimente.*

Not. I. Testes qui deponunt in processu inquisitionis per modum denuntiationis, non faciunt fidem in processu ordinario, nisi denuò producantur ac jurati deponant, ita etiam sumitur ex *c. Præterea. 7. tit. seq. 10.* & docet *Innoc. hic.* ratiò est, quia alio modo & ob alium finem producti fuerunt juxta ea, quæ dicta sunt *c. Veniens. 38. hoc tit.* 1

Nota II. Si plures testes sint negantes consanguinitatem, iique propinqui & idonei ad testificandum, magis ipsis credendum est, quàm aliis affirmantibus, si numero pauciores, vel non ita idonei sunt, ita sumitur ex hoc *c. & notat Io. Andr. hîc. n. 4. Abbas. n. 5.* 2

Corollarium: Quòd communiter dici solet plus esse credendum duobus testibus aliquid affirmantibus, quàm 100. id ipsum negantibus, limitari debet, nisi testes deponant de negatiuâ restrictâ ac determinata secundùm circumstantias, ita vt fundetur super alia affirmatiua, exemplum habes hîc, 3

nam

nam vndecim illi aut duodecim propinqui-sponsorum jurârunt inter personas contrahentes seu coniunctas matrimonio impedimentum non intercedere, exhibentes vtriusque prosapiam secundùm gradus singulos vsque adstipitem.

4 Nota III. Testes in summario judicio aut negotio inquisitionis auditi, postea iterum in plenario recipi possunt, vt plenam fidem faciant, sed quid si diuersa deponant, & quidem jurati coram eodem judice, seu Prælato. Resp. cum *gl. fin.* quòd non valeat eorum testimonium, *argum. c. Per tuas. 10. de prob.* sin autem ponamus testem in eiusdem judicii instantiâ contrarium dicere, tum communiter loquendo, statur eius priore dicto legitimè deposito. *argum. cit. c. Per tuas. de prob.* & docent DD. plerique: *Abbas hîc. n. 9. Felinus. n. 4. Bart. in l. eos. ff. ad. l. Cornel. de falsis. Farin. n. 15. 4.*

5 Excipe 1. Nisi in continenti testis dictum suum reuocet, aut corrigat, vel postea erroris sui probabilissimam rationem afferat, aut tam integræ fidei persona sit, vt ipsi credi debeat, asserenti se priùs deceptum aut facti oblitum esse, quâ de re *Bart. in cit. l. eos. n. 4.* & alii apud *Farin. q. 66. n. 227.*

Excipe 2. Si Prior depositio extra torturam facta sit, præfertur posterior cum torturâ, ita docet hic *Abbas. n. 9. Felin. n. 3. Menoch. cas. 108. n. 14. Farin. n. 165.* est autem sermo de iis personis videlicet vilibus, quibus absq; tormentis fides non habetur.

3. Excipiunt *Abbas in c. Literas. de præsumpt. Felinus hîc. in fine.* si posterius dictum testis coniecturis adminiculatum sit, tum secundum præfertur.

Aduerti tamen debet, quòd talis testis si erroris sui nullam probabilem rationem afferat, fateatur se periurum esse, & ideò fidem non mereatur, nisi in continenti errorem reuocet, vti dicetur in *c. Præterea. 7. tit. seq.*

6 Denique negari non potest, quin testimonium ac fides testis per reuocationem dicti, si ante sententiam latam per interuallum facta sit, nonnihil debilitetur, cùm sit testis inconstans ac varius. *argum. l. 2. de testibus.* & fatetur *Abbas hîc. n. 9. Felinus. n. 4. Farin. n. 164.* & hæc omnia similiter locum habere videntur, si testis in diuersâ instantia judicii contraria deponat, secundùm *Abbatem hîc. n. 9. in fine.* plura vide apud *Bart. cit. l. Eos. §. Quero pro declarat.*

Not. IV. Non obstat publicatio testium 7 in causâ matrimoniali, cùm agitur de eius impedimento, quo minus testes super eodem, vel directè contrario articulo recipi debeant, quandoquidem in tali causâ nec lata sententia obstat, cùm non censeatur transire in rem judicatâ. *c. Consanguin. 11. de sent. & re judic. & notat Innoc. in fine huius c.*

Quæres: quisnam admittatur ad accu- 8 sandum matrimonium de impedimento dirimente. Resp. cum *Abbate n. 3.* quòd quilibet admittatur in ordine ad separationem, cùm agatur de salute animarum & honore sacramenti. Pertinet itaque ad denuntiationẽ Canonicam, quæ contra Reos negantes impedimentũ judicialiter instituitur, ita vt denuntiator fiat actor seu prosecutor quasi accusationis; non enim est propriè accusatio, aut causa criminalis, cùm non tendat ad vindictam.

CAPITVLVM XLV.

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Marcus Canonicus Surrentinus Archiepiscopum suum coram Innoc. III. de Simoniæ crimine accusare aggrediens, in primis protestatus fuit, Archiepiscopi consanguineos multa per potentiam suã iniecisse impedimenta, quo minus copiam probationum afferre potuerit, cùm aliquos ad jurandum adduxerint, quòd nollent contra Archiepiscopum testificari, alios autem minis à testimonio ferendo auertere nitantur; itaque Pontifex ex officio motus, mandat cuidam à se delegato, vt excommunicationis sententiam ferat in omnes eos, qui Marco impedimentum in testibus producendis iniicere præsumpserint, illos autem, qui dictum juramentum deposuerunt, pro-

nuntiat eo obligatos non esse, quòd si autem aliquis è consanguineis Episcopi aliquem testium à Marco producendorum impedire præsumpserit, tum ipsum quoque Archiepiscopum ab officio pontificali suspendat, donec efficiat, vt consanguineus ille à præsumptione suâ cesset, quia non sit verisimile, quòd talia à consanguineo fiant inuito Archiepiscopo, qui si vellet, impedire, posset; quamobrẽ idem Archiepiscopus, secundùm legitimas sanctiones (cæsareas) iniquam ostendit se causam fouere, & experiri debet judicis autoritatem à se elusam, dum defensionis copiam aduersario suo subtrahit.

SVMMARIVM.

1. *Non est obligatorium juramentum factum de non jurando coram superiore legitimè interrogante.*
2. *Sciens & patiens ab altero aliquid fieri in suum commodum, & non prohibens, cùm potest, censetur mandare aut approbare.*
3. *In dubio non præsumitur scientia.*
4. *Conjecturæ, ex quibus scientia colligitur.*
5. *Resoluitur quæstio, an Dominus teneatur ex delicto famuli, vel officialis sui, negatiuè.*
6. *Vnde Ordinariè Dominus aut Pater familias famuli vel domestici sui debitum vel damnum illatum præstare non teneatur.*
7. *Enumerantur modi, quibus dominus causa damni, aut delicti à famulo commissi, censetur.*

1 NOTA I. Non est obligatorium juramentum, si quis jurârit, quòd præcipiente superiore juramentum proferre nolit, dummodò legitimè interrogetur, quâ de re dixi in *c. Intimauit. 18. hoc. tit.*

2 Nota II. Si quis patiatur aliquid ab altero fieri in suum commodum nec prohibeat, censetur mandare aut approbare, ita sumitur ex hoc *c. & c. Sicut. 33. junct. gl. verb. præbere. de Simon. & l. Remunerandi. 6. ff. Mandati.* si passus sim aliquem pro me fide jubere, vel aliter interuenire, mandati teneor (intellige, actione) & tradit ibi *Bart.* & docui *l. 1. Tract. 2. cap. 3. n. 3.* requiritur tamen vt is cuius nomine aut in cuius fauorem agitur, sciat rem agi, vti constat ex *c. Quia præsulatus. 5. causa. 1. q. 4.* item, vt si vellet prohibere, posset.

Sed quid in dubio præsumi debet, sciuerítne aliquis an ignorârit, quòd v.g. fiat delictum famuli alteriúsue domestici officialis aut consanguinei adhoc, vt illi imputandum sit, qui non prohibuit, cùm prohibere posset, ac deberet. Resp. cum *gl.* magna in *c. Cùm ad sedem. 15. de restitut. spoliat. Baldo. in l. Ad inuidiam in fine. C. Quod metus causa. Felino. c. Petrus. 12. n. 2. de homicid.* quòd in dubio non sit præsumendum, dominum scire, vti colligitur ex *cit. c. Cùm ad sedem. 15. verb. interdictum junctâ gl. verb. obligatam. ff. de probat. & reg. 46. in 6. præsumitur ignorantia vbi scientia non probatur,* quæ regula maximè locum habet in ignorantia facti alieni. 3

Conjecturæ autem, ex quibus scientia colligi possit, variæ sunt, secundùm qualitatem facti & circumstantiarum eius, præcipuè autem attendendum esse admonet *Abbas in c. Cùm causam, h. t. & hic. n. 3. Felinus cit. c. Petrus. n 4.* num factum sit successivum seu aliquamdiu durans, ita, vt probabiliter in domini, patrisfamilias, & amici seu propinqui notitiam venerit, an verò sit momentaneum, quod simul ac semel fit v.g. furtum, homicidium &c. illud præsumitur aliquis scire; idémque est, si delictum non semel, sed sæpius, aut cum pluribus & non omnino clam committatur, qui ipse est casus nostri capituli; sed in posteriori casu si v.g. famulus in fauorem domini occiderit inimicum eius, nulla circumstantia antecedente, ex quâ præsumi queat dominum tale famuli propositum sciuisse, non poterit ipsi adscribi seu imputari. 4

Simile quiddam est, quod tradit *Albas. c. vlt. n. 7. de consuetud.* & docui *libr. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. vlt. n. 2.* quòd actus continuitatem diuturnam habens æquiualet actibus repetitis, ideóque sufficiat ad consuetudinem introducendam per consen-

sum

sum populi præsumptum, & quod docet hîc *Felinus. n. 4.* quòd vicinus censeatur scire gesta à vicino suo, si sint continuata; secùs, si sint momentanea, nisi iterentur.

Portò ex traditâ doctrinâ resoluitur 5 Resp. de qua propter varietatem casuum variè DD. loquuntur, vtrùm dominus teneatur ex delicto famuli, aut officialis sui. Resp. Negatiuè; vti docui *lib. 3. Th. Mor. tr. 4. cap. 27. n. 2. & n. 6. §. Alia quidem.* & tradit ex communi *Felinus. cit. c. Petrus n. 20. legista in l. 1. de institoriâ actione.*

Veruntamen si officialis excedat mandati fines, seu alia gerat, quæ ipsi à domino mandata non sunt, tum dominus, si extra culpam ipse sit, rata habere, aut damnum inde secutum præstare haud tenetur, vti habetur in *l. Penult. §. Seruus. De institoriâ act. & l. vlt. C. quod cum eo qui in alienâ potestate &c.*

Exemplum affertur in indice Stephani *Daoyz super jure Cæsareo verb. Famulus* si famulus à lanio vendente accipiat carnes, sed pecunias sibi à domino ad soluendum datas non numerauerit, habitâ ipsi fide de pretio; postea autem aufugerit, quæritur jam vtrùm dominus iterùm soluere debeat. Resp. attendendum esse, qualem consuetudinem dominus tenuerit in carnibus, & similibus rebus emendis; si enim ordinariè solitus fuit pecunias promptas numerare, non obligatur; sin autem consueuerit accepta fide de pretio talia accipere; tum obligatur, vti sumitur ex *cit. l. vlt.* & consentiunt, quæ dixi *cit. c. 27. n. 6.* ratio est quia in priore casu famulus, seu officialis mandati fines egreditur, cùm ad emendum solùm constitutus fuerit; non item ad fidem de pretio impetrandam, ac veluti mutuum accipiendum, in posteriore autem casu censetur ad vtrumque constitutus, adeò, vt si dominus mutet propositum ac mandatum suum expressum, vel præsumptum, id iis, quibuscum per famulos seu officiales suos contrahit, significare teneatur, vti colligitur ex *l. Sed si pupillus. 11. §. de quo. ff. de institoriâ actione.*

Respondendum est 2. Famuli, aut domestici delictum seu damnum illatum, dominus aut paterfamilias ordinariè præstare non tenetur, quæ est communis DD. sententia, cùm enim Baldus, Felinus & alii supra citati docent, non esse in dubio præsumendum, quòd dominus sciat delictum famuli, & alii, cùm docent non esse præsumendum, quòd delictum fiat ex domini voluntate, vt *Alciatus regula 3. præsumpt. 4. Mascardus. tom. 2. de probat. conclus. 1759. Tuscus. verb. famulus. conclus. 77.* hoc ipso supponunt, si dominus nullo modo consentiat in delictum, aut damni illationem, non obligari ex delicto, si quidem omnis restituendi obligatio oritur vel ex voluntariâ conuentione, vel ex culpâ, aut dolo, quorum vtrumque voluntarium aliquid requirit. 6

Nunc verò modi numerandi sunt, quibus dominus causa damni, aut delicti commissi esse censeatur. 1. Si censeatur tacitè consentire, approbare, adeóque mandare, vt fiat delictum quod intellexit famulum in suum fauorem commissurum esse. exemplum habes in *hoc. c.*

2. Si dominus, aut paterfamilias ad- 7 uertat, famulos eiusmodi damna sæpius inferre & non prohibeat, & quandoque eos non amoueat, quod spectatis circumstantiis facere deberet; delictum, seu damnum ipsi imputabitur, cùm non sit extra culpam v. g. si animaduertat, quòd inquilinus, aut famulus ignem incautè tractet, & huic malo occurrere intermittat, tenebitur de incendio per famulum suum, aliumuè domesticum illato, cùm tamen alioquin dominus, si extra culpam sit, incendii damnum, quod famulorum, aut seruorum negligentiâ datum est, non teneatur præstare, vti expressè habetur in *l. Si vendita. 11. ff. de periculo.* & commodo rei venditæ.

3. Si dominus famulos, aut officiales, quos sciuit, aut suspicari poterat, & debebat, imperitos, & non idoneos esse, vel ad nocẽdũ inclinatos, aut aliquod officium, aut rem

gerendam destinâsse, tenebitur de eorum delictis; secùs autem dicendum, si officialis pro viro bono ac perito non immeritò habebatur, sed præter opinionem fefellit, vti videre est apud *Felinum, in cit. c. Petrus. n. 2. & seq.* & exemplum attuli de officiali seu vicario Episcopi, in quæstionibus de jurisdictione q. 106.

Quartò si quis aliquem præposuit administrationi, obligatur ex gestis eius circa eâdem negotiationem, aut officium, dummodò finesmandati, seu commissionis suæ is non excedat, vti docui in primâ responsione & *cit. cap. 27.*

CAPITVLVM XLVI.

Constitutis.

Paraphrasis.

Quæstio erat super matrimonio contracto inter principem Bohemiæ & Marchionis Misniæ sororem, hæc petente Principe coram Episcopo Pragensi comparere volebat, vt suas actiones ipsamet proponeret, sed à satellitibus Episcopi bis, vel ter accessu prohibita fuit, & nihilominus licet ipsa ad Sedem Apostolicam appellârit, Episcopus in causâ procedens, diuortii sententiam promulgauit; à qua ipsa iterum appellauit. His ita per procuratorem dictæ principissæ & nuntium dicti principis Bohemiæ Innocentio III. narratis, ipse causam hanc delegat Archiepiscopo Magdeburgensi & Præposito Seburgensi mandans, vt partibus ad locum idoneum conuocatis recipiat testes, quos vel principissa pro se, vel princeps pro se super processu Episcopi Pragensis, posteriorumuè judicum, producere voluerint, quandoquidem testificata nondum dicerant, & cùm dicta principissa productioni nondum renuntiârit, ideò non prohibeatur testes vel eosdem, quos priùs produxerat, vel alios, si voluerit, introducere.

Svmmarivm.

1. *Publicatis & cognitis testificationibus in causa Matrimoniali, testes denuo produci nequeunt.*
2. *Renuntiatio productionis testium, etiam cognitis testificationibus impedit vlteriorem per testes probationem.*

Nota I. Licet in causâ matrimoniali publicatio testificationum non obstet, quo minus testes denuo produci queant circa quæstionem principalem, cùm in eâ agatur de animæ periculo & honore Sacramenti, vti dictum est in *c. Fraternitatis. 17. hoc. tit.* obstat tamen promulgatio, ac notitia testificationum v. g. vtrùm priores judices in ipsâ matrimoniali causâ rectè processerint; nam tunc non vertitur animæ periculum, cùm etiam post latam sententiam testes produci queant super causâ principali. *c. Lator. 7. de sent. & re judicatâ.* & aduertit *gl. hîc.* verb. didicerint. *Imola, Abbas, Felinus & alii.*

Nota II. Duæ diuersæ causæ sunt quæ prohibent testes de nouo produci, si vel testificationes promulgatæ cognitæ sint, vel si partes productioni testium renuntiârint, ideóque in causâ conclusum sit, juxta ea, quæ dixi in *cit. c. Fraternit.* & docent *Imola Abbas, Felinus in fine huius capituli.* quòd renuntiatio vim conclusionis in causâ habeat, & ideò etiam non cognitis testificationibus vlteriorem per testes probationem impediat.

CAPITVLVM XLVII.

Licet.

Paraphrasis.

Olim consanguinitas & affinitas vsque ad gradum 7. matrimonio impedimentum præstabat, quamobrem cùm propter breuem hominis vitam testes de visu haberi non possent, necessarium erat in causis huiusmodi matrimonialibus etiam testes de auditu admitti, vti videre est in *c. de parentelâ. 5. causâ. 35. q. 6.*

sed

sed quia experientia docuit, multa exinde legitima matrimonia in periculum dissolutionis venisse, & quia iã eo tempote impedimentũ consanguinitatis & affinitatis restrictum fuit, vt quartum gradum excederet, ideò statutum est in Conc. Lateranensi sub Innoc. III. vt imposterum testes de auditu non recipiantur, nisi personæ graues & fide dignæ sint, & ante motam litem ab antiquioribus suis, seu ascendẽtibus, non vno, sed pluribus, saltẽ duobus acceperint, non ab infamibus, aut suspectis, sed dignis fide personis, nam absurdũ foret, si ea testimonia de auditu reciperẽtur, quorum & authores repellerentur. Sed neque si vnus à pluribus, aut infames ab hominibus bonæ famæ audiuisse se dicant, vt plures & idonei testes reputari debent, cùm secundùm communem judiciorum ordinem vnius testimoniũ, quâcunque etiam præsidis dignitate fulgeat, sufficiens non censeatur, infamibus autẽ actus legitimi interdicti sint. Insuper testes jurare debent, quòd ad testimonium in eâ causâ ferendum non odio, amore, timore, aut commodo procedant, atque personas expressis nominibus, aliáve demonstratione, aut circumlocutione sufficienter designare, & singulos ex vtroque latere gradus clarè distinguere, ac juramento denique suo concludere, quod à maioribꝰ suis acceperint, quæ deponunt, & quod credant ita esse. Sed neque idonei censeantur tales testes ad deponendum de consanguinitate, nisi jurati testẽtur se vidisse tales personas, saltem in vno dictorum graduum constitutas, pro consanguineis se mutuò habere & agnoscere, quandoquidem tolreabilius est, aliquos contra statuta hominum relinquere copulatos, quàm coniunctos legitimè contra statuta Domini separare.

SVMMARIVM.

1. *Testes de auditu in factis antiquis probant: antiquum autem censetur, quod ante 100. annos factum est.*
2. *In causa valde ardua, vel magni præiudicij, non sufficiunt testes de auditu, nisi fama & alia adminicula concurrant.*
3. *Testis de auditu idoneus non est, qui post litem in judicio motam, testimonium suum deponit.*
4. *Neque is qui deponit se audiuisse ab vno tantùm, aut pluribus, sed infamibus ac fide indignis.*
5. *Testes deponentes de diuersis actibus adminiculantibus, & se mutuò adiuvantibus probant.*
6. *Et hi censentur esse testes singulares adminiculantes; in quibus casibus?*
7. *Infames in judicio testari prohibentur.*
8. *In dubio præferendum est id, in quo minus periculi est.*

NOt. I. Propter necessitatem receditur à regulis juris communis, nam ordinariè testes deponere debent de visu seu alio sensu, debent enim testari de eo, quod nouerunt, notitia autem hominis ex sensu accipitur, qui autem deponit se audiuisse, is non ait se nôsse rem ita habere, imò ex tali relatione non paritur ipsi notitia, siue scientia, sed quandoque fides, seu credulitas, vt videlicet credat verum esse, quod audiuit; necessitas autem cogit, vt in quibusdam casibus admittantur testes de auditu, videlicet si factum, de quo quæritur, hominum, qui vivunt, ætatem ac memoriam excedat. Quamobrem communiter recepta est regula ex *l. 2. §. idem Labeo.* quòd testes de auditu in factis antiquis probant, vt videre est apud *Farinac. de testib. q. 69. n. 121. Mascardum volum. 1. concl. 104.* censetur autem antiquum, quod ante 100. annos factum est. *argum. l. vlt.* 1

Veruntamen si causa valde ardua sit, seu de valde graui præiudicio agatur, vt in casu huius capituli ad matrimonij dissolutionẽ, tum testes de auditu sufficere non debent, nisi fama aut alia adminicula concurrant, vti docet hic *Ioan. Andr. n. 3. Abbas. n. 3. Imola. n. 1. Farin. n. 135.* & colligitur ex *cap. 27. hoc tit.*

Not. II. Testis de auditu idoneus non est, si dicat se audiuisse post litem in judicium deductam, sed deponere debet se audiuisse 2

diuisse, antequam lis mota sit, nam alioquin suspicio est, ne occasione litis deductæ in judicium, rumor sparsus fuerit. *videri potest Mascard. conclus. 410. n 29.*

3 Not. III. Testes de auditu non probant sufficienter, si deponant se audiuisse ab vno tantùm, aut pluribus, sed infamibus, seu fide indignis. Ratio est manifesta; cùm enim testis vnicus de scientiâ non probet impedimentum, multò minus plurimi alij, qui acceperunt ab vno; neq; enim superare possunt fidem authoris sui, seu vt *Ioan. Andr.* ait *n. 4. Authori, si fides non datur, nec eis, qui ab ipso*
4 *deposuerunt.* Quare id etiam obseruandum in investigandâ probabilitate famæ, vt, quãtum fieri potest, eius authores indicentur, si enim leues personæ sint, ita vt ne ipsis quidẽ præsentibus ac testantibus crederetur, multò minus famæ, quę ab ipsis orta dicitur, credendum erit; veruntamen si de publicâ fama sermo sit, qui est consentiens sermoni maioris partis populi (vt videre est apud *Clarum in pract. crim. q. 6. n. 14. Mascard. conclus. 748. n. 2.*) eius origo difficulter plerumque reperitur, vti glos, obseruauit *in c. Qualiter. 24. verb. à maleuolis. de accusat.*

De eo verò dubitatur, vtrùm necesse sit, vt duo testes deponant, se ab eadem personâ, & quidem eodẽ loco ac tempore audiuisse, an verò sufficiat, si plures à diversis personis se audiviſse dicant. *Gl. hîc. verb. Ab vno*, quam Hostiensis sequitur, & ait, si plures sint testes, & quilibet eorũ audiuerit ab alio, *quâmalter*, non valiturum testimonium; & probari solet inde, quia erunt testes singulares, cùm singuli deponãt de singulis ac distinctis maiorum suorũ relationibus. Sed contrariũ rectiùs sentit *Innoc. hîc. Abbas n. 9. latè Felin n. 2.*

5 Pro cuius intellectu advertendum ex eodem *Felino & Farin. de testibus. q. 64.* quòd singularitas testium alia est adversatiua, videlicet si dicta eorum inter se repugnent; alia diversificatiua, si testes deponant de actibus non contrariis, sed diuersis se mutuò non adiuvantibus, cuius exemplum habuimus *in c. Cùm tu. 16. hoc tit.* Alia denique adminiculans, si testes deponant de actibus diversis, sed mutuò se adiuvantibus ad probandum id, quod quæritur. id verò dupliciter contingit, 1. si quęratur de facto suapte naturâ successiuo ac iterabili; aut habẽte extensionẽ, seu partes, ex quibus totũ coalescit. Exemplum habes, si quæratur, vtrùm Clericus sit familiaris huic feminæ, aut si quæratur, num Titius hesternâ die fuerit in vrbe, & vnus testis testetur quòd viderit eũ horâ 1. diei; alter hora 3. vt docet *Farin. q. 81.* item si quęstio sit de possessione v. g. iurisdecimarum, sufficit si vnus testetur de vno actu; alter de alio actu. vti docui *lib. 3. Th. mor. tr. 6. c. 4. q. 3. in fin.* & tradit *Felin. vers. 2. limita. &c.*

Et simile est, si quæratur de exercitio iu- 6
risdictionis, aut seruitutis alicuius, testes deponentes de diversis actibus censeri debent adminiculantes, & se mutuò adiuvantes, vti *Innoc. Abbas & Felinus annotant.* 2. modo testes singulares adminiculantes censeri debent, si non de vno particulari seu speciali facto quæstio sit, sed indefinitè, ac velutigeneratim, videlicet, num Titius aliquando confessus fuerit delictum, seu de eo gloriatus, tunc si plures testes de diversis cõfessionibus deponant, censentur mutuò se adiuvare, vti monet *Farin. q. 64. n. 131.* idque adhuc clariùs apparet in casu huius capituli; non enim particulatim quæstio est de relatione seu confessione vnius hominis, sed absolutè ac veluti generatim, vtrùm nemo fuerit inter maiores de consanguinitate confessus, aut testificatus, quo casu testes singulares adminiculantur probãti, quia licet materialiter de diversis deponant, tamen quodãmodo de eodem, quia omnes testãtur id, de quo per se ac principali intentione quęritur, si respectu eiusdem finis, ait *Felinus hîc*, testes concordent, licet tempore & in actibus discordent, sufficit, quia varietas temporis & actuum non diversificat id, de quo substantialiter quæritur.

Veruntamen negari non debet testes aptiùs & meliùs probaturos, si plures deponant, se à pluribus iisdem audiuisse, vt materialiter etiam contestes sint, interim tamen non debet hoc poni, vt requisitum universè ac semper necessarium, cùm neque Pontifex omnia requisita exactè in hoc capitulo enume-

numerare instituens, huius meminerit; quare locum hic habere debet respõsum Adriani Imp. *in l. 3. §. eiusdem. de testibus*: Hoc ego solùm tibi scribere possum summatim, non vtique ad vnam probationis speciem cognitionem statim alligari debere, sed ex sententiâ animi tui te existimare oportere, quòd aut credas, aut parum probatum tibi opineris, videri potest *Abbas hîc. n. 11.*

7 Not. III. Ferre testimonium in judicio est actus publicus & legitimus; quamobrem infames, qui à publicis & legitimis actibus repelluntur, etiam testari in judicio prohibentur, vti hîc apparet & significatur *in l. 1. ff. De testib.* verùm, officium testis non debet censeri publicum, vti bene monet *Abbas. in rubric. tit. seq. Gail. lib. 1. obsern. 100. n. 2.*

8 Not. IV. In dubio præferendum est id, in quo minus periculi est; quare si agatur de matrimonio contrahendo in dubio consanguinitatis, alteriúsve impedimenti, prohibẽdum erit matrimonium, iuxta ea, quæ docui *lib. 1. Th. mor. tr. 1. cap. 5. n. 23.* Sin autem agatur de matrimonio, quod contractum est, dissoluendo, in dubio pronuntiandum erit pro matrimonio, maximè si impedimentum ex positiuo humano jure proueniat, iuxta dictũ Innoc. III. *tolerabilius est* &c. Sed etsi ex diuino jure proueniat, tamen coniuges, qui in bonæ fidei possessione hactenus erant, separandi non essent manente dubio, iuxta ea quæ docui *cit. cap. 5. n. 24.*

CAPITULUM XLVIII.

Per tuas.

PARAPHRASIS.

Controversia erat inter Canonicos S. Petri & Guilielmum, is tribus mensibus à tempore, quo testes publicati erant, eosdem denuò audiri postulauit. judex dubitans, vtrùm recipere deberet, Honorium III. consuluit, qui hîc respondet, recipiendos iterum non esse, præterquã si Guilielmus super certis interrogatoriis testes examinari petiuerit, ídque à judice malitiosè, aut negligenter omissum fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Publicatione factâ testificationum, ijdem testes super iisdem articulis ordinariè recipi non possunt. Exceptio vna habetur in textu huius capituli.*
2. *Testis denuò recipi petens, vt priùs dictum corrigat, non audietur, nisi in continenti fiat.*
3. *Recipi potest, si dicto priori aliquid addere, v. g. circumstantiam ex obliuione omissam velit. Minor tamen ei fides habebitur, quàm si in principio dixisset.*

NOt. vn. Factâ publicatione depositionum, iidem testes super iisdem articulis recipi non possunt, ordinariè loquẽdo; nam idem est subornationis periculũ, siue ijdem, siue alij testes post factam publicationem producantur. Exceptionem vnam habes in textu, aliam *in c. Cùm clamor. 53. hoc tit.* 1

Sed dubium est, vtrùm iidem testes produci possint ad examen, postquã semel examinati fuerunt, attestationibus nondum publicatis.

Resp. & Dico 1. Si testis denuò recipi postuletur, vt priùs dictum corrigat, non audietur, nisi id fiat in continenti secundùm judicis arbitrium. *c. Præterea. vbi Innoc. & Ioan. Andr. verb. In continenti.* 2

Dico 2. Si testis denuò recipi petatur, nõ vt corrigat, sed vt addat, quia circumstantiã ad rem pertinẽtem edicere oblitus sit, tunc judex permittere poterit, si justâ ratione petitio subnixa videatur, ita tamen, vt minor ei fides habeatur, quàm si in principio dixisset, vel in continenti addidisset, sicuti docet *Innoc. loc. cit. n. 3. Abbas hic. colum. 2. Felin. n. 2.* 3

Dico 3. Certum est, quòd in casibus, quibus testes iidem recipi possunt aut debent, post publicationem testificationum multo magis recipiendi sint clausis testificationibus. 4

CAPITULUM XLIX.

Licet.

PARAPHRASIS.

Lis erat inter Episcopum Burgensem & Clericos S. Mariæ, coram Cardinali, quem Honorius III. dedit auditorem causæ, coram eo Procurator Episcopi dixit,

dixit, quòd contra personas testium ab adversâ parte productorum velit testes reprobatorios producere; super hoc consultus Pontifex respondit, eos admittendos esse; quòd si autem hos testes reprobatorios, adversa pars vicissim reprobare velit, etiam isti admitti debent, sed non vlteriùs fieri potest reprobatio testium reprobatoriorum.

SVMMARIVM.

1. *Testes probatorios, & eorum reprobatorios reprobare licet, non autem reprobatorios reprobatoriorum.*
2. *Testes reprobaturus, crimina aliósue defectus specificè exprimere tenetur.*

1 NOt. vn. Testes probatorios, & horum reprobatorios licet reprobare, sed reprobatorios reprobatoriorũ reprobare ampliùs non licet, tametsi verò textus loquatur de reprobatione personarum obiiciendo ipsis, quòd ad ferendum testimonium inhabiles sint, idem tamen eâdem ratione sentiendum, si reprobẽtur eorum dicta. Exempli causâ, testes Titij deposuerũt jurati, quòd ædes venditæ sint Caio Augustæ Calendis Februarij. Ad hos testes de periurio & falsitate convincendos Caius ex adverso producit testes, qui jurati deponunt ipsum Caium eodem die fuisse Tridenti. ad hos reprobatorios testes vicissim de periurio & falsitate convincendos Titius producit, qui jurati deponant, quòd testes illi Tridenti eo die non fuerint, sed Romæ, ideóque mentiãtur, hoc casu testes Caij sunt reprobatorij reprobatoriorum, & ideò admittuntur, sed vlteriùs reprobatio non admittitur, ne in infinitum fiat progressus, sed litium deniq; aliquis finis sit. Et hoc exemplum procedit, si actor tantùm testes produxit super causâ principali; sin verò etiam reus seu super causâ principali, seu super exceptione testes probatorios produxit, tunc illi reprobari possunt per alios testes, & hi reprobatorij testes actoris, iterum per alios testes à reo producendos reprobari, hic autem sistitur, ita vt quarta testium producti o non admittatur. sicuti explicat *gl. hic. verb. Quos*, his adde, quòd qui testes reprobare vult, crimina, aliósve defectus specificè exprimere teneatur, vti habetur *in c. 2. in 6. eodem tit.*

CAPITVLVM L.

Præsentata.

PARAPHRASIS.

Archidiaconus Suessionensis litem habuerat super jurisdictione, quam sibi competere dicebat in Ecclesiam S. Petri; & ex partium videlicet dicti Archidiaconi, atque Capituli S. Petri consensu compromissum fuit in 3. arbitros, qui in eâ causâ eò vsque processerunt, vt testiũ receptorum depositionibus publicatis & actis omnibus in scriptũ redactis, ac sigillo munitis arbitrium proferre deberent, tum vnus ex arbitris vita excessit, alter in Archiepiscopum assumptus, amplius 12. dierũ itinere distabat, quare cùm tertius solus arbitrium dicere non posset; videbatur exspirâsse compromissum, eapropter ad petitionem successoris in archidiaconatu, (prior enim Archidiaconus mortuus erat) Honorius III. causam hanc judicibus delegat, vt eam definiant optione relictâ capitulo S. Petri, num malint depositiones testium coram arbitris admittere, an consentire, vt testes denuò recipiantur, saluo jure, quod in vtroque casu Capitulo competit, obiiciendi contra testium personas ac dicta.

SVMMARIVM.

1. *Compromissum nomine Ecclesiæ vel dignitatis factum, transit in successorem, vt eo stare teneatur, modò superioris consensus interuenerit, non item compromissum actiuè factum.*
2. *Arbitro procul discedente, nec breuî redituro, soluitur compromissum.*
3. *Acta coram arbitris, quæ factum & merita causæ concernunt, fidem faciunt coram judice Ordinario, aut delegato. Depositiones testium admitti possunt, si velit aduersarius.*
4. *Acta litis ordinatoria repeti debent coram judice.*

Not.

1 NOT. I. Compromissum, quod nomine Ecclesiæ, aut dignitatis factum est, transit in successorem, vt eo stare teneatur, sed requiritur, vt superioris consensus, seu authoritas interuenerit. *juxta c. 2. c. Veniens 7. de transact.* & docent hîc *Abbas & Felinus n. 1.* at verò compromissum actiuè factum v. g. in Abbatem S. Nicolai, illo mortuo non videtur transire ad successorem, cùm censeatur electa industria personæ. *Argum. c. vlt. de arbitris.* & tradit hîc *Imola n. 7. Felinus n. 1.* & videri potest *Innoc. c. vlt. de offic. delegat.*

2 Not. II. Si arbiter in partes remotas discesserit, nec breui tempore rediturus sit, tum soluitur compromissum, sicuti soluitur per mortem arbitri *c. vlt. de offic. Delegati.* & docet *gl. hîc* communiter recepta, *verb. Solo.* & *verb. Arbitrorum.* colligitur *ex l. Si longius. ff. de judic.* atque hoc casu recurri potest ad judicem ordinarium, vti litem definiat, sicut colligitur ex *l. penult. C. de arb.* & tradit hîc *Ioan. Andr. n. 6. Abbas & Felin. n. 1.*

3 Not. III. Acta coram arbitris, si respiciant factum & merita causæ, fidem faciunt coram judice ordinario, aut delegato. verumtamen quod attinet ad depositiones testium, in optione aduersarii est, vtrùm eas admittere malit, aut si testes adhuc viuant, iterum coram judice produci. ita hîc & clarissimè *in l. vlt. de testibus.* & *in cit. l. penult.* quamobrem etiam confessio coram arbitris, facta tanquam judicialis, valebit, & allegari poterit coram judice, vti
4 bene hîc docet *Imola n. 9. Felinus n. 11.* & satis significatur *in cit. l. penult.* porrò quòd acta litis ordinatoria repeti debeant coram judice, communiter testantur *DD. hîc.*

CAPITVLVM LI.

Nuper.

PARAPHRASIS.

Adamus Presbyter Ordinem Minorum ingressus probationis causâ, iterum exiuit, sed Custos Monasterii eum repetere volens, testes quosdam Ordinis sui produxit, qui non præmisso juramento, deposuerunt Presbyterum professionem edidisse, quamuis Presbyter se opposuerit, ne admitterentur non jurati, hoc intellecto respondit Honorius III. nullius testimonio, quantumcunque Religiosus sit, in alterius præiudicium esse credendum, nisi deposuerit juratus.

Aduerte, quòd custos in hoc casu egerit ex mandato Prælati sui nomine Monasterii, ideóque producere potuerit testes ex Conuentu. *juxta c. Insuper. 6. c. Cùm nuntius. 12. hoc tit.*

SVMMARIVM.

1. *Nouitius habet liberam ex Monasterio discedendi facultatem; per professionem autem personaliter obligatur Religioni, ita vt vindicari possit adiectâ causâ.*
2. *Testi in judicium producto, etsi Clericus vel Religiosus sit, non creditur, nisi juratо, posito quòd partes non remittant juramentum.*

NOT. I. Nouitius habet liberam ex Mo- 1
nasterio discedendi facultatem. *c. vlt. causa 20. q. 3. c. 1. & vlt. de regul.* per professionem autem seu vota, Religiosus personaliter obligatur Religioni, ita vt vindicari possit adiectâ causâ, quemadmodum & pater filium in potestate suâ constitutum, conjux conjugem, dominus colonum originarium repetit ac reducit. *juxta l. 1. juncta gl. verb. Vindicare posse. ff. de rei vindic.* ideò autem dixi, tales personas vindicari posse adjectâ causâ, eáque probatâ; cùm enim alioquin liber homo vindicari non possit, vt habetur *in cit. l. 1. & l. Cùm hæredes 23. §. Item quæro. ff. de acquir. possess.* ideò obligatio personalis, quæ non præsumitur, allegari ac probari debet, videlicet in proposito casu Custos, tanquam Procurator Monasterii, per testes legitimè probare debuit professionem editam fuisse. videri potest *Abbas & Felinus hîc n. 2.*

Not. II. Testi in judicium producto 2
tametsi Clericus aut Religiosus sit, non creditur, nisi sit juratus. excipe nisi partes remittant juramentum, vti dictum est *in c. Tuis. 39. hoc tit.*

CAPITVLVM LII.

Venerabili.

PARAPHRASIS.

Episcopus & Capitulum Ecclesiæ Corisoptonensis & vniuersi Abbates Ordinis Cistercienſis in generali capitulo congregati, ac multi alij Episcopi & Religiosi vnà cum Abbate Conuentûs S. Martini (aliàs S. Mauritii) eiusdem diœcesis retulerunt Honorio III. quo modo piæ memoriæ Mauritius Abbas eiusdem Monasterii, claris ex diuino munere miraculis fulgeat, humillimè supplicantes, vt in Sanctorum catalogum referatur, vt quod populus nunc anticipando veluti vsurpat, cùm eum sanctum appellat ac veneratur, id Sedis Apostolicæ interueniente auctoritate facere possit, idcirco Pontifex Episcopo cuidam & Abbati mandauit, vt de vita & miraculis dicti Mauritii diligentissimè inquirerent, & ad ipsum referrent. Ipsi post inquisitionem scriptum sigillis suis munitum ad Pontificem miserunt, in quo multa quidem & magna referebantur miracula, eáque per testes juratos ac nominatim expressos probata; attamen non apparebat ex illo scripto, quòd testes singulatim examinati, & secundùm circumstantias, sicut fieri oportet, diligenter interrogati fuissent, ideò Pontifex consultius esse arbitratur, vt interea differatur negotium; atque idcirco scribit nunc ad Episcopos Corisoptonensem & Trecorensem mandans eis, vt testes, quos Abbas & Monachi S. Martini Cistertiensis Ordinis super vitâ & miraculis piæ memoriæ Mauritii Abbatis duxerint producendos, examinare singulatim curent, ea cum diligentiâ, quæ solet ac debet in receptione testium adhiberi.

SVMMARIVM.

1. *Homines piè defunctos cultu publico absque licentia Papæ inuocare non licet, sed tantùm priuato.*
2. *Requisita ad Canonizationem sancti Confessoris, prauia inquisitio & cognitio Sanctitatis & miraculorum eius; Martyris autem de passione eius, & causa passionis.*
3. *Testes non simul, sed seorsim examinandi.*

NOT. I. Homines piè in domino defunctos cultu publico inuocare ac venerari non licet absque summi Pontificis licentiâ, sed tantùm cultu priuato, quâ de re *Innoc. & alij in c. 1. de reliq. SS.* & dixi de hoc *lib. 4. Th. Mor. Tract. 7. cap. 5. q. 7.* 1

Not. II. Ad canonizationem Sancti requiritur, vt priùs diligenter inquiratur & cognoscatur de sanctitate vitæ & miraculis, id verò ait *Sylu. verb. Canonizatio* intelligendum esse, si quispiam in sanctorum Confessorum numerum referendus sit, sin autem in numerum Martyrum, tunc inquirendum esse de passione eius & causâ passionis, num videlicet in fidei Christianæ testimonium mortem obierit, juxta ea, quæ docui *lib. 3. Th. Mor. Tract. 3. n. 2. & 3.* nunc verò ista inquisitio & examen accuratum commissum est congregationi Cardinalium, quę est circa ritus & cæremonias, vti patet ex Bulla Clementis VIII. *de canoniz. B. Raymundi*, quæ incipit *Romana in summâ Bullarij.* 2

Not. III. Testes non simul, sed seorsim examinandi sunt, ita enim apparebit, vtrùm inter se de facto & circumstantiis facti consentiant, vt major ipsis fides habenda sit. ita sumitur ex *cap. 13. Danielis.* & trâdit *gl.* recepta *in c. Cùm causam. 37. verb. Processus hoc tit.* vbi ait, quòd depositiones testium non valent, nisi singulatim examinati sint. & sequitur *Jo. Andr. hîc n. 2. Abbas n. 1. & alij.* 3

CAPITVLVM LIII.

Cùm clamor.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Acherontinus de Simoniâ & aliis criminibus grauiter infamatus erat,

erat, ea propter Gregorius IX. Papa, ex officio motus mandauit Melfirensi & Rubensi Episcopis, vt super his diligenter inquirerent, verùm cùm publicatis attestationibus appareret, quòd duo testes super Simoniâ nimis confusè deposuissent, & veritas elici non posset, mandat hîc Pontifex, vt tum hos tum alios testes iterum diligenter examinent, & attestationes eorum sigillo consignatas ad Sedem Apostolicam mittant.

SVMMARIVM.

1. *Iudex etiam publicatis attestationibus potest testes eosdem, vel alios super eisdem articulis denuò examinare, si obscurè & ambiguè deposuerunt.*
2. *Testis obscurè & ambiguè deponens nihil probat.*
3. *Verus sensus Regulæ: ambigua locutio interpretari debet contra eum, pro quo profertur.*

1 NOT. I. Iudex etiam publicatis attestationibus potest testes eosdem vel alios super eisdem articulis denuò examinare, si obscurè & ambiguè deposuerunt. ratio est, quia judex sententiam ferre non debet, nisi causam ex allegatis & probatis cognitam habeat; quamobrem omnia perscrutari debet, donec veritatem deprehendat, *c. vlt. causâ 3. q. 5.* quæ doctrina æquè locum habere videtur siue causæ sint ciuiles, siue criminales, & siue judex procedat ex officio, siue ad instantiam partis, & ita docet *gl. in c. In præsentiâ. 8. verb. Verbum dubium. de prob. Innocentius hic. & Abbas n. 1. Imola n. 7. Felinus n. 3. & 5.* pars autem litigans ordinariè non auditur, si publicatis testificationibus testes examinari petat propter subornationis periculum, vti dictum est in *c. Per tuas. 48. hoc tit.* tale autem periculum in judice non timetur.

2 Not. II. Testis, qui obscurè & ambiguè deponit, nihil probat, ita etiam habetur in *cit. c. In præsentia.* nam probatio debet esse necessariò concludens, vti docent *DD. in l. Non hoc. 4. Vnde legitimi. Gail. lib. 2. obs. 13. n. 5.* ita vt animum judicis ad assensum mouere possit, talis autem non est probatio ambigua, quia vt *gl.* ait *in cit. l. Non hoc. verb. Quorundam.* non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse.

Latiùs hîc disputant *DD.* an & quo sensu vera sit regula sumpta ex *l. Veteribus 39. ff. de pactis*: quòd ambigua locutio interpretari debet contra eum, pro quo profertur, & consentit *Regula 57. in 6.* contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs interpretatio est facienda. ℟. Huic regulæ duas declarationes adhibendas esse; vt verè dubium sit, & non per conjecturas verisimilitudo seu major probabilitas deprehendi queat; altera, vt procedat in promissionibus, contractibus, ac fœderibus, quibus alicui acquirendum, alteri demendum, aut obligatio ipsi imponenda est, quòd interpretatio fieri debeat contra eum, cui acquirendum est, aut qui in iis verbis intentionem suam fundat ad obligandum alterum, vti tradunt *DD. in cit. l. Veteribus,*

Prior declaratio ideò adjecta est, quia 3
in obscuris ante omnia inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri consueuit *Regula 114.* consideranda etiam est materia, de quâ agitur, nam is verborum intellectus præfertur, qui rei, de quâ agitur, aptior est. *Argum. l. Quæsitum. 12. ff. de instructo vel instrum.* & videri potest *Menochius casu 199. n. 2.* item, vt actus, qui geritur, inter partes valeat potiùs, quàm vt pereat. *l. Quotiens. ff. de verb. oblig.* & *c. Abbate. 25. de verb. signific.* deinde quod æquitati magis consentaneum est, & quo neutra pars læditur; & quod in tertii præjudicium non cedit, & quo culpa omnis excluditur; ea autem interpretatio recipienda non est, per quam pars altera decepta sit, damnúmue sentiat, vt habetur apud *Menoch. l. c. Georg. Euerhard. 1. Consil. 45. n. 44.*

Altera declaratio ideò posita fuit, vt intelligatur aliam rationem esse, quando non agitur de contrahendâ obligatione, sed mero alicui collato fauore, vt in vltimis voluntatibus, ac principum beneficiis, quâ de re est Regula *gl. in l. Princeps. 21. ff. de verb. signif. & l. Beneficiũ. 3. ff. de Princip. Constitut.*

quòd in contractibus plena, in vltimis voluntatibus plenior, in principum beneficiis plenissima interpretatio facienda est, & ita habetur *in Reg. 12. ff. in Testamentis plenius* (quàm in contractibus ait *gl. ibid.*) voluntates testantium interpretantur. & *in cit. l. 3.* beneficium Imperatoris, quod à diuinâ scilicet eius indulgentiâ proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus. Cæterùm, quia in legatis præstandis concurrit obligatio hæredis, ideò dici solet, quòd legatorum interpretatio sic fieri debeat, vt hæres, quantum fieri potest, non grauetur, & *Decius in reg. 12. cit.* admonet, quòd fauorabilior in testamentis, quàm in legatis interpretatio fieri soleat.

CAPITULUM LIV.

Testimonium.

Paraphrasis.

Si testi ab vnâ parte producto pars aduersaria obijciat crimen, repelli debet tam in ciuili causâ, quàm in criminali, si in crimine adhuc perseueret; sin autem emendatus sit, eúmq; infamia non comitetur, non est repellendus in causâ ciuili, neque cùm de crimine agitur ciuiliter, excepto perjurii crimine; in criminali autem causâ, si testis in judicio antea de crimine conuictus fuerit, vel illud confessus, aut si nunc de ipso demonstratur à parte opponente & excipiente, aut si opinio eius grauata sit, propterea quòd aliquando propter crimen à testificando repulsus fuerit, his casibus, licèt in causâ ciuili non repellatur, tamen in causâ criminali etiam tunc emendatus repelli potest.

Svmmarivm.

1. *Infames & criminosi à ferendo testimonio repellendi sunt. Regulæ ponuntur dignoscendi eos.*
   Infamia alia juris & legalis, alia facti.
2. *Infames infamiâ juris, neutro jure, nec ciuili nec canonico, testes esse possunt in judicio, & à Iudice, parte etiam nihil opponente, repellendi; aliàs sententia erit nulla.*
3. *Possunt tamen esse testes in criminibus exceptis, & in subsidium, si veritas per alios testes cognosci non possit, adhibitâ tamen tortura; integræ fidei autem neque tunc erunt.*
4. *Iidem neque in testamento testes esse possunt.*
5. *Infamia facti infames, de jure canonico, & in eodem foro, vt testes judiciales non admittuntur, secus est de jure ciuili, & in eodem foro, nisi condemnati sint.*
6. *Æquitatis est, & ita obseruatur, vt in causis criminalibus & ciuilibus arduis infames infamiâ facti etiam in ciuili foro repelli possint, vel si admittantur, non multum eis credatur.*
7. *Periurus à testificando repelli potest.*
8. *In causa criminali quandoque etiam ille, qui crimine graui conuictus, aut confessus est, etiam post factam pœnitentiam repelli potest.*
9. *Non tamen, si constans vitæ emendatio secuta sit.*
10. *Refertur causa, cur crimen notorium notitiâ facti per emendationem constantem ac diuturnam penitus tolli censeatur, non autem notorium notitiâ juris, præsertim post latam sententiam.*
11. *Criminosus sine infamia juris, à judicii officio vel eligendi repelli non potest. Cur?*

SVpposito, quòd duplex sit infamia, vna juris seu legalis, & altera facti, sicuti fusè explicaui *lib. 1. Th. Mor. Tract. 5. p. 8. cap. 4.* circa materiam hanc, quòd infames & criminosi à ferendo testimonio repellendi sint, ponendæ sunt hæ regulæ. 1

1. Infames juris infamiâ, tam ciuili, quàm canonico jure inhabiles sunt ad testimonium judiciale. ita habetur hîc & in *l. 3. §. l. Iuliâ. de testibus. c. Nulli 11. causa 3. q. 4. c. Licet 47. hoc tit.* Ratio est, quia testimonium judiciale inter actus legitimos numeratur. *l. penult. de hæret.* infames autem à legitimis actibus excluſi sunt, *cit. c. Licet.* 2 3

Corol-

Corollarium. Cùm infames juris infamiâ absolutè inhabiles sint ad testificandum, ideò ad judicis officium spectat eos
3 repellere, tametsi pars nihil excipiat, sin autem repulsi non sint testes infames, non valebit sententia lata ex eorum testificationibus. adeò quidem, vt etiam post mortem testis, probatâ eius infamiâ, rescindi debeat, vti docet *Durandus in speculo hoc tit. §. 1. num. 29.* & pluribus allegatis *Farinac. de testibus q. 56. n. 41.*

Admittuntur tamen infames ad testificandum in criminibus exceptis & in subsidium, si veritas per alios testes cognosci
4 non possit, vti docet *Bartolus n. 12. de justit. & jure. Imola, hîc n. 6. Abbas n. 6. & alij plerique apud Farinac. n. 50.* necesse tamen est, vt tortura eis adhibeatur, *juxta l. Ob carmen. 21. §. Si ea. juncta gl. de testib.* & ex communi *Bart. & Abbas l. c. Gl. in cit. §. l. Iulia. verb. Palàm.* quanquam neque tunc talium testimonia integræ fidei censeri debent, vti dixi *in c. 10. de confessis.* & monet *Bartolus n. 51. Abbas n. 6. Farinac. n. 55.* His adde, quòd infamis neque in testamento testis esse possit, vti constat ex *l. Qui testamentum. 20. §. Eum, qui de testam.* vbi generatim significatur eum, qui in judicio testis esse prohibetur tanquam inhabilis, neque ad testamentum adhiberi possit.

2. Infames infamiâ facti, qui videlicet in crimine graui, & apud viros honestos ac prudentes infamante perseuerant, testes judiciales esse non possunt de jure canonico
5 & in foro canonico, sed de jure ciuili & in foro ciuili non repelluntur, nisi condemnati sint. prior pars habetur in hoc *c. juncta gl. verb. In crimine perseueret.* & *in c. Super eo. 13. hoc tit. c. Constituimus 9. causâ 3. q. 5. c. Infames 17. causa 2. q. 1.* necesse tamen est, vt criminosus seu à judice, seu à parte opponente repellatur, vti videre est apud *Felinum hîc. n. 3.* alioqui valeret eius testimonium, licet non tantam fidem mereatur, cùm non sit testis integer, seu non omni exceptione major. vti *gl.* tradit *in l. 3. §. Summatim. verb. Non eandem fidem de Carboniano edicto, & alij apud Farin. n. 111.*

Posterior pars traditur in *c. Si testes. §. Lege Iulia. causa 4. q. 3.* & notat *gl. Recepta. in c. Super eo. 13. verb. Confessi. hoc tit. Felin. hîc n. 8.* æquum tamen est, & ita obseruatur etiam vt in causis criminalibus & ciuilibus arduis infames infamiâ facti, seu criminosi etiam in ciuili foro repelli possint, aut si eorum testimonium recipiatur, non multùm eis fidei tribuatur, sicut docet *Clarus in practicâ. q. 24. n. 13. Farin. q. 56. n. 100.* 6

3. Perjurus, id est, qui falsum juramento scienter confirmauit, à testificando re- 7
pelli potest, vti etiam habetur *in c. Quicunque. 18. causa 6. q. 1. c. Paruuli. 14. causa. 22. q. 5.* nam testi non creditur nisi jurato, juramentum autem eius infirmum censetur, qui antea peierauit, immò non sine periculo defertur ipsi juramentum, quia iterum peieraturus putatur, quæ ratio maximè locum habet, si quis in judicio perjurium commiserit, vti *Abbas hîc* notat.

4. In causâ criminali, qui de crimine graui conuictus, aut confessus est, etiam post factam pœnitentiam quandoque repelli potest. tametsi in causâ ciuili non
8 posset; non arbitror tamen generalem regulam statuendam esse, qualem *Abbas hîc* ponit *n. 12. Felin. n. 31.* quòd lapsus in crimen graue, quantumcunque emendatus, à ferendo testimonio repelli possit in causâ criminali, nisi quòd excipiant eum, qui religionem ingressus est.

Sed contrarium docet *Clarus q. 24. n.* 9
16. nam testis ob crimen commissum ideò repelli potest, quia opinio eius & fides debilitata est, hæc autem ratio cessat, si constans vitæ emendatio secuta sit, quandoquidem cessante causâ cessare debet effectus. *c. Cum cessante. de appellat.* consequenter per constantem ac diuturnam vitæ emendationem sublato crimine, cessare etiam debet omnis eius effectus, quæ est diminutio fidei ac boni nominis. secundùm *gl. in c. 3. verb. Nisi eis. causa 6. q. 1.* vide quæ dixi *lib. 1. Th. Mor. Tract. 5. p. vlt. cap. 4. n. 10.*

In capitulo autem isto arbitror fieri duntaxat comparationem inter causam ciui-

lem & criminalem, quòd licet emendatus de crimine ipso jure infamiam non irrogante in causâ ciuili repelli non possit, tamen hanc regulam generatim non procedere in causâ criminali, siquidem in istâ quandoque spectatâ qualitate personæ, criminis aliarúmque circumstantiarum etiam is, qui pœnitentiam egit, repelli potest, cùm adhuc pronitas aliqua seu facilitas ad peccandum subesse possit, ob quam hominis fides dubia reddatur.

Et hæc inseruire possunt ad cognoscendum, num criminosus ad dignitatem seu prælaturam electus repelli possit; si enim in crimine graui ac notorio juris aut facti notitia perseueret, vel illud non ita pridem commiserit, ita vt infamia inde resultans adhuc permaneat, repelli debet. vti docent *DD. in c. 22. de elect. & c. 1.* sin autem crimen per constantem, apertam, & moraliter certam vitæ emendationem sublatum sit, tunc repelli non debet, tanquam indignus. *Argum. c. Ferrum. 18. dist. vbi gl. ait*, quòd talis nouus seu alius esse censeatur post emendationem, ita etiam docet *Archidiaconus, & gl. margin.* ait, ex vno capite aptiorem esse ad gubernationem, qui peccauit, & peccatum emendauit, quòd aliis compati possit, exemplo S. Petri, de quo in eo capitulo sermo est: quare etiam Abbas fatetur *cit. c. Dudum. n. 24.* si constet aliquem esse emendatum, quòd repelli non possit.

Cæterùm, si aliquis propter crimen graue per judicis sententiam damnatus fuerit, vel ab electione repulsam tulerit propter crimen, tum notam exinde aliquam gerit etiam post criminis emendationem, vti docui *in quæst. de elect. q. 71.* & dicitur *in c. 1. hot tit.* opinionem alicuius grauari, si in priore aliquo judicio propter crimen à ferendo testimonio repulsus fuit.

Cùr autem crimen, tametsi notorium
10 sit, solâ notitiâ facti per emendationem constantem ac diuturnam penitus tolli censeatur, non item quod notorium est notitiâ juris, præsertim per latam sententiam. ratio huius rei in promptu est, quia quâ causâ aliquid nascitur, eâdem etiam dissoluitur, vti in proposito Gratianus annotauit *dist. 61. §. His omnibus.* vbi ait, quòd Ecclesiasticæ prohibitiones suas causas habent, quibus cessantibus, cessent etiam ipsæ, cùm itaque infamia facti ex solo crimine seu criminosâ vitâ contrahatur, eâ penitus depositâ, & illa cessare debet, vti etiam docui *in cit. c. 4.* at verò infamia contracta ex jure, præsertim per sententiam, per jus seu principis sententiam seu dispensationem tolli debet.

Quæres: cur criminosus seu qui in graui crimine non habente juris infamiam annexam persistit, per exceptionem repelli non possit à munere judicandi, neque ab officio eligendi, sicuti hîc notauit *Abbas & Felinus.* R. Quia jus ipsis omnimodè ac plenè acquisitum est, quo priuari non debent, nisi cognitâ sententiâ per depositionem aut priuationem à superiore

CAPITVLVM LV.

Vltra tertiam.

PARAPHRASIS.

Si tertiò testes producti sint ac recepti, non debet quarta productio concedi, nisi is, qui eam postulat, priùs juramentum præstiterit, quòd nec per se, nec per alium attestationes subtraxerit, aut percunctando didicerit; deinde quòd non dolo, seu malitiosè eam postulet, sed quia testes, quos jam producere vult, antea habere non potuerit. desumptum est *hoc c. ex auth. de test. §. Quia verò. collat. 7.*

SVMMARIVM.

1. *Ad quartam testium productionem non admittendus, nisi præstito priùs juramento legali.*

NOT. I. Si quis testium seu à se, seu à parte aduersâ productorum testificationes didicerit, intelligo sufficienter, & ab eo, cui fidem habere possit, admittendus non est ad aliam testium productionem, vti etiam dictum est *in c. Fraternitatis 17. hoc tit.* & videri potest *Farinac.*

Not.

1 Not. II. Ad quartam testium productionem aliquis admittendus non est, nisi præstito priùs juramento legali, vti habetur *in cit. §. Quia verò. authent. de testib. collat. 7.* & dixi *in c. 15. hoc tit.*

CAPITVLVM VLT.

Non debet.

PARAPHRASIS.

Accusatus de crimine, pendente accusatione, ad testificandum in causâ criminali, admittendus non est, præterquam in criminibus exceptis, quandoquidem eiusmodi accusatus, nisi innocentiam suam ostenderit, ab accusando quoque, & Ordinum susceptione repellitur.

SVMMARIVM.

1. *Accusatus de crimine, dum accusatio pendet, vel innocentia non est ostensa, testis legalis integer esse non potest.*
2. *Nec admittendus ad accusandum, & ad Ordinum susceptionem.*
3. *Multò minus ad beneficia & Prælaturas promouendus.*
4. *Cautela, ne quis his constitutionibus abutatur in fraudem.*
5. *Priuilegium aut commoditas concessa à jure non debet prodesse ei, qui per fraudem eam procurauit.*
6. *Accusatus & denuntiatus etiam charitatiua tantùm denuntiatione de crimine, pendente accusatione, non potest accusator esse aut testis in causâ criminali, neq; ad beneficia & ordines promoueri, etiam quando ex officio judicis proceditur contra aliquem.*

1 NOT. 1. Accusati de crimine, dum accusatio pendet aut innocentia ostensa non est, grauata censetur existimatio, ideóque non est testis integer seu omni exceptione major, quamobrem eiusmodi hominis testimonium, tametsi in causâ ciuili recipiatur, tamen non facit probationem semiplenam, ideóque ob vnius eius testificationem non potest parti, pro quâ testimonium prolatum est, deferri juramentum in probationis supplementum, vti videre est apud *Glossatorem Abbatis & Felinum n. 2.*

Not. II. Hæc æquiparantur in jure, quòd 2
ad accusandum, testificandum in causâ criminali, & ad ordinum susceptionem admittendi non sint accusati de crimine, interim dum lis seu quæstio criminalis pendet. ita docet *gl.* recepta. *Imola hîc n. 1.*

Adde 1. Quòd talis multò minùs ad be- 3
neficia & prælaturas promoueri debet, dum eius existimatio grauata, aut vitæ honestas in dubium reuocata est, *juxta c. Omnipotens 4. de accusat.*

Dices: his constitutionibus aliquis in 4
fraudem abuti poterit, si quempiam accusset de crimine, vt eum à testificatione ordinis, beneficii, aut prælaturæ assecutione impediat. R. cum *Io. Andr. hîc & Abbate n. 5. Felino n. 2.* huic malitiæ obuiari posse, si præfigatur temporis spatium accusatori, intra quod accusationem prosequi ac perficere debeat, postea non audiendus. *Arg. c. 1. de restitut. spoliat. in 6.* vel si recipiatur testimonium accusati, sed exceptio seu oppositio in finem litis reseruetur, si interim cognitum sit, num testis nocens an innocens existat, quemadmodum etiam *Innoc.* docet *in cit. c. Omnipotens. 16. Io. Andr. hic n. 3. Imola in fine huius capituli*, quòd accusatus pendente accusatione eligi possit, licet confirmari non debeat, nisi priùs innocentia ostensa, vel absolutio facta sit.

Occasione hinc acceptâ tradit *Felinus hîc* 5
doctrinam generalem, quòd priuilegium aut commoditas concessa à jure non debeat prodesse ei, qui per fraudem eam procurauit, vt si aliquis ex intentione inimicitiam hominis procurauit, vt eum à testimonio repellere queat, aut si Episcopus procurauit negligentiâ Canonicorũ in conferendo beneficio, vt collatio ad ipsum post sex menses devoluatur, juxta *c. 2. De cõcess. præb.* quia vti dicitur *in c. Postulâstis. 15. de cõcess. præb.* cùm dolosè impedierit, dolus suffragari ei non debet, sed secus dicendũ videtur, si quis nõ per dolum, sed suo jure vtens legis commoditatem sibi procuret, & huc spectat regula: quòd dolo nõ agit, qui jure suo vtitur.

Adde

6 Adde 2. Quæ dicta sunt de accusato, quòd pendente accusatione non possit esse accusator, aut testis in causâ criminali, neque ad ordines & beneficia promoueri. similiter locum habent, si ex officio judicis contra aliquem procedatur, vel denuntiatus quispiam sit de graui crimine etiam charitatiuâ tantùm denuntiatione, vti hîc *Abbas docet n. 6. Felin. n. 1.* Ratio est, quia per denuntiationem criminis dubia redditur vitæ honestas & integritas viri, ideóq, pendente hoc dubio, non censetur omni exceptione major.

EODEM TITVLO in VI.

CAPITULUM I.

Mediatores.

Paraphrasis.

Mediator Simoniæ commissæ contra auctorem sceleris propter eius detestationem admittitur ad testimonium, si criminaliter non agatur, sed ciuiliter, & mediator emolumentum inde consecutus non sit.

Svmmarivm.

1. *Proxeneta seu mediator non potest esse testis circa negotium, in quo interceſſit.*
2. *Nisi vtraque pars litigantium consentiat.*
3. *Vel alij testes haberi nequeant.*
4. *Si testis fuit instrumentarius super contractu, de cuius postea qualitate aut conditione dubitetur, super ea testis adhiberi potest.*
5. *Si de crimine Simoniæ ciuiliter agitur, socius criminis testis produci potest, modò non etiam muneris particeps fuerit. Non potest, si criminaliter agatur.*

QVæstio hîc tractanda est, vtrùm proxeneta, seu mediator, qui interceſſit ad actum gerendum, possit in testem produci. R. regulam ponendam esse negatiuam, quòd proxeneta non possit esse testis circa negotium, in quo interceſſit, vti colligitur ex *hoc c. & Auth. de testib. §. Quoniam. collat. 7.* docet *gl. hîc. verb. Ciuiliter. Dominicus post princip. Petrus Ancharanus & alij*, quos citat & sequitur *Farinac. de testib. q. 60. num. 46.*

Multò minus administrator bonorum v. g. Prælatus Ecclesiæ potest esse testis, si litigetur de contractu, quem ipse celebrauit, vt bene docet *Francus in c. vlt. n. 9. hoc tit.* licet contrarium sentiat Archidiaconus allegatus in *glossa hîc. verb. In testem.* 1

Excipe 1. Nisi pars vtraque litigantium consentiat, tunc compellitur esse testis, vti habetur expresè *in cit. §. Quoniam.* sed quid, si vna pars consentiat, alterâ contradicente. hoc casu *Gl. in c. §. Quoniam. verb. Legem. Francus hîc n. 6, Io. Andr. in c. Dilectorum. n. 7. de testibus cogendis* docent, quòd hoc casu ad testimonium admitti possit, si velit, sed inuitus non compellatur. 2

Sed arbitror, si vna pars contradicat, repellendum esse, nam cur proxeneta ad testimonium ferendū minus aptus censeatur, ea afferri solet ratio, quia affectus est ad negotium illud, cuius mediator extitit, perficiendum, confirmandum, aut approbandum; hæc autem ratio sufficit, vt tanquam suspectus repelli possit ab eâ parte, contra quam ad gestæ rei confirmationem producitur, sicuti *Dominicus hîc* significat paulò post principium. *Gl. & Farin. l c.*

Excipe 2. Quòd in subsidium, si alij testes haberi nequeunt, proxeneta ad testificandum admitti immò cogi possit, vti docet *Francus hîc. n. 7. Abbas in c. Insuper. n. 11. extra hoc tit. Farinac. n. 417.* 3

Excipe 3. Si proxeneta ex partium consensu adhibitus sit in testem instrumentarium super contractu, ac postea dubitetur de qualitate aut conditione contractûs non videtur repelli posse juxta ea, quæ docet *Farin. q. 62. n. 112.* immò ex vnâ parte, qui jam melius nôsse rem censetur, magis idoneus esse videtur. 4

Excipiunt 4. hîc Canonistæ, quòd mediator Simoniæ commissæ in testem produci possit, si agatur de crimine ciuiliter, videlicet ad priuationem beneficii, dumodo 5

nihil

nihil ipse acceperit; ideò sit criminis tantùm seu operis mediator, & non etiam muneris; sin autem agatur criminaliter videlicet ad depositionem ab ordine seu degradationē, tunc testis produci non possit, vt in textu hic dicitur. hæc in se vera sunt, sed puto non esse hanc exceptionem à traditâ regulâ, nam id generale est, quòd proxeneta produci possit in testem ad ostendendam infirmitatē ac vitiū actûs, tunc enim minimè suspectus est, & cessat ratio, cur testis esse nequeat, quia videlicet affectus est ad negotium, cui pro agendo adhibitus fuerat, vti annotauit *Mascard. conclus. 1036. n. 17. Farin. quæst. 6. n. 437.*

Ideò dicendum, quòd specialis difficultas sit de mediatore simoniæ, vtrùm produci possit in testem criminis, cuius mediator & adiutor extitit, nam ex vnâ parte videtur nō admittendus; quia socium criminis se profitetur, iuxta *c. Veniens. 10. extra, hoc tit.* ex alterâ verò parte admittendus videtur, cùm simoniæ crimen sit vnum ex exceptis, vt ex communi doctrinâ docet *Clarus lib. 5. sentent. verb. Simonia. n. 11.* in criminibus autem exceptis etiam socij criminis & infames produci possunt in testes. ℣. *ex c. Licet Heli. 31. & c. seq.* de simoniâ quòd crimen simoniæ (si cum hæresi formali junctum non sit) non ita atrox censeri debeat, sicuti hæresis crimen, aut lesæ maiestatis, licet atrocius ac detestabilius censeatur, quàm multa alia gravia & depositionem merentia crimina, & ideò discrimen obseruari debet hoc capitulo traditum, & à DD. communiter receptū: si de crimine simoniæ agatur ciuiliter, sociū criminis testem produci posse, dummodò non adeò criminosus sit, vt etiam muneris accepti particeps fuerit, at verò, si criminaliter agatur, tum repelli possit, tametsi solius criminis, non & muneris particeps sit, & ita explicat *Abbas. c. Per tuas.*

5 Dicet quispiam, si accusatus de simoniâ excipiat contra testem productum tanquā mediatorem ac socium criminis, videtur illud confiteri, ergo deberet condemnari, Resp. cum *Glos. communiter recepta hîc. verb. Assecuti. Dominico ibid.* quòd excipiens nihil fateatur, quia eius sermo solùm tendit ad repellendum hominem. Si dicis te socium criminis fuisse, tunc criminosum te profiteris, & hoc ipso inhabilem ad testificandum, & ideò repelli debes.

CAPITVLVM II.

Præsentium.

PARAPHRASIS.

LIs erat inter Abbatem & Conventum S. Nicolai ex vnâ parte, & Priorem ac Conventum Lyconensem, ex alterâ parte, super possessione subiectionis Prioratûs, quâ se Abbas spoliatum asserebat, nec non super transactione irritandâ, quæ olim inter partes inita erat. Hanc causam Gregorius IX. ad se aduocauerat, iuxta *cap. Ad nostram. 56. De appellat.* Hic itaque mandat cuidam in prouinciâ, ut Abbatem & Priorem tum suo nomine, tum in animas Conventûs, aut maioris ac sanioris partis jurare jubeat de veritate dicendâ. deinde iniungat Abbati & Priori, vt tam ponendo, quàm respondendo veritatem dicant super positionibus à Pontifice transmissis, quatenus sciunt & intellexerunt ex illis, in quorū animas jurârunt, postea super quolibet articulo contento, in positionibus partes faciat sufficienter, aut invicē respondere, nullâ admissâ cōtradictione aut reiectione, sed & à Syndico partis vtriusque, tamen absque juramēto inquiratur, vt quod sit, aut credit esse, de huiusmodi positionibus edicat, testes quoque quos super articulis à Papâ transmissis, Prior & Conventus produxerat ad reprobandos testes, quos in causâ principali pars altera produxit, & quorum nomina in iisdem articulis posita erant, vsque ad proximas Calendas Novembris examinētur secundùm aduersæ partis interrogationes, quæ à Pontifice vnà transmittebātur, ita tamen vt contra testes ab Abbate & Conventu productos, crimina

specificentur; sin autem vicissim Abbas & Conventus testes produxerint reprobatorios reprobatoriorũ à Priore ac Conventu productorum, tunc & ij recipiantur ac diligenter examinentur vsque ad proximas Calendas Februarij, ita vt similiter crimina, aliáque obiecta specificentur, priùs tamen præstito juramento à Procuratore Abbatis & Conventûs, quòd ad id malitiosè non procedat.

SVMMARIVM.

1. *Adversùs eum, qui vt subditus tractatus incipit obedientiam & subiectionem negare, tanquam spoliatorem competit interdictum* Vnde vi.
2. *Consultum est, vt circa jura Monasterij libellus formetur, & actio instituatur nomine Prælati & Conuentûs seu Capituli, in arduis causis est necessarium.*
3. *Conuentus seu Capitulum absque Prælato agere non potest pro juribus Ecclesiæ. Limitatur ibidem.*
4. *In casibus quibus potest Prælatus sine consensu Capituli agere, potest Syndicum & Procuratorem constituere, & reuocare sine eiusdem consensu.*
5. *Idem potest Capitulum, in causis quas agere potest sine consensu Prælati circa bona diuisa ipsique propria.*
6. *Prælatus causam agens suo & conuentûs nomine iurare debet in animas maioris & sanioris partis exhibito mandato.*
7. *Ad singulos articulos in vna positione subinde contentos singulatim respondendum est.*
8. *Ad approbatus à judice petitiones aduersarius respondere cogitur, & immutatas delegatus retinere, si ipsi à delegante transmissæ sunt.*
9. *Pars quæ cogitur ad articulos probatoriales respondere, formare potest interrogatoria, super quibus testes examinandi, non autem ea communicanda aduersario.*
10. *Testis reprobatoriorum reprobatorios producere volens, vt juramentum malitiæ præstet, in judicis arbitrio est.*

NOT. I. Si is qui vt subditus tractatus fuit, incipiat obedientiam ac subiectionem negare, censetur spoliare alterum possessione suâ, ita vt competat interdictum *vnde vi.* ita *glossa magna hic communiter recepta.* 1

Not. II. Consultum est, vt in controversiis circa jura monasterij Abbas, præpositus, aliúsve Prælatus libellum formet actionémque instituat non suo tantùm nomine, sed etiam nomine Conventûs aut Capituli, imò id necessarium videtur, si causa ardua sit. ita *gl. magna hic.* & docui *in cap. Edoceri. de rescriptis.* 2

At verò Conventus seu Capitulum absq; Prælato agere non potest pro juribus Ecclesiæ, *argum. c. Causam. 9.* vbi docet *Innoc. de judiciis.* nisi agatur de propriis juribus Capituli, vel Conventûs, seu de bonis pertinentibus ad mensam Capituli, vti docui *in cit. cap. Edoceri.* vel nisi Capitulum agat pro recuperatione bonorum malè alienatorum, quæ Prælatus repetere negligit, vt dixi in *c. Cùm olim. 34. hoc tit.* & tradit *Abbas in cit. c. Edoceri, 16. Felin. n. 4. declar. 2.* 3

Ratio autem discriminis, cur solus Prælatus Ecclesiæ plerumque agere possit in judicio, sicuti & conveniri pro communibus Ecclesiæ juribus, non item Capitulum sine Prælato, ea dari debet, quia vt dictum est *in cit. c. Edoceri,* libera administratio jurium & bonorum Ecclesiæ Prælato competit, non autem Capitulo, nisi vacante prælaturâ, vti videre licet apud *Imolam in cit. c. Edoceri. n. 2. & 5.* quamobrem rectè hinc infert *Imola ibid. n. 6. Felin. n. 5.* Si administratio in aliquâ congregatione communiter pertineat ad Prælatum & Capitulum, quia & Prælatus aliquam personam deputare solet, & aliam Conventus, per quas bona & jura Monasterij curentur ac defendantur, tum neque Prælatum sine Conventu, neque Conventum sine Prælato in judicio convenire aut conveniri posse, secundùm regulam traditam ab *Innoc. in eod. c. Edoceri. n. 4.* quòd facultas agendi in judicio sequitur potestatem administrationis, seu ad eum pertinet agere in judicio, cuius est administrare. 4

argum.

argum. l. Omnes. C. de Episcopis & Clericis. & hæc ipsa causa est, cur Prælatus causas arduas absque capitulo agere non possit, quia nec administrare talia debet sine Capituli consensu, aut saltem Consilio, vti docui de jurisdictione *concl. 83.* item quòd Episcopus generalem Oeconomum seu Officialem, qui omnia jura & negotia Ecclesiæ agat absq; consilio Capituli constituere non possit, sicuti *Innocent. tradit num. 4.* quamvis in his omnibus Ecclesiarum consuetudo etiam attendenda sit, quippe quæ potestates eiusmodi augere, vel minuere potest.

4 His verò addendum cum Dominico hîc *columna 4. Anchar. columnâ 2. Felino in cit. cap. Edoceri, num. 6. & 7.* quòd in casibus, quibus Abbas, aliúsve Prælatus sine consensu Capituli seu Conventûs agere potest, consequenter & Syndicum, seu Procuratorem constituere, eundémque absque Capituli consensu ante litis contestationem revocare; non item in causis, quas Prælatus absque Capituli consensu agere non potest, consequenter neque Procuratorem constituere, neque constitutum revocare, quandoquidem eadem solemnitas requiritur ad dissoluendum, quæ ad constituendum, secundùm *gloss. in l Cùm proponebatur. verb. Septem testium. ff. Delegatis. 2.* Similiter & Conventus in causis quas agere potest, & sine consensu Prælati circa jura & bona divisa, ipsíque propria, Procuratorem constituere

5 non prohibetur. Veruntamen hoc casu singuli Capitulares seu Conventuales Procuratorem revocare non possunt, sed necesse est, vt nomine Conventûs secundùm maioris ac sanioris partis (saltem eorũ qui præsentes sunt) decretum revocetur, secus autem est, si Procurator à pluribus constitutus sit circa jura communia ipsis, singulari jure, tunc enim quilibet etiam aliis invitis revocare potest, sicuti ex *Innoc.* docet *Felin. cit. num. 7.*

Obijciet aliquis: Prælatus in juribus Ecclesiæ ita se habet, sicuti tutor in juribus pupilli, tutor autem Procuratorem ad judicia constituere non potest, cùm non sit dominus. *l. Neque tutores. 11. Junctâ gl. verb Facere. C. De Procuratoribus:* sed si tutor aut curator impeditus sit à judice, petere debet adiutorem, qui etiã actor dicitur seu administrator, *Institut. de curatoribus in fine. & l. Solet. 13. iunctâ gl. verb. Quam curator. ff. de tutoribus.* ergo neque Prælatus Procuratorem ad judicia in causis Ecclesiæ constituere potest &c. cum *Baldo in l. 1. n. 3. de Procur.* licet Prælati tutoribus æquiparentur quoad alienationẽ rerum vtrisque prohibitam, non tamen æquiparari in jure administrationis & in movendis actionibus per se vel Procuratorem, quia non sunt meri ac simplices administratores, sed habent administrationem cum commodo, item habent titulum, & prætendunt jus proprium prælaturæ, quale jus non prætendunt tutores & curatores. idémque sentiendum de aliis, qui meri administratores sunt v. g. actoribus seu administratoribus ciuitatis. *l. Nec ciuitatis. 74. de Procurat.* & tradit *gloss. l. 1. Alienatio. ff. eod.* At verò pater circa bona filij adventitia, in quibus vsumfructum habet, Procuratorem ad judicia cõstituere potest videlicet propter commodum vsusfructûs, quod inde percipit, vti *gl. marg. annotauit in cit. l. Neque tutores, ex l. 1. eod. de bonis maternis.* Cæterùm post litis contestationem cùm dominus litis factus sit tutor vel administrator, non minùs, quàm alius Procurator Procuratorem alium constituere potest. *c. 1. §. licet. de procurat. in 6.*

Not. III. Si Prælatus causam agat nomine tum suo, tum Conventûs, jurare etiam 6
debet in animas maioris & sanioris partis conventûs exhibito mandato, sicuti dictum *in c. 3. de juram. calumn.* nam Prælatus in tali causâ agit etiam vt Procurator conventus, & consequenter sicuti alius Procurator ad certam causam destinatus jurare debet in animas eorum, à quibus constitutus est. vti constat ex *cap. Imperat. 4. eodem tit.* dici etiam potest, quòd in casu huius Capituli Syndici vtriusque Monasterij causam egerint, sed quia ad positiones (quippe quæ sunt de factis) meliùs respondere sciebant Prælati & Conventus, ideò non Syndici de veritate dicendâ jurare debebant,

sed qui meliùs eam nôsse putabantur, vti docui *in tit. c. 3.*

4 Not. IV. Vna positio quandóq; continet in se plures articulos seu partes, & tunc singulatim ad eas respondere oportet, cùm fieri possit, vt vnus articulus seu membrum verum sit, alterum autem falsum, sicuti hîc *Menochius notauit n. 18.*

8 Not. V. Tametsi alioqui aduersarius & interdum judex positiones reiicere possit, tanquam ineptas aut impertinentes, excipi tamen debet, nisi judex eas approbârit, tum aduersarius ad eas respondere compellitur, sed & judex inferior aut delegatus positiones immutatas retinere debet, si ipsi à delegante aut superiore judice transmissæ sunt, vti in hoc cap. apparet, & monet *gl. verb. Transmissis.*

9 Not. VI. Pars quæ ad articulos probatoriales respondere cogitur interrogatoria formare potest, super quæ testes producti examinentur super articulis quos aduersarius posuit. Veruntamen huic interrogatoria communicari non debent, cùm alioqui testes subornare posset.

10 Not. VII. Præsumptio esse potest, quòd is, qui testes reprobatorios denuò reprobare seu testes reprobatoriorum reprobatorios producere vult, id agat malitiosè, ideóque facilius ei juramentum de malitiâ deferatur. pendet tamen hæc res ex judicis arbitrio secundùm *gl. hîc verb. Juramentum.*

CAPITVLVM III.

Romana.

PARAPHRASIS.

Titius Procurator vel Advocatus Caij fuerat in causâ quadam, sed cùm contra Caium lata esset sententia, is appellauit, & coram judice appellationis positiones suas probare iam vult per Titium, qui in priore instantiâ causæ fuerat Procurator; quæritur, an admitti possit. Respondet Pontifex, admittendum non esse. Porrò non semper appellanti, si præsumptionem pro se habeat, juramentum deferri debet à judice in probationis supplementum, sed id arbitrio judicis committitur consideratis causæ & personarum circumstantiis.

SVMMARIVM.

1. Advocatus vel Procurator in prima instantia nõ potest in causa appellationis esse testis.
2. Idem est de Syndico, & Actore.
3. Judex prudenter arbitretur, an parti semiprobanti juramentum deferẽdum sit in supplementum probationis, an verò alteri parti in sui purgationem.

NOt. I. Qui fuit Advocatus vel Procurator in prima instantia, ne quidem deposito munere testis esse potest in causâ appellationis; quâ de re dixi *in c. Cùm à nobis, 28. extra. hoc tit.* Intelligi autem id debet, si testis producatur ab eo, pro quo postulauit, sin autem ab aduersario recipiendus est, ita vt pro vtrâq; parte testimonium proferre possit, sicuti *gl. hîc notauit, verb. In testem. Jo. Monachus n. 2. & 3. Ioan. Andr. n. 1. & 2.* Nam ideò Procurator vel Advocatus repellitur, quia censetur esse affectus ad causam, quam procurauit, quæ ratio cessat, si producatur ab aduersario causæ, quam Procurator defendendam suscepit. 1

Porrò quæ dicta sunt de Procuratore, intelligi etiam debent de Syndico & Actore, cùm eadem sit ratio eos repellendi; quia sunt affecti ad causam, quam egerunt, quandoquidem cõmodum inde aut saltem honorem vel gratiam consequentur, si causa obtineatur. 2

Not. II. Nulla certa regula tradi potest, num judex parti nonnisi semiplenè probanti juramentum deferre debeat in supplemẽtum probationis, an verò alteri parti in sui purgationem, sed judex consideratis causæ & personarum circũmstantiis id prudenter arbitrari debet, vti dixi *lib. 4. Th. mor. Tract. 3. cap. 5. n. 3. & dicetur in c. vlt. de jureiurando.* 3

TITV-

TITVLVS XXI.

DE TESTIBUS COGENDIS VEL NON.

ORdinariè testes à partibus rogati, aut producti vt testimonium in judicio proferant, si recusent, à superiore suo cogi possunt, vti dictum est in *c. 1. de testib.* interdum tamen excusantur, ut cogi non possint, quâ de re in *hoc. tit.* tractandum.

CAPITVLVM I.

Causam.

PARAPHRASIS.

Causam matrimonialem Alexander III. commiserat quibusdam judicibus, hîc verò mandat Episcopo huius loci, vt moneat testes, qui ab vtrâque parte rogati ac producti fuerunt, ne veritatem occultent, sin autem ex odio, gratiâ, timore sub trahere velint, ipsos per cẽsuram Ecclesiasticam compellat ad ferendum testimonium coram judicibus delegatis, vel nuntio, quem ad testium depositiones accipiendas destinârunt.

SVMMARIVM.

1. *Index Ecclesiasticus testificari renuentem in ciuili causa, etiam censuris ad id cogere debet.*
2. *Iudex potest receptionem testium etiam in causa criminali tabellioni vel alteri industriæ personæ committere.*

1 NOTA I. Judex Ecclesiasticus imprimis hortari debet eos, qui in testimonium rogantur ac producuntur, vt veritatem quam nôrunt, edicere velint, sin autem se inobedientes præbeant & causâ non justâ allegatâ testificari renuant, etiam censuras comminari, ac denique inferre judex debet, hoc tamen intelligitur si ciuiliter agatur maximè in causâ matrimoniali, quid verò dicendum sit in causâ criminali, infrà patebit.

2 Nota II. Judex receptionem & examen testium etiam in causâ criminali adeóque arduâ tabellioni aut alteri personæ industriæ committere potest, vti constat ex *c. 2. de judiciis in 6.* potest autem id dupliciter fieri, sicuti notat *gl. in Clement. 2. verb. judices. de off. delegati. & Abbas hîc. n. 1. Felin. n. 2.* 1. Vt actus jurisdictionis alteri committatur, qui aduersarium citet ad videndum jurare testes, exceptiones audiat & examinet, juramentum à testibus exigat, interrogatoria à parte accipiat, testium multitudinem refrænet, inobedientes vel aliter peccantes puniat, juxta *l. Nullum. 18. de testib.* 2. Vt solum ministerium seu nuda exsecutio committatur, videlicet si post receptos atque approbatos testes & exactum ab iis juramentum, committatur alicui examen testium super interrogatoriis jam formatis, ipsíque traditis, & hic propriè nuntius seu exsecutor ministerialis appellatur.

Quæres: cur Pontifex scripserit ad ordinarium, vt testes compellat ad ferendum testimonium, cùm tamen delegati judices id facere potuissent, juxta *c. Præterea. 5. de off. deleg.* Resp. cum *gl. hîc. n. 1.* quia ordinarius interdum id meliùs & efficaciùs efficere potest, quam ipsam ob causam interdum Ordinarius exsequitur sententiam latam à delegato Pontificio, si ipsi mandetur *c. Significâsti 7. c. In litteris. 9. de off. delegati.*

CAPITVLVM II.

Cùm super.

PARAPHRASIS.

Alexander III. hîc scribit ad Presbyteros Pontiæ, cùm ipsorum testimonium necessarium sit in causâ, quæ inter Episcopum Prænestinum, & Abbatem subla-

censem agitur, vt ad Sedem Apostolicam accedant testificaturi, sin autem non venerint, censuram suspensionis ab officio & beneficio incurrant ipso facto, quòd si nec postea accesserint, excommunicationis & depositionis sententiam eisdem comminatur.

SVMMARIVM.

1. *Iudex Ecclesiasticus sub comminatione censuræ præcipere potest testibus, vt veniant ad testimonium ferendum, eámque inserere citatorio.*
2. *Gradatim per censuras aduersùs contumacem procedendum.*
3. *In casu necessitatis possunt testes ex remoto loco ad tribunal euocari, expensis tamen eos producentis.*
4. *Extra casum necessitatis commissio fieri debet, vt testes in loco, vbi sunt, audiantur.*

1 NOTA I. Iudex Ecclesiasticus sub comminatione censuræ, seu ipso facto, seu per sententiam incurrendæ præcipere potest testibus, quorum testimonium in causâ ciuili necessarium est, vt veniant ad veritatem dicendam, & potest comminationem citatorio inserere, vt hîc apparet, necesse tamen est, vt præcesserit aliqua inobedientia, aut contumacia alioquin inciuile esset censuram comminari, sicuti *Felin. hîc notat. n. 2.*

2 Nota II. Congruum omnino est, vt iudex Ecclesiasticus aduersus contumacem procedat, priùs per censuram suspensionis aut interdicti, Papa verò crescente inobedientiâ ac contumaciâ ad excommunicationem, denique ad depositionis pœnam, ita notat gl. magna hîc, cùm ait, quòd crescente contumaciâ crescere debeat & pœna, sequitur *Antonius & Imola hîc. n. 4. Felin. n. 1.*

3 Nota III. Si necessarium sit, testes quandoque ex loco remoto euocari possunt ad tribunal, sed debet id fieri expensis eius partis quæ producere vult, juxta *c. Statutum. 11. §. Pro ferendo. de rescriptis.* atque hoc casu, si causa valdè ardua sit, v. g. matrimonialis, aut graue periculũ in morâ existat, tum iudex Ecclesiasticus etiã nullâ cognitâ contumaciâ, citatorio inserere posset criminationem censuræ, nisi die definito adsint, vti tradit *Abbas. in c. 1. not. 2. hoc tit.* sin autem necessitas non postulet, tunc commissio fieri debet, vt testes in loco, vbi sunt, audiantur, ne frustra labores & expensæ fiant.

CAPITVLVM III.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Titius conueniebatur coram iudice super commisso crimine; ipse factum negat, quæritur num testes, qui inter fuerant, ad testificandum cogendi sint. Respondet Papa, si factum notorium sit, opus non esse testibus, quia notoria probationem & iudicarium ordinem non requirunt, sin autem notorium non sit, tum testes monendi sunt, vt veritatem dicant, non autem cogendi, nisi iudex intelligat eos aduersæ partis timore à testimonio ferendo impediri, quanquam secundùm humani juris rigorem indistinctè cogi possint.

SVMMARIVM.

1. *Quæ notoria sunt, non indigent probatione aut ordine iudiciario.*
2. *In causis ciuilibus testes ordinariè cogi possunt à iudice, seu superiore.*
3. *Recensentur exceptiones, secundùm æquitatem Canonicam recipitur excusatio testium, nec facilè coguntur, nisi cogat necessitas, aut malignè se à testimonio ferendo subtrahant.*
4. *Aliquæ personæ priuilegiatæ, vt valetudinarii, milites in expeditione, ordinariè non coguntur ad testimonium ferendum.*
5. *Volentes tamen admittuntur, inuitæ si cogantur, nullum est eorum testimonium, nisi id fiat in defectum aliorum, & veritas per alios haberi nequeat.*

6. *Iure*

6. *Jure Canonico priuilegiatus non cogitur testari, nisi ostendatur testimonium eius esse necessarium, secus est in non priuilegiato.*
7. *Priuilegiatus adhibitus testis in testamento, vel contractu, si circa illud lis oriatur, officium testis non potest declinare.*
8. *In causa criminali etiam laici testari non tenentur.*
9. *Subiunguntur aliquot limitationes.*

1 NOTA I. Quæ notoria sunt, non indigent probatione aut ordine judiciario. *c. Tua. 8. de cohabitat. Cleric. c. de manifesta. 17. causâ. 2. q. 1.* nec obstat, tametsi pars neget, si quidem vt *Abbas ait hîc*: negatio partis non inficit notorium, nec reddit rem dubiam. Procedunt autem hæc maximè in criminibus, sed in contractibus, alia ratio est, quia licet notorium sit, contractum præcessisse, tamen de formâ, qualitatibus, & requisitis ad obligationem plerumque aliquid latére potest, vt proinde pars negans seu contradicens intentionem actoris ad exceptiones admitti debeat, vti notauit *Innoc. cit. c. Tua. n. 9.*

2 Nota II. Testes priùs monendi sunt, vt testimonium ferant, sin autem recusent, tunc spectato jure Canonico cogi non debent, nisi se timore partis aduersæ subtrahant.

Sed vt quæstio plenè tractetur, num testis à judice cogi possit ad testificandum, Dico 1. In causis ciuilibus testes ordinariè cogi possunt à judice seu superiore ita DD. in *c. 10. hoc. tit.* nam id ob publicam necessitatem receptum est, ne veritas cum præiudicio partis celetur. *c. 2. causa. 14. q. 2.* accedit, quòd ferre testimonium sit vnum ex muneribus seu actibus publicis & necessariis. *argum. l. 1. ff. de testib.* & tradit *Gail. lib. 1. obseru. 100.*

3 Excipe 1. Secundùm æquitatem Canonicam recipitur excusatio testium, nec facilè coguntur, præterquam si eorum testimonium necessarium sit, quia alii rem non ita cognitam habent. *c. 2. hoc. tit.* aut si amore seu fauore vnius partis aut odio vel timore alterius partis se subtrahere velint. *c. 1. & penult. hoc tit.* id verò præsumendum est, si quis rogatus testari nolit, nisi excusationem afferat & ostendat secundùm *gl. in cit. c. 10. verb. timore. Panorm. ibid. n. 5. & 6.* vbi addit oriri præsumptionem doli seu malitiæ aduersùs testem, si testimonium ferre nolit, nisi ea præsumptio per aliam præsumptionem elidatur, vt si sit Religiosus, aut similis persona quæ judiciale juramentum facere veretur, imò vniuersim de Clericis dicitur in *c. Statutum. 38. causâ. 2. quæst. 6.* quòd ad testimonium judiciale compelli non debeant, intellige tamen, nisi eorum testimonium necessarium sit, vel nisi fauore, odio aut timore se subtrahant, vti limitat *Farin. q. 78. n. 6.* vbi monet, id non esse præsumendum, sed contra ipsos ostendendum.

Excipe 2. Aliquæ personæ sunt priuilegiatæ, quæ ad ferendum testimonium ordinariè non coguntur. *l. Inuiti 8. de testibus.* videlicet valetudinarii, milites in expeditione, qui reipublicæ aut aliâ causâ necessariâ absunt, vel aliter legitimè impediti sunt, quo minus accedere possint, de quibus *Farin. q. 78. cap. 2.* volentes tamen admittuntur, cùm nemo priuilegio suo vti cogatur, secundùm *gl. in cit. l. Inuiti. verb. non licet*, sin autem inuiti contra jus cogantur, testimonium eorum nullum est, teste *Ludou. Carerio in pract. crimin. de indiciis. §. vlt. n. 10. Farin. q. 78. n. 1.* 4

Præterea in defectum aliorum, siue si veritas per alios testes cognosci nequeat, tunc etiam priuilegiati coguntur secundùm *gl. cit.* & sumitur ex *c. 2. causa. 14. q. 2.* vbi similiter dicitur sacerdotes non esse cogendos ad testificandum in causâ ciuili, præterquam si veritas aliter cognosci nequeat, teste *gl. ibid. verb. occultetur.* aut si ostendatur, quòd malitiosè se subtrahat, videlicet odio vnius partis, aut timore, vel fauore, quamobrem inter personas priuilegiatas & non priuilegiatas discrimẽ est, spectato jure Canonico, quòd priuilegiatus non cogatur testari, nisi ostẽdatur testimoniũ eius necessariũ esse, ne alioquin jus partis periclitetur, 5

vel

vel ostendatur, quòd malitiosè se subtrahat; at verò non priuilegiatus, si munus testandi declinare velit, ostendere debet justam se recusandi causam habere, & testimonium eius necessarium non esse, quia per alios veritas cognosci possit. Denique secundam exceptionem limitant DD. apud *Farin. n. 118.* quòd priuilegiatus, si contractui aut testamento testis adhibitus sit, ac postea circa illud lis judicaria oriatur, quòd munus ferendi testimonii declinare nequeat.

6 **Dico 2.** In causâ criminali, quâ agitur ad pœnam publicam, testes etiam laici non coguntur testificari, ita colligitur ex *c. Penult. hoc. tit. juncta gl. verb. super. Imola n. 10.* & tradit *Inhoc. in c. 10. hoc tit. n. 2. Abbas. n. 6.* contra Hostiensem in summâ *hoc. tit. n. 2.* vbi tamen testatur communi opinioni adhærere curiam Romanam, ratio est, tum quia ex tali testimonio inimicitia & odium incurri potest, tum quia aliquo modo inhumanum est, ad pœnam hominis præsertim mortis aut mutilationis membrorum cooperari, quare secundùm canones irregularitas ex defectu lenitatis ex hâc causâ contrahitur, quare Clerici minus etiam, quàm laici ad ferendum testimonium in causâ huiusmodi criminali cogi debent, vti docui *lib. 3. Th. Mor. Tract. 3. p. 3. cap. 7. n. 2. & 3.* Idémque sentiendum de laicis, qui ad clericatum adspirant teste *Farin. q. 58. n. 202.*

Excipe 1. Si veritas aliter cognosci non potest, tum testes laici cogantur etiam in criminalibus esse testes, teste *Innoc. cit. n. 1. & ibid. Imolâ & Abbate n. 6.* & sumitur ex *c. Peruenit. 5. hoc tit.*

Excipe 2. Si testis laicus malitiosè se subtrahat, vel pars aduersa malitiosè impediat testis productionem, vti hîc notauit *Innoc.* & sumitur ex *hoc c.*

Porrò discrimen est inter causam ciuilem & criminalem; nam personæ non priuilegiatæ si à testimonio eximere se velint, ostendere debent se justam recusandi causam habere, & veritatem per alios cognosci posse, cum alioqui suspectas se redderent; & verò in causâ criminali præsumptio non est contra laicum testari recusantem, sed vt cogatur, ostendi debet, saltem coniecturis, quòd malitiosè se subtrahat, aut testimonium eius necessarium sit, vti hîc docet *Anton. & Imola. n. 5.* loquimur autem secundùm jus Canonicum, nam spectato jure ciuili, etiam in causâ criminali testes laici ordinariè coguntur. *argum. huius capituli* & tradit *gl. in l. Si quando. 19. verb. causis. C. de testib.* dummodò judex juridicè interroget testes de crimine non omninò occulto, sed cuius publicam aliquam notitiam accepit.

Excipe 3. Quòd ad testificandum de criminibus exceptis, aut in futurum perniciosis, indifferenter cogi possint laici; teste *Innocentio in c. 10. n. 5. Jo. Andreâ in c. Dilect. n. 9. Imola. n. 7. hoc tit.*

Excipe 4. Si de crimine agatur ciuiliter ad restitutionem seu damni compensationem, vel si agatur per modum denuntiationis charitatiuæ, aut Canonicæ ad peccatum impediendum, vel paternè puniendum, item ne indignus promoueatur ad prælaturam, vel dignitatem, aut vt ab eâ remoueatur, juxta ea, quæ docet *Innoc. in c. Cum contra. hoc tit. Farin. n. 155.*

Excipe 5. Si agatur de crimine non directè ad pœnam, sed per modum exceptionis ad repellendum v. g. actorem, vel testem, vti docet *Innoc. in cit. c. Cum contra, verb. sed nónne.* & alii apud *Farin. n. 163.*

Excipe vltimò: quòd in causâ criminali testis productus à Reo ad innocentiam eius ostendendam haud dubiè compelli possit ad veritatem dicendam.

CAPITVLVM IV.

Peruenit.

PARAPHRASIS.

Prior S. Laurentii cùm de Simoniâ & adulterio accusatus esset, quendam, qui ab accusatore in testem producendus erat, juramento astrinxit, ne contra ipsum deponeret, hoc intellecto, scribit Alexander III. cùm nemo suo aduersario subtrahe-

re

re debeat instrumenta, quorum appellatione testes etiam comprehenduntur & cùm tam is, qui aduersario instrumenta subripit, quàm is, qui aduersario parem aduocationis seu defensionis copiam subtrahit, iniquam se causam fouere ostendat, ideóque experiri debeat judicis à se auctoritatem elusam esse, ob hæc testem illum ad detegendam fraudem & calliditatem prioris, compelli debere, vt testificetur.

SVMMARIVM.

1. *Testis, qui denuntiato vel accusato jurat, quòd contra ipsum in causa criminali testari nolit, cogendus est.*
2. *Cautela judici in hac re obseruanda.*
3. *Nomine instrumentorum etiam testes comprehenduntur.*
4. *Aduersario suo copiam probationis, aut defensionis subtrahens, præsumitur iniquam causam fouere, & judicis authoritatem velle eludere.*

NOTA I. Testis qui denuntiato vel accusato jurat, quòd contra ipsum in causâ criminali testari nolit, cogendus est in odium accusati, vel denuntiati, ita *gl. hic. verb. juram.* vbi ait tale juramentum irritum esse, cùm sit contra bonos mores & publicam vtilitatem: consultum tamen est vt judex priùs declaret juramentum non valere, vel jurantem ad cautelam absoluat, ne videatur periurum ad acta testimonii admittere, ita vt minor fides eius dicto adhibenda sit, vti colligitur ex *c. vlt. juncta gl.* verb. *absoluas hoc. tit.*

Cœterùm non rectè tradit *gl. fin. hic.* testem in hoc casu compellendum esse testari duntaxat super fraude commissâ; non item super crimine principali. Contrarium enim rectè docet *Abbas. n. 2.* nam tunc efficaciter fraudis commentum detegetur, si insuper testis de crimine testificetur, vt appareat, quòd Reus criminis tegendi causâ malitiosè testem ad jurandum induxerit.

Nota II. Instrumenrorum nomine latè accepto etiam testes comprehenduntur, vt hîc & *l. 1. ff. de fide instrum.* nam instrumenta dicuntur probationes, quibus causa & judicis notitia instruitur cuiusmodi non tantùm sunt chartæ seu scripturæ authenticæ sed etiam testium dicta, propriè tamen ac strictè instrumenta pro scripturis tantùm accipiuntur, vti constat ex *c. Cùm dilectus. 9. de fide instrum.*

Nota III. Qui aduersario suo copiam probationis, aut defensionis subtrahit, iniquam se causam fouere ostendit (intellige secundùm præsumptionem) & judicis authoritatem eludere velle censetur, propterea quòd judex in causâ, vti oportet, instrui non possit, ita habetur in *l. Prouidendum. 7. de postulando.*

CAPITVLVM V.

Peruenit.

PARAPHRASIS.

Relatum fuit ad Alexandrum III. Quòd aliquando accidat, vt Clerico à laicis enormis iniuria inferatur multis præsentibus, & si læsus illos in judicium trahat, vt Reus, ipsíque negent facinus, qui vt præsentes in testimonium producuntur ferre recusent: mandat igitur Episcopo Segouiensi, vt ii, qui de rebus Ecclesiæ testari recusant, si aliter veritas cognosci non potest, per censuram compellantur.

SVMMARIVM.

1. *Iniuriam Clerico quo ad suam personam illatam à laico cognoscere potest etiam judex Ecclesiasticus.*
2. *Qui proinde testes ad testificandum necessarios compellere potest.*
3. *Secundùm forum Canonicum etiam in causa criminali testis cogitur testificari, si veritas aliter haberi nequeat.*

NOTA I. Si iniuria Clerico quoad personam eius inferatur à laico, tum judex etiam Ecclesiasticus cognoscere potest; 1

quia est species sacrilegii, ideóque crimen mixti fori, vti dixi in *c. Cùm sit. 8. de foro compet.* cùm Ordinarius sit judex causæ huius, consequenter etiam testes compellere potest ad testificandum, quatenus eorum testimonium necessarium est.

Nota II. Secundùm forum Canonicum etiam in causâ criminali testis cogitur testificari, si veritas aliter cognosci nequeat, vti docui suprà in *cit. c. 3.* & sumitur ex hoc c. cùm enim ex Pontifice quæsitum esset, num ii, qui commisso facinori præsentes fuerunt, si testificari nolint, cogi debeant, ipse generalem dat responsionem in rebus seu causis istis Ecclesiasticis, semper esse cogendos testes, si veritas aliter cognosci non possit, itaque hoc ordinariè verum est siue sit causa ciuilis, siue criminalis, & ita docent hîc *Imola*, *Abbas*, *Felin.* & alii.

CAPITVLVM VI.

Cæterùm.

Paraphrasis.

Dubitandum non est, quòd testis productus super consanguinitate testimonium ferre cogendus sit, si constet eum ex gratiâ odio vel timore, veritatem supprimere velle, cùm id tam jus scriptum approbet, quàm consuetudo actibus vtentium comprobata.

Svmmarivm.

1. *Qui testari recusat timore personæ à qua sibi malum inferendum metuit, ad testificandum cogendus.*
2. *Jus scriptum si consuetudine diuturnâ approbatum & confirmatum sit, magnam vim habet.*

1 Nota I. Testis secundùm forum Ecclesiasticum cogitur testificari, si constet eum vnius partis fauore vel alterius odio aut denique timore mali sustinendi veritatem occultare velle. Quòd verò in textu dicitur si de hoc constet, bene explicat gl. præsumptiuè, si enim causam non afferat probabilem testis, cur nolit testificari, tunc præsumptio est, quòd id agat veritatis supprimendę causâ propter affectionem aliquam.

Quæres: de quo timore sermo sit. Resp. de timore personæ, quæ testi malum irrogabit, si testimonium contra eam dixerit, huic enim malitiæ occurri debet, vt in tali casu testis compellatur. *argum. c. 4. hoc tit.* non autem sermo est de timore ac reuerentiâ juramenti, si persona pia, aut religiosa vereatur juramentum judiciale, non quòd jurare secundùm se illicitum arbitretur, sed quia æstimet rem sublimem ac tremendam esse, quòd homo in testimonium dicti Deum inuocet: quæ ratio spectatâ qualitate personæ, quandoque rationabilis censeri potest, vt ad jurandum non cogatur, si veritas per alios cognosci queat, vti *hîc Abbas* tradit.

Nota II. Si jus scriptum consuetudine diuturnâ approbatum & confirmatum sit, magnam vim habet, de hoc dixi in *lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. vlt. n. 3.*

CAPITVLVM VII.

Præterea.

Paraphrasis.

Si testes publici, qui Synodales quibusdam in locis vocantur, coram Ordinario, vel Capitulo super impedimento matrimonii testimonium protulerunt, & postea causa alicui judici delegetur, non debent coram eo iterùm adduci ad jurandum, nisi judex veritatem aliter cognoscere nequeat, vel nisi nouus articulus quæstionis emergat, & eiusmodi testes publici propter infamiam superuenientem ipsis, postquam in communi Synodo recepti, ac deputati sunt, à ferendo testimonio repelli possunt. Denique si testes isti in proferendo testimonio re non rectè consideratâ errauerint & in continenti corrigere velint, audiendi sunt, secus, si interuallum interceſſit.

Pro-

Pro intellectu sciendum, quòd in *c. Episcopus. 7. causâ. 35. q. 6.* decretũ est, vt Episcopus in Synodo septem viros ex plebe maturiores, honoratiores ac veraciores constituat, qui juramento se astringant, quòd quæcunque intellexerint in diœcesi fieri contra Dei voluntatem, & rectam christianitatem, si ad Episcopalem jurisdictionem pertineant, Episcopo fideliter ac syncerè denuntiare velint, quatenus ea cognita habent, cuiusmodi Synodales seu in Synodo constituti testes propriè non possunt censeri judiciales, cùm non jurent in præsentiâ partis, sed potiùs sunt denuntiatores & quidem publici seu ex publico officio obligati & jurati.

SVMMARIVM.

1. *Denuntiator publicus non debet adhiberi testis in judicio; si alius adsit, etsi agatur tantùm denuntiatiuè ad peccatum impediendum.*
2. *Si alii testes haberi nequeant, etiam denuntiator in testem adhibetur, maximè si sit officialis publicus.*
3. *Officialis hic in testem producendus iterum jurare debet de veritate dicenda.*
4. *Si testis in continenti suum dictum corrigat, audiendus est.*
5. *Vti etiam pars litigans, si suam confessionem in continenti reuocet.*
6. *Officiales publici, præsertim Ecclesiastico-rum Prælatorum, non debent esse infames, sed præ aliis honesti, veraces & justitiæ amantes.*
7. *Cathedrale capitulum quandoque causas Matrimoniales cognoscere potest. Et in quibus casibus.*

1 NOta I. Denuntiator publicus non debet adhiberi testis in judicio, si alii testes haberi possint, tametsi tantùm agatur denuntiatiuè ad impediendum peccatum: ratio est, nam denuntiator est, qui crimen defert ad judicem, ideóque quodammodo actor est, ideò non est conueniens, vt idem quoque sit testis.

2 Nota II. Si alii testes haberi non possint, tum etiam denũtiator in testem adhibetur, maximè si sit officialis publicus, vt in casu huius capituli: & docui in *c. Omni. 5. de testib.* necesse tamen est, vt talis officialis, cum in testem producitur, iterum juret de veritate dicendâ: ratio est, tum quia antè generatim jurauerat denuntiare fideliter, quæ nouit; jam autem specialiter jurat super hoc facto; specialis autem promissio seu obligatio plus constringere censetur, quàm generalis, tum quia tametsi ponamus quòd specialiter jurâsset coram Ordinario vera esse, quæ denuntiat, tamen juramentum editum non est præsente parte, & ordinariè loquendo, id alienum à jure censetur, vt probationes judiciales in ordine ad condemnandum reum accipiantur, priusquam is citatus & processus contra eum cœptus sit, videri possunt DD. in *l. Eâ. 7. de accusat.*

3 Nota III. Si testis in continenti, seu antequam ad alia negotia se transferat, seu ex conspectu judicis abeat, suum dictum corrigat, eius correctio seu erroris reuocatio admitti debet, secus si per interuallum; quanquam in hac re etiam multum tribui debet judicis arbitrio, vt non tantùm ad temporis continuitatem aut interiectionem attendat, sed etiam circumstantias personarum & modum reuocationis, vt intelligere possit judex, num reuocando testis vacillet, necnè, vti *Innoc. hic notat. Abbas. n. 12. & Felinus. eod. n.*

4 Porrò sicuti testis in continenti errorem suum reuocare potest, ita etiam pars litigans suam confessionem, sicuti allegato hoc textu docet *gl. in c. Apud. 10. verb. reuertatur, causâ 32. q. 1. Abbas. hic. n. 9.* vbi rectè monet, si testis, aut pars litigans dictum, vel confessionem suam in continenti reuocet, & alia contra eum præsumptio mentis vacillantis non sit, credendum ipsi esse, tametsi erroris causam nullam afferat, alioquin ista reuocatio non differret ab eâ, quæ fit per interuallum, quandoquidem & talis reuocatio, si probabili erroris ratione nixa sit, acceptatur, antequam

quam sententia, quæ in rem judicatam transeat, lata sit, vti constat ex *c. vlt. de confessis.* vbi id docui etiam ex *l. Error. 7. de juris & facti ignorantiâ.* & videri potest *c. 3. juncta gloss. verb. justa. de jure jurando in 6.*

6 Nota IV. Officiales publici præsertim Ecclesiasticorum Prælatorum, non debent esse infames, sed præ aliis honesti, veraces & justitiæ amantes, vt ex *hoc. c. Colligitur.* & ex *cit. c. Episcopus.*

7 Nota V. Cathedrale capitulum causas quandoque matrimoniales cognoscere potest, videlicet Sede Apostolicâ vacante, vel si diuturnâ consuetudine talem cognoscendi facultatem cum bonâ fide vsuceperit, secundùm *gl. in c. Literas. 13. verb. intua. de restitut. spoliat.*

CAPITVLVM VIII.

Super his.

Paraphrasis.

Contra electum Episcopum Lucanum quidam Canonici se opposuerunt obiicientes ei crimina, & super hoc literas ad Pontificem tanquam à maiore parte capituli destinatas miserunt, super his Innoc. III. quibusdam commisit inquisitionem adiiciens, vt testes, qui producti fuerint, compellant dicere veritatem.

Svmmarivm.

2. Testes compelli possunt, vt testentur, si de crimine ciuiliter, vel per modum inquisitionis agatur.

Not. Vnicum. Testes compelli possunt ad testificandum, si de crimine agatur ciuiliter seu per modum inquisitionis, ne indignus ad Prælaturam promoueatur, vti docui in *c. 3. assert. 2. except. 3. hoc. tit.*

CAPITVLVM IX.

Cùm contra.

Paraphrasis.

Magister Rudolphus dicebatur falsas literas à Sede Apostolicâ reportâsse, iisque per sese, vel procuratorem vsum fuisse; quærebatur, num testes producti super hoc crimine falsi, cogi debeant ad testificandum. Respondet Innoc. III. si se gratiâ, odio, aut timore subtraxerint, per censuram Ecclesiasticam compellendos esse.

Hoc Cap. Non Svmmatvr.

Not. Vnic. Si testis productus malitiosè se subtrahere, vel pars aduersa testificationem malitiosè impedire velit, tum ille cogi potest ad testificandum etiam in causâ criminali, id tamen solùm intelligi debet de teste laico, si tale crimen sit, vt pœnâ sanguinis puniri soleat, & non sit pernicioſum in futurum, seu exceptum.

CAPITULUM X.

Dilectorum.

Paraphrasis.

Capitulum Ecclesiæ Vulturanæ & Episcopus Vulturanus per procuratores litigabant coram judicibus ab Honorio III. delegatis, quibus hîc respondet Papa, vt testes præterquam super criminibus (si se gratiâ, odio vel timore subtrahant) per censuram Ecclesiasticam cogant ad veritatem dicendam.

Hoc C. Non Svmmatvr.

Not. Vnic. In causâ ciuili testis plerumque cogi potest ad testificandum, quia videtur se gratiâ, odio vel timore subtrahere, at verò in causâ criminali talis præsumptio non est, ita arbitror intelligendum hoc capitulum, vt cum reliquis juribus consentiat.

CAP.

CAPITVLVM VLTIMVM.

Venerabilis.

PARAPHRASIS.

Cervicenſes cives cum duobus Clericis Ravennatenſis Eccleſiæ coniurauerunt contra Archiepiſcopum Ravennatenſem, dantes ipſis pecuniam, & jurare facientes ad hoc celandum; poſteà Archiepiſcopus ſuper hâc re litteras à ſede Apoſtolicâ impetrauit ad judices delegatos, coram quibus cùm intentionem ſuam probare non poſſet, niſi per ciues, qui dictum juramẽtum ediderant, ideò ne ob teſtium defectum juſtitia cauſæ pereat, petiuit ab Honorio III. prouideri. quare is ſcribit ad judices illos, vt præviâ monitione per cenſuram compellant eos, quos compellendos putauerint ad abſoluendos teſtes à juramento præſtito, ac deinde teſtes ipſos, ſi gratiâ, odio, vel timore ſe ſubtraxerint, ſimiliter per cenſuram cogant ad ferendum teſtimonium.

SVMMARIVM.

1. *Coniurantes contra Epiſcopum accuſari poſſunt tanquam de graui crimine.*
2. *Jurans ſe non dicturum teſtimonium in judicio, id ſi poſtea neceſſarium ſit, jurans priùs ad cautelam à juramento eſt abſoluendus.*

NOt. I. Si qui contra Epiſcopum coniurationem ſeu cõſpirationem faciant, de hoc tanquam graui crimine accuſari poſſunt, quâ de re vide *c. Coniurat: 21. & ſeq. cauſâ 9. q. 1. gl. hîc.* verb. *Coniurat. Abbatem & Felin. n. 2.* 1

Not. II. Qui jurauit ſe teſtimimonium non dicturum in judicio, ſi poſtea eius teſtimonium neceſſarium ſit, abſoluendus eſt priùs à juramento ad cautelam, & maiorem ſecuritatem, vti *hîc gl. tradit. verb. Iuramento.* & dixi *in cap. 4. hoc tit.* 2

TITVLVS XXII.
DE FIDE INSTRUMENTORUM.

POſtquam de præcipuâ ſpecie probationis actum eſt, quæ fit per teſtes, ſequitur, vt de altero probandi modo agatur, videlicet per inſtrumenta, id eſt, ſcripturas publicas, & priuatas, quibus res geſta, & in judicium deducta oſtendi poteſt.

CAPITVLVM I.

Si Scripturam.

PARAPHRASIS.

Exemplo ſeu tranſcripto non creditur niſi originale, vel authentica ſcriptura exhibeatur, aut de eâ fides fiat.

SVMMARIVM.

1. *Scriptura alia publica, alia priuata. Publica eſt, quæ manu Notarij legitimè confecta eſt.*
2. *Solennitates recenſentur, quæ in tali publica Scriptura adhiberi ſolent.*
3. *Scriptura publica quandóque appellari ſolet quæ apud acta publica judicii confecta eſt. & hæc etiam authentica eſt, modò raſura, vel alius defectus fraudis ſuſpicionem non moueat.*
4. *Scriptura priuata alia eſt authentica, alia non authentica. quid vtraque ſit, & qua requiſita.*
5. *Exemplum ſeu tranſcriptum nihil probat abſque originali, niſi per manum Notarij, aliáque ſufficientia teſtimonia ei fides fiat.*

INprimis advertendum, quòd Scriptura alia publica ſit, alia priuata, Scriptura publica eſt; quæ manu Notarij legitimè confecta eſt, ſolennitates autem, quas Notarij in conficiendis inſtrumẽtis adhibere ſolent, enumerat *Dur. in ſpeculo lib. 2. p. 2. de inſtrum. editione. §. 2. & 4. Abbas & Felin. hîc.* videlicet 1

vt exordium fiat per invocationem nominis domini; ponatur incarnationis Christi an-
2 nus, mensis, dies, indictio. item nomen, & annus regnantis principis, locus, in quo res acta est, videlicet contractus emptionis, vel donatio facta inter partes per expressum consensum, vel debiti solutio facta per realem pecuniæ numerationem coram Notario, & testibus, vt Notarius nomen suum exprimat, & quòd rogatus fuerit ab eo, vel iis, ex quorum consensu actus dependet: quòd etiam testes minimum duo vocati ac præsentes fuerint actui, quorum nomina instrumento inseri debent; subscriptio tamen eorum non requiritur, sicuti nec partium contrahentium, siue eorum, inter quos res gesta est. Præterea scriptura coram partibus legi debet, atque solenne Notarij signum apponi, non quòd hæc omnia ad substantiã scripturæ publicæ requirantur secundùm rigorem, sed quòd omnia per consuetudinem adhiberi soleant, vt si aliquid prætermittatur, suspicio fraudis inde oriri possit.

3 Insuper scriptura publica appellari quandóque solet, quæ apud acta publica judicii confecta est, est autem communis scriptura publica etiam authentica seu autoritatem habens, dummodo non appareat in ea rasura vel alius defectus fraudis suspicionem generans, sed nõ vice versa omnis scriptura authentica publica est, vt mox apparebit, quamuis *Innoc. hîc n. 2. Durand. eu. tit.* §. 7. latiùs nomen scripturæ publicæ accipiant, vt idem sit, quod authentica.

4 Alia itaque est priuata scriptura, quæ dividitur in authenticam & non authenticam, scriptura priuata authentica est, quæ sigillo aut subscriptione eoq; recognito & approbato, vel alio legitimo modo munita est, vt fidem jure mereatur, licet publica persona non intervenerit, vti hic *Abbas docet n. 2.* sed & id in Germania consuetum est, vt litteræ de contractu testantes per medium circumflexæ, incisæ, & dimidiatis partibus traditæ vtriuis contrahentium parti fidem faciant, si coniunctæ litteras rectas & ordinatas reddant, vulgò Spaltzettel. Scriptura autem priuata non authentica est, quæ nec testiũ subscriptione, recognitione, aliisque argumentis sufficienter probata est, *vt dicetur cap. seq.*

Not. vn. Exemplum seu transcriptum nihil probat absque originali exemplari, nisi per manum Notarij, aliáve sufficientia testimonia exemplo fides fiat, videri potest *Durand.* §. 3. §

CAPITVLVM II.

Scripta.

PARAPHRASIS.

Si Scriptura aliqua in judicio exhibeatur per testium subscriptionem munita, qui mortui sunt, non censeri debet alicuius firmitatis, nisi manu Notarij confecta sit, vel sigillum authenticum habeat, per quod probari possit.

SVMMARIVM.

1. *Scriptura publica seu Notarij manu confecta manet authentica, etsi inscripti testes cum Notario mortui sint, non item priuata, nisi alio modo, scilicet per sigilla, alios testes &c. probari possit.*
2. *Priuata scriptura agnita probat contra scribentem, non autem pro ipso vel in præiudicium alterius, nisi aliis adminiculis fulsa sit.*

   Neque contra scribentem probabit, nisi causa debendi adiecta sit, v. g. ex mutuo, deposito &c.
3. *Testes produci possunt ad probationem scripturæ, vel in ordine ad contenta, vel ad ipsam præcisè scripturam.*

   Si primo modo, duo testes sufficiunt, & plenè probant. Si secundo, non satis est vt affirment scriptionem &c. esse Titij, sed dicere insuper debent, se præsentes fuisse, cùm Titius hoc scriberet &c.
4. *Tria adminicula, quibus scriptura contra scribentem, si neget, recognosci, & probari debeat aut possit.*
5. *An omnia tria vel duo requirantur, an verò vnum sufficiat; variant DD.*
6. *Placet Authori sententia Menochij rem arbitrio judicis esse committendam.*

7. Scri-

7. *Scriptura priuata testium sigillo, subscriptione vel alio adminiculo non suffulta, nihil probat. afferunt tamen aliquam coniecturam, si absit fraudis suspicio.*
8. *Maiorem illa authoritatem habet, si vetustate temporis sit roborata, subscripto nomine Titij v.g. & appresso sigillo.*
9. *Libri mercatorum probant contra scribentem, & aliqualiter etiam pro ipso.*
10. *Consuetudo non est improbanda, si Episcopus v.g. Officiali committat sigillum, quo vtatur in negotiis authoritate illius.*

1 NOt. I. Inter scripturam publicam seu Notarij manu confectam & scripturã priuatam hoc discrimen est, quòd illa authentica maneat, fidémq; firmiter faciat, tãetsi inscripti testes, ipséq; Notarius mortui sint. *c. penult. hoc tit.* at verò scriptura priuata desinit esse authentica, si testes mortui sint. Præterquam si alio modo videlicet per sigilla, alios testes, litterarum comparationẽ &c. probari possit. Ratio discriminis est, quia instrumentum manu Notarij cum debitis solennitatibus confectum, publicam ex jure authoritatem habet, non item priuata scriptura.

2 Pro intellectu nota 1. nos loqui in casu si quis scripturam v.g. syngrapham aut apocham neget, dicatq; esse supposititiam; tunè enim probari debet modo aliquo ex infrà ponendis; sin autem agnoscatur à scribente, tum aliâ probatione opus non est. quare dicunt DD. si priuata scriptura agnita sit, quòd probet contra scribentem v.g. si Titius chirographo seu syngraphâ confiteatur se debitorem Caij ex mutuo, non autem probet scripturâ in alterius præiudicium, nisi aliis adminiculis fulta sit. *l. Instrum. 8. C. de prob. l. Publia. 25. ff. depositi.* non item probet scriptura pro scribente, vt si in creditoris rationibus reperiatur, quòd Caius ipsi debeat 100. florenos. *l. Rationes 6. & seqq. C. de probat.* sed neque contra ipsum scribentem scriptura probabit, nisi causa debendi adiecta sit videlicet ex mutuo, depositio &c. *vti gl. docet recepta.*

3 2. Advertendum est pro intellectu notandi, testes dupliciter produci posse ad probationem scripturæ 1. in ordine ad contenta, si deponant contractũ v.g. eo modo, quo in scriptura narratur, celebratum esse à partibus, & hoc casu duo testes sufficiunt & plenè probant, vt omnes fatentur, & legi potest *Couarruvias in pract. quastion. cap. 22.* 2. in ordine ad ipsam præcisè scripturam, interdũ enim contrahentes nolunt suam conventionem aliis revelare, sed manu suâ, vel ex mandato suo scriptæ chartæ ipsi subscriptionem in præsentia testium apponunt, plerumque testes etiam subscribere jubent, & quandóque sigillum apponere.

4 3. Advertendum, in posteriore isto casu, vt testes censeantur recognoscere scripturã, subscriptionem, aut sigillum, non satis est, si affirment esse hanc subscriptionẽ, scriptionem aut sigillum Titij contrahentis, sed dicere debent se præsentes fuisse, cùm Titius hoc scriberet, subscriberet, aut signaret, sicuti ex communi *Couarr. notat loc. cit.*

5 4. Advertendum pro intellectu primi notandi, tria sunt adminicula, quibus scriptura contra scribentem, si eam neget, recognosci & probari debeat, aut possit.

1. Si testes quicunque fide digni recognoscant scripturam, id est, testentur se præsentes fuisse, cùm pars, quæ iam negat, scriberet, aut scripto subscriberet, quod ideò addo, quia scribere & subscribere pro æquivalentibus habentur, ita vt si pars manu suâ scripsit instrumentum, opus non sit eiusdem subscriptione, vti *Felin. hic notat n. 1. Menoch. casu 114.*

Alterum, si testes, qui ex partium voluntate subscripserunt, recognoscant suam scripturam.

3. Denique, si scriptura cum eiusdem authoris confessis, vel approbatis, seu authentieis scripturis comparata similitudinem gerat, eadémque intelligi etiam debeat de recognitione sigilli.

6 His positis dissentiunt DD. vtrùm omnia duo, an tria requirantur ad recognitionem, an verò vnicum eorum sufficiat. *Bart. in l. Admonendi. d. 1. de jureiur. Abbas hîc n. 3.* aiunt, si sola partium subscriptio, vel sola testium subscriptio recognoscatur, vel sola litte-

litterarum comparatio justificetur, fieri probationem semiplenam, non plenam; sin autem duo ex his coniuncta sint, elici plenam probationem, ratio datur, quia procliue est in agnoscendâ scripturâ etiam propriâ errare propter similitudinem & imitationem, quam aliqui callidè nõrunt, aliqui verò existimant sufficere, si testes subscripti recognoscant subscriptiones. *Glos. hîc. verb. Authentica. Couarr. cit. cap. 22. num. 4.* similiter *Mascard. conclus. 110. num. 9.* docet sufficere, si tres testes recognoscant partium subscriptionem, aut scriptionem, cui præsentes fuerint, immò aliqui existimant duorum testium recognitionem sufficere apud *Mascard. n. 3.* neque obstat *l. Scripturas, 1. eod. qui potiores in pignore.* nam ea loquitur in casu speciali, si aliquis contra publicum instrumentum, in quo ædes v. g. hipothecæ nomine obligatæ sunt, afferat priuatam scripturam, ex quâ priorem tempore hipothecam obtineat, tunc publicum instrumentum præfertur scripturæ priuatæ, nisi trium testium masculorum vitæ probatæ subscriptionem habeat, quæ lex cùm exorbitans sit, non debet ad casus alios extendi, ne in hoc quidem, quòd masculi requirantur, vti *Felin. hic vult, num. 4. quamuis & in hoc DD. dissentiant.*

7 Mihi placet sententia *Menochij cit. casu 114 n 7.* judicis arbitrio committendum id esse, num qualitate causæ, personarum, aliisque circumstantiis diligenter perpensis, sola comparatio scripturæ priuatæ, cum aliis eiusdem authoris authenticis scripturis sufficere debeat ad probationem integram, idque colligitur ex *auth. at si contractus. C. de fide instrum.* vbi præter litterarum comparationem aliud argumentum necessarium esse dicitur, si debitum auri libram excedat. idque propter grauitatem causæ, ergo argumento per sensum contrarium, si causa tam grauis non sit, quandóque sufficiet sola comparatio. & idem similiter dicendum est de testium recognitione, sicut expressè docet *Bartol. cit. art. 1.* vbi denique traditam suam doctrinam restringit, judicis arbitrio rem relinquens, quando ait: dico tamen, quòd posset esse tanta fides testium, vel tanta vis comparationis litterarum, vt ei daretur plena fides.

Addunt *Bart. & Menoch.* si testes deponant de scriptura scriptâ à Titio ipsis præsentibus, sed comparatio scripturarum repugnare videatur, ad judicis arbitrium pertinere, in quam partem inclinare debeat, vel rem in dubio relinquere. Id quoque plerique monent apud *Menoch. n. 11.* si de scriptura dubitetur, num à Titio scripta sit, cogi eum posse à judice, vt litteras in chartâ efformet, quo seu certo, seu verisimiliter deprehendi queat, num eius illa scriptura sit.

Not. II. Scriptura priuata, quæ testium 8
sigillo, subscriptione vel alio adminiculo suffulta non est, nihil probat, quamuis indicium aliquod seu coniecturam afferat, si aliunde fraudis suspicio nulla sit, ita sumitur ex *l. Instrumenta. 5. Cod. de prob.* & tradunt *DD. hic communiter.*

Limitari debet 1. Si scriptura, cui nomen 9
Titij subscriptum, vel sigillum impressum est, sit antiqua, tunc maiorem authoritatem habet, vti *Felin. hîc monet num. 10. Mascard. concl. 11. n. 6.*

2. Libri mercatorum non tantùm probant contra scribentes, sed æqualiter etiam boni viri arbitrio pro scribente, si in republicâ approbati sint, teste *Bart. in l. Admonendi. n. 77. Abbate hîc. n. 9.*

Vnicum addo: consuetudinem eam im- 10
probari non posse, si Episcopus v. g. committat Officiali sigillum, quo in contractibus, aliisque negotiis authoritate illius vtatur, est enim talis Procurator ad negotia cum generali mandato constitutus.

Illud verò securum non esse putat *Innoc. hîc. n. 4.* si chartæ vacuæ dentur officiali obsignatæ, vt pro occasione negotij postea formetur & scribatur contractus, aliáque dispositio, nam sigillum debet apponi ad confirmationem rei, igitur supponitur rem esse, videlicet contractum aut dispositionem, quæ confirmari debeat, quòd enim non est, non confirmatur. Potest tamen defendi consuetudo, si dicatur appo-

sitio-

sitionem hanc sigillorum ad chartas vacuas aliud non significare, quàm commissam generalem potestatem negotium vnum vel plura nomine alterius gerendi, dummodò tales causæ sint, vt per alium expediri possint, id tamen omninò cavendum, ne officialis diem & locum alibi scribat in chartâ, perinde ac si scriptura facta esset tempore & loco appositi sigilli, hæc enim est falsitas.

CAPITULUM III.

Ex litteris.

PARAPHRASIS.

Causam, quæ inter A. & R. vertebatur, Alexander III. judicibus delegauerat. coram his comparens R. petiit sibi rescriptum commissionis Apostolicæ exhiberi, quod cùm inspexisset, volebat falsitatis arguere propter rasuram, quæ in narratione facti apparebat; ad hæc respondet Papa propter eam rasuram litteras falsas, aut suspectas censeri non posse, cùm & litteræ priuilegiorum in nominibus possessionum quandóque radantur, & litteræ, si in facti narratione erratum sit, indubitatè corrigi possint per rasuram.

SVMMARIVM.

1. *Rasura non vitiat rescriptum, priuilegium aut instrumentum, si sit in loco non substantiali, seu non suspecto: & quis dicatur locus non substantialis, & non suspectus.*
2. *Subiunguntur aliquot limitationes.*
3. *Rasura in rescripto ad lites minùs suspecta est, quam in rescripto gratiæ seu priuilegio.*
4. *Errorem scriptoris in rescripto vel Instrumento impetrans corrigere non potest.*

1 NOt. I. Rasura non vitiat rescriptum, priuilegium, aut instrumentum, si sit in loco substantiali seu non suspecto. ita sumitur ex hoc capitulo, & docet *glossa recepta in cap. Cùm olim. 14. verb. Rasuras. de priuileg.* Dicitur autem locus non substantialis & non suspectus, quando sine eo intelligitur & subsistit res, quæ rescripto priuilegio aut instrumento intenditur. Hinc autem regulam oppositam inferre debemus, quòd rasura in loco scripturæ substantiali seu suspecto vitiat scripturam, priuilegium, instrumentum, vti habetur *in c. Venerabilis. 4. iuncta gl. verb. Propter. & l. vlt. vbi Bart. & alij.*

Limit. 1. Si ex antecedentibus & consequentibus appareat, ita legendum esse, sicuti rasura, aut vox superscripta indicat, tunc præsumitur scriptorem correxisse errorem suum; vti docet *gl. fin. in cit. cap. Venerabilis. Mascard. conclus. 1254. n. 19.* 2

Admonent verò DD. si Notarius in instrumento quidpiam rasit, aut verbum super lineam, vel ad marginem adscripsit, vt de eo mentionem faciat ad finem instrumenti, si sit mutatio substantialis, ne alioquin existimetur mutationem ab alio factam esse, vel ab ipso Notario post absolutam confectionem instrumenti, ita *Abbas hic. n. 3. Mascard. n. 27.*

Limit. 2. Si rescriptum, aut priuilegium contineat plura capitula non connexa, rasura substantialis facta in vno capitulo, alia capitula, si suspicione falsi careant, vitiare non debet, teste *Abbate hîc vers. vlt. Quæro. Felin. num. 15. argum. l. Proximè ff. de his, quæ in testamento delentur.* nam vtile per inutile vitiari non debet, *reg. 37. in 6.* Alia ratio est de teste, cuius si vnum dictum falsitatis arguatur, etiam alia eius dicta infirma censentur; eò quòd sint professa à periuro. 3

Limit. 3. Si instrumentum penes adversarium fuerit, &, cùm illud exhibere jubetur, rasum appareat; præsumitur ab eo, penes quem fuit, vitiatum, vti docet *Mascard. num. 17.* opus tamen hic est judicis arbitrio. 4

4. Si per alias scripturas authenticas pars rasa instrumenti intelligi, eiúsque verus & originalis sensus deprehendi possit, vti docet *Abbas hîc n. 4. Mascard. n. 21. Felin. num. 14.* 5

5. Rasura, vel inductio non obstat in 6

loco testamenti, quo libertas concessa est, *cit. l. Proximè. §. vlt.* idque fauore libertatis. & docet ibi *Bart. & alij, Felin. hic. num. 16.* idem locum habere in aliis dispositionibus favorabilibus, videlicet in legatis ad piam causam, vt litura, vel inductio obesse non debeat; id verò intelligitur, si dubium sit de voluntate defuncti, tunc, quod benignius est, præferendum fore; si autem certò, aut valde probabiliter constet non fuisse voluntatem vltimam defuncti, vt libertas seruo, aut legatum causæ piæ concedatur, tum cessat præsumptio juris. teste *gl. in cit. l. verb. Induxit.*

3 Not. II. Rasura in rescripto ad lites minùs suspecta est, quàm in rescripto gratiæ seu priuilegio, ita sumitur ex hoc *cap. Et. c. vlt. de crim. falsi.* ratio est, quia rescriptum ad lites seu justitiæ facilè conceditur.

4 Quæritur, si rescriptum, aut instrumentum scriptoris errorem contineat, num eum impetrans corrigere possit. Videtur affirmandum, quia errorem corrigere bonum, & rectum est, & in nullius damnum cedit, sed contrarium ex communi rectè docet *Abbas n. 3.* quia id legibus ac consuetudine gentium ob publicum bonum justè prohibitum est, ne quis in litteris publicis quidpiam radat, mutet, aut deleat, cùm ea quæ à publicâ potestate procedunt, à priuato attingi non debeant, propter errandi falsandivè periculum, & eadem fermè ratio est, si sit scriptura priuata, sed communis cum altero, aut saltem propter præiudicium eius ad ipsum etiam pertinens, vt sine ipsius voluntate nulla mutatio fiat.

CAPITVLVM IV.

Accepimus.

Paraphrasis.

Controuersia erat inter Archiepiscopum Cantuariensem & monasterium S. Augustini super exemptione; monasterium se tuebatur priuilegio Apostolico, sed Archiepiscopus illud falsitatis arguebat, eâq; prætensione monasterium ad subiectionem cõpellebat, tum respondit Alex. III, cum priuilegia non inspecta falsitatis argui non possint, difficilè autem & periculosum sit ea Romam transmitti, ideò exhibenda esse Archiepiscopo in claustro monasterij, vel alio secuto loco vsque ad natiuitatem S. Ioannis; sin autem Archiepiscopus per se vel alium idoneum non advenerit, deinceps non audiatur, si priuilegium falsitatis arguere velit; interim verò priuilegij valor in possessione maneat, & sententia, quæ secundùm priuilegium jam lata est inviolabiliter observetur, porrò si Archiepiscopus ad monasterium priuilegij inspiciendi causa accesserit, plures, quàm duodecim personas secum non afferat.

Svmmarivm.

1. *Priuilegium aut Instrumõtum vt transmittatur, non est consultum nec securum, in casu autem, quo de eo dubitetur, quid agendum.*
2. *In casu quo quis priuilegium falsitatis arguat, quod sit officium judicis.*
3. *Negligentia Prælati in judicialibus obest Ecclesiæ, quæ tamen si læsa sit, fruitur beneficio restitutionis in integrum.*
4. *Si arguens Priuilegium falsitatis illud lacerâsset, An priuilegiarius causam contra arguentem obtineret, & frui suo priuilegio posset.*

NOt. I. Securum non esse, neque consultum, vt priuilegium, aut instrumentum transmittatur, sed si de eius tenore dubitetur, vel in loco, vbi asseruatur, alióve securo inspiciendum tradi debet, vel exemplari. 1

Not. II. *Si* quis priuilegium alterius falsitatis arguat, judex statuet ei terminum temporis, inter quem compareat ad inspiciendum & convincendum, si non venerit, fertur sententia pro priuilegio, quemadmodum id ipsum fieri solet, si quis alterum infamet v.g. si dicat illegitimè natum, vt statuatur ei tempus ad probandum defectum, 2

vel

vel crimen, si non venerit, imponitur ei silentium perpetuum, ne in posterum infamet. *l. Diffamari. 5. C. De ingenuis*, est enim & hæc priuilegij de falsitate coarguitio species quædam diffamationis, vti docet *Bart. in l. Titia. ff. de accus. Anton. & Abbas hîc. n. 3.* & ita habemus casum, in quo sententia ferri potest contra absentem, lite non contestatâ.

3 Quæritur 1. Num sententia ista, si post culpabilem absentiam lata sit contra Archiepiscopum, etiam ad successores transeat, videtur negandum, quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare. *reg. 76. in 6. cap. 3.* sed contrarium est verum, quia vt glossa dicit *in cit. reg. Abb. in cap. 1. De dolo. Felin. hic. num. 6.* negligentia Prælati in judicialibus obest Ecclesiæ, conceditur tamen ei, si læsa sit restitutio in integrum *c. 3. de in integrum. restitut.*

4 Quæritur 2. Si Archiepiscopus lacerâsset priuilegium, num monasterium obtinere debuisset exemptionem cõtra Ecclesiam Cantuariensem. affirmandum cum Abbate hîc, idque ex pluribus capitulis. Ostenditur 1. Propter antecedentem sententiam, pro quâ est juris præsumptio, donec legitima exceptio, quæ etiam post latam sententiam opponi potest (videlicet instrumentum fuisse falsum & suppositititium) ostendatur, in hoc autem casu, vt ponimus, ostendi non poterit instrumenti falsitas, si laceratum sit vel abiectum.

2. Melior in dubio debet esse conditio possidentis, ponimus autem monasterium esse in possessione exemptionis, igitur tametsi pro eo sententia lata non sit, tamen præsumptio est, donec contrarium ostendatur, quare interim etiam possessione priuari non potest, nec quidquam ei ab Episcopo tanquam subiecto imperari, alioquin competeret interdictum possessionis retinendæ, vti *Felin. hîc docet n. 11. Dominic. §. vlt. in 6. Innoc. & Abbas in c, Venerabilis. n. 3. de censibus.*

3. Quia subtracta est parti copia probationis, igitur perinde censeri debet, ac si plenè probatum sit, prout existimat hîc *Abbas n. 5.* Sed hæc ratio difficultatem habet, quia licet verissima sit in causâ priuatâ, si v. g. Titius subtrahat, laceret, aut igni iniiciat instrumentum, quòd plena contra ipsum probatio adesse censeatur, iuxta *l. Si de possessione 20. de prob. vbi Bart.* ait, probare furtum instrumentorum suorum, est sufficiens probatio contra furem, hæc tamen doctrina locum habere non videtur in casu nostro, quo agitur de juribus Ecclesiæ; obstat enim regula, quòd delictum personæ (maximè si in commissione sit extrajudiciale) Ecclesiæ obesse non debet, quare dicendum, quòd in hoc casu Ecclesia admittenda sit, si ex alio capite ostendere velit subiectionem monasterij, aut falsitatem instrumenti v. g. per testes.

CAPITVLVM V.

Contingit.

Paraphrasis.

Abbas & Conventus S. Secundi questi sunt Cælestino III. interdum contingere, vt si litem habeant cum aliquo, priuilegium suum exhibere cogantur adversario, atq; ita occasione vnius capituli plura noua litigia consequi. Adhæc respondit Papa, si requisiti fuerint super exhibendo priuilegio, indulgentiâ, vel instrumento, vt in præsentia judicis, aliorúmve prudentum virorum ab ipso deputatorum tantummodò recitari faciant, seu prælegi, ita vt si de vno tantùm priuilegij capitulo quæstio sit, illud duntaxat, describatur, & parti adversariæ tradatur.

Svmmarivm.

1. *Instrumentum vel priuilegium, quod quis coram judice allegat, totum adversario legi debet: sed solum illud capitulum edi debet, super quo controuersia est, vel ex quo ea dependet.*
2. *Ratio redditur prædictæ constitutionis Pontificiæ.*
3. *Edere cogitur priuilegium aut instrumentum Actor & Reus, si ille agendo, & hic excei-*

extipiendo fundet intentionem super eo.
4. Casus ponitur, quo totum priuilegium vel Instrumentum edi debet.

1 NOt. I. Si pars litigans in causæ suæ instructionem aut defensionem, priuilegium, indulgentiam, aut instrumentum alleget, non cogitur illud ponere apud acta judicii, sed permittere tantùm, vt præsente adversario totum legatur, illud autem capitulum, super quo controversia est, seu ex quo ea dependet, describatur, & copia parti adversariæ tradatur, ita etiam habetur in *cit. cap. Cùm persona, & explicat ibi gl. verb. Integraliter.*

Pro intellectu in primis adverte, quòd aliud est edere instrumentum, & aliud prælegere, nam edere est describendi copiam facere, seu exemplum inde sumendi. *l. 1. §. edere. ff. de edendo.* Sin autem prælegatur tantùm instrumentum, tum audiens plenam inde notitiam fermè non accipit, vti docet *glossa, & Francus cit. cap. Cùm persona. Abbas & Felin. c. Vltra, de test.* vbi aiunt, eum qui tantùm legi audiuit dicta testium, non plenè ea didicisse.

2 Sed hanc rationem non arbitror esse principalem, cur instrumenta non edantur, sed tantùm prælegantur adversario; quandoquidem ex solâ lectione sufficientem plerumque notitiam capere posset, cùm etiam assessores & consiliarij in curiis principum sententiam dicere soleant vno tantùm legente, aut referente instrumenta, aliásque probationum partes. Alia itaque causa reddi debet, ne adversarius, vel alij si copiam priuilegij consequantur, noua litigia exsuscitent, ideò non cogitur aliquis priuilegium edere, nisi causa, de quâ lis est, id postulet; sola autem prælectio non potest dare ansam novæ litis, cùm adversarius nihil producere possit, Reus autem contra quem agitur, instrumenta propria edere non cogatur.

3 Adverte 2. Si vel Actor agendo vel Reus excipiendo fundet intentionem super priuilegio, aut instrumento sibi proprio, tum judicis officio cogi potest, vt illud in originali exhibeat. *l. 1. §. edenda. ff. de edendo.* & videri potest *Gail lib. 1. obseru. 1 num. 11.* ideò nimirum, vt & judex causæ merita cognoscat, & adversarius sciat, recténe actor agat, necnè, & quomodo se contra eum defendere possit, vti docet *glossa in cit. l. 1.* Sin autem Actor vel Reus intentionem suam non fundet super priuilegio sibi proprio, tum illud edere non cogitur. *cit. §. Edendæ.* vbi dicitur, quòd aliquis non cogitur edere instrumenta, quibus vsurus non est, & in *l. Qui accusare. 4. Cod. eodem.* quòd Reus ad petitionem Actoris edere instrumenta non cogatur, quia Reus absolui debeat, si actor ex propriâ veluti penu probationes afferre nequeat. Ideò autem *in c. Cùm persona*, exempti priuilegium exemptionis petenti Ordinario exhibere debent, quòd ipse ex communi jure habeat fundatam intentionem, quamobrem qui exemptos se dicunt, fundant se in exceptione, quam probare debent, ideóque priuilegium exhibere.

His intellectis, in notando dictum est 1. quòd agens vel excipiens qui fundat se super priuilegio &c. non cogatur relinquere judici illud apud acta, vti docet *Abbas & Felin num. 7.* Ratio dari debet, ne copia inde accipiatur, vnde nouæ lites oriantur, deinde ne priuilegium amittatur; debet tamen petenti judici in manus tradi ad cognoscendum valorem eius, & plenum intellectum secundùm antecedentia & consequētia capiendum, vti colligitur ex *c. Cùm persona. iuncta gl. verb. Integraliter*, & docet *Bartolus in l. Argentarius. 10. §. Edi. ff. De edendo. arg. l. Inciuile. 24. ff. de legibus.*

2. Dictum est, totum priuilegium præsente adversario legendum esse, ratio est, quia id inseruit plerumque ad plenum intellectum eius capituli, de quo agitur, siquidem & ex proœmio colligi solet, quo modo, conditione, aut intentione, priuilegium &c. datum sit, & in fine quandoque apponitur clausula modificans & restringens omnia, quæ præcesserunt.

3. Dictū est, quòd tantùm istud capitulū, de quo cōtroversia est, seu quod ad intentionē liti-

litigantium spectat, edendum sit, ita vt copia tradatur, ratio est, quia circa illud capitulum lis jam orta est, ideóque expedienda vtrique parti relictâ plenâ facultate causam tuendi, vel agendi, sed circa alia capitula cùm lis orta non sit, non debet litibus orituris ansa præberi, idémque sentiendum de testamento, quòd totum legatario edi non debeat, sed eius tantùm partis copia petenti dari, quæ ad ipsum pertinet, teste *Bart. in cit.* §. *edi. videatur gloss. magn. in cit. l. 1.*

Cœterùm, si ex lectione instrumenti, aut priuilegii videatur judici, capitula inter se connexa esse, ideóque ad controuersiæ discussionem omnia pertinere, tum jubere potest, vt totum edatur, non tantùm judici, sed etiam aduersario, vti *Felin. hîc* docet *n. 1.*

CAPITVLVM VI.

Inter.

Paraphrasis.

Controuersia erat inter Abbatem S. Donati, nomine monasterii, & Mediolanensem Archiepiscopum super portu Scozulæ & annexis, quæ monasterium ad se pertinere dicebat, ideóque sibi cum fructibus perceptis restitui petebat: saluo jure addendi, vel demendi libello. Et intentionẽ suam probauit 1. per priuilegium Luithardi comitis quondam Episcopi Lucani fundatoris, qui ea monasterio donauerat. 2. Per instrumentum sententiæ pro monasterio ab Asperto quondam Archiepiscopo mediolanensi latæ ex Ludouici Imperatoris delegatione. 3. Ex priuilegio Henrici Imperatoris, qui ea omnia monasteria confirmauit, vel etiam contulit. 4. Ex instrumento locationum, quas Abbates variis temporibus faciebant. 5. Per productos testes probare nitebatur, quòd supra annos 50. in possessione fuerit, & quòd fama publica sit de donatione à Luithardo factâ monasterio. Sed contra priuilegium donationis multa ab Archiepiscopi procuratore obiiciebantur. 1. quòd maximè consumptum sit in annotatione indictionis, vbi falsitas facilè deprehendi potuisset. 2. Cùm charta vetustissima videretur, scriptura visa est recentior. 3. Sigillum vitiosè appositum videbatur, partim quia Cæsaris potiùs referebat imaginem, quàm Episcopi; partim quia in vnâ sigilli parte cera nec in planitie, nec in colore parti alteri similis apparebat; partim quia in nomine Luithardus duæ literæ, ita vt æquè Lotharius legi posset, imò spatia interiecta in literis omissis ita se habeant, vt Lotharii nomen magis conueniret, partim quia cera ex parte interiore erat vetusta, ex parte autem exteriore recens & mollis; insuper sub vetusto sigillo charta erat perforata, & per glutinum nouæ appositæ ceræ fulcrum ipsi additum, sed & eadem falsitatis species in cæteris fermè Imperatorum priuilegiis apparebat, præter priuilegium Henrici, quod tamen etiam ad fidem faciendam sufficere non videbatur, quia nec publicâ manu confectum erat, nec authenticum sigillum habebat, ad quòd ex mediâ parte fuerit consumptum, & vltima nominis syllaba icus appareret, vt non minus Ludouici sigillum esse potuisset.

Instrumentum quoque latæ sententiæ multimodè suspectum erat, tum quia quædam in ipso literæ apparebant, tum quia notarii subscriptio aliam manum præferebat, quàm scriptio instrumenti, quã tamẽ notarius in subscriptione profiteretur se manu suâ scripsisse, litera quoque recentior videbatur, quàm charta, & atramentum, aquâ infectum, vt vetustius appareret; in omnibus autem priuilegiis imperialibus, licet posterioribus, nulla mentio sententiæ latæ.

Sed etsi ponamus legitimum esse instrumentum de latâ sententiâ, tamen Ecclesiæ Mediolanensi non præiudicat, cùm lata dicatur inter alios, res autem inter alios acta aliis non præiudicat, quare nec attestationes, quæ in eodem instrumento

continentur, nocere Ecclesiæ debent, cùm inter alias personas, & in alio judicio receptæ sint.

Vlteriùs, Henrici Imperatoris priuilegium non tantùm confirmatorium, sed etiam donatorium fuisse videtur; quia autem id respectu eorundem intelligi non potest, cùm eadem res respectu eorundem non possit intelligi donari, & tanquam priùs habita seu possessa confirmari, si quidem quod meum est, non potest ex aliâ causâ meum fieri, nisi desierit esse meum, ideò vt explicetur priuilegium modo, quo valere potest, intelligi debet, vt Henricus alia donauerit, & alia confirmauerit, quare cùm priuilegium confirmatorium tantùm fuerit quoad ea, quæ in judicium deducta sunt, ideò si principale valorem non obtinet, nec accessorium valere debet, denique neque per instrumenta locationis proprietas probata est, nec plena possessio, cùm ad probationem rei propriæ aut possessionis non sufficiat facta locatio, has ob causas, post diuturnam litem, cùm ea, quæ peterentur, satis probata non fuerint, Pontifex procuratorem nomine Archiepiscopi & Ecclesiæ Mediolanensis à monasterii impetitione absoluit, quia cùm obscura jura partium sunt, contra petitorem vidicari debet.

Svmmarivm.

1. *Clausula, saluo jure addendi, demendi, eur nihil aut parum operatur in libellis.*
2. *Potest aliquis simul esse Episcopus & comes, quod tribus modis fieri potest.*
3. *Per Clericalem ordinationem, aut Religionis professionem jus nobilitatis non amittitur.*
4. *Episcopus vel alius Clericus in sacris potest esse judex delegatus ab Imperatore, vel alio seculari principe in causis ciuilibus.*
5. *Priuilegium in se nullum, confirmari non potest.*
6. *Limitatur predicta doctrina.*
7. *Locatio rei à te alteri facta, non probat eiusdem dominium, nec plenam possessionem.*
8. *Quid sit indictio, & quomodo experiendus eius annus.*

Nota I. Edito libello apud judicem quandoque inseritur clausula saluo jure addendi, minuendi, eam tamen nihil, aut parum operari docet *Innoc. hîc. & gl. verb. jure addendi.* nam communi jure concessum est actori, vt libello addat, vel demat ante litis contestationem, dummodo aduersario sufficiens dilatio concedatur, si libellus mutatus sit ad videndum, & deliberandum, num cedere, an litigare malit, expensarum quoque compensatio fiat ob moram longiorem. *l. 3.* vbi *gl. & DD. cod. de edendo.*

Nota II. Potest aliquis simul esse Episcopus & comes, id verò tribus modis accidere potest; si comitatus Episcopali sedi annexus sit, sicut Herbipolensi Ecclesiæ ducatus Franconiæ, quâ de re *lib. 3. Th. Mer. Tract. 4. cap. 24. n. 10.*

2. Si ex Comitum familiâ oriundus sit secundùm regionis consuetudinem, vt omnes nomen, dignitatem & priuilegium Comitum gerant, qui ex tali prosapiâ sunt, secundùm *gl. c. vlt. 23. q. 1. verb. rex.* falsum enim est, quod docet *gloss. in c. Præsens. 4. causa. 2. q. 3.* quòd desinit esse quis Comes, cùm factus est Clericus, imò non tantùm per clericalem ordinationem jus nobilitatis non amittitur, sed neque per religionis professionem, sicuti bene docet Tiraquellus de nobilitate, *c. 26. n. 3. Sanch. tom. 2. Moral. lib. 7. c. 12. n. 13.* tum quia nobilitas familiæ jus quoddam sanguinis est, quod naturale & immutabile censetur. *l. Jus agnationis. 34. de pactis.* vbi dicunt DD. quod jura generis dirimi non possunt, tum quia qualitas nobilitatis, quatenus in honore consistit, non in officii administratione, religionis professioni non repugnat, sicut nec gradus doctoris, licet contrarium sentiat *gl. c. 1. verb. ingenuus. de purg. Canonicâ.* & alii apud Tiraquellum *c. 27.*

3. Si Comes comitatûs administrationem retinens Episcopus fiat, nihil enim id fieri prohibet secundùm *Abbatem. hîc. n. 5.* & indicat *gloss. c. 3. causa. 20. q. 3. argum. c. vlt.*

vlt. ne Clerici, vel monachi in 6. nisi comitatus sit feudum non liberum, seu francum, sed seruitiis obligatum, vti docui *cit. cap. 24. n. 10.* & videri potest *Rosenthal. de feudis, cap. 7. concl. 30.* deinde si administratio comitatûs esset magna, & sæcularibus negotiis, ac curis valde implicata, ea Episcopum, vel Clericum in sacris non deceret: datâ operâ dico, si sæcularibus negotiis implicata sit, quia administratio comitatuum aut principatuum, quæ Episcopatui, vel alteri Prælaturæ annexa est, Ecclesiastica, & ratione finis vltimati quodammodo spiritualis censeri debet.

4 Not. III. Episcopus, aliusuè Clericus in sacris potest esse judex delegatus ab Imperatore, alioue sæculari principe in causis ciuilibus, quod in Imperio frequentissimum est, quin imò possunt etiam esse judices ordinarii v. g. cameræ imperialis præsides, quâ de re dixi *lib. 1. Th. Mor. Tract. 5. p. 5. cap. 8. n. 5.*

5 Not. IV. Varii sunt modi, quibus instrumentum falsitatis argui possit, qui in textu considerari possunt.

6 Not. V. Si priuilegium in se nullum sit, confirmatio non tribuit ipsi valorem, nam quod non est, non confirmatur, cùm qualitas seu adiectio supponat subiectum, quâ de re *Innoc. hîc.*

Limita: nisi princeps verba adiiciat, quibus significet, si defectus seu nullitas subsit, se ex certa scientiâ aut plenitudine potestatis de nouo concedere, vti hîc explicat *Ioan. Andreas. n. 21. Felin. n. 6.* dummodo defectus talis sit, quem princeps supplere possit & quandoque rationabiliter soleat.

Ex quo colligitur si actus irritus fuit ob defectum consensûs in contrahente, aut concedente, quòd princeps supplere eum non censeatur, seu quia non potest sine præjudicio alterius, seu quia non est consultum vt quod absque vllo fundamento est, & ne naturaliter quidem subsistit, id per modum confirmationis concedatur, vti *Abbas. hîc* tradit; idémque sentiendum, si falsi crimen, aut fraus iniusta in instrumento, rescripto, aut priuilegio impetrando commissum sit, vti *notat. Durand. in speculo. de instrument. editione. §. 11. post princip.* non enim tales defectus princeps ordinariè loquendo supplere vult, sed juris solennitates, si forte omissæ fuerint.

Not. VI. Ad probandum dominium 7
rei, non sufficit ostendere, quòd alteri à te locata fuerit. *l. Approbat. 23. cod. de legatis.* nam etiam rem alienam conductor alteri locare potest, nisi in locatione prohibitum fuerit. *l. nemo. C. eodem.* consequenter rem locatam fuisse, sufficere etiam non potest ad plenè probandam possessionem, cùm conductor, qui plenè non possidet (quia non suo nomine possidet) locare alteri possit, vti dictum est.

Quæres quid sit indictio. Resp. aliud non esse, quàm trinam exactionem tributi siue censûs. *C. de indict. lib. 10.* quæ tribus continuis lustris fieri solebat ab Augusto Cæsare: vna in ferro pro armis fabricandis; altera in argento, pro militibus stipendiariis, tertia, auro, pro republicâ: Exactis autem tribus lustris seu annis 15. à capite inchoabatur trina exactio seu indictio. Secundùm istas indictiones tempore Concilii Nicæni primi explosis Olympiadibus, anni numerari cœperunt, quod & hucusque obseruatum est. Ad reperiendum autem indictionis annum diuidantur anni à Christi incarnatione per 15. & abiectis illis numeris, ei, quod superest, adiiciatur numerus ternarius (quandoquidem Christus dominus indictione tertia seu tertio indictionis anno natus est) & apparebit indictio juxta versum, quem affert *Durandus. de fide Instrum. §. 1. n. 6.*

Si per Quindenas domini diuiseris annos
His tribus adiectis, indictio certa notatur.

Exempli gratia, si 1629. diuidantur per quindecim, emergunt 108. & restant nouem, quibus si adiicias tria habes, anni huius indictionem duodecimam.

Alius modus reperiendi est, si ab anno 1562. quo anno Calendarium à Greg. XIII. correctum est, numeres annos vsque ad præ-

præsentem erunt 47. quem numerum si per 15. diuiseris, atque restanti numero, qui est binarius, denarium addideris (ea enim indictio in annum 1582. cadebat) præsentis anni indictionem habebis videlicet duodecimam.

CAPITVLVM VII.

Quod super.

PARAPHRASIS.

Cantuariensis Archiepiscopus consuluit Innoc. III. quid agere debeat iis, qui cùm votum expeditionis Hierosolymitanæ ad recuperandam terram sacram suscepissent, Româ redeunt asserentes se à Sede Apostolicâ absolutos esse, & super hoc ignota Cardinalium sigilla exhibent, tametsi eorundem impedimenta, quo minus vota exsoluant, non videantur legitima; Respondet Papa, si quando ipse talibus absolutionis literas indulget, quòd eas destinet ad illos, qui personas & earum facultates cognitas habent, vt super expositis impedimentis diligenter inquisitâ veritate statuant, quòd animarum saluti & succursui terræ sanctæ expedire magis ipsis videbitur, ne alioquin in voti fraudem fallaciter aliquid confingatur, quare si tales homines compererit Archiepiscopus per veritatis suppressionem, aut falsitatis expressionem literas Cardinalium, aut Papales etiam certò datas impetrâsse, carere debent vigore, & vouentes ad executionem voti sui compellendi sunt.

SVMMARIVM.

1. *Dispensatio super voto, si justâ causâ non nitatur, non tantùm illicita, sed etiam irrita est.*

NOTA I. Quandoque non Pontifex ipsemet tribuit absolutionem à voto, aut matrimonii impedimento, sed mandat alicui commissario, aut confessario, Magistro in Theologiâ, vel jure Canonico, vt in regione, vbi notitia personæ, & statûs, ac facultatum eius haberi potest, si preces, & rationes Pontifici propositas veritate niti intelligat, Apostolicâ authoritate absoluat, vel dispenset; quare talis censeri debet executor mixtus, qui ministerium absoluendi, aut dispensandi sibi commissum exsequi debet præmissâ cognitione causæ. Porrò quænam expressio falsi, aut suppressio veri rescriptum gratiæ jure irritum reddat, dixi *lib. 1. decret. de rescriptis. & lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 22. q. 4.*

Not. II. Dispensatio super voto si justa à causa non nitatur, non solùm illicita sed etiam irrita est, ita sumitur ex *hoc.* & docui *cit. q. 22. q. 1. & lib. 4. Th. Mor. Tract. 4. cap. 8. n. 4.*

CAPITVLVM VIII.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Si Pontificis quædam extrauagans, seu in juris Canonici corpore non posita constitutio in judicio allegatur, de qua judex meritò dubitat, num authentica sit, tunc si juri communi consona sit, secundùm eam pronuntiet, quia non tam ipsius quàm communis juris auctoritate niti censetur, sin autem dissona sit, secundùm eam non pronuntiet, sed superiorem priùs consulat.

SVMMARIVM.

1. *Extrauagans Constitutio si in corpus juris nõ sit redacta, vel sub forma bullæ authentica exhibita, probabilem ignorantiam ac dubitationem habet, an secundùm illam sit procedendum.*
2. *In dubio, an lex promulgata vel obligatoria sit, Princeps vel auctor legis consulendus.*

NOT. I. Extrauagans constitutio si in corpus juris Principis authoritate redacta nõ sit, nec sub formâ bullæ authenticâ exhibeatur, probabilem causam ignorantiæ ac dubi-

dubitationis habet, num secundùm eam procedendum sit, idémque sentiendum de epistolâ, aut rescripto Principis, etsi enim jus faciat. *l. 1. ff. de constitut. principum.* tamen nisi in corpore juris sit, vel authenticè exhibeatur, probabilem ignorantiam, ac dubium parit. his addit *Felin. hîc n. 5.* quòd plures extrauagantes moribus vtentium receptæ non sint, & ideò obligationem non pariant, maximè quoad pœnas, seu censuras earum, vti docent DD. *c. In istis. distinct. 4.* & dixi de hoc *lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 3.*

Not. II. In dubio, num lex promulgata, vel obligatoria sit, conuenit, vt princeps seu auctor legis consulatur.

CAPITULUM IX.

Cùm dilectus.

Paraphrasis.

Innocentius III. hic duo respondet, primùm, quòd instrumenta post publicationem testificationum ab vtraque parte produci possint, donec in causâ conclusum sit; alterum si in regno Scotiæ consuetudo inualuit, vt instrumentum regis pleniam fidem mereatur, eam etiam in foro Ecclesiastico propter regis auctoritatem & honestatem seruandam esse.

Svmmarivm.

1. *Limitatur constitutio relata in textu, quòd instrumenta post publicationem testificationum ab vtraque parte produci possint, donec in causa conclusum sit.*
2. *Consuetudine introduci potest, vt literis Regis, Principis, vel alterius excellentis Magistratûs plena fides habeatur, etiam in præiudicium alterius, modò nulla præsumptio sit in contrarium.*

1 Not. 1. Quod ad primum responsum attinet, *Felinus hîc* limitationes adhibet, quæ fermè intelliguntur ex materiâ de testibus. 1. est, quòd judex ex officio, si necesse sit, instrumenta recipere possit post conclusionem in causâ. Altera 3 in causæ criminali reus ad sui defensionem instrumenta, aliásque probationes producere potest post conclusionem in causâ. 3. est, si instrumenta absque negligentiâ partis ab eâ de nouo reperta sint. 4. Si pars aduersaria consentiat productioni. 5. Si per negligentiam tutoris, vel administratoris instrumenta producta non sint, succurretur pupillo, & & Ecclesiæ per in integrũ restitutionem, & quidem non tantùm post causæ conclusionem, sed etiam post latam sententiam. teste *gl. c. Inter. 20. de re judicatâ.*

Not. II. Licet communi jure litteræ magistratûs, si aliter probatæ non sint, pro authenticis non habeantur in præiudicium personæ tertiæ, vti dixi *in c. 7. de probat.* tamen consuetudine introduci potest, vt scripturæ excellentis Magistratûs, Regis, Principis, Episcopi plena fides habeatur, etiam in præjudicium alterius, dummodo nulla suspicio aut præsumptio in contrarium sit, vti colligitur *ex hoc c. in fine.* 2

CAPITVLVM X.

Ioannes.

Paraphrasis.

Eremita Ioannes coram judicibus Viterbiensibus petebat libras Senenses 130. ex causâ mutui, domum quoque sibi liberam & vacuam tradi ex causâ factæ venditionis, Petrus autem ex aduerso dicebat sibi ratione eiusdem domûs venditæ Ioanni deberi 180. libras, vt proinde factâ compensatione nihil ampliùs ex mutuo debeat, cùm autem judices in causâ progressi essent, denique Petrum condemnârunt ad domum vacuam & liberam tradendam Ioanni, ab hâc porrò sententia Petrus appellauit ad Innoc. III. qui partibus auditores, seu cognitores causæ designauit, coram quibus Petrus per 4. testes probauit venditionem non puram sed conditionalem fuisse, videlicet hoc adjecto modo, vt Petrus, dum viueret, domum inhabitare posset,

 postea

postea verò Ioannis nepotibus proueniret; & ob hunc adjectum modum in gratiam venditoris minore pretio domum venditam fuisse, verumtamen anni, mensis ac diei, quo venditio facta fuerit, testes dicebant se non recordari; & è contrario Ioannes ad probandum, quòd venditio domûs non conditionalis, sed pura fuerit, instrumentum publicum produxit, tabellionem quoque, qui instrumentum confecit & testem vnum, cuius nomen subscriptum erat. Hinc orta est dubitatio vtra harum probationum prævalere debeat, pro parte Rei allegatum fuit, tametsi in litibus judiciariis parem probandi vim habeant instrumentum & testes, tamen non quodlibet instrumentum trium, vel plurium idoneorum testium depositionibus præferri, ad id Ioannes respondit, cùm ipse intentionem suam per instrumentum fundârit, ac Petrus per modum exceptionis objecerit venditionem fuisse conditionalem, hoc verò per testes de certo tempore deponentes probatum non sit, ideóque non constet eos testificari de eâdem venditione, quæ per instrumentum, vt determinato tempore facta, probata erat, hinc consequens esse, quòd probatio ista per testes inefficax sit ad intentionem Ioannis elidendam. Sed denuò replicauit Petrus, responsum Ioannis non subsistere, siquidem vtraque pars à Pontifice interrogata in judicio confessa est, vnicam tantùm fuisse celebratam venditionem; apparet itaque ex testium depositione eam fuisse conditionalem; cui nihil obstat, quòd interrogatio à Pontifice facta sit post conclusionem in causâ, siquidem judex, qui vsque ad prolationem sententiæ cuncta rimari debet, interrogare potest de facto, quotiescunque dubitatio incurrit; quare Innocentius Papa, requisito Cardinalium consilio, pronuntiauit venditionem conditionalem fuisse, ac proinde Petrum non obligari ad tradendam domum, sententiam verò judicum, à quibus appellatum, & qui justè pronuntiârunt (eo, quòd exceptio de venditione conditionali coram ipsis proposita & probata non fuerit) quoad dictum articulum infirmat; quoad alios verò articulos confirmat.

SVMMARIVM.

1. *Si debita sint vtrinque liquida & circa res, quæ sub genere suo functionem recipiunt, licet ex diuersis titulis sint, compensationi locus est.*
2. *Modus adjectus contractui venditionis grauans emptorem, in partem pretij computandus est.*
3. *Vacillat Instrumentum, si testes inscripti, vel subscripti negent se interfuisse rei gestæ ibidem narratæ.*
4. *Expedit, vt testes in instrumento publico sua nomina subscribant.*
5. *Instrumentum Notarij manu confectum, & idoneorum testium depositio, parem probandi vim habent.*
6. *An & quando duo testes sufficiant ad derogandam fidem instrumento publico; quando non.*
7. *Iudex partes de iis, quæ ad litis decisionem pertinent, etiam post conclusionem in causa interrogare potest.*
8. *In causa appellationis allegata in priori indicio & non probata, probari possunt, modò ad causæ decisionem pertineant.*
9. *Quod officium sit judicis appellationis.*

NOT. I. Si debita sint vtrinque circa res, quæ sub genere suo functionem ac commutationem recipiunt, tametsi ex diuersis causis seu titulis sint, compensationi locus est. *l. 4. C. de compensat.* & docui *lib. 3. Th. Mor. Tract. 2. cap. 9. n. 9.* 1

Requiritur tamen, vt vtrumque debitum sit æquè liquidum, seu indubitatum, sin autem debitum actoris seu petitoris liquidum sit, non potest reus conuentus allegando dubium, aut intricatum, multámque indaginem requirens debitum allegare compensandi causa, sed satisfacere cogitur, controuersiâ suâ in aliud judicium reseruatâ. *l. vlt. C. de compens.* quodnam verò intricatum debitum sit, judicis arbitrio committitur.

Not. II.

2 Not. II. Modus adjectus contractui absoluto & perfecto interdum conditio vocatur, verumtamen si propriè accipiatur, differt à conditione, cuius natura est, vt suspendat contractum, sicuti docui *lib. 5. Th. Mor. Tract. vlt. p. 2. cap. 7. n. 10.*

3 Not. III. Si modus adjectus contractui venditionis grauet emptorem, tunc in partem pretii computari debet, seu rem tanto minoris vendi æquum est. *l. fundi 79. de conditionali emptione*, vbi *Baldus* ait, quòd pactum, quo emptor grauatur, in partem pretii computari debet.

4 Not. IV. Licet instrumentum Notarii cum solennitatibus suis fidem faciat, tamen si dubitetur de instrumento, aut contentis eius, multum adiumenti adferet, si Notarius ac testes inscripti producantur, qui affirment ita gestum esse, quâ de re *Menochius casu 135. n. 39.* contrà verò, si testes inscripti aut subscripti negent se interfuisse, vacillat instrumentum, donec conuincatur, quâ de re, *Innoc. & Io. Andr. hîc.*

5 Not. V. Expedire videtur, vt testes in instrumento publico nomina sua subscribant, cùm alioquin plures fraudes à Notario committi possint, si ipse solus totum instrumentum testium quoque nominibus inscriptis conficiat, id tamen fermè non obseruatur, vti monet *Abbas in c. 1. n. 3. hoc tit.* immò frequenter accidit, vt Notarius domi suæ cum à contrahentibus & inscriptis testibus remotus est, solemniter in membranâ conficiat, quod, vt dixi, fraudis periculo non caret.

6 Not. VI. Instrumentum Notarii manu confectum, & idoneorum testium depositio parem probandi vim habent. *l. In exercendis. 5. hoc tit.*

Sed quæritur, num duo testes sufficiant ad derogandam fidem instrumento publico. Variè hîc loquuntur. Sed dico primò. Si testes directè non deponant contra contenta instrumenti, sed contra ipsum instrumentum v. g. Notario ostendendo contrahentem, aut testem inscriptum eo tempore alibi fuisse, hoc casu sufficiunt duo testes ad reprobandum, teste *Innoc. hîc n. 8.*

Dico 2. Si testes producti directè deponant aduersùs contenta instrumenti secundùm casum nostri Capituli, judicis arbitrio committendum est, num instrumento, an duobus, vel pluribus testibus de contrario deponentibus fides maior habenda sit, prout etiam ex hoc c. colligitur; in dubio tamen potiùs inclinandum est in fauorem instrumenti, alioquin non suspecti, præsertim si antiquum sit, cò quòd hominum memoria labilis existat, prout *Io. Andreas* hîc tradit, & colligitur ex *l. Optimam. 14. §. Etsi. C. de contrah. emptione.* & *ex hoc c.* dum enim dicitur instrumentum tribus, vel quatuor testibus de contrario deponentibus non præferri, satis significatur, duobus saltem testibus ordinariè præferendum esse.

7 Not. VII. Iudex ex officio partes de iis, quæ ad litis decisionem inseruire possunt interrogare potest, etiam post conclusionem in causâ. *l. Vbicunque. juncta gl. ff. de interrogat.*

8 Not. VIII. In causâ appellationis, seu coram judice appellationis non allegata in priore judicio, allegari, & non probata ab vtrâque litigantium parte probari possunt, dummodo ea dependentia sint, seu pertinentia ad causæ decisionem, ita hîc & in *l. Per hanc. 4.* quam ibi commendant *DD. C. de temporib. appellat.* vide *Felin. hîc n. 14.*

9 Not. vlt. Iudex appellationis interdum pronuntiare debet priorem judicem formaliter loquendo justè judicâsse, videlicet secundùm allegata & probata apud ipsum, licet sententia eius vel omnino vel secundùm vnum alterúmve articulum retractanda sit, propter pleniorem causæ deductionem, atque connexionem; & conuenit, vt judex appellationis, quantum potest, saluâ justitiâ prioris judicis existimationem conseruet ac sententiam eius defendat. *Argum. c. Abbate, 25. de verb. signif.*

* * *

CAPITVLVM XI.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

In rescripto Apostolico positum erat verbum spoliâtunt, omissa littera O, dubitatum fuit, an idcircò vitiosum censeri debeat, atque irritum, respondet Honorius III. eo defectu nihil obstante, in negotio procedendum esse secundùm eiusdem rescripti tenorem.

SVMMARIVM.

1. Error scriptoris leuis non vitiat rescripeum Principis, si de eius mente constet.

1 NOt. vnic. Propter errorem leuem scriptoris, si de mente principis constet, rescriptum eius, seu gratiæ sit, seu justitiæ, corruere non debet, ita *Innoc. hîc, Abbas, Felin. & alij.* exemplum aliud affertur ex Cardinale, *consil. 95.* si appareat in rescripto Apostolico vocabulum incuriâ scriptoris omissum fuisse, v.g. si præcipiatur executori, vt Titium de beneficio prouisum mittat in corporalem, omissâ voce *possessionem*, executioni mandandum esse. vide, quæ dixi *in c. Significante. 34. de rescriptis. & lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 22. n. 27.*

Objicitur *c. Ad audientiam. 11.* vbi dicitur rescriptum Apostolicum reiiciendum esse, si in eo vitium constructionis seu solœcismus sit, ergo vnius litteræ mutatio vitare potest rescriptum, vt si scriptum sit, Titium in corporale possessionem mittendum esse. R. vt ibi dixi, quòd non omnis vitiata latinitas rescriptum vitiet, sed si talis sit, vt inde probabiliter colligi possit esse subreptitium, id verò in casu nostro non accidit, cùm facilè sit non tantùm scriptorem errâsse litteram mutando, aut vocem omittendo, sed etiam expeditores, per quorum manus rescriptum transiit, errorem talem haud aduertisse. Verumtamen, si errorem advertant, curare deberent, vt corrigeretur.

CAPITVLVM XII.

G. perpetuus.

PARAPHRASIS.

Prior & Conuentus de Ledis G. Vicario perpetuo Ecclesiæ de Recha actionem super decimis coram delegatis Papæ intentauit, idémque Vicarius eosdem super similibus causis reconuenit, insupérque à judicibus instanter postulauit, vt cogerent partem aduersariam ad edendum instrumenta communia, per quæ ipse intentionem suam principalem probare posset, quod cùm illi denegarent, G. ad Pontificem appellauit, ea propter hic mandat, si ita se res habeat, quæ post appellationem attentata sunt, in statum pristinum reuocanda esse.

SVMMARIVM.

1. Vicarius perpetuus agere potest pro juribus Vicariæ suæ, etiam sine mandato Rectoris Principalis.

2. Pars litigans cogi potest, vt communia Instrumenta edat.

3. Vnde cùm acta judicii communia sint, exhiberi ea debent judice ex officio petente, vel ad instantiam partis.

NOt. 1. Vicarius perpetuus agere potest pro juribus Vicariæ suæ etiam sine 1
mandato Rectoris principalis, nam Vicarius perpetuus titulum beneficii obtinet. *c. Michaël. de filiis presbyterorum.* & ideò de ipso, sicut de aliis curatis, & beneficiatis sentiendum est. *Clement. vn. de Officio Vicarij.* constat autem, quòd curatus, vel alius beneficiatus in judicio agere possit pro juribus beneficii sui. *c. 3. de probat.* ergo &c.

Immò in tali casu Vicarius perpetuus 2
præferri debet Rectori principali, cùm enim ipse Vicariæ jura & fructus tanquam vsufructuarius quidam participet, ideò ipsius principaliter interest, sicuti *Felin.* hîc notat *n. 7.* Cæterùm, si principalis judicio assistere velit, admittendus est, cùm etiam eius interfit, eò quòd Vicario causam perdenti, & ideò sustentationem necessariam non haben-

habenti, etiam Rector prouisionem facere debeat.

3 Not. II. Pars litigans cogi potest, vt communia instrumenta edat, vti dixi in *c. 10. de probat.* & tradit *Gl. hic.* Hinc infert *Innoc. hîc*, quem alij sequuntur, si actor à sententiâ contra se latâ appellauit, sed copiam eius non habeat, quòd reum cogere possit ad edendum, quia acta judicii communia sunt, ideóq; exhiberi debent siue judice ex officio petente, siue ad instantiam partis. *l. 2. junctâ Rubricâ. Immò. ff. de edendo.* quòd si & ipse Reus neget se copiam actorum habere, tum interrogari potest, num talis pro ipso sententia lata sit. *l. penult. ff. de interrog. action.* ac denique, si negauerit latam esse, cogendus est renuntiare sententiæ, si fortè lata sit, vel judex pronuntiabit, si lata sit, vt nullas vires habeat. *Argum. l. Non alienum.* si tamen dolo caruit Reus, seu errore ductus ita respondit, restituendus erit, vide *Felin. hîc num. 11.*

CAPITVLVM XIII.

Imputari.

Paraphrasis.

Aliquis in judicio produxit duas scripturas inuicem contrarias, hoc casu, ait Greg. IX. quòd fidem sibi inuicem derogent, & ideò non probent, quare sibi imputet, qui tales scripturas produxit, cùm in ipsius arbitrio fuerit alterutram non proferre.

Svmmarivm.

1. *Qui contrarias scripturas producit, nihil probat.*
2. *Producens instrumenta censetur omnia in eis contenta confiteri.*
3. *Si à partibus diuersis contraria instrumenta producantur, vtri fides haberi debeat à judice.*

1 Not. Vnic. Qui scripturas contrarias in judicio producit, nihil probat, sumptum id est *ex l. 14. C. hoc tit.* scripturæ diuersę fidem sibi inuicem derogantes ab vnâ, eadémque parte prolatæ nihil firmitatis habere poterunt, vt si in vnâ contineatur te hoc die & loco ædes emisse solum, in alterâ te emisse eum vxore.

Hinc regulam colligunt DD. quòd contraria probando allegans repellendus sit, quod locum habet non tantùm in actore, sed etiam in Reo excipiente, teste *Andreâ hîc n. 5. gl. cit. l. Scripturæ. in addit.* vbi rectè monent, faciliùs Reum ad sui defensionem contraria allegantem sustineri, juxta *Reg. 42. & 167.* Digestorum, quàm allegantem contrararia probandi causa.

2 His accedit, quod *Innoc.* notat *in c. Cùm olim. in fine, de censibus.* quòd producens instrumenta censeatur omnia confiteri, quæ in iis continentur, itaq; si ea contraria sint, sequitur, quòd producens, & contraria probationis causâ alleget, & eadem tacitè confiteatur. Et quæ hîc dicuntur, magis etiam locum habent, si in communi instrumento contraria reperiantur, quòd nulla inde probatio fiat, si tamen commodo aliquo intellectu, aut casuum diuisione contrarietas tolli possit, talis intellectus præferri debet. *c. Inter. 6. hoc tit.*

3 Quæres: Si à partibus diuersis contraria instrumenta producantur, vtri fidem habere debet judex. R. inprimis, quæ dignior scriptura est, v. g. publica, aut magis authentica testibus aliisq; indiciis confirmata, præferri debet, vti *Abbas hîc docet n. 3.* & sumitur *ex l. Optimam. 14. C. de contrahendâ stipulat.* sin autem paris authoritatis videantur, tunc elisa censebitur probatio, ideóque Reus absoluendus erit, secundùm DD. hîc apud *Andr. n. 6. Abbatem n. 6.*

CAPITVLVM XIV.

Si cautio.

Paraphrasis.

Titius petebat à Caio aureos 100. atque ad intentionem suam probandam produxit cautionem, in quâ Caius indeterminatè nullâque expressâ causâ confitebatur se debere Titio aureos 100. hoc casu idem Titius probare tenetur debitũ, si autem in productâ cautione Caius confiteatur

se debitorem esse ex causâ determinatâ, v. g. accepti mutui, tunc statur eius confessione, nisi probet se indebitè promisisse, aut confessum fuisse.

Nomine cautionis intelligi debet promissio, cui nec pignus, nec fideijussio adjecta, sed nudè facta est, siue stipulatio aut scriptura publica, vel priuata interuenerit siue non. *l. Sancimus. 3. C. de verb. signif.*

SVMMARIVM.

1. *Cautio seu promissio dandi aut faciendi facta, non expressâ causâ, nullam actionem vel obligationem parit, etiam in foro canonico, nisi actor probet, verè debitum esse.*
2. *Limitatur.*
3. *Si in cautione seu promissione causa debiti contineatur, standum est confessione. Nisi conuentus per errorem se confessum esse indebitum ostendat, vel exceptionem non numeratæ pecuniæ in Contractu mutui intra biennium obijciat.*

NOT. I. Si cautio, seu promissio dandi, aut faciendi facta sit, non expressâ causâ, nulla inde actio & obligatio in foro 1 externo, etiam canonico nascitur, nisi actor probet verè debitum esse. ita habetur etiam in *l. De indebito. 25. §. vlt. ff. de probat.* & videri potest *Felin. hic n. 1.* ratio dari debet, quia obligatio dandi vel faciendi, ipsúmque jus & actio petendi non oritur, nisi ex causâ, seu titulo, cùm itaque nulla expressa sit, præsumitur per errorem promissio emanâsse, aut sub conditione facta, quæ conditio impleta non sit, ita vt competat condictio dati ob causam, causâ non secutâ, præterquam si actor titulum seu causam debiti ostendat. His consentiunt ea, quæ dixi *lib. 3. Th. Mor. Tract. 4. cap. 2. n. 3.* ex pacto nudo secundùm forum etiam canonicum actionem non oriri, nisi causa expressa sit, vel ea ab actore demonstrari possit.

Limitationes sunt tamen plures apud *Felinum hic.* si versemur in casu, in quo do- 2 natio præsumitur, vt si diues indigenti promittat; vel si merita antecesserunt, ob quæ promissum videatur. & plura reperies apud *Menoch. in arbitr. casu 88.* Altera, si promissio facta sit Ecclesiæ, quia sufficiens adest causa pietatis & religionis.

3. Confessio liberatoria facta ab eo, qui remittere potest, vim pacti continet, & liberationem debiti inducit, vt si Titius dicat Caio, confiteor nihil mihi à te deberi. *l. tale. 40. ff. de pactis.*

4. Si quis confiteatur rem suam non esse, tunc pro derelictâ eam habere censetur, vt alterius accipientis fiat. *l. 2. ff. pro derelicto.*

5. Nisi præsumptio adsit, excidisse causam promissionis & obligationis, vt si promissio, aut confessio geminata sit, nam geminatæ seu repetitæ cautionis magnam vim esse docet *Bartolus* communiter receptus in *l. Cùm scimus. C. de agricolis. lib. 11. Doctores in l. Mulier. 22. C. ad Velleianum*, vbi aiunt, quòd confessio aut promissio geminata non expressâ causâ actionem pariat, plura vide apud *Felin.*

Not. II. Si in cautione seu promissione causa debiti contineatur v. g. ex depositi, ex donato, tunc standum est confessione, 3 nisi is, qui conuenitur, ostendat se per errorem confessum esse indebitum, quod existimabat esse debitum. *Argum. c. vlt. de solut.* vel nisi exceptio non numeratæ pecuniæ objiciatur intra biennium in mutui contractu. *C. de non numeratâ pecuniâ*, & dixi *lib. 3. Th. Mor. Tract. 4. cap. 15. in fine.*

CAPITVLVM XV.

Cùm P.

PARAPHRASIS.

Quidam tabellio morte præuentus, contractus, quos in notam seu protocollum receperat, in publica instrumenta non redegit seu perfecit, hoc casu ait Greg. IX. ad petitionem eorum, ad quos acta pertinent, alium Notarium, judicis interueniente authoritate, posse in publicam scripturæ formam redigere, ita vt perpetuam obtineant firmitatem.

SVMMARIVM.

1. *Notario mortuo substitui alius Notarius*

potest,

potest, qui acta ab illo Protocollo tantùm inserta, in solenne instrumentũ redigat.

2. *Requiritur tamen, vt id interueniente authoritate judicis fiat, & fideliter, nihil addendo vel demendo.*

3. *Protocollum ritè manu Notarij scriptum ex partiũ rogatione, de actis fidem facit.*

4. *Si Notarius ob impedimentum instrumenta ab alio scribi curet, quibus subscribit, & sigillum suum apponit, ea plenè in judicio probabunt.*

5. *Protocollum Notarius partibus vt ostendat priùs, quàm illud in formam redigat, consultum est, secundùm Imolam etiam necessarium.*

6. *Quis habeat potestatem Notarium seu tabellionem creandi.*

7. *Notarius instrumentum intra territorium eius, cuius authoritate constitutus est, conficere potest etiam extraneis, ita vt fidem etiam alibi faciant.*

8. *Notarius creatus ab Imperatore, aut Rege, non potest extra Imperium vel Regnum de communi jure instrumenta conficere.*

9. *Potest (saltem de consuetudine) Notarius à Papa constitutus in temporalibus quoque causis instrumenta conficere, & in spiritualibus Notarius ab Imperatore constitutus.*

1 NOT. vn. Si Notarius, qui ex partium rogatione protocollum fecit, antequã acta in solenne instrumentum redegit, mortuus sit, alius Notarius ex partium consensu perficere potest, dummodo judicis authoritas interueniat.

2 Debet tamen alter Notarius instrumentum fideliter conficere secundùm ea, quæ in protocollo reperit, nihil addendo, vel detrahendo, cùm enim ipse actis non interfuerit, non potest aliud scribere, nisi quod in protocollo continetur, sicuti monet hîc *Imola n. 2.*

3 Quæritur 1. Num protocollum Notarii manu scriptum ex partium rogatione fidem faciat de actis. R. affirmatiuè, si protocollum ita scriptum sit, vt ex eo, quæ acta sint plenè intelligi possint, vti docet *Imola hîc n. 3. Felin. n. 1.* nam protocollum cùm originale sit, præcipuam fidem merari debet, quandoquidem ad illud recurrendum est, si de instrumento, quod ex protocollo conficitur, dubium incidat *c. Quoniam. 11. de probat.* quamobrem Notarii protocolla seruare debent, sicuti *Felin.* hîc monet *n. 2. Durand. in speculo lib. 2. p. 2. de instrum. edit. §. 8.*

Verumtamen, si vel ex jure communi, vel consuetudine, vel partium voluntate contractus antea robur non habeat, nisi scriptura seu instrumentum super eo perfectũ sit, tunc nullum ex Notarii protocollo jus parti contrahenti oritur. *l. Contractus. 17. C. de fide instrum. vbi gl.* monet *verb. In scriptis.* quòd scriptura interdum requiratur ad substantiam contractûs. interdum autem ad probationem. *l. Contrahitur. ff. de pignoribus.* vide *Abbatem hîc. n. 4.*

Quæritur 2. Si Notarius ob infirmitatem, aliúdue impedimentum ipsemet non possit instrumentum conficere, an alteri ex protocollo conficiendũ tradere possit. R. licet *in Auth. de tabellionibus* decretum sit, vt tabellio à partibus rogatus, per se negotiũ audiat, & ipsemet scribat, neque alteri deleget, ídque tradat *gl. hîc. verb. Perpetuam.* tamen consuetudo multis locis obtinuit, vt Notarii propter impedimentum suum ab alio instrumenta scribi curent, ijsque postea ab ipsis lectis subscriptionem suam adjungant & sigillum, testantes esse secundùm acta & protocollum rectè ac fideliter scriptum, quâ de re *Durand. cit. §. 8. n. 36. Abbas hîc in fine. n. 2.* Henricus *Cnaustinus* de arte Notariorum. 4

Quæritur 3. Vtrum Notarius protocollum partibus ostendere aut legere debeat, priusquam in formam publicam redigat. R. esse id valde consultum atque consuetum, imò necessariò requiri, ait *Imola hîc. n. 2.* licet contrarium sentiat *Abbas n. 4.* eò quòd nullum jus extet, quo id præcipiatur. 5

Quæritur 4. Quisnam potestatem habeat tabelliones creandi. R. id proprium esse supremi Principis seu Magistratûs, videlicet Papæ, Imperatoris, Regis aut alterius, qui in temporalibus superiorem nullum 6

nullum agnoscit. his adde illos, qui à supremo principe speciale hoc Notarios creandi priuilegium acceperunt. Denique si aliqui per immemorialem consuetudinem talem potestatem præscripserunt, ita *Durand. §. 8. n. 23. Innoc. hîc. n. 4. Abbas n. 7. Siluest. q. 1.* nam solius Principis est, quidpiam à communi jure omnium gentium exorbitans, veluti dispensando introducere, id autem valde exorbitans est à communi gentium jure, vt vnius hominis scripturæ etiam sine cuiuspiam viuæ vocis contestatione plena fides habeatur, cuiusmodi fides, neque magistratûs alicuius scripturæ, aut sigillo in alterius personæ præiudicium haberi solet. *c. Post sessionem 7. de probat. c. Cùm dilectus 9. hoc tit.*

Verumtamen consuetudine obtentum est, vt etiam inferiores magistratus v. g. Episcopi intra diœcesin suam, comites, barones, ciuitates imperiales intra territorium suum, tabelliones constituant, teste *Siluestro cit. q. 1. Cauallino fol. 9. Innoc. tamen hîc. n. 2.* ait, talibus ab inferiore constitutis propriè non competere officium tabellionis.

In eo porrò dissentiunt DD. vtrùm notarius possit instrumenta conficere extra territorium constituentis, affirmant *Silu. verb. Notarius n. 4. Cauallinus l. c.* si à Principe creatus sit, quia instrumentum conficere non est actus jurisdictionis, vt extra territorium exerceri nequeat. juxta *c. de constit. in 6. Durand. cit. §. 8. n. 23. Tapia hîc super Abbate n. 9.* De Notariis creatis à Papâ & Imperatore, aut ab horũ alterutro speciale priuilegium habente, aiunt, quòd vbique locorum instrumenta conficere possint eo argumento, quod tamen falsum esse dixi. *lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 8. n. 3.* quòd Imperator (& alij hoc ipsum dixerunt de Papâ) totius mundi dominus sit.

7 Ad quæstionem dico; Notarius instrumentum intra territorium eius, cuius authoritate constitutus est, conficere potest etiam extraneis ac peregrinis ipsum rogantibus, & ita quidem, vt fides instrumento etiam alibi seu extra territorium tribuenda sit. ita *Abbas hîc n. 9. Felin. n. 16. Gabriel. lib. 1. de fide instrum. concl. 1. n. 10. Bart. in l. 1. C. de emancipat. liberorum. Argum. eius textûs.*

Dico 2. Notarius creatus ab Imperatore aut Rege, non potest extra Imperium, vel 8
regnum spectato communi jure, instrumenta conficere, ita *Abbas hîc n. 9. Felin. n. 15.* Ratio est, quia notarius jurisdictionem non exercet, seu voluntariam seu contentiosam, cui aliqui se sponte subijciant, sed officium gerit in republicâ, cùm seruus publicus sit. *l. Non aliter. 18. ff. de adopt.* officium autem publicum astringi solet intra terminos regionis eius, à quo defertur, & ad quam defertur. *Argum. l. 3. ff. de officio Præsidis.*

Dixi autem *communi jure*, at verò per consuetudinem, vel tacitum consensum alieni principis introduci potest, vt notarius extra territorium constituentis instrumenta conficere possit, quomodo notarij à Sede Apostolicâ creati & immatriculati non tantùm in terris imperij, sed etiam in aliis regnis instrumenta conficiunt, sicuti *Durãd. Abbas & Felin.* docent. Notarij quoque ab Imperatore constituti & immatriculati saltem in terris Ecclesiæ, instrumenta conficere posse censentur, teste *Imola n. 5. Cardinale Tusco*, qui tamen probabiliter ait, quòd quilibet notarius extra territorium constituentis, saltem inter subditos eius instrumenta conficere queat.

His adde, sicut notarius à Papâ constitutus in temporalibus quoque causis, ita & 9
notarium ab Imperatore creatum in causis spiritualibus, instrumenta conficere posse, saltem propter consuetudinem, de quâ testatur *Abbas in c. Sicut. n. 12. & 17. Gabriel. cit. concl. 1. n. 7.*

CAPITULUM VLT.

Si instrumenta.

Paraphrasis.

Si quis instrumenta propter vetustatem, aliámue causam exemplari petat, judex ordinarius, vel ab eo specialiter delega-

tus,

tus, illa diligenter inspiciat, & si nulla sui parte vitiata repererit, per publicam personam, seu tabellionem ea præcipiat exemplari, ita vt eandem cum originalibus obtineant firmitatem.

SVMMARIVM.

1. *Notarius ad rogationem partium ob justam causam exemplare debet instrumentum authenticum. Et quæ sit justa causa.*
2. *Debet autem interuenire judicis authoritas, qui citatis iis, quorum interest, & causâ cognitâ Originale censeat, & facultatem exemplandi concedat.*
3. *Hoc tamen limitatur.*
4. *Exemplatum instrumentum seu* Vidimus, *in quo de testibus, aut de partium quarum interest, præsentiâ & rogatione mentio non fiat, nihil probat.*
5. *Instrumentum amissum, an & quomodo denuò confici possit, ac debeat, vt publicam fidem faciat.*

1 NOT. vn. Ob justam causam Notarius ad rogationem partium cum judicis authoritate instrumentum authenticum exemplare debet.

Causa justa est, ne alioquin pereat probandi facultas, quia ob vetustatem consumetur originale, vel quia ex archiuio seu loco vbi asseruatur, afferri non potest, aut non sine periculo amissionis ad locum remotum mitti, sed & interdum expedit, vt plura de eodem contractu habeantur instrumenta, quæ v. g. sint penes vtramque contrahentium partem aut vtrumque sociorum, vti ex Hostiensi notat hîc *Abbas, & Durand. §. 8. n. 1.*

2 Necessarium autem est judicis authoritatem interuenire, qui citatis iis, quorum interest (vti videre est apud *Innoc. hîc n. 1. Felin. n. 6. Argum. c. Significauit. 41. de testib.*) & causa summariè cognita originale dignum fide seu authenticum censeat, atque exemplandi facultatem tribuat.

Excipitur 1. Si idem sit Notarius, qui originale instrumentum fecit, potest is exemplare ad partis, cuius interest, petitionem, etiam sine judicis consensu, secundùm *Bartol. in auth. Si quis in aliquo. C. de edendo.* cùm sit eadem persona, inquit, & eadem authoritas, quæ vtrique scripturæ fidem facit. 3

Excipitur 2. Si partes, quarum interest consentiunt, vrgéntque Notarium, vt exemplum instrumenti conficiat, tum id fidem facit, saltem in præiudicium partium, sicuti docet *Bartol. in cit. Auth. n. 5.* immò probabiliter, ait *Imola hîc n. 5. Felin. n. 4.* si Notarius coram testibus rogetur à partibus de exemplando, quòd exemplum publici instrumenti valorem habeat non minus, quàm originale. 4

Corollarium. Si quis Notarij manu exemplatum instrumentum seu *Vidimus* afferat, in quo aut de testibus, aut de partium, quarum interest, præsentiâ & rogatione mentio fiat, fidem facere non debet.

Quæritur. Si instrumentum amissum dicatur, vtrùm denuò confici possit, vt publicam authoritatem mereatur. R. *cum Durand. n. 2. Bartolo num. 6.* id fieri posse cum judicis authoritate, si coram eo citatis iis, quorum interest, amissio instrumenti sufficienter probata sit; sin autem instrumenti confectio in nullius alterius præiudicium cedat, tum judicis authoritate opus non est, sed sicuti prius originale coram testibus & ad partis, seu partium rogationem confici potuit. *Argum. c. Dudum. 20. de conuers. coniugat.* ita & poterit post amissionem denuò confici, prout notauit *Durand. cit. n. 2.* vbi ait, si nemini præiudicium paratur, potest confici etiam sine judicis authoritate vel parte alterâ non citata, vel amissione non probatâ. 5

TITVLVS XXIII.

DE PRÆSVMPTIONIBVS.

PRæter teſtes & inſtrumenta alia indicia & coniecturæ in judicio afferri, aut prodi ſolent, quæ judici præſumptionem faciant, vt pro alterâ parte litigantium ſententiam ferre poſſit, ideò poſtquam de præcipuis probationibus actum eſt, rectè ſubjungitur de aliis indiciis, coniecturis ac præiudiciis.

CAPITULUM I.

Sicut.

PARAPHRASIS.

Quemadmodum is noxius cenſendus eſt, qui lanceam ſeu ſagittam hominis occidendi cauſa mittit, tametſi mors non eveniat, ita & is noxius reputari debet, qui occultè nocet fratri ſuo, & cùm deprehenſus fuit, ait ſe joco egiſſe. ſumptum eſt ex Salomone in *Proverb. cap. 26. n. 18.*

SVMMARIVM.

1. *Conatus in criminibus, licet effectus non ſequatur, puniri poteſt, ſed de conſuetudine non ſolet, niſi ſit conjunctus cum effectu.*
2. *Recenſentur aliquot exceptiones.*
3. *Qui alteri damnum infert ſecundùm ſe injuſtum, is malo animo feciſſe præſumitur.*
4. *Vti malè facta ex maligno, ita benefacta ex bono animo & beneuolentia profecta præſumuntur, donec oppoſitum oſtendatur.*

1 NOT. I. Conatus in criminibus, tametſi effectus non ſequatur, etiam apud homines puniri poteſt & ſolet, ita habetur in *l. 2. & 3. C. ad l. Corneliam. & l. Si quis. 7. C. eodem.* vbi dicitur eum, qui cum telo hominis occidendi cauſa ingreſſus fuerit, perinde vt homicidam puniendum eſſe. verùm hoc eſt ſecundùm juris rigorem, & per conſuetudinem non obſeruatur, teſte *Claro in §. fin. n. 9.* quamobrem contraria regula ſtatuenda eſt ſecundùm *gl. in c. hæc autem verba 17. diſt. 1. de pœnit.* quòd verba legis pœnalis cum effectu accipienda ſunt, & quòd voluntas atque conatus non punitur ſine effectu.

Excipiendum eſt 1. Niſi lex ita lata ſit, vt etiam conatum exprimat puniendum, vt 2
in *l. vlt. C. de raptu virginum, & C. de Epiſcopis & Clericis*, vbi dicitur, ſi quis non tantùm rapere, ſed attentare tantùm jungendi matrimonii cauſâ ſacratiſſimas virgines auſus fuerit, capitali pœnâ plectatur, item in crimine læſæ majeſtatis, ſeu conſpirationis contra principem. *l. Quiſquis. 5. C. ad l. Iuliam majeſtatis.* plura leges *apud Menochium in arbitr. cenſurâ 4. caſu 369.*

2. Excipiunt aliqui *cum gl. in l. 1. §. hæc autem verba. ff. quod quiſque juris &c. §. Putamus.* niſi crimen valde atrox ſit, tunc aiunt conatum patrandi ordinariâ legis pœnâ puniendum eſſe, ſed neque hoc conſuetudine obſeruari teſtatur *Claruscit. q. 41, n. 2.* & hoc æquius eſt; partim quia crimina in externo foro potiſſimùm puniuntur ratione nocumenti, quod in caſu iſto non eſt, ſeu ſecutum non eſt, & ideò Reus non debet, ſaltem tam grauiter puniri; quia crimen tam graue non eſt, partim quia ſi crimen perfectum non eſt, plerumque poteſt per pœnitentiam retractari, ita vt in externo foro, ſi factum externè malum, aut noxium non ſit, puniri non debeat. Exemplum habes in eo, qui contra principis decretum ex prouinciâ frumentum euehere volens currum onerauit, aut aliquantulum in viâ proceſſit, ſed antequam ad fines peruenire, pœnitentiâ motus retroceſſit.

Sin autem cauſa maligni effectûs ex parte agen-

agentis sufficienter posita fuit, ita, vt per pœnitentiam reuocari non possit, tunc grauiùs puniri potest conatus, vt si sagittam hominis occidendi causa miserit, aut venenum alicui propinârit, ísque sumpserit; quibus consentit, quod *Menoch.* docet *l. c.* considerandum esse, num conatus propinquus sit, an verò remotus, vt qui illum adhibuit, grauiùs puniatur, v. g. qui sagittam in hominem misit, grauiore pœna dignus censetur, quàm is, qui arcum ad homini nocendum præparauit.

3 Not. II. Qui alteri damnum infert secundùm se injustum, is malo animo feciſſe præsumitur. ita *gl. hic. verb. Ludens*; *Innocentius & alij*, & sumitur *ex l. 1. de sicariis.* vbi dicitur ei, qui hominem occidit, probandi onus incumbere, se non occidendi animo feciſſe, & *l. Si non conuitii. 5. juncta gl. verb. Probare. C. de iniuriis.* vbi significatur proferentem verba suapte natura injuriosa, iniurandi animo dixiſſe videtur, nisi contrarium probet, vel conjecturis ostendat, quamobrem *Abbas hic. n. 3.* & *Bart. in l. Inter.* §. *Rectè. ff. de furtis tradit.* si quis rem alienam abstulit, & deprehensus dixit, se existimare dominum inuitum non esse, ideóque à furti crimine se excusatum. *juxta* §. *Placuit. Instit. de oblig. ex delicto*, credendum ipsi non esse, nisi probet, vel conjecturis verisimile reddat; potest enim præsumptio vna per aliam contrariam præsumptionem vehementiorem elidi, secundùm *gl. in c. Litteras. 14. verb. Purgauit. hoc tit.*

4 His adde, sicuti malefacta ex maligno animo profecta censentur, ita & benefacta seu beneficia ex beneuolentiâ proficiſci præsumi debet, donec oppositum ostendatur, ita monet *gl. fin. hic.*

CAPITULUM II.

Afferte.

Paraphrasis.

In hoc capitulo refertur sententia lata à Salomone *lib. 3. Reg. cap. 3.* inter duas mulieres contendentes de filiolo, quòd eius esse censeatur, quæ illum penes alteram viuere maluit, quàm vt occisus neutrius sit.

Svmmarivm.

1. *Iudex interdum ex violenta præsumptione potest procedere ad ferendam sententiam definitiuam.*
2. *In quo casu consultum est, vt judex præsumptionem curet scribi in actis.*
3. *In dubio de Natiuitate, an ex hoc Patre, vel ex hac Matre sit aliquis natus, conjectura sumi potest ex affectu dilectionis.*

Not. I. Iudex interdum ex vehementi conjecturâ in judicio prodita, vel ab aduersario probata animum suum informare potest, vt absque vllâ probatione sententiam condemnando ferat. *Argum. l. Indicia. 19. C. de rei vindicat. l. vlt. C. de probat.* & dici hæc solet præsumptio violenta, videri potest *Abbas hic. n. 5.* vbi admonet, vt judex, si ex violentâ præsumptione, seu judicio moraliter rem conuincente, moueatur ad sententiam definitiuam ferendam, vt jubeat eam præsumptionem scribi in actis judicii, vt si appellari contingat, ex iis sententia justificari possit. 1

His adde, quòd ex indicio vno, aut pluribus simul junctis, si valdè vrgentia sint, vt apertam seu violentam præsumptionem efficiant, judex faciliùs procedere possit ad definitiuam, si ciuiliter agatur, vt in casu nostri capituli quamuis etiam criminaliter, quandoque ex vehementissimis & moraliter certis indiciis hominem condemnare possit, saltem ad pœnam extraordinariam. *Argum. cit. l. vlt.* immò interdum ad ordinariam in criminibus, quæ suapte naturâ occulta perfectè probari non possunt, vti docui *lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 2. n. 5.* 2

Not. II. In dubio de natiuitate, num ex hoc patre, aut hâc matre aliquis natus sit, conjectura fieri potest ex dilectionis affectu, cùm naturale id sit, vt parens prolem 3

ſuam diligat, neque affectus extraneus reperiatur, qui vincat paternum. *l. vlt. §. 1. C. de curat. furioſi.*

CAPITVLVM III.

Ex ſtudiis.

PARAPHRASIS.

Ex pueri ſtudiis intelligitur, quid de eius operibus, rectáne, an munda ſint, exiſtimari debeat, ſiue ex iis, quæ tractat puer, & ad quæ affectum ſe oſtendit, coniectura ſumi poteſt, num eius opus rectum futurum ſit. *ſumptum eſt ex prouerbiis Salomonis. cap. 20. verſ. 11. cum interpret. S. Hieronymi.*

De reliquo hoc Cap. non ſummatur.

CAPITVLVM IV.

Nullus dubitat.

PARAPHRASIS.

Quemadmodum innocens non ſubterfugit judicium, in quo ſe abſoluendum ſperat, ita qui dilationibus judicium declinare cupit, ea, de quibus accuſatur, confiteri videtur.

SVMMARIVM.

1. *Præſumitur confiteri crimen, qui intra indultum ſibi tempus, quo ſe de eo purget, in judicio non comparet.*
2. *Quando fuga faciat probationem, aut ſaltem indicium de commiſſo crimine.*

1 NOT. vn. Qui aliquoties ſibi indulto temporis ſpatio, intra quod comparere & ſe purgare debeat, non comparet, aut ſe abſentat, cenſetur crimen confiteri, ita etiam legitur in *c. Decernimus. 10. Cauſa. 3. q. 9.* vbi *gl.* monet *verb. Manifeſtum*, hoc intelligi ſecundùm præſumptionem; quæ autem alioquin pœnæ contumaciæ ſint, docent *DD. in l. Contumaciâ. 53. de judiciis*, & dixi *hoc lib. tit. de dolo.*

2 Quærunt hîc de fugâ, num faciat probationem, aut ſaltem indicium de commiſſo crimine. ℟. 1. Si quis metu futuræ inquiſitionis, vel accuſationis fugiat, indicium criminis commiſſi præbet, quæ eſt communis doctrina apud *Farin. in praxi criminali. q. 48. n. 1.* ſi tamen alia diſcedendi cauſa probabilis appareat, ob quam ille diſceſſiſſe potuit, in dubio, quod benigniùs eſt, præferri debet, teſte *Farin. num. 44.* nam odia ſunt reſtringenda, & fauores ampliandi. *Regula. 16. in 6.*

℟. 2. Si quis poſt inſtitutam inquiſitionem, vel accuſationem fugit, minus præſumitur contra ipſum, egiſſe id conſcientia criminis, cùm prætendi poſſit probabilis timor inſtituti proceſſûs, qui per ſeipſum moleſtiam ac periculum creat, negari tamen non debet, quin & hæc fuga, quale quale criminis indicium afferat, prout ex hoc c. colligitur, adeò quidem, vt ſi alia indicia accedant, efficere poſſint probationem ſemiplenam, adeóque judex procedere poſſit ad torturam Rei, teſte *Carerio in pract. Tract. 2. de indiciis. n. 16. Farin. n. 34.*

His duo addenda, primum, quòd fuga famuli, ſi res aliqua eodem tempore in domo amiſſa oſtendatur, faciat præſumptionem de furto, ſecundùm *gl. in Auth. de exhibendis reis. §. Si verò ſemel. verb. factum.* quod maximè procedit, ſi ciuiliter agatur; ſin autem criminaliter, tunc fuga famuli in hoc caſu indicium tantùm facit; quod interdum ſufficiet ad torturam, vti docet *Farin. cit. q. 48. n. 73. Maſcard. de prob. concl. 821. n. 9.* alterum ſi quis in carcere detentus ob crimen, illo effracto, fugiat: præbet indicium commiſſi criminis, quæ eſt recepta ſententia, ob eámque cauſam, ſi talis à judice capiatur, grauiùs poſtea torqueri ſolet ſecundùm *Clarum in practicâ*, immò communis fermè Doctorum eſt ſententia *gl. l. In eos. ff. de cuſtodiâ reorum & aliorum apud Clarum. & Farin. 30.* quòd effracto carcere fugiens habeatur pro confeſſo, ideóque pœnâ ordinariâ puniri poſſit, ſicuti ſi crimen, cuius causâ detinebatur, expreſsè confeſſus, aut de eo conuictus fuiſſet. *Argum. l. In eos. & l. 1. ff. de effractor.* ex quibus tamen legibus id nequaquam colligi-

tur.

tur, sed hoc solùm, quòd tales effractores, (tametsi quoad crimen, de quo suspecti erant, innocentes reperiantur) puniendi sint, quia publicam custodiam violârint, ex eâ verò carceris effractione & fugâ confessio criminis inferri haud potest, cùm alia causa valde probabilis fugiendi in promptu sit, videlicet, vt quis carceris se molestiâ, aliisque, quæ inde sequi possunt, periculis se liberet, an verò ea res saltem indicium afferat criminis, & quantum judex arbitrari debebit, vide quæ dixi *lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 15. n. 10.*

CAPITVLVM V.

Nonne.

Paraphrasis.

Super verba illa *apud S. Ioannem cap. 8. n. 18.* Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes; respondit Iesus: ego dæmonium non habeo. *S. Gregorius homil. 18.* ita scribit: duo Christo illata fuerunt; vnum negauit, alterum tacendo consensit.

Svmmarivm.

1. *Qui ex duobus sibi objectis vnum tantùm negat, alterum tacitè confiteri censetur.*

Not. vn. Si quis ex duobus sibi objectis vnum neget duntaxat, tum alterum tacitè confiteri censetur, ad hoc locus iste scripturæ allegatur, cùm enim Samaritanus hebræâ linguâ custodem significet, ideò *S. Greg. homil. 18. in Ioannem*, & alij ante ipsum Patres apud Toletum in citatũ locum, mysticum sensum secuti dicebant, Christum, quando ad vnum solùm ex objectis respondit negando, alterum, quòd Samaritanus esset, tacitè confessum esse, sin autem ad litteralem sensum attendamus, Christus nequaquam confessus est se, quod exprobrabant ipsi judæi, Samaritanum esse, id est, diuinæ legis transgressorem & contemptorem, quin potiùs hoc ipsum disertè negauit, cùm ait, ego dæmonium non habeo, sed glorifico patrem, qui in cœlis est, idcirco autem dominus non iisdem verbis, quibus objectum erat, Samaritanum se esse negauit, quia judæi existimare potuissent, ipsum loqui de Samaritano natione, sed sapientissimè Christus respondit talibus verbis, quibus secundùm sensum, quo illi objecerant, negaret se legis diuinæ contemptorem esse, vide, quæ docui *lib. 1. Th. Mor. Tract. 2. cap. 3. n. 3.*

CAPITVLVM VI.

Mandata.

Paraphrasis.

S. Gregorius I. ad Maximum Episcopum scribit, se mandata Dei meliùs implere, si onera sua in gubernandis Ecclesiis suis cum fratribus seu Episcopis partiatur, ob cámque causam ipsum Maximum vt Vicarium Sedis Apostolicæ in cunctis Siciliæ Ecclesiis constitutum esse, id verò priuilegium non Ecclesiæ eius concessum, sed personæ; quandoquidem ex præteritâ eius vitâ didicerit, quid de subsequente conuersatione præsumendum sit.

Svmmarivm.

1. *Nunc Legati ad Prouincias destinantur, vt vices Papæ gerant, olim constituebantur Vicarij, & quidem plerumque perpetui.*
2. *Priuilegium aliud reale seu locale, aliud personale, quod cum persona extinguitur.*
3. *Ex antè acta vita & moribus coniectura & præsumptio fit de futuris.*

Not. 1. Cùm Papa omnium Ecclesiarum curam gerere debeat, vti docui *lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 6. n. 8.* ideò Legatos ad prouincias destinat, qui vices Pontificis gerant. *cap. 1. de off. delegati.* olim autem Vicarii constituebantur, qui vices Sedis Apostolicæ in Regnis ac Prouinciis sustinebant, vti passim videre est in epistolis Gregorii I. erátque 1

eorum officium ac dignitas plerumque perpetua.

Not. II. Priuilegium interdum conceditur loco seu dignitati, ita ut ad successores transeat, & dicitur priuilegium reale aut locale, interdum verò conceditur personæ, ita vt cum eâ extinguatur, & dicitur priuilegium personale, sicuti tradidi *lib. 1. Th. Mor. Tract. 4 cap. 23. n. 1.*

Not. III. Ex anteactâ vitâ & moribus coniectura & præsumptio fit de futuris; si enim, vt in *Regula 8. in 6.* habetur: semel malus semper præsumitur esse malus, sequitur, quòd etiam semel bonus semper præsumendus sit bonus, donec de contrario constet, quia mutatio cùm sit aliquid facti, non præsumitur, sed ostendi debet.

CAPITVLVM VII.

Quosdam.

Paraphrasis.

Idem S. Gregorius scribit ad Patritium & Venantium *lib. 7. Registri. epist. 123. alias 127.* quòd ipsi cùm Africæ propinquiores sint, certiùs cognouerint, quomodo morbis ac peste deuastetur.

Svmmarivm.

1. *Scire aliquis præsumitur, quæ in vicinia aguntur, modò communiter nota sint. Exemplis declaratur, ordinariè alleganti ignorantiam, circa communiter nota non credi, nisi eam probet.*
2. *Ignorantiam facti alieni alleganti non est deferendum ordinariè iuramentum in supplementum probationis.*
3. *Nisi præsumptio sit contra eum, qui ignorantiam prætendit.*

1 Not. Vnic. Scire aliquis præsumitur, quæ in vicinià aguntur, dummodo ita agantur, vt communiter nota sint, sicut tradit *Gail l. 1. obser. 42. n. 2. Petrus Peckius in Reg. 47. in 6. n. 8.* simile est, si in loco publico edictum promulgatum sit, ordinariè alleganti ignorantiam eius, credendum non est, nisi eam ostendat; quia contra talem ignorantiam juris præsumptio existit. *cap. 1. de postulat. prælat.* & videri potest *Innoc.* Aliud simile est, si successor malæ fidei possessionem sui antecessoris, quæ communiter nota erat, se ignorâsse alleget, plerumque non auditur, vt tradit *Menoch. in arbitr. casu 117.*

Quærunt hîc, num ignorantiam alleganti facti alieni, in supplementum probationis judex juramentum deferre debeat. 2
R. Ordinariè non esse juramentum deferendum; quia ignorantia ista præsumitur, donec scientia probetur. *cit. Reg. 47.* idque annotauit *Peckius ibi n. 8.*

Excipe, nisi sit præsumptio contra eum, 3
qui ignorâsse se dicit, vt in casu huius capituli, tunc verò judex arbitrabitur, num alleganti ignorantiam, si spectatis circumstantiis personæ &c. aliquo modo verisimilis videatur, juramentum deferre oporteat, eò, quòd in animo latens ignorantia aliter non probetur; an verò vehemens contra illum, qui allegat, præsumptio sit, vel de graui alterius præiudicio agatur, ita vt delationi juramenti locus esse non debeat, quâ de re *Abbas & Felin. hîc. Menoch. & Peckius l. c.*

CAPITVLVM VIII.

Quanto.

Paraphrasis.

Idem Gregorius I. *lib. 1. Registri* scribit ad Victorem Episcopum non se dubitare, quin audierit de querelis Clericorum aduersùs Paulinum Regensis Ecclesiæ Episcopum, quia latére eum in vicinià non potuit, quod ad ipsum è longinquo peruenit.

Svmmarivm.

1. *Quid & quotuplex sit indicium, Coniectura, Præsumptio.*

2. *Quid*

2. *Quid probatio judicialis. Recensentur eius septem species, earum tamen strictè loquendo tantùm quatuor sunt. Testimonia; Scripturæ, Præsumptiones & indicia.*
3. *Ordinariæ probationes sunt, quæ fiunt per testes & instrumenta.*
4. *Indicij definitio, & diuisio.*
5. *Coniectura & præsumptio sunt effectus indiciorum, nec inter se differunt.*
6. *Præsumptio alia juris, alia hominis. Illa diuiditur, quòd alia sit juris tantùm, alia juris & de jure. quid quælibet illarum sit.*
7. *Quid sit fictio juris, & in quo differat à præsumptione.*

1 CApitulum istud eandem doctrinam continet, quàm præcedens Capitulum. Disputant verò hîc Canonistæ, quid & quotuplex sit indicium, coniectura, præsumptio.

Adverte 1. Probatio judicialis aliud non est, quàm rei dubiæ & controuersæ apud judicem facta ostensio: eius septem partes seu species numerantur apud *Mascard. de probat. lib. 1. q. 4. n. 1. & 15. Farin. in praxi. q. 36. num. 16.* confessio, euidentia facti seu inspectio ocularis, testes, instrumenta, præsumptio, fama & juramentum, si tamen strictiùs loquendum sit, quatuor tantùm recenseri possunt, videlicet Testimonia, Scripturæ, Præsumptiones & indicia (in quibus etiam fama continetur, & juramentum secundùm ordinem titulorum, in quibus nunc versamur) nam confessio, propriè loquendo, inter probationes non est numeranda, sed neque facti euidentia, quandoquidem, si Reus confiteatur, vel factum notorium sit, tunc dicere solemus, nullâ probatione opus esse.

2 Adverte 2. Inter has probationum species ordinariæ sunt, quæ fiunt per testes & instrumenta, at verò indicia & præsumptiones, quodam veluti artificio, sagacitate & discursu mentis rem præter ordinarium probandi modum deprehendi faciunt, vti videre est apud *Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 3.* sed & juramentum judiciale non nisi in defectum, aut supplementum aliarum probationum deferri plerumque solet, vt *seq. tit.* dicetur.

3 Adverte 3. Indicium aliud non est, quàm notabile signum maleficii, alterius ve rei, de quâ dubitatur, ad veritatem cognoscendam inseruiens. diuiditur indicium, quod aliud sit dubitatum, videlicet quod suspicionem vel opinionem cum formidine oppositi seu virtuali dubio junctam gignere aptum est, & indubitatum, quod plenum assensum mouere aptum est, siue sit vnum solum indicium, siue junctum cum aliis.

Alia similis diuisio est, quòd aliud sit indicium leve suspicionem tantùm gignens, aliud grave, quòd opinionem non leuem, sed nec omnino certam, seu cum aliquali formidine junctam creat, aliud graviſſimum seu indubitatum, quod parit assensum, qui moraliter certus sit, omnémque formidinem excludat, sicuti explicaui *lib. 3. Th. Mor. Tract. 3. p. 2. cap. 2. n. 1.*

Alia diuisio est, quòd indicium aliud sit proximum, aliud remotum; proximum dicitur, quod magis verisimle est seu rei ostendendæ magis idoneum, idque interdum necessarium est seu indubitatum, remotum autem, quod rei demonstrandæ minùs idoneum, quia frequenter fallere potest; etenim ex indiciis, seu signis plerumque Rhetorica tantùm, & non demonstrativa argumenta duci solent, quæ apud dialecticos inter Sophismata accidentis numerantur, exempli causâ, homines post commissum maleficium pallidi fieri solent, & fugere, at verò Titius eâdem horâ, quâ homo occisus est, pallidus ex vrbe se recepit, &c. ergo ipse homicida est; dialecticè, inquam, non convincit argumentatio, cùm non soli homicidæ pallidi ac fugientes sint, ideóque fieri

fieri potuerit, vt ex aliâ causâ Titius terrorem conceperit, & loco discesserit.

4 Adverte 4. Coniectura & præsumptio sunt effectus indiciorum, videlicet suspiciones ac præsumptiones ex indiciis ortæ, nec differunt coniectura & præsumptio, nisi quòd præsumptio πρόληψις *prolipsis* significet magis determinatum indicium, & assensum, coniectura verò potiùs suspicionem.

5 Præsumptio diuiditur, quòd alia sit juris, & alia hominis; hominis præsumptio est, quam jure non expressam ex variis apparentibus indiciis vir prudens seu judex format, juris autem præsumptio, quando lex ipsa ex aliquo indicio rem dubiam colligit, & hæc iterum diuiditur, quòd alia sit juris tantùm, contra quam probatio in contrarium admittitur; alia verò præsumptio juris & de jure, quando non tantùm lex indicio aliquid colligit, sed etiam jubet hoc ipsum pro veritate firmiter habendum, ita vt contrarium probare volens non admittatur, vti videre est apud *Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 3. Mascard. de probat. princip. q. 10.* & dixi *lib. 3 Th. Mor. Tract. 6. cap. 2. num. 5.*

Aduerte 5. Cum præsumptione iuris, & de jure similitudinem gerere videtur fictio juris, si jus, quod non est ex justa causa in ordine ad effectum aliquem, assumit, quasi sit, vt si aliquis, qui verè non possidet rem, pro possidente habeatur in ordine ad commoda possessionis, reipsa tamen plurimum differt fictio à præsumptione; nam præsumptio assensum continet plerumque verum, sed fictio assensum non habet, cùm in solâ apprehensione hæreat, quare cognita veritas non obstat fictioni, sed præsumptio tollitur, si contraria veritas appareat; plura lege apud *Menoch. q. 8.*

CAPITULUM IX.

Scribam.

Paraphrasis.

Ex eo, quòd Iudæi leges per Moysen ipsis traditas neglexerunt, coniectura capi, seu præsumptio fieri potest, quòd etsi in futurum ipsis leges ferantur, neglecturi sint, ex capite *Osea 8. v. 12.*

Svmmarivm.

1. Ex præterito rei, aut Personæ statu præsumptio fit de futuro.

Not. vn. Ex præterito rei aut personæ statu præsumptio fit de futuro, quia nisi mutatio superveniſſe ostendatur, idem status manere putatur. exempli causâ, si maritus antea in vxorem sæuire solitus erat, non restituenda ipsi est vxor, quæ ob sæuitiam illius se separauit. *c. Litteras. 13. in fine. de restitut. spoliat.* quia ex præteritis coniectura fit de futuris, & qui semel malus &c. item qui olim possedit, etiam nunc possidere præsumitur. *Argum. c. Olim. 17. de restitut. spoliatorum. l. Sine. 16. C. de acquir. possess.*

Excipe, nisi talis res sit, quæ temporis cursu necessario aut verisimiliter immutatur, vt præteritus morbus, tempestas &c. videri potest *Felin. hic.*

CAPITVLVM X.

Quia.

Paraphrasis.

R. Capellanus dicebat, quòd H. presbyter permutationis causa sibi personatum suum tradiderit, & vicissim receperit Vicariam, sed quia id verisimile non erat Alex. III. mandat Cassiensi Decano, vt probationes huius rei non suscipiat, nisi communi eius loci famâ id vulgatum sit, vel nisi testes producantur, quos verisimile non sit peieraturos, alioquin verò non rarò contingit, vt testes corrupti falsum testimonium dicant.

Svmmarivm.

1. Permutatio beneficii honorifici & pinguis cum alio tenui præsumitur fieri in fraudem, v. g. Simoniâ intercueniente.

2. Est

2. *Est autem hæc præsumptio juris tantùm, contra quam admittitur probatio.*
3. *Nisi præsumptio maxima sit, tunc non facilè vel præmissâ cognitione recipitur in contrarium probatio.*
4. *Attestationes non verisimiles, vel contra quas juris præsumptio est, non admittuntur nisi aliis adminiculis suffulciantur.*

1 NOT. I. Si quis beneficium honorificum aut redditibus abundans cum tenui permutat, censetur permutatio fieri in fraudem v. g. interueniente Simoniâ, quòd non sit verisimile, vt quis maius cum minore, alio non recepto permutaturus sit, est autem hæc præsumptio juris, contra quam admittitur probatio, imò possunt adesse indicia, contra quæ præsumptio illa juris tollatur, vt si beneficium pingue labores adiunctos habeat, & persona senex sit, beneficium autem tenue quietum sit, ideóque seni & laboribus exhausto conueniens, vti *Felin. hic. notat. n, 1.*

2 Contra verò interdum maxima est præsumptio propter concurrentia indicia fraudis, vt non facilè & non nisi præmissâ cognitione probatio in contrarium recipiatur. *argum. c. Super. 5. de renunt.* exemplum est, si senex aut valetudinarius, qui diu victurus non est, beneficium pingue cum tenui permutet cum consanguineo.

3 Not. II. Si testes producti non verisimilia dicant, seu talia contra quę juris præsumptio est, non admittitur eorum depositio ad plenam probationem, nisi fama, vel alia indicia concurrant, vel nisi personæ valde honestæ sint, de quibus nulla suspicio corruptionis & periurij sit.

CAPITVLVM XI.

Illud.

PARAPHRASIS.

Libera mulier seruo tanquam coniux decem annis cohabitauit, ab eóque cognita fuit, posteà negauit esse maritum suum; sed vir illam sibi vxorem vindicans, exhibuit instrumentum, in quo se mutuò conjuges appellabant, & apparebat mulieri in eo donationem propter nuptias factam esse, sed mulier dicebat instrumentum esse vitiosum, & conditum in fraudem domini, atque ad hoc probandum plures testes produxit, qui asserebant dominum nunquam consentire voluisse, vt ipsam seruo desponsaret, vir è contrario instrumentum obtendit, & testes qui dicebant se vidisse mulierem annulos deferentem, quos tamen mulier repellebat, replicando se detulisse more illarum, quæ panes vendunt.

Circa hanc controuersiam respondit Alexand. III. cùm in tali dubio fama vicinię considerari debeat, fama autem loci sit, quòd seruus in lecto ac mensâ tanquam vxorem habuerit (quandoquidem matrimonium est maris & fœminæ coniunctio indiuiduam vitæ societatem retinens) cogendam esse mulierem, vt viro affectu seruiat coniugali, præsertim si instrumentum à notario conditum sit, qui officium fideliter impleuit.

SVMMARIVM.

1. *Agens petitorio judicio, de vindicanda sibi muliere adiectâ causa, quòd vxor sua sit, quas probationes afferre debeat, quæ sufficiant ad matrimonium probandum.*
2. *Recensentur varii modi probandi.*
3. *Quorum singuli licet plenè matrimonium non probent, simul tamen juncti judicem mouere possunt ad pronuntiandum pro coniuge vindicante coniugem ex causa matrimonii.*
4. *Diuturna pacifica possessio vnà cum fama seu communi opinione facit præsumptionem tituli ac juris.*
5. *Minor probatio requiritur ad ostendendum, prolem esse ex legitimo Matrimonio natam, quàm ad pronunciandum de matrimonio, quòd sit legitimum.*

1 DIsputant hîc Canonistæ, si quis petitorio judicio agens, mulierem sibi vindicet adiectâ causa quia vxor sua sit, quænam probationes sufficere debeant ad probandum matrimonium, sunt enim varii modi probandi, I. & expeditissimus per testes masculos aut feminas, si suspectæ non sint. *c. Super. 22. de testib.* quandoquidem causa matrimonii, si de eius constitutione agatur, non de dissolutione, fauorabilis est, quâ de re *Mascard. concl. 1022. n. 15.*

2 Alterum locum tenet parochi liber, in quo nomina contrahentium matrimonium inscribuntur, nam talis liber in quo ex publico parochi officio nuptiæ inscriptæ sunt, fidem facere debet. *argum. l. Argentarius. 19. juncta gloss. verb. condemnatus. ff. de edendo.*

3. Modus est per instrumentum, quo dotis & donationis propter nuptias, aliaue pacta matrimonialia continentur, quâ de re *Mascard. conclus. 1025.* verùm instrumentum ad substantiam matrimonii non pertinet, cùm & sine eo contrahi possit, & quandoque instrumento confecto, nuptiæ non sequantur. *l. Neque. 13. C. de nuptiis.*

4. Est gestatio annuli certi, quòd secundum morem gentis nuptias significat.

5. Si tanquam coniuges in eodem lecto, ac mensâ longo tempore cohabitent.

6. Si à vicinis communiter pro coniugibus habeantur.

Not. Vnic. Tametsi nec solum instrumentum, nec sola diuturna cohabitatio, aut nominatio, neque fama, seu communis opinio plenè matrimonium probent, tamen simul juncta sufficienter informare possunt judicis animum, vt pro coniuge vindicante coniugem ex causâ matrimonii pronuntiet, ita sumitur ex *hoc. c.*

3 Quin imò si cum nominatione & diuturnâ illa cohabitatione concurrat etiam fama, seu communis opinio viciniæ, videtur id sufficere ad probandum matrimonium. *argum. c. Per tuas. 20. de probat.* & sumitur ex *hoc c. verb. præsertim*, vbi *gloss.* id notat.

Hinc generatim infert. *Felin. n. 5. & 6.* 4 quòd diuturna pacifica possessio vna cum famâ seu communi opinione faciat præsumptionem tituli ac juris. Si tamen vsucapioni locus non sit, siue ob malam fidem vt in casu beneficii Simoniacè acquisiti, siue ob incapacitatem subiecti, vt in casu matrimonii, cui impedimentum intercedit, tunc admittenda erit probatio in contrarium, ob periculum peccati.

Id denique aduerte ex eodem Felino, minorem probationem requiri, vt proles ex legitimo matrimonio nata censeatur, quàm matrimonium secundùm se legitimum in petitorio judicio pronuntietur, propter animæ periculum, si fortè irritum sit, nam vniuersim loquendo maior probatio requiritur, cùm de maiore præiudicio agitur. 5

CAPITVLVM XII.

Literis.

Paraphrasis.

Vir diuortium quoad cohabitationem & obsequia facere volebat, quòd vxor incestum cum consanguineo viri commisisset & ad hoc probandum produxit testes, qui dixerunt, quòd solum cum solâ, nudum cum nudâ in eodem lecto viderunt, vt ipsi credebant fornicandi causa. Ad id respondet Alexand. III. ex tali violentâ & certa suspicione diuortii sententiam promulgari posse, ita, vt viro licentia detur præmortuâ vxore aliam ducendi, sin autem vir præmoriatur, vxor innupta manere debeat.

Svmmarivm.

1. *Præsumptio violenta plenè probat, si agatur (siue ciuiliter, siue criminaliter) de actu suapte natura occulto.*
2. *Incestus commissus, cum consanguineo coniugis, est impedimentum matrimonii impe-*

impediens, seu prohibens, ne incestuosus ad alias nuptias post mortem licitè transeat.

1 NOT. I. Si actus suapte naturâ occultus sit & sensibus non patens, vt fornicatio, tunc præsumptiones violentæ ac moraliter certæ, quæ ex proximis oriuntur indiciis, faciunt probationem plenam si agatur civiliter vt hîc, quin etiam si agatur criminaliter ad pœnam adulterii vel incestûs, sicuti docet hîc *glossa.* & dixi in *c. Praterea. 27. de testib.*

2 Not. II. Incestus commissus cum consanguineo coniugis numeratur inter impedimenta matrimonii impedientia seu prohibentia, ne solutis nuptiis post mortem coniugis incestuosus ad alias licitè transeat, sed alia impedimenta hodie per consuetudinem ferè abolita esse monui *lib. 4. Th. Mor. p. 4. cap. vlt.*

CAPITVLVM XIII.

Tertio.

PARAPHRASIS.

Titius cum Caia verbis de præsente contraxit, postea neptis sponsæ posiliit ad matrimonium accusandum, dicens se à Titio antea carnaliter cognitam esse, testes quoque à muliere producti dicebant, se pro certo habere, quòd neptis illa fuerit concubina Titii, eiúsque rei indicia afferebant, quòd sæpe illos viderint per prata, & nemora, vias & inuia simul vagantes, & super hoc viciniæ quoque se testimonium recepisse. Verùm quia judex non sufficienter probatum esse existimauit, ad maiorem certitudinem juueni & nepti sponsæ juramentum detulit, qui seorsim confessi sunt, carnalem copulam inter ipsos interceßisse, licet interim juuenis nollet à suâ sponsa separari. Hoc intellecto Clemens III. respondet fore consultius, si matrimonialiter non coniungantur, sed sponsalibus solutis separentur, præsertim cùm res occulta non sit, sed à pluribus vt manifesta prædicetur.

SVMMARIVM.

1. *Nomine sponsi & sponsæ quid latè, quid strictè & propriè intelligatur.*
2. *An nomine mariti & vxoris comprehendantur etiam vir & mulier, qui matrimonium contraxerunt, non autem consummârunt.*
3. *Ex pluribus indiciis simul junctis moueri potest judex ad judicandum, subesse impedimentum matrimonii dirimens affinitatis.*
4. *Allegans propriam turpitudinem auditur, si anima periculum vertatur.*

1 NOT. I. Nomine sponsi & sponsæ interdum intelliguntur, qui matrimonium contraxerunt, sed non consummârunt, vt videre est *cap. 1. S. Matthæi. vers. 18. cùm esse desponsata Maria Ioseph, &c.* propriè tamen sponsi appellantur qui nuptias non contraxerunt, sed promiserunt, vti videre est apud *Couaruuiam. 4. decret. p. 1. cap. 1. n. 4.* seruari tamen potest distinctio quam tradidi. *lib. 5. Th. Mor. Tract. 10. p. 1. cap. 1. n. 1.* vt in materiâ fauorabili nomine sponsorum intelligantur etiam, qui matrimonium contraxerunt & non consummârunt, non item in materiâ odiosâ, id verò magis dubitatur, num nomine mariti & vxoris comprehendantur etiam vir & mulier, qui matrimonium legitimo consensu contraxerunt, non autem consummârunt, exempli causa si statuto cautum sit, vt maritus partem dotis lucretur, si vxor absque liberis decesserit, lucrabiturnè, si ante matrimonii consummationem decedat vxor, arbitror lucraturum, si sponsa de præsente in domum viri ducta fuerit seu nuptiæ celebratæ, cùm sit propriè nupta & vxor, vti constat ex *l. Cui fuerit. 15. ff. de condit.* alioquin à dote lucrandâ vir excludendus

foret, etsi multo tempore continentiam pari consensu cum vxore seruâsset, quod sine ratione diceretur, cùm nuptias non concubitus, sed consensus faciat, contra hanc tamen partem sensit. *Sanch. lib. 1. de matrim. Disp. 1. n. 5.*

Si autem mulier mortua sit, antequam in domum viri, cui verbis de præsente desponsata erat, deducta fuit, tunc maritus non lucrabitur dotem, vti docet *Abbas. in c. Ex publico. n. 7. de conuers. coniugat. Felin. hîc. colum. 5.* cùm enim versemur in materiâ exorbitante à communi jure, verba strictam & magis propriam interpretationem habere debent, non autem propriè vxor dici solet, sed magis sponsa, quæ in viri domum nondum deducta est, seu marito non cohabitauit.

3 Not. II. Licet nec fama seu rumor viciniæ, nec ipsa coniugum confessio de intercedente impedimento sufficiat ad diuortium quoad vinculum matrimonii. *c. Super eo. 5. de eo. qui cognouit &c.* tamen si plura talia juncta sint, vt in casu huius capituli, vbi erant probata indicia, saltem remota fornicationis cum consanguineâ sponsæ, fama viciniæ, confessio viri, alioquî propendentis ad sponsam ducendam, sufficienter animum judicis informare possunt ad judicandum, subesse impedimentum dirimens affinitatis, ita *gloss. hîc. & in cap. Si duo. 14. verb. confessi. causâ. 35. quæst. 6.*

Nota III. Allegans propriam turpitudinem auditur, si animæ periculum vertatur, ita *glossa hîc.* verb. *præcognitam.*

CAPITULUM XIV.

Literas.

Paraphrasis.

Episcopus Altisiodorensis quosdam ob hæresis crimen impetebat, ex quibus vnus erat G. Pontifex causam delegauit duobus; in quos deinde partes tanquam arbitros sub certâ pœnâ compromiserunt, reseruatâ tamen ipsis potestate delegatâ, coram his arbitris G. hæresin confessus est, fratrem quoque suum eidem sceleri obnoxium denunciauit, postea verò cum dictus frater coram Bituricensi Episcopo tanquam de hæresi suspectus se purgare deberet, ipsemet G. compurgator eius extitit: quamobrem Innocent. III. illum de hæresi suspectum habuit, quia quod antea dixerat, postea negauit, & vel ante mendacium dixerat, asserendo fratrem hæreticum esse, vel postea periurium commisit, illud ipsum negando, quia verò credibile non est, illum eo tempore (maximè contra proprium fratrem) cùm Zelo fidei catholicæ accensus erat, tam grauiter mentitum esse, præsumendum est eum postea peierâsse, cùm fratrem purgauit, sed quia Papa noluit illum propter solam quamuis vehementem suspicionem de graui crimine condemnare, mandat judicibus, vt præter juratoriam cautionem, aliam insuper recipiant securitatem de pœna temporali soluenda, nisi pœnitentiam sibi iniunctam peregerit, & ita ex pœnitentia acta apparebit, num in tenebris an in luce ambuler, & num verè pœnitens sit, quòd si appareat verè catholicum esse, ipsum defendant, sin minùs, vt hæreticum condemnent.

Summarium.

1. *Partes possunt compromittere in judices delegatos, imò etiam in judicem Ordinarium in ciuilibus, non autem criminalibus.*
2. *Præsumptio vna tollitur per alteram contrariam vehementiorem.*
3. *Ex solis præsumptionibus non facilè aliquis de graui crimine damnandus est.*

NOt. I. Partes contendentes compromittere possunt in judices delegatos, imò etiam

etiam in judicem ordinarium *cap. Olim.* & inseruit tale compromissum ad hoc, vt judex deinde recusari non possit.

Procedit verò hoc dictum, si agatur ciuiliter, seu ad partium interesse, non item si agatur criminaliter de crimine famoso. *l. Non distinguemus 32. §. Julianus.*

Quare aliqui existimant Episcopum hîc judicium ciuile instituisse contra G. v. g. ad bonorum confiscationem propter hæresin, sed G. appellâsse ad Papam, qui partibus judices delegauit, in quos posteà vt arbitros compromiserunt.

Porrò, quòd conditio adiecta fuerat: reseruatâ judicandi potestate: ea adiectio parum operabatur, quia talis conditio de jure inest, quandoquidem per compromissum judicis potestas non extinguitur, vti docet *gl. margin. & alij DD. in c. Significantibus. 38. de offic. & potest. jud. deleg. verb. Demum*, & addit *Abbas hîc* quòd judex, à quo partes recesserunt, sententiam, seu laudum eius rejiciendo, posteà aliam & contrariam priori sententiam ex allegatis coram ipso ferre possit. Quâ simili ratione ait *gl. in c. Cùm inter 21. verb. Confirmauit. de Elect.* si Archiepiscopus per compromissum aliquem è capitulo elegit in Episcopum, quem deinde spectato jure antiquo confirmare debet, si idoneus sit, quòd electionem rescindere possit, probato impedimento, & ita venire contra proprium factum, quatenus in diverso jure ac veluti diversas personas sustinendo procedit.

2 Not. II. Si indicia & præsumptiones in partem vtramque concurrant, judex adhærebit vehementiori, ideóque præsumptio vna aliâ contrariâ vehementiore præsumptione tollitur, vti notant *Legistæ in l. Divus. 7.* Exemplum est hîc: Præsumptio erat ratione juramenti, quòd verùm diceret G. expurgando fratrem, licet priùs eundem dixerit hæreticum; quia dicto jurato quamvis posteriùs edito plus credendum, quàm dicto non jurato. Veruntamen Pontifex considerato, quòd G. cùm fratrem denuntiaret, tam erga ipsum amore fraterno, quàm erga Ecclesiam rectè affectus fuerit, potiùs præsumit illum verum tunc dixisse sine juramento, quàm posteà cum juramento.

3 Not. III. Ex solis præsumptionibus non facilè aliquis de graui crimine damnandus est, quia in criminalibus probationes esse debent indubitatæ, & luce meridianâ clariores. *l. vlt. Cod. de probat.*

4 Not. IV. Ex animi, morúmque compositione, quam aliquis in agendâ pœnitentia præ se fert, indicium fieri potest, num verè pœnitens sit, an verò fictè, ideóque relapsurus videatur.

CAPITVLVM XV.

Cùm in juventute.

PARAPHRASIS.

Rex Vngariæ Quinque-Ecclesiensem Episcopum denuntiauit Innoc. III. quòd incestum cum propria nepte commiserit, idque scandalum ex regno tolli postulauit, sed Papa rescribit, leuiter credendum non esse, quòd Episcopus, qui in juventute suâ tam modestus & providus fuerat, vt à sede Apostolicâ meruerit pallio condecorari, in senectute hoc facinus admiserit, cùm frequentius accidat, vt tale vitium, si in juventute contractum sit, in senectute expietur, neque item credibile est, quòd vir scientiâ instructus, tam abominabile scelus committat, cùm ex ethnicorum quoque sententia naturale fœdus inter huiusmodi personas nihil criminis tam fœdi suspicari permittat, quâobrem cùm dicti regis suggestio non de radice charitatis procedere videatur, non vult Innocentius aures præbere, nihilominus mandat Aurienſi Episcopo, vt à Coëpiscopis cautè indaget, num tale à Quinque-Ecclesiensi Episcopo facinus commissum credant, hi verò Episcopi posteà eundem Quinque-Ecclesiensem, de honestate morum multimodè commendârunt.

SVMMARIVM.

1. *Ex dignitate & priuilegiis personæ collatis Præsumptio fieri potest de eius virtute.*

2. *Naturalis coniunctio sanguinis inter personas valde propinquas tollit suspicionem incestûs.*
3. *Superior ex delatione, aut rumore orto à maleuolis, non debet procedere ad inquisitionem super crimine, maximè contra personam excellentem, neque ad purgationem canonicam indicendam.*
4. *Potest tamen occultè inquisitionem instituere super ipsa fama & credulitate.*

1 NOt. I. Ex dignitate & priuilegiis personæ collatis præsumptio fieri potest de virtute eius.

2 Not. II. Naturalis coniunctio sanguinis inter personas valde propinquas prohibet suspicionem aut præsumptionem incestûs. *c. penult. de cohabit. Clericorum & mulierum.*

3 Not. III. Etsi superior ex delatione aut rumore orto à personis maleuolis procedere non debeat ad inquisitionem super crimine præsertim contra personam excellentem, secundùm glossam receptam *in cap. Qualiter. 24. verb. Ad inquirendum de accusat.* neque ad canonicam purgationem indicendam, *c. Cùm in juventute. 12. de purg. canon.* Potest tamen occultè inquisitionem instituere super ipsâ famâ & credulitate, quid videlicet vicini censeant de isto rumore, & num credant verum esse, sicuti *Ioan. Andreas & Abbas hîc notant*, & dicitur iste processus super præparatoriis judicij.

CAPITVLVM VLT.

Dudum.

Paraphrasis.

Innocentius III. mandauerat Archidiacono Mediolanensi, vt C. scholarem, si idoneus esset à Presbytero Ecclesiæ S. Victoris in beneficiatum recipi curaret, sed Presbyter præter reddituum tenuitatem insuper obiecit, quòd dictus C. ad beneficium eius Ecclesiæ idoneus non esset; quare cùm hinc orta esset controuersia, eam Papa quibusdam delegauit, hoc adijciens ob clausulam adiectam rescripto Apostolico, si persona idonea est, nequaquam ipsi incumbere onus probandi, cùm quisque idoneus esse præsumatur, donec contrarium ostendatur.

Svmmarivm.

1. *Exceptio subinde opponi potest per vim dilatoriæ & peremptoriæ.*
2. *Impetrans rescriptum non tenetur probare qualitates, requisitas nisi extrinsecas seu adscitas, v.g. in Academia studuisse, Doctorem esse &c.*
3. *Consuetudinis est, vt promouendus ad beneficium de legitima natiuitate aut morum integritate testimoniales literas, aut testes producat.*

NOt. I. Eadem exceptio quandóq; opponi potest per vim dilatoriæ, declinãdo judicis jurisdictionem, aut executionem executoris, si quis dicat rescriptum esse obreptitium, vti videre est in hoc *cap. verb. Declinans*, & iterùm per vim peremptoriæ post litis contestationem, dicendo impetrantem non habere qualitates requisitas in rescripto, & ideò datæ gratiæ esse incapacem. ita *Abbas hic n. 4.* 1

Not. II. Impetrans rescriptum, non tenetur probare requisitas in eo conditiones, si pro se juris præsumptionem habeat, cuiusmodi est quòd sit bonus, castus, legitimè natus, irregularitate, aliisve defectibus liber, donec contrarium ostendatur, extrinsecæ tamen seu adscitę conditiones ac qualitates probandæ sunt v.g. in Academiâ se studuisse, Doctorem aut Licentiatum esse, sicuti docent *DD. vbi gloss. verb. Scientia. de elect. in 6.* 2

De intrinsecis quoque qualitatibus videlicet morum integritate, corporis sanitate inquirere ad promouentem pertinet, tametsi nulla infamia, aut sinistra suspicio antecedat, sed ita, vt si post inquisitionem non appareat vitium aut defectus, præsumptio fiat pro integritate, vti hîc dicitur. Adde quòd in Ecclesiis consuetudo vigeat, vt nemo ad beneficium promoueatur, nisi de legitimâ natiuitate aut morum integritate testimoniales litteras aut testes afferat.

TITV-

TITVLVS XXIV.
DE IVREIVRANDO.

IN defectu aliarum probationum frequenter in judicio recurritur ad juramentum, quia maximum expediendarum litium remedium est jurisiurandi religio. *l.1. de jureiurando.* igitur postquam de probationibus in genere ac specie dictum est, subiungitur de jureiurando.

CAPITVLVM I.

Ex administrationis.

PARAPHRASIS.

Creditores qui pacti de vsuris soluendis juramenta à debitoribus exegerunt, ad eorundem relaxationem per Ecclesiasticas censuras compellantur.

SVMMARIVM.

1. *Debitor vsuras juratò promittens, non obligatur quidem ad eas soluendas ex justitia erga hominem, sed ex Religionis virtute erga Deum.*
2. *Creditor cui jurata vsuræ promissio facta est, ex justitia obligatur ad juramenti remissionem, quâ facta debitor liberatus est coram Deo.*
3. *Si creditor relaxare juramentum nolit, potest à judice cogi, vel creditore nolente, ipse judex relaxare.*

1 NOta I. Tametsi debitor, qui vsuras promisit, ex vi pacti non obligetur ad soluendum, si tamen promissioni juramentum adiecerit, obligatur non quidem ex justitia erga hominem, sed ex Religionis virtute erga Deum. Prior pars ex eo constat, quia vsuræ titulus jure naturali iniustus & irritus est, siue, vt aliis verbis dicam, per vsurariam pactionem, vel contractum nullum jus acquiritur. *c. Cùm tamẽ. 5. c. Tua. 9. de vsuris, & docui lib. 3. tr. 4. c. 16. n. 6.*

Altera pars continet duo membra, Prioris ratio est, quòd juramentum non possit esse confirmatorium pacti seu promissionis, nisi ea saltem aliquo modo naturaliter subsistat, aliàs irrita erit, quia quod non est, confirmari non potest, vti docui *l. 4. tr. 3. c. 8.* Atqui pactum seu promissio vsuraria jure ipso naturali irrita est, nullámque ex justitia obligationem pariens. ergò pactum vsurarium juramento non confirmatur.

Alterum membrum probatur ex *reg. can. cap. 2. De pactis in 6. cap. Si verò. 8. hoc tit.* Juramentum homini præstitum seruari debet, quotiescunque sine peccato, siue salutis dispendio (intellige ex parte jurantis) seruari potest; atqui is, qui creditori iuxta promissionem ipsi factam vsuras soluit, eâ re non peccat, adeóque eâ re juramentum implere potest, vt docui *cit. tract. 3. cap. 2. num. 1.* & tradit *hîc Abbas* & alii cùm aiunt, quòd vsuræ pactio turpitudinem contineat ex parte recipientis, non ex parte promittentis, aut soluentis; sequitur itaque, quòd vsuras cum juramento promittens, ad earum solutionem obligetur, ob diuini Numinis reuerentiam.

Nor. II. Creditor, cui jurata vsuræ promissio facta est, ex justitia obligatur ad juramenti remissionem, eâque factâ remissione etiam coram Deo liberatus est debitor. 2

Prior pars ex eo constat, quia quisque ex justitiæ virtute obligatur, vt ab actibus injustitiæ abstineat; constat autem Creditorem contra justitiam peccaturum, si vsuram promissam recipiat. igitur ex justitia obligatur, vt nolit recipere, adeôque liberet promittentem obligatione suâ.

Altera pars inde ostenditur, quia quod vis juramentum in hominis gratiam editũ, hanc

hanc tacitam seu virtualem conditionem habet, si promissario gratum fuerit, siue nisi is remiserit, aut condonârit. Vti dixi *eod. tr. 3. c. 9. n. 4. concluſ. 3.*

3 Not. III. Si creditor in tali casu juramentum remittere nolit, Judex eum cogere potest ad relaxandum, vel eo renitēte, ipsemet illius Magistratus relaxationem facere potest, quia in hoc casu factum Iudicis supplet factum partis. Sicuti in simili docent *DD. l. Si ob causam, C. de evict.* quare etiam Magistratus sæcularis relaxationem facere potest, si promissio, vel contractus ad forum eius pertineat, & constet de obligatione recipientis, quòd turpiter juramentum receperit, & ille ad eius remissionem obligetur, vti docet *Abbas inc. seq. n. 3. Sanch. l. 3. Moral. c. 22. n. 16. Molin. tract. 2. d. 149. n. 12. & dixi cit. tr. 3. c. 11. n. 9.*

CAPITVLVM II.

Pervenit.

Paraphrasis.

Arnulphus Comes Laudicensem Episcopum rebus suis spoliauit, cúmque ad jurandum compulit, quòd ablata repetere nolit, hoc audito, Pontifex respondit, Episcopum ex juramento obligationem non contraxisse; veruntamen ad cautelam se eum à coacto isto juramento absoluere, videtur sermo esse de rebus Ecclesiæ, quæ quodammodo Episcopi sunt, videlicet quoad vtilitatem.

Svmmarivm.

1. *Prælatus rebus Ecclesiæ spoliatus, jurans se non repetiturum res ablatas, nullam ex juramento obligationem contrahit.*

Not. vnicum. Si Prælatus rebus Ecclesiæ spoliatus jurauit se nō repetiturum, nullam ex juramento obligationem contrahit, ita habetur in *text. & infrac. Sicut 27. hoc tit.* & docet *glossa verb. Rebus. & verb. Posse constringi. Ioan Andr. hîc. Abbas. num. 4.*

Probatur primò. Iuramentum, quod est de re illicita, obligationem non parit, quia juramentum non est vinculum iniquitatis. *C. Quemadmodum. 25. hoc tit.* atqui juramentum hoc de re illicita est; cùm enim Prælatus ratione publici officij ex justitia obligatus sit ad res Ecclesiæ, quæ iniustè alienatæ, vel ablatæ sunt, repetendas, *c. Si quis Presbyterorum. 6. de reb. Ecclesiæ non alienandis*, sequitur, quod juramentum de non repetendo sit de re illicita, & consequenter non obligatorium.

2. Juramentum promissorium non valet, quatenus cedit in injustum præiudicium personæ tertiæ, Ecclesiæ, vel communitatis, siue, vt aliter dicam, quatenus cedit in præiudicium Iuris publici, aut juris Superioris. *c. Venientes. 19. juncta glossa magna hoc tit. c. Si diligenti. 13. de foro competente.* Sed dictum juramentum cedit in præiudicium Ecclesiæ, & publici juris, cùm Prælatus non sit Dominus rerum Ecclesiæ, sed administrator & custos *c. Fraternitatem. 2. de donat.* Quare quòd in hoc capitulo Papa absoluit Episcopum, id intelligi debet ad cautelam; vel absoluit eum, id est, sententialiter declarauit liberum esse à juramento, sicut in simili habetur. *cap. Absoluimus. 4. juncta gloss. caus. 24. q. 1.*

CAPITVLVM III.

Pervenit.

Paraphrasis.

Promissum non infringit, qui in melius mutat, neque etiam aliquis fidem per juramentum alteri cum conditionibus datam seruare cogitur, si constet illum conditiones non seruare.

Svmmarivm.

1. *Promissum etsi juratum non infringit, qui illud in melius commutat, quo sensu hoc verum.*
2. *In reciproco pacto, etiam jurato, conditio hæc suapte natura ineſt, si altera pars, quacum contrahitur, conditiones sibi præscriptas seruet.*

Prima

PRima Regula notand. Promissum quamvis juratum sit, non infringit, qui in melius mutat, intellige hoc, si promissario, seu illi, cui promissum, gratius & acceptius sit; quare si Deo quidpiam promissum, aut juratũ est, semper in aliud opus, quod absolutè melius, & consequenter Deo gratius est, propriâ auctoritate commutare licet. Vti docui *l.4.tr.4.c.8.n.19.* Sin autẽ homini seu in fauorem hominis juramentum promissorium editum sit, non potest jurans promissũ in aliud opus, etiamsi Promissario melius sit, commutare, ipso invito seu acceptum non habente, sicuti hîc docet *Abbas & Felin.n 2.* & sumitur ex *l.2.§. Mutui. ff. de reb. creditis.* Vbi habetur, quòd aliud pro alio creditore invito, solui non potest.

Altera Regula. In reciproco pacto, fœdere, aut trãsactione, tametsi jurata sit, cõditio suapte naturâ ineſt, si altera pars, quacum contrahitur, aut fœdus initũr, cõditiones sibi præscriptas obseruet; at verò fidem frangenti, fides seruanda non est, vti docet *gl. in l. Cùm proponàs. 21. C. de pactis.* & habetur *in regula 75 in 6.* frustra quis fidem sibi postulat seruari ab eo, cui fidem à se præstitam seruare recũsat.

Adde non esse improbabile, quòd *Sanch. l.3. Mor.c.17.n.16.* dicit, huic doctrinæ locũ etiam esse, si quis absolutam gratuitam promissionem juratam fecerit. v.g. se mutũo daturũ, promissarius autẽ alij suo debito nõ satisfaciat, quòd jurans propter ingratitudinẽ illius resilire possit à promissione, nam talis revocatio gratuitæ promissionis propter ingratitudinem secundùm se concessa est. Vti tradit *Molin. tr.2. de Iust. d.272.n.10.* Ergo etiam accedente juramento licita manet, quandoquidem juramentum sortitur naturam & conditiones actûs cui adiungitur. *c. Quemadmodum.25. hoc tit.*

CAPITVLVM IV.

Ego N.

PARAPHRASIS.

Episcopus in sui ordinatione juramentum præstare debet, 1. Fidelitatis & obedientiæ seruandæ erga sedem Apostolicam & Romanũm Pontificem canonicè electũ, dein quod Papatum Ecclesiæ Romanæ & Canones, seu Regulas SS. PP. defendere velit ac retinere contra omnes homines, salvo Ordine suo, i. e. quatenus spectata Ordinis sui dignitate ac statu honestè ac decẽter potest. Et quòd vocatus ad Synodum, nisi Canonicum obstiterit impedimentum, accedere velit, Legatum quoq; Apostolicæ sedis, si certum esse cognouerit, in eundo & redeundo honorificè tractare, & in necessitatibus adiuvare velit, denique quòd limina Apostolorum annis singulis, per se vel per certum nuntium visitabit, nisi huius rei remissio ab ipso impetretur.

SVMMARIVM.

1. *Episcopi & Prælati exempti, si dignitatem aut electionis suæ confirmationem à Papa accipiunt juramentum sedi Apostolicæ edere debent.*
2. *Episcopus metu sæcularis potestatis consentiens in læsionem immunitatis Ecclesiæ, agit contra prædictum juramentum.*
3. *Vocatus etiam à Metropolitano ad prouinciale, à Papa ad generale concilium, comparere ipsemet, vel impeditus per legatum tenetur.*
4. *Episcopi singulis annis ad limina Apostolorum venire debent, nisi ea obligatio eis remittatur.*
5. *Sufficit tamen vt remoti ab Italia, itinere saltem duorum dierum de statu Ecclesiæ suæ scripto doceant.*

NOt. I. Epicopi in suo ordine juramentum edere debent sedi Apostolicæ, imò non tantùm Episcopi, sed & alij omnes Prælati exempti, si dignitatem aut electionis suæ confirmationem à Romano Pontifice accipiant, sicuti hîc testantur *Ioan. Andr. Abbas. Felin. in principio.* 1

Not. II. Episcopus qui timore sæcularis potestatis consentit in Iurisdictionis aut Immunitatis Ecclesiæ læsionem, agit contra juramentum Apostolicæ sedi editum, quod Papatum & Regulas SS. PP. contra omnes 2

homines defendere velit. Veruntamen si inter Papam & Christianum Principem bellum oriatur circa temporalia, non tenetur Episcopus adiuvare Papam, cùm non sit vasallus eius, nec ipsi in ordine ad jura eius temporalia, sed in ordine ad Papatum, seu Papalem jurisdictionem ac potestatem juramentum ediderit.

3 Not. III. Si Episcopus à Metropolitano ad Synodum Provincialem vel à Papa ad generale Concilium vocetur, comparere ipsemet debet, nisi impedimento necessario detentus sit, vti etiam habetur in *c. Si Episcopus 13. dist. 18. vbi glos. verb. Præceptione*, monet, sufficere vnam citationem, vt Episcopus tanquam inobediens puniatur, licet in judicialibus trina requiratur. Sicut notat hîc *Ioan. Andr.* qui addit, tametsi Episcopus omnes Episcopos videat ire ad Synodum provincialem, non tenetur ipse venire, nisi vocatus. Porrò si Episcopus impeditus sit accedere personaliter, Legatum eo destinare debet. *c. Episcopus 29. dist. 18.*

4 Not. IV. Episcopi singulis annis per se vel per Nuntium ad limina Apostolorum venire debent, nisi ea obligatio ipsis à sede Apostolica remittatur, sed paulò aliter habetur *in c. Iuxta. 4. dist. 93.* vbi distinguitur inter Episcopos propinquos, quòd venire debeant (per se vel per alium, ait Glossa ibidem; sed malim ego dicere sensum esse, vt per se veniant, nisi impediti sint) & inter remotos videlicet qui vltra Italiam sunt, vel saltem duorum dierum itinere distant, vt ij satisfaciant, si per scriptum quot annis Romam missum de statu Ecclesiæ suæ doceant.

CAPITVLVM V.

Nullus.

PARAPHRASIS.

Episcopus à Clericis suis nisi administrationem aliquam habeant, juramentum fidelitatis & obedientiæ exigere non debet. De reliquo hoc Cap. non summatur.

NOt. vnicum. Simplices Clerici ac Sacerdotes Episcopo suo obedientiam & fidelitatem jurare non coguntur. Excipe casum, si de inobedientia aut rebellione suspecti sunt, vti docui *in c. 3. de Maioritate.*

CAPITVLVM VI.

Debitores.

PARAPHRASIS.

Debitor Creditori promittens vsuras, non tenetur eas soluere, nisi jurârit se soluturum, tunc ex reverentia Divini Numinis adeóque Religionis tantùm virtute obligatur ad soluendum; solutas tamen vsuras Creditor restituere debet, & ad id, si opus sit, per Ecclesiasticam censuram compellendus est.

SVMMARIVM.

1. Harum solutio turpitudinem tantùm habet ex parte Creditoris recipientis, qui eas restituere tenetur.

NOt. vn. Soluere vsuras promissas non est peccatum, nam alioquin juramentũ solvendi iurantem nõ obligaret, cùm nemo obligari possit ad peccãdum; quare promissio & solutio vsurarum turpitudinem tantùm habet ex parte creditoris recipiẽtis, qui cùm titulum seu jus recipiendi nullum habeat, acceptæ vsuræ dominium non comparat, & ideò ex justitia restituere debet. Sicuti docet *S. Thom. 22. q. 78. a. 3.* 1

Objcit *Gloss. verb. Cogendi &c.* Debitor qui vsuras soluit, potest illas repetere, tanquã indebitè solutas, vti docent. *DD. in c. Ad nostram. 2. hoc tit.* Ergo non tenetur soluere promissas. quid enim opus est soluere, si poste a restituere debeat? & confert huc *Regula 198. ff. Cui damus actionem*, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit. 2

Resp. rectè ostendi quod debitor vsuras juratas ex lege justitiæ soluere non teneatur, obligaretur tamen ratione juramenti ex Religionis virtute, cùm autem juramẽtum hoc strictam interpretationẽ mereatur ideò obligat ad soluendum, non item ad solutas non repetendum, nisi & hoc ipsum in juramento expressum sit, vt infra dicetur.

CAP.

CAPITULUM VII.

Ad nostram.

PARAPHRASIS.

PQuibusdam pecuniam mutuauit, possessionibus ac redditibus eorũ in pignus receptis, atque insuper juramẽto obstrinxit debitores, quòd super his pignoribus, donec debitum solutum sit, nullum ipsi grauamen inferre velint, sed Archiepiscopus Creditorem illum idcirco excomunicauit, licet ex pignoribus nondum sortem integrã deductis expensis percepisset, atque paratus fuisset, si integram percipere, quòd vellet æsse contentus. Hoc intellecto rescripsit Alex. III. vt creditor idem, recepta priùs cautione sufficiente, absoluatur à censura; dein debitores, qui possessiones oppignoratas subtraxerunt, per censuram compellãtur eas restituere, nullámque Creditori super ijs molestiam inferre, donec pecunia mutuò accepta ipsi soluta sit; postquam verò pecuniam iuxta juramentum suum soluerunt, tunc Creditorem compellant ad restituendũ, quidquid vltra sortẽ ipsum recepisse constiterit, quòdsi admonitus non paruerit, in eandem excommunicationis censuram, à qua absolutus erat, reducatur.

SVMMARIVM.

1. *Fructus ex pignore percepti in sortem computantur, deductis expensis in rem oppignoratam factis.*
2. *Absolutus in externo foro ab excommunicatione, etiam in causa dubia, si periculum sit de præiudicio aduersarij, sufficiens cautio exigenda est.*
3. *Debitor jurans Creditori se super pignore ob fructus perceptos, nullam molestiam illaturum, tenetur juramento.*
4. *Id quod Creditor ex fructibus vltra sortem percepit, restituendum est.*

1 NOt. I. Fructus ex pignore percepti in sortem computantur deductis sumptibus seu expensis, quæ in rem oppignoratam factæ sunt. *l. 1. 2. & vlt. C. De pignoratitia actione.* & docui *l. 3. tract. 4. cap. 32.*

Not. II. Si quis in externo foro ab excommunicatione absolvatur, etiam in causa dubia, sive cùm dubitatur, num justè lata sit, necne, periculum verò subsit, ne absolutio in præiudicium adversarij cedat, exigenda priùs est cautio sufficiens, videlicet per pignora, aut fideiussores, aut saltem juratoria de parendo mandatis Ecclesiæ, ita *Andr. hîc. num. 7.* 2

Not. III. Si debitor expresè, vel tacitè jurauit Creditori se super pignore ob fructus perceptos & absumptos nullam molestiam exhibiturum, seu illud non repetiturũ, donec pecunia ipsi soluta sit, juramẽto obligatur, ita sumitur ex hoc Cap. Ratio est, quia juramentum quodlibet promissorium servari debet ob divini Numinis reverentiam, si possit absque peccato. 3

Objcies 1. *L. 1. C. De pignoratitia actione.* Ex pignore percepti fructus computantur in debitum, & si sint sufficientes ad totum debitum, soluitur actio & redditur pignus. Si itaque cõtra debitorem seu mutuatarium post sortem integrè ex fructibus perceptam nulla actio competit, sequitur quòd nulla eidem insit obligatio, quoniam actio & obligatio correlata sunt.

Objcies 2. Compensatio species solutionis est. *l. Si te. 4. §. Soluisse. ff. de re judicata, & l. 76. ff. De verborum significat.* vbi dicitur dedisse etiam eum, intelligẽdum esse, qui compensauit. & docui *l. 3. tr. 2. c. 9. n. 9.* Si ergo ex mutuo debeam tibi mille, tu autem ex fructibus pignoris mei tantundem lucratus es, compensatione facta soluisse censendus sum, & juramento satisfeciſse.

Ad primùm resp. verùm esse, quòd cõpensatio ac veluti solutio quædam sortis ipso jure fiat, si ex pignore fructus percepti & absumpti sunt à Creditore, potest tamẽ debitor huic cõpensationis juri renuntiare, promittens, quòd pecuniã mutuò datã priùs soluere velit, quàm fructuum perceptorũ restitutionẽ seu compensationem exigit. Probabiliter tamen ait *Abbas hîc. n. 3.* talem pactionẽ videri vsurariã, si enim onus pretio æstimabile imponatur ei, qui mutuũ accepit v.g. vt

& ipse postea mutuum dare cogatur, vsura committitur, vti dixi *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 3.* Hîc autẽ onus, seu grauamen pretio æstimabile imponitur mutuatario, quãdo jam ipso jure liberatus à solutione, soluere cogitur, & postea exspectare, donec sibi pro fructibus perceptis satisfaciat.

Ad alterum n. Licet vera sit doctrina, & à plerisq; recepta, cùm, qui jurauit se debitum soluturum satisfaciat, si compensatione legibus concessâ vtatur, eò quòd juramentũ circa materiam juris interpretandũ sit iuxta limites Iuris, vti docui *cit. tr. 3. c. 9. n. 2. & 6.* tamen in casu huius Capituli renuntiauit huic suæ compensandi facultati, vt supra dixi, *& cit. n. 6. §. Neq; his obstat.*

4 Not. IV. Si creditor ex fructibus aliquid vltra sortem percipiat, idipsum restituere debet *l. 1. C. De pignoratitia actione.* Si verò superent debitum, ipsi fructus percepti reddantur, qui supersunt mota pignoratitia actione.

CAPITVLVM VIII.

Si verò.

PARAPHRASIS.

Titius Caium graui incusso metu compulit ad renuntiandum sibi beneficium cum juramento. Dubitatum postea fuit, vter eorum beneficium habere debeat. Respondit Alexander III. non esse tutum, vt aliquis agat contra juramentum suum, nisi tale sit, quod vergat in salutis dispendium, id est, sine peccato seruari non possit, sed & Pontificem vereri aliquid agere, quo occasionẽ præbeat juramentum violandi, ne periurij auctor ipse videatur. Nihilominus ab Antecessoribus suis frequenter Clericis datam esse absolutionem, si per grauem metum beneficiis renuntiârunt, & concessum ipsis, vt in resignatis beneficiis deinceps ministrarent, vt hac ratione iniquitas eorum coërceatur, qui viros Ecclesiasticos ad renuntiandum compellere audent &c.

SVMMARIVM.

1. *Clericus resignans alteri beneficium cum juramento, quòd nolit illud repetere, seruare illud debet; eius tamen relaxationem petere potest.*
2. *Juramentum possessorium, quod ex parte recipientis nullam habet turpitudinem, à solo Papa relaxari potest.*
3. *Si verò continet turpitudinem ex parte recipientis, relaxari illud potest ab Episcopo, vel quasi Episcopalem jurisdictionem habente.*
4. *In dubio præsumptio est pro juramenti valore, manetque jus eius, cui juratum est, exinde fundatum, donec de eo dolus aut vis iniusta probetur.*
5. *In dubio juris vel facti (modò absit præiudicium tertij) Episcopus declarare vel relaxare tale juramentum potest.*
6. *Resoluitur quæstio, quisnam Episcopus juramentum relaxare debeat, jurantisne, an eius cui juratur.*
7. *Discrimen inter promissionem juratam v. surarum, & factam v. g. latroni ob metum iniustum.*

NOT. vnicum. Si Clericus graui & iniusto metu adactus beneficium suum alteri resignet cum juramento, quod repetere illud nolit (sicuti *glossa hîc explicat, verb. juramenti.*) Seruare illud debet, nihilominus petere potest, vt à iuramento Ecclesiastica potestate absoluatur. Prior pars probatur ex Reg. Can. *omne promissorium juramẽtum seruari debet, si possit absque peccato,* & dixi de hoc *in cap 2. De iis, quæ vi &c.* 1

Altera pars probatur; cùm æquum non sit, vt aliquis ex iniquitate sua commodum ferat, ideò in odium incutientis metum iniustum, absolvendus est à iuramẽto, qui vim passus est, & postea per actionem, quòd metûs causa, aut ex Iudicis officio in integrum restituendus, perinde, ac si resignatio nulla antecessisset, vt hîc apparet, *& in c. Ad audientiam. 4. de iis quæ vi, metúsne.*

Hoc loco quæritur, quis possit absoluere à iuramento, seu relaxare iuramentum promissorium homini præstitum?

Respon-

2 Respond. & Dico 1. si ex parte recipientis iuramentum promissorium non sit turpitudo, videlicet dolus, læsio enormis, aut vis iniusta, tunc nemo illud relaxare potest, præter Papam, eò, quòd solius sit supremi principis, jus efficaciter alicui acquisitum auferre, sed nec ipse Princeps videlicet Pontifex id potest, aut solet nisi ex grauissima causa. *Sotus. lib. 4. de just. q. 1. a. 9.*

3 Dico 2. Si constet turpitudinem versari ex parte recipientis, quia per dolum, læsionem valdè enormem, aut vim iniustam impetrauit promissionem, renuntiationem, aut contractum ab altero juratum, adeò vt quod ita promissum est, recipere non possit, & datum restituere cogatur, tunc iuramentum ordinariâ Episcopi aut Jurisdictionem Episcopalem habentis auctoritate relaxari potest; Est communis doctrina apud *Sanch. l. 3. Mor. c. 2.* & sumitur ex *c. 2. de pactis. n. 6.* vbi docetur tale juramentum non esse omninò, seu inuiolabiliter seruandum, quia videlicet ordinaria potestate Prælati relaxari debet.

4 Dixi autem *si constet*, at verò in dubio præsumptio est pro valore juramenti, atque jus eius, cui juratum est, exinde fundatum manet, donec de eo dolus, aut vis injusta demonstretur. Sin autem sit dubium juris, seu diuersitas inter doctores, num Episcopus absoluere possit. Item in dubio facti, num iuramentum obliget tamen sine præiudicio tertii, tunc dicendum, quòd Episcopus declarare, vel relaxare possit, teste *Felino. hîc. n. 18. Sa, verb. juramentum. n. 28.*

5 Alia quæstio. Quisnam Episcopus iuramentum relaxare debeat, jurantisne, an eius cui juratur. Pro solutione aduertendum ex *Abbate in c. 1. n. 7. Alexand. de Nauo. n. 28. hoc. tit.* quòd ad jurandum iniustè adactus, duo remedia habet liberandi se à promissione.

6 Primum, vt ab Episcopo suo absolutionem seu relaxationem juramenti impetret. Secundum, vt cogat eum cui juratum est, ad remittendam obligationem juramenti, & cùm hæc duo remedia separatim & independenter concessa sint, in optione jurantis est, vtro eorum vti malit. *l. Quoties. 40. ff. de actionibus.*

Respondeo & Dico 1. Si relaxatio juramenti tantùm fiat secundùm forum conscientiæ, vel extra judicium. v. g. si Episcopus relaxet tibi iuramentum, quod latroni fecisti de soluenda pecunia; item si iuramentum relaxetur in ordine ad effectum agendi duntaxat, seu petendi, vt contractus per dolum, aut metum iniustum factus rescindatur, tunc Episcopus jurantis relaxare debet. ita *Felin. hîc. n. 24. & 31. Sanch. n. 35.* Agitur enim hîc de vinculo quo secundùm conscientiam jurans impeditur, quod ex justa causa dissoluere pertinet ad proprium Ordinarium, sicuti & in votis. Neque opus est hoc casu, vt pars altera citetur & audiatur: cùm non agatur de præiudicio eius æstimabili, quia jus ipsi suum si quod habeat integrum manet, vt judicio experiri possit.

Dico 2. Si relaxatio Juramenti fiat in ordine ad liberandum jurantem ab obligatione dandi aut soluendi, quod promisit, vel ad rescissionem contractûs per dolum, læsionémue valdè enormem, vel metum iniustum celebrati, tum ordinariè fieri debet ab Episcopo eius, cui juratum est, ita *Felin. & Sanch. ll. cc.* Ratio est partim quia plerumque relaxatio juramenti fieri solet à Judice tàm Ecclesiastico, quàm sæculari supplendo factum partis, si videlicet ipsa pars, cui ita juratum est, remittere juramentum debeat & non remittat, tunc Judex seu Magistratus loco ipsius remittit: Ad id verò Jurisdictio requiritur erga partem, vti notauit *Molin. t. 1. tr. 2. d. 149. n. 12.* Partim quia plerumque is, cui juratum est, partes Rei in judicio agit, si videlicet coram judice petatur, vt contractus, aut renuntiatio promissa juramenti relaxatione rescindatur, quamobrem is, cui juratum est citari debet, quod ad judicem eius ordinarium propriè pertinet.

Dixi autem in assertione *Ordinariè*. Excipiendum enim est primò, si contractus in aliena diœcesi cum juramento iniustè extorto

initus sit, tunc Judex seu Episcopus loci, qui de contractu cognoscit, *c. vlt. de foro competente.* consequenter etiam juramentum relaxare potest: nam cui conceditur finis, etiam ea conceduntur, quæ sunt ordinata & necessaria ad finem. *c. Præterea. 5. de officio delegati.*

2. Si is, cui juratum est, ipsemet agat ad impletionem pacti jurati, ideóque sponte se subiiciat Episcopo jurantis, tunc idem Episcopus cognitâ causa, videlicet interuenientis doli, aut metûs iniusti, absoluere potest subditum suum, idque sentiunt *Felin. & Sanch. ll. cc.* quando generatim dicunt, quòd Episcopus jurantis relaxare possit juramentum eius, quotiescunque citatio partis aduersæ non requiritur.

3. Si causa relaxandi, videlicet dolus, aut vis iniusta notoria sit, tunc relaxatio juramenti sine citatione partis facta proderit juranti, vt si in externo judiciali foro postea conueniatur, per exceptionem doli, aut metûs se defendere possit. Sicuti notauit *Alexander. in c. Debitores. n. 25 hoc. tit.* qui egregiè etiam aduertit *n. 14.* discrimen esse inter promissionem juratam vsurarum, & promissionem factam. v. g. Latroni obmetum injustum, quòd ex illa omnino nulla actio, aut obligatio oriatur, ex hac verò oriatur mero jure, quamuis infirma & inefficax, quia per oppositam exceptionem elidi potest, vel per restitutionem in integrum rescindi, juxta ea, quæ docui in *c. 2. de iis, qua vi.*

CAPITVLVM IX.

Ex rescripto.

Paraphrasis.

Petrus Abbati Tremensi 8000. solidis mutuo datis conuenit, vt solutio. v. g. certo tempore ac loco fieret, atque in securitatem eius Abbas Monachos dedit obsides, qui de obseruanda conuentione etiam jurârûnt, ita quidem, vt si ipsi deficerent, alii Monachi obsides substituerentur; quòd si & hi fidem frangerent, in defectum eorum, Abbas fideiussores dedit V. & vxorem eius, qui similiter de fide seruanda jurârunt. Quibus intellectis mandat Alexãder. III. quibusdam Episcopis, vt Abbatem, Monachos & coniuges illos moneri curent, quòd sicuti jurârunt, ita conuentionem implere teneantur. Alioquin Abbati & Monachis ingressum Ecclesiæ interdicant; at verò in coniugum illorum terra, diuina officia vsque ad dignam satisfactionem celebrari inhibeant.

Svmmarivm.

1. *Homo liber pro debito ciuili, imò etiam Religiosus pro debito Monasterii obses dari potest.*
2. *Quid juris circa obsides, tam qui publicâ authoritate, quàm qui à priuato pro ciuili debito dantur, & qui dari possint.*
3. *Debitor obligare se potest, vti si in mora solutionis fuerit, in carcere publico vsque ad solutionem factam detineatur, vel in arrestum ponatur.*
4. *Non tamen potest se obligare ad verbera, torturam, mortis panam.*
5. *Obses pro ciuili debito datus non tenetur eo loco permanere, in quo sistitur.*
6. *Limitatur.*
7. *Mulier si jurato fide jussit, obligatur, non obstante Senatus Consulto Velleiano.*
8. *Ob pecuniarium debitum potest Papa terram debitoris interdicto subijcere.*

NOtandum 1. Homo liber pro debito ciuili, imò etiam Religiosus pro debito Monasterii obses dari potest, ita *gloss. hic. verb. Monachos. gloss. in c. Exposita. 11.* verb. *obsidum, de arbitris.* 1

Pro maiori intellectu, Aduerte: Obsides quandoque dari publicâ authoritate, vt fœdera inter eos, qui belli gerendi jus habent, obseruentur, obsides isti velut seruituti subiecti videntur, adeò vt testamentum sine Principis licentia permissum eis non sit. *l. Obsides. 11. ff. de testament.* Quòd si pacta seu fœdera non seruet pars ea, quæ obsides dedit, ij bonis spoliari, sed non interfici possunt, si innocentes sint, aut talem pœnam

non

non mereantur, vti docet *Molin. tract. 3. d. 120. n. 7. & disp. 550. n. 5.*

Interdum verò obsides dantur à priuato pro ciuili debito, & in hos jus aliquòd reale, videlicet, pignoris, aut quasi seruitutis non acquiritur creditori. *l. Ob as. 12. C. de actionibus. l. Qui filios. 6. C. Quae res pignori.*

Excipe 1 Quòd Pater filium ob grauissimam necessitatem famis v. g. pignori dare possit. *l. 2. Cod. de patribus, qui filios distraxerunt*; & hâc ratione docet hîc *Felin. n. 4.* quòd in maxima Monasterii penuria, cui aliter subueniri non possit, Abbas Monachos pignoris loco dare non prohibeatur, vt extra claustrum detineantur, donec debitum solutum sit.

Excipe 2. Quòd in pluribus regnis obligatio obstagii debitori imponatur, die Laistung/ i. e. si debitor, aut eius fideiussor pactum non seruet, v. g. mutuam datam pecuniam suo tempore & loco non soluat, quòd vocari possit, vt in certo loco compareat, nec recedat, donec satisfactum sit. Verùm eiusmodi obligationes Anmanung zu der Laistung/ablatæ sunt in Imperio, Francofurti 1577. politischer Ordnung. *tit. 17.* §. wiewohl auch. Videri potest *Ioan. Andr. hic. num. 4. Gail. lib. 2. obseruatione 45. &c.*

Excipe 3. Quòd debitor obligare se possit, si in mora solutionis fuerit, vt carceri mancipetur, in eóque detineatur, donec soluat, teste *Felin. hic. n. 8. & 12. Gail. l. 2. de pace publica. c. 2. n. 8.* id verò intelligi non debet de Carcere priuato, quippe quod leges prohibent. *l. 1. C. de Carc. priuato.* sed de publico, in quem per Magistratum debitores coniici possunt: si in mora soluendi sint, neque cautionem solutionis præstent. *argum. l. 1. C. Qui bonis cedere.* Vbi dicitur, quòd cessio bonorum liberet debitorem, quominus si soluere non possit, in carcerem coniiciatur.

Simili ratione obligare te potes, si in mora soluendi fueris, vt manu prehendaris, & in arestum Magistratûs auctoritate ponaris, cùm enim id licitè quandoque fiat à Magistratu, multò magis si etiam in pactum deduxerit debitor. *argum. c. Dilectus. 32. prope finem de Elect.* & videri possunt. *gl. & DD. in c. P. & G. 40. verb. promulgares, de officio delegati.* Verùm id fieri non potest, vt aliquis se ad verbera, torturam, vel mortis pœnam obliget, nisi satisfecerit, cùm homo non sit Dominus vitæ suæ, & membrorum. *l. Liber homo. 13. ff. Ad. l. Aquil.*

Quæritur num obses pro ciuili debito datus, in loco in quo sistitur, permanere obligatus sit. Communiter respondent negatiuè. *Innoc. hic. Abbas. n. 8. Imol. n. 6. Felin. n. 7. & 8. Conarru. 2. resol. c. 1. n. 1. in fine* præterquam si juramentum accesserit. 4

Ratio reddi debet quia hæc species seruitutis est, cùm fieri possit, vt debitor diutissimè moram trahat, aut nunquam soluat, talis autem seruitus & semper manendi necessitas, homini libero non conuenit. *argum. l. Titio. 71. §. 2. Titio. ff. De Conditionibus, vbi hæc habentur*: Titio 100. relicta sunt, ita vt à monumento meo non recedat, vel vt in ista ciuitate domicilium habeat, potest dici non esse illum locum cautioni, per quam jus libertatis infringitur. 5

Excipitur 1. Quòd ad permanendum certo tempore, homo se obligare possit, 2. quòd fauore piæ causæ se quispiam obligare possit, v. g. ad seruiendum Ecclesiæ, aut Xenodochio, quia Deo seruire, non est seruitus, sed libertas. 3. Nisi juramentum semper persistendi accesserit, sicuti dictum in Respons. Cùm enim obiectum huius juramenti malum non sit, nec bonis moribus naturalibus repugnans, ideóque sine peccato juramentum seruari possit, debet seruari, donec relaxatio impetretur videlicet à Papa, quam dare potest propter magnam obseruationis difficultatem, imò si ex parte recipientis turpitudo aliqua appareat, etiam Episcopus poterit relaxare. 6

Not.

7 Not. II. Licet mulier ex Senatus consulto Velleiano tuta sit, si pro altero fidejusserit, tamen si fideiussioni suæ juramentum adiecit, obligatur. Vide quæ docui. *l. 4. tr. 3. c. 6. assert. 5. exemp. 9.*

8 Not. III. Pontifex ob pecuniarium debitum non solutum, terram debitoris interdicto subiicere potest. Vide quæ dixi. *l. 1. tr. 5. p. 14. c. 4. in fine.*

CAPITVLVM X.

Querelam.

Paraphrasis.

Wilhelmus Clericus, R. Canonico Linconiensi juratus promisit duos bisantios annuatim se ipsi soluturum, nomine Ecclesiæ De Statera; sed à solutione pensionis per biennium cessauit. Super hoc delata est querela ad Alexand. III. qui Respondit cùm Ecclesias regere non mereantur, qui periurii Rei sunt, ideò, si appareat Judicibus à se delegatis ipsum non necessitate, sed voluntate solutionem pensionis omisisse, vt Wilhelmum ab Ecclesia illa remoueant, & R. restituant.

Videtur hæc Ecclesia pertinuisse ad Canonicum R. sed secundùm administrationem, & curam actualem in ea positus erat VVilhelmus tanquam Vicarius perpetuus, & intitulatus, ita vt pensionem quotannis solueret Rectori principali. Cùm autem VVilhelmus contra juramentum solutionem biennio intermisisset, petiit R. Vicarium titulo suo priuari ac remoueri, tanquam periurii crimine irretitum.

Svmmarivm.

1. *Clericus de periurio conuictus, beneficiis suis priuandus & deponendus est.*
2. *Non violat promissorium juramentum, qui illud ob necessarium impedimentum non implet.*
3. *Mortuo, vel deposito Vicario perpetuo, cura beneficii est penes Rectorem principalem, dum alius substituitur.*

Not. I. Clericus conuictus de periurio beneficiis suis priuandus ac deponendus est, vti habetur. *c. Cùm non. 10. de judiciis.* Vide quæ docui. *l. 1. tract. 3. p. 5. c. 4.*

Not. II. Promissorii juramenti violator, seu periurii Reus non censetur, qui ob impedimentum necessarium promissum non implet, quia necessitas legi non est subiecta. *c. 2. de obseruatione jeiunii.* & docet *gloss. hic*, verb. *necessitate.*

Not. III. Si Vicarius perpetuus moriatur, aut deponatur, interim dum alius substituitur, administratio & cura actualis Ecclesiæ, aut beneficii est penes principalem, ita sumitur ex *h. c. in fin.* & docui in *qq. de elect. q. 208. in fine.*

CAPITVLVM XI.

Tua.

Paraphrasis.

Præsentati Clerici jurârant patronis, quòd maiorem ipsis, quàm antea consuetum erat, pensionem soluere vellent, postea verò cùm ab Episcopo iterum instituebantur, iterum jurare debebant, quòd antiquam & solitam pensionem patronis præstandam augere nolint. Dubitatum fuit, vtro juramento Clerici stare debeant.

Respondit Lucius III. Cùm posterius juramentum, quod ratione & Lateranensis Concilii auctoritate nititur, præiudicet alteri juramento priori, quippe quòd de cupiditate processit, ideò posterius seruandum; Justum autem esse, vt Clerici ob periurium, quod violare non possunt, ab Ecclesiis remoueantur.

Svmmarivm.

1. *Patronus Ecclesiæ potest cum Episcopi consensu pensionem annuam sibi soluendam ex ea reseruare.*

Nihil

Nihil tamen postea amplius ab Ecclesia, nec pensionem augere potest.

2. *Promissio censûs facta patrono ante præsentationem, & cum ordine & pacto præsentationis consequendæ, Simoniaca est, redditque præsentationem seu institutionem nullam.*

3. *Etiam periurium assertorium, si sit de re graui, inter crimina valde grauia & depositionem merentia numeratur.*

1 ADuertendum. Quòd Patronus, qui Ecclesiam fundat, ædificat, aut dotat, pensionem annuam sibi ex ea soluendam cum Episcopi consensu reseruare possit. *c. Præterea. 23. de Iure Patronatûs.* Postea verò nihil exigere potest ab Ecclesia, nec pensionem augere. *cap. Prohibemus. 7. de censib.* adeò, vt tametsi Clericus beneficiarius juret se pensionem maiorem soluturum, pro irrito habendum sit juramentum, quippe factum in detrimentum Ecclesiæ, & contra Generalis Concilii prohibitionem. *c. Prohibemus. c. Grauis. 13. juncta. gloss. verb. absoluit. eodem tit.*

2 His adde, quòd si promissio censûs facta sit Patrono ante præsentationem, & cum ordine & pacto expresso, aut tacito præsentationis consequendæ, Simonia committitur, & ideò ipso jure irrita sit promissio seu institutio præsentati. *c. Cùm Clerici. 6. de pactis & notat. Abbas. hîc. n. 3.*

Oritur autem hinc difficultas, cùm juramentum istud augendæ pensionis jurantem non obliget ad obseruationem eius, cur Clericus iste, tanquam periurus, puniatur, & ab Ecclesia remoueatur.

Respondeo, hâc obiectione ostendi, quòd Clericus iste periurium promissorium non commiserit, huius enim periurii malitia in eo consistit, quòd iurans promissionem iuratam implere negligat, id verò locum nõ habet, si iuramentum obligatorium non sit, siue impleri non possit, aut saltem non debeat. Verumtamen Clericus iste censetur commisisse periurium assertorium, cuius malitia in hoc consistit, quòd quis mendacium, aut falsam assertionem suam juramento sciens confirmat, at verò si quispiam duo contraria, aut contradictoria juratus asserat, videlicet se pensionem majorem daturum, & pensionem maiorem non daturum, is conuincitur alterâ vice mendacium dixisse, & hoc confirmando per juramentum, periurum esse, & ideò beneficiis jure priuari posse, sicuti docui. *l. 4. tract. 2. c. 14. n. 22.*

Dico autem id esse solùm præsumptionem, quia fieri poterat, vt jurans verè habuerit animum præstandi pensionem, postea verò pœnitens, aut de nouo edoctus quòd juramentum non obliget, verè jurauit Episcopo se pensionem auctu-rum non esse, id verò si Clericus ostenderit, à pœna priuationis immunis erit. *cit. § c. Grauis. juncta. gloss.* verb. *absoluit.*

Not. Vnicum. Etiam periurium assertorium si sit de re graui, inter crimina valdè grauia & priuationem seu depositionem merentia numerari debet. *c. Presbyter. 12. dist. 81. t. vlt. 22. q. 1.*

CAPITVLVM XII.

Cùm quidam.

Paraphrasis.

Si Episcopus promissionem juratam violet, tantò grauius in eum aduerti debet, quantò maiori in dignitate constitutus est, vt alii exemplo eius ad similia pertrahi non possint. Illi autem, qui jurârunt, quòd Patri, Matri, fratri, aut Sorori loqui nolint, vel humanitatis subsidia non afferre, absoluendi sunt ab obseruatione juramenti, quippe illiciti & irrationabilis, iniunctâ ipsis, eò, quòd malè jurârint, pœnitentia competente.

Svmmarivm.

1. *Tanto maius est peccatum, quanto in maiori dignitate maximè Ecclesiasticus peccans constitutus est.*

2. *Mulcta pecuniaria personæ nobili maior, quàm plebeiæ imponenda, minor autem*

pœna corporalis, neque tum metuenda personarum acceptio.

5. Iuramentum de re illicita, non obligat.

1 NOT. I. Tanto maius est peccatum hominis quanto in sublimiori statu ac dignitate præsertim Ecclesiæ constitutus est, idque propter ingratitudinem & abusum donorum & gratiarum cœlestium, quibus tales homines præueniuntur, partim propter exemplum malum, quo aliis nocent, videri potest *Abbas. hic.* & quæ docui. *l. 1. tract. 2. c. 9. n. 2.*

2 Veruntamen quòd ad pœnam attinet, distinguere oportet inter pecuniariam mulctam, & corporis supplicium; nam mulcta personæ nobili maior inferri debet, quàm plebeiæ. *argumento. l. Illicitas. 6. ff. de Officio Præsidis.* vbi dicitur, quòd propter inopiam mulcta remittenda sit, & additur ibidem. *gloss. juncta* verb. Reprehensæ, tametsi Reus, cui remissio ob inopiam facta est, postea ditior fiat, non esse aliquid ab ipso repetendum.

At verò pœna corporalis remittitur seu minuitur, si persona nobilis sit, vel in dignitate posita. *l. 2. Vt nemo priuatus. c. vlt. de pœnis.*

Neque verò in his timenda est personarum acceptio, nam quæ secundùm se exigua pœna videtur, infamiam aut corporis molestiam exhibens, comparatione personæ dignoris augetur sicuti & pœna pecuniaria seu mulcta, quæ secundùm se parua est; si inopi imponatur, grauis efficitur. Vti *Felin. hic. not. n. 5.*

3 Not. II. Iuramentum de re illicita, aut bonis moribus repugnante, obligationem non parit. *c. Quarto. 18. hoc. tit. & 56. in 6.* non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum. Vide quæ dixi. *l. 4. tract. 3. c. 6.* & quæ docet *Abbas. in c. Si verò. 8. n. 5. hoc. tit.*

CAPITVLVM XIII.

Sicut.

PARAPHRASIS.

R. Prior monasterii jurauit, se in monasterio in quo professus erat, vlterius cum G. monacho non mansurum. Hoc cognito Respondit Vrbanus. III. Priori illi ob temerarium juramentum, quod contra professionis fidem & stabilitatis suæ propositum edidit, talem pœnam imponendam esse, vt alii exemplo eius territi, tale quidpiam facere pertimescant, ipse verò in Claustro, quippe quod abiurare non potuit, stabili proposito permanens pœnitentiam sibi iniunctam exequatur.

SVMMARIVM.

1. Cum superioris licentia Religiosus extra claustrum degere potest.

2. Pœna delinquenti infligitur, vt alii à malo deterreantur.

1 NOT. I. Iuramentum non obligat si sit de re illicita, siue quæ sine peccato præstari nequit. *c. Præcedente.* Huiusmodi erat iuramentum istud non permanendi in monasterio, in quo monachus professus est. Veruntamen cum superioris licentia quòd Religiosus ex justa causa extra claustrum degere possit, videbis apud *Nauarr. commentar. 2. de regularibus. n. 16. Rodriq. t. 3. reg. q. 53. a. 3. Suar. t. 4. l. 13. de Religione. c. 7.*

Nota II. Pœna delinquenti infligitur, vt alius sit in timore; siue vt alieni mali exemplo caueat. *l. 1. C. ad. l. Jul. repetund. c. Quia propter. 47. causa. 2, q. 7.*

CAPITVLVM XIV.

Veritatis.

PARAPHRASIS.

Dubitatum fuit, vtrum Regis Siciliæ, qui Romanæ sedis feudatarius est, hæredes, postquam vni Pontifici homagium, seu juramentum fidelitatis præstiterunt, successoribus eius iterum jurare debeant. Hanc quæstionem Cardinales aliqui deciderunt, quam & Clemens. III. approbat, quòd satis sit, si vni Pontifici homa-

homagium semel præstiterint ; successoribus verò fidelitatem perinde , ac si etiam ipsis juràssent , seruandam esse.

SVMMARIVM.

1. *Iuramentum fidelitatis præstitum à Vasallo suo Domino , est reale & transitorium ad successores.*

1 NOT. Vnicum Si feudatarius seu Vasallus Domino ratione dignitatis eius homagium seu fidelitatis iuramentum edat, extenditur obligatio iuramenti etiam ad successores eius , cui juratum est , adeóque ex hac parte iuramentum censetur esse Reale siue transitorium , cum re scilicet , dignitate aut officio , respectu cuius editum est. Ratio est quia dignitas ac officium cum persona non extinguitur , sed ad successores transit. *c. Si gratiosè. 5. de rescript. in 6.* consequenter si is , cui ratione officii sui iuramentum præstitum fuit , resignet, aut deponatur ab officio , jurans respectu illius obligatione liberatur : sicuti hoc ipsum in Voto obedientiæ cernere est , quod Prælato fit , vt eo deposito obligatio vouentis cesset in illius persona,& ad successoris personam transeat. *argum. c. Venerabilem. 34. in fine de elect.*

E contra verò iuramentum secundùm propriam obligationem semper personale est ex parte jurantis ; neque hæredem , aut successorem eius obligare potest , intellige ex Religionis virtute : at verò per vim pacti atque ex justitia , si circa rem non illicitam , seu capacem obligationis versetur , obligatio transire potest ac solet ad hæredem , vel successorem. *lege quæ docui. lib. 4. tract. 3. c. 10. q. 3. & eodem tract. 3. c. 1. n. 3.*

CAPITULUM XV.

Verùm.

PARAPHRASIS.

Si qui per vim aut metum iniustum adacti iuramentum promissorium ediderint, ab eo absolui solent. Veruntamen vt consultiùs agatur, & occasio peierandi auferatur , non est iis, qui absoluuntur expressè dicendum , vt iuramentum non seruent , sed quòd puniri non possint tanquam Rei periurii mortalis , si non seruent.

SVMMARIVM.

1. *Promissorium iuramentum vim per aut metum iniustum extortum, cur non obliget omninò seu inuiolabiliter.*
2. *Potest illud judex ex officio relaxare , si metu etiam leui iniustè sit extortum.*

1 NOT. Vnicum. Iuramentum promissorium per vim iniustam extortum, non obligat omnino seu inuiolabiliter, propterea quòd jurans ab Ecclesiastico Prælato , videlicet Papa , Episcopo suo, vel similem in externo foro jurisdictionem habente relaxationem juramenti impetrare possit ; itaetiam dixi in *c. Si verò. hoc. tit.*

Dubitatur I. Cur Pontifex in fine dicat, non esse in absolutione exprimendum,quòd iuramentum seruari non debeat.

Resp. Causam esse seu afferri , ne detur occasio peierandi , si fortè jurans omninò & inuiolabiliter se obligare intenderit ad implendam promissionem , excluso impetrandæ relaxationis remedio, tunc nimirum ita obligatur ex virtute religionis, sed quia talis intentio in dubio non præsumitur , sed potiùs quòd iniustè adactus jurârit secundùm terminos juris , videlicet , relictâ sibi facultate relaxationem impetrandi , ideò in foro externo , si post relaxationem seu absolutionem impetratam implere intermittat, non punitur tanquam periurus. Quanquam ita puniendus esset, si priorem omnimodè se obligandi intentionem habens contra proprium iuramentum postea impetratâ relaxatione promissionem juratam violàsset.

Dubitatur 2. Si iuramentum promissorium metu iniusto , sed leui , siue non cadente in constantem virum , extortum

sit, num ab Episcopo jurantis relaxari possit. *gloss. hic. verb. inuiti. Imol. c. Si verò. n. 4. hoc. tit. Sylvester. verb. juramentum. 4. q. 7. negant, argumento. l. Metum. 6. ff. Quod metus causâ.* quibus *Sanch. l. 4. de matrim. disp. 10. n. 9.* assentitur, si de relaxatione juramenti in externo foro sermo sit, secùs, si de relaxatione pro foro conscientiæ, sed arbitror rectiùs docere. *Joan. Andr. hîc. n. 6. Abbatem. n. 3. Alex. n. 7.* Quòd Judex ex officio relaxare potest juramentum promissorium, tametsi leui metu iniustè extortum sit, quia si talis metus causam jurandi dedit, adest tota ratio, cur juramentum remitti, aut relaxari debeat, videlicet turpitudo metum incutientis, ne ex iniquitate sua commodum ferat, sicuti docet *gloss. in c. Quod dilectus. verb. metum. de iis, quæ vi. ex l. Non est. 23. §. vlt. ff. Quod metûs causa.* & dixi. *l. 3. tract. 4. c. 6. n. 4. ad l. Metum.* Respondeo, licet metum leuem passo, qui causam promittendi dedit, non succuratur per edictum Prætoris seu per actionem, quod metûs causa, succurri tamen Judicis implorato officio propter æquitatem, & in odium metum incutientis.

CAPITVLVM XVI.

Veniens.

Paraphrasis.

A Verbis contenderat, cum M. pluribus vicissim illatis conuitiis, & cùm exinde grauis inimicitia orta esset, quidam se pacis constituendæ causâ interponentes suggesserunt A. vt pro satisfactione, Venetorum Ciuium quorundam mandato se obediturum juraret, quod ipse fecit ex confidentia, seu bona fiducia, ratus non se aliquid commisisse, ob quod graue quidpiam imponendum sibi esset, sed Ciues illi præceperunt, A. vt Ducis Veneti curiam nunquam intraret, nisi cùm omnes per generale edictum ad curiam vocarentur. Verùm A. qui Ducis consiliarius erat, & multarum Ecclesiarum aduocatus, quibus ipse in judicio patrocinium præstare obligabatur, tale juramentum nunquam edidisset, si eiusmodi mandatum suæ obligationi contrarium suspicatus esset.

Hac re cognita Innoc. III. mandat Patriarchæ Grandensi, si posterius istud juramentum priori licitè edito cognôrit esse contrarium, vt Apostolica auctoritate declaret, non seruandum esse.

Svmmarivm.

1. *In generali & jurata promissione non veniunt ea, quæ aliquis, si in mentem venissent, verisimiliter promisisset.*
2. *Juramentum de parendo mandatis alterius, quomodo intelligendum.*

Not. I. In generali, & jurata promissione non veniunt ea, quæ aliquis, si in mentem veniissent, verisimiliter non promisisset, sed excepisset, propterea quòd nimis grauia sint, aut honestè impleri non possint, ita *gloss. hîc. verb. præsciuisset. Alex. n. 6. S. Th. 2. 2. q. 89. a. 2. ad 3.* & docui *l. 4. tract. 3. c. 9. n. 3.* 1

Not. II. Juramentum de parendo mandatis alterius intelligi debet, si mandet quæ justa sunt; & quæ sine peccato & alterius præiudicio impleri possunt, vti docetur etiam in *c. Quinta Vallis. 23. hoc. tit.* & docet *S. Th. loc. c.* 2

Exinde inferri debet, si alicui obligatus sis ad dandum, vel faciendum quidpiam, v. g. puellæ ad nuptias per sponsalia etiam nõ jurata, quòd juramentum subsequens, priori obligationi contrarium (videlicet si postea cum alia puella juratus contrahas sponsalia) ipso jure irritum sit, quandoquidem juramentum non est vinculum iniquitatis, idque docui. *l. 3. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 5.* Videri potest *Abbas. hîc. n. 9.*

CAPITVLVM XVII.

Breui.

Paraphrasis.

Aliquis se juramento obligauit, quòd jura cuius-

cuiusdam Ecclesiæ pro viribus suis defendere vellet, postea verò incidente aliqua necessitate sub debito juramenti requisitus vt defenderet, ipse appellauit. Quæsitum est, num periurij reus sit.

Respondet Innoc. III. Quòd appellatio in hoc casu non excuset, ideóque hominem illum periurium incurrisse, nisi difficultas extiterit, ob quam Ecclesiæ jura defendere non posset.

SVMMARIVM.

1. *Qui iurauit, quòd Ecclesiam vel personam defendere velit, & pòst occurrente occasione & necessitate requisitus recusat, periurus est, neque eum à periurio excusat appellatio.*
2. *Limitatur primò, nisi ostendat difficultatem, & quandam moralem necessitatem, cur defendere non potuerit.*
3. *Limitatur secundò, si Ecclesia cui juratum est, vicissim præstet, quæ debet juranti Advocato, v.g. Salarium.*
4. *Limitatur tertiò, si Ecclesia iniustam causam foueat, vel speculatiuè tantùm dubiam.*
5. *Limitatur quartò, si Advocatus paratus sit per alium æquè idoneum patrocinari.*
6. *Ex forma juramenti, aliisque circumstantiis colligetur nonnunquam, quòd Advocatus patrocinari non teneatur, nisi requisitus.*

NOt. vnic. Qui jurauit quòd Ecclesiam vel personam defendere velit, & postea incurrente occasione & necessitate non defendit, à periurio non excusatur ob id, quod super hoc requisitus ad superiorem appellat.

Limitandum est 1. Nisi ostendat difficultatem & quandam moralem necessitatē, cur defendere non potuerit; nam omni promissorio juramento hæc tacita conditio inest: Si potuero, moraliter id æstimando, sicuti docui *lib. 4. tr. 3. c. 9. n. 9.*

Simili ratione, qui iurauit sententiam seu laudum arbitri se seruaturum, & postea absque causa rationabili resistit, petens illud reduci à Iudice ad arbitrium boni viri, censebitur periurus.

Excusari tamen potest, si probet, errore se seductum. Vt *Abb. hîc notat n. 3. arg. 3. & Sacros. 48. de sententia Excommunicationis.*

Limitandum 2. Si Ecclesia cui se quis obligauit, non sit parata vicissim præstare ea, quæ debet v.g. debitum salarium, non obligatur illi Advocatus; quemadmodum nec Vasallus incidit in periurium, si Dominum suū defendere intermittat, qui priùs ab ipso desertus fuit. qua de re *Alex. hîc n. 23.*

Verùm si promissio illa patrocinandi Ecclesiæ facta, & jurata sit nō sub propriè dicta conditione, sed sub modo, vt Monasterium salarium præstet, & Prælati negligentiā intermittatur, nihilominus jurans obligatur ad patrocinandum, quia promissio, sicuti & donatio nō revocatur, si modus adiectus à Prælato non seruetur, sed agi debet ad modi obseruationē, prout dixi *l. 3 tr. 4. c. 4. assert. 7. §. Cæterùm*, & tradit *Abbas n. 7.*

Limitandum 3. Si Ecclesia causam iniustam foveat, Advocatus ei juramento obligatus non tenetur eam defendere.

Sed quid si causa dubia sit? De hoc variè loquuntur DD. Existimo dicendum, si speculatiuè tantùm dubia sit, quòd Advocatus obligetur, cùm in tali casu patrocinium præstare possit, iuxta ea, quæ docui *lib. 1 tr. 1.* Vbi de Advocato, in causa dubia, accedente juramento, etiam debet, dummodò speret, apud Iudicem pro Ecclesia causam obtineri posse, alioquin frustra laboraret, bonámque opinionem suam temerè in discrimen daret. Sin autem practicè dubitet, videlicet, an sine peccato præstare possit, illúdq; dubium deponere nequeat, relinquendus est suæ conscientiæ, sicuti hîc docet *Ioan. Andr. & Alexand. in fine c.* & sumitur ex *l. Rem. 14. C. De judiciis*; cùm enim Advocatus in jure peritus sit, vt ponimus, nō facilè accidet, eum ita esse subiectum imperio Abbatis, aut Rectoris Ecclesiæ, vt ipsius sententiæ in dubio contra propriam se conformare teneatur.

Limitandum 4. Si Advocatus paratus sit per alium æquè idoneum patrocinari, sicuti hic *Ioan. Andr.* notat *n. 9. arg. cit. l. Rem non nouam.*

Denique aliquando ex forma juramenti,

vel ex circumstantiis facti apparebit, quòd jurans non obligetur sub debito juramenti ad subveniendum, nisi requisitus fuerit.

CAPITVLVM XVIII.

Quanto.

PARAPHRASIS.

Rex Arragoniæ à Consiliariis suis, imò magis deceptoribus inductus fuit, vt juraret populi consensu non requisito, se monetam, quæ ante morte patris sui in pondere legitimo vsitata erat, ad certum tempus ita cõseruaturum esse, postea verò cùm videret, grande inde populi scandalum oriri, petiit ab Innoc. III. absolui à juramento suo, quod temerè ediderat, sed Innoc. respondit in hoc casu necessariam non esse absolutionem, sed potiùs interpretationem adhibendam. Vel enim Rex tempore editi juramenti monetam falsam esse credebat, vel legitimam; si primum, juramentum illicitum est, & nullatenus obseruandum; cùm juramentum institutum non fuerit, vt esset vinculum iniquitatis; sin posterius, juramentum licitum est, & omnimodè servandum. Quare Pontifex suadet, ac mandat Regi, vt reprobatâ, aut abolitâ eâ monetâ, quę justum pondus non habeat, aliam legitimam nomine patris sui faciat cudi, vt hac ratione juramentum suum obseruet, & populi damnum evitet. Verùm in priori casu, si videlicet sciuit Rex monetam legitimam non esse, & ideò conscientia eum mordet, peccatum suum confiteri & competentem satisfactionem sibi iniunctam implere debet.

SVMMARIVM.

1. *Consiliarij non sunt, sed deceptores, qui ad augendum ærarium Principis illicita media suggerunt.*
2. *Juramentum de re illicita non est obseruandum, neque indiget absolutione.*
3. *Princeps sine populi consensu non potest monetæ mutationem introducere.*
4. *Excipitur casus necessitatis, si in eo dissentiret populus à Principe, qui sit absolutæ potestatis.*
5. *Juramentum quod seruari nequit in ea materia circa quam editum est, seruari debet in æquiualente.*
6. *Substitutum imitatur naturam & conditiones eius, cui substituitur.*

NOta I. Non Consiliarij sed deceptores censendi sunt, qui ad pecuniam fisci augendam, quæ iusta non sunt Principi suggerunt, ita Canonistæ hîc præsertim *Imol. num. 2.* 1

Nota II. Juramentum de re illicita obseruari non debet, neque opus est absolutione, cùm obligationem nullam pariat. 2

Nota III. Princeps sine populi aut saltem maioris partis consensu, non potest mutationem monetæ introducere, sicuti docui. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 5. q. 3.* 3

Ratio est, quia mutatio monetæ in graue communitatis detrimentum cedit; non potest autem Princeps arbitratu suo disponere de bonis subditorum, sicuti hîc tradit *Ioan. Andr. n. 2. Abbas. n. 1.* Vbi aiunt, quòd Princeps non possit componere circa damna, subditis ab hoste illiata, belli tempore, non requisito ipsorum consensu.

Limitat tamen id *Imol. hîc n. 2.* nisi id necessarium esse videatur ad pacem & securitatem Reipublicæ statuendam, nam si diversitas opinionum sit inter Principem & subditos, decet potiùs, vt subditi tanquã membra Capitis sui dictum sequantur, dumodò talis Rex sit, seu Princeps, qui absolutam in Remp. potestatem habeat, sed neque ex pacto aut capitulatione aliqua jurata à populi aut procerum consensu necessariò dependere debeat. 4

Nota IV. Si juramentum in ea materia seruari nõ possit, erga quam editum est, seruari debet in alia æquivalente, ita colligitur ex hoc cap. Jurauerat enim Rex se seruaturum monetas cusas à patre suo: cùm autem eas ipsas, quia diminuti ponderis erant, seruare non posset, mandauit ipsi Pontifex, vt alias justi ponderis nomine patris sui cudi curaret, si ponamus Regem, cùm juraret, nesciuisse monetas esse ponderis vitiati. 5

Simile est, si Titius cognatæ suæ juret, se in dotem daturum vnionem hunc, quẽ mille

aureis

aureis valere existimat, ac postea comperiatur valere tantùm aureis 50. obligatur alium æquivalentem suæ intentioni vnionem, aut æstimationem eius tradere, dummodò ponamus intentionem jurantis non fuisse, per se restrictam ad huncce numero vnionem, sed principalem eius intētionem fuisse, subvenire puellę dote data; per accidens autē & materiale fuisse, quod vnionem illū tradere voluerit, ratus habere valorem aureorum 1000. ita vt, si id non ignorâsset, aliud quidpiam tanti valoris desigânsset. Cætera quæ de monetarum mutatione hîc Canonistæ tradunt, reperies *in cit. c. 5.*

6 Notandum V. Substitutum imitatur ac præ se fert naturam & conditiones eius, cui substituitur, ita sumitur ex hoc capitulo. Cùm enim monetæ Antecessoris abolendæ essent, jussit Pontifex in earum locum monetas substitui inciso nomine patris, perinde ac si ab ipso cusę essent, quod ipsum in picturis fieri solet, vt abolitæ renoventur, perinde ac si eædem fuissent, sed in instrumentis id non est concessum, propter periculum fraudis, vti *Gloss. marg. hic advertit.*

CAPITVLVM XIX.

Venientes.

Paraphrasis.

Civis Tudertinus à Consulibus civitatis ad Dominium Papæ pertinentis, per sententiam damnatus fuit ad restitutionem possessionum quarundam, & quamvis ipse à sententia Romam appellârit, nihilominus Consules eam executi sunt, quâ de re Innoc. III. ipsos reprehendendos esse censuit, cùm etiam leges sæculares appellationis beneficium post latam sententiam grauatis concedant. Verùm Consules in excusationem attulerunt, id factum ab ipsis secundùm obligationem juramenti, quod ipsi in susceptione officij edere solent, quod latas sententias super mutuis & fideiussoribus intra dies 28. executioni mandabunt. Hanc excusationem reiecit Pontifex Innocentius III. Quia etiam alij Judices jurare coguntur, quòd secundùm leges judicabunt, & tamen hoc non obstante justas appellationes admittere debent; ideò mandat Consulibus civitatis, vt in posterum appellationibus interpositis deferant, cùm in juramento ipsorum, jus Superiorum exceptum intelligatur; civem autem illum reducant in possessionem bonorum, sicuti eam habuit tempore appellationis, & nisi id sponte faciant, commisisse se, inquit Papa, Episcopo Nucerino, vt ad id per censuram, compellantur.

Svmmarivm.

1. *Argumentum à lege ad consuetudinem solidum est.*
2. *Judices in assumptione officij, jurare debent, quòd secundùm leges judicare velint.*
3. *Juramentum editum circa materiam juris, interpretandum est secundùm terminos juris.*
4. *Juramentum promissorium intelligi debet saluo jure superioris.*
5. *Juramentum quod & quatenus cedit in præiudicium alterius, invalidum est.*
6. *Subditus in aliena regione, jurans se inde non abiturum, donec debita soluat, abire potest, si reuocetur à superiore.*
7. *Limitatur tamen hæc doctrina.*
8. *Attentata post appellationem, priùs restituenda sunt, quam judex de justitia appellationis cognoscat.*

NOtandum I. Bonum est argumentum à lege ad consuetudinem seu jus consuetudinis, quia jus non scriptum seu consuetudine introductum æquivalet legi scriptæ. vti docui *l. 1. tr. 4. c. vlt. n. 1.* 1

Notandum II. Judices in assumptione officij iurare debent, quòd secundùm leges iudicare velint, *Authent. jusiurandum, quòd præstatur ab his, qui administrationem accipiunt. iuncta Gl. verb. Visum.* 2

Notandum III. Juramentum editum circa materiam juris, interpretandum est secundùm terminos juris. Ratio reddi debet; quia juramentum obligationem juris, super 3

quod

quod fertur, non extendit, sed tantùm intendit siue auget intensiuè non extensiuè. Sicuti explicaui. *l. 4. tr. 3. c. 9. Coroll. 2. n. 6.* ita sumitur ex hoc cap. & tradit *Imol. hîc. n. 2. Alexand. de Nauo. n. 32. & alij.*

Exemplum habes hic. Judex jurauit, quòd vellet sententiam latam intra certum tempus exequi, interpretandum est, si executioni ea mandari debeat, non item si propter interpositam appellationem sententia suspensa manere debeat, vide quæ copiosè dixi. *l. 4. tr. 3. c. 9. Corol. 2.*

4 Not. IV. In omni juramento promissario jus superioris exceptum intelligitur, siue vt aliis verbis dicam: Juramentum promissorium intelligi debet, salvo jure Superioris. ita hîc *Innoc. III.* & docui *cit. c. 9. num. 4. Coroll. 2.*

Exemplum habes hîc, si Consules jurent, quòd sententiam à se latam exequi velint, subintelligi debet exceptio: nisi ad superiorem appellatum sit, quia jus recipiendi appellationem, quod superiori debetur, ab in-
5 ferioribus tolli non potest. Addit *Alexand. de Nauo. hic. n. 32.* quòd juramentum etiam non valet, quatenus cedit in præjudicium alterius *cap. Cùm contingat. 28. juncta gl. magna. not. vlt.*

6 Porrò exinde colligit *Abbas hîc. n. 3. Alexand. de Nauo. n. 16.* non obstante, quòd subditus in aliena regione existens, jurauit se non abiturum, donec debitum soluat, abire posse, si à Superiore suo revocetur, quia in tali juramento exceptum censetur jus & auctoritas Superioris, qui ratione domicilii sibi subditum revocare potest.

7 Limita 1. Quòd interdum ratione scandali vitandi Superior subditum revocare non debeat.

8 Limita, 2. Quòd interdum Superior licentiam dedisse censetur ita jurandi, quando videlicet Clericum ad Academiam misit studendi causa, consequenter debita studiorum causâ contracta dissoluendi; consequenter etiam facultatem dedisse censetur tàm diu commorandi, donec dissoluta sint, si aliter abeundi licentia non impetretur. Ita *Abbas hîc monet. n. 3.* propterea quòd concesso principali, censentur etiam concessa accessoria, & concesso fine, censentur etiam concessa media necessaria, quod aliis verbis dici solet: Concesso vno, censentur ea omnia concessa, sine quibus illud expediri non potest. *c. Præterea. 5. c. Prudentiam. 21. in fine, de officio Delegati.*

Not. V. Quæ post interpositam appellationem attentata sunt, priùs restitui debent 9
ex mandato Iudicis ad quem appellatum, quàm is de causa & justitia appellationis cognoscat. Ita *glossa finalis hîc. & habetur in cap. Non solùm. 7. de appellationibus in 6. c. Pastoralis, 28. §. Præterea, de officio Delegati.*

CAPITVLVM XX.

Ad nostram.

Paraphrasis.

I. & G. Petro vsuras persoluerunt, juramento confirmantes, quòd eas nec per se, nec per alium repetere vellent, neque apud Iudicem Ecclesiasticum aut sæcularem super ijs querelam proponere, contra verò Petrus testamentum condidit, in quo hæredes obligauit, vt omnibus à quibus vsuras acceperat, restitutionem earúdem facerent, cùm I. & G. timore præstiti juramenti vsuras repetere non auderent, etiam hæredes restituere intermiserunt; hoc cognito, mandauit Innoc. III. Archiepiscopo Pisano, vt publicè in Ecclesia promulget, aut promulgari faciat, vt qui huius rei notitiam habent, ad ferendum testimonium procedant, & si ex testimoniis, siue aliis documentis constiterit, ita actum esse, sicut dictum fuit, hæredes per Censuram Ecclesiasticam ad vsuras, quas Pater eorum accepit restituendas, compellant.

Svmmarivm.

1. *Crimen vsuræ est fori mixti.*
2. *Vsurarius hæredi mandare potest, vt vsuras ijs à quibus acceptæ sunt restituat, non obstante juramento de non repetendo.*

3. Quid

5. *Quid commodi habeatur ex hoc mandato.*
4. *Iudex ex officio procedere potest, ad inquirendum & soluendum debita, si agatur de periculo animæ, aut peccato vitando.*
5. *In casu quo Diœcesani crimen, aut rem gestam cognitam habentes obligati sunt illud denuntiare, vel de eo testari, ad hoc per edictum Episcopi sub censura cogi possunt.*
6. *Et in hoc casu debitor juratus de non repetendis vsuris, huic edicto parere tenetur.*

1 NOta I. Vsuræ crimen videtur fori mixti, ita vt tùm Ecclesiasticus tùm sæcularis Iudex de eo cognoscere illúdque punire possit, sicut & docui *l. 4. tr. 4. cap. 2. n. 5. & n. 8.*

2 Nota II. Vsurarius mandare potest hæredi suo, vt vsuras ijs restituat, à quibus acceptæ sunt, non obstante juramento eorum de non repetendo.

Sed quæres, ad quid vtile sit mandatum huiusmodi, cùm & absque eo restitui debeant ab hærede. *iuxta cap. Tuæ. 9. de vsuris.*

Respondeo, pluribus modis. 1. Quòd Vsurarius, qui restitutionem mandauit, si ea ab hærede impleta, aut cautio sufficiens data fuerit, Ecclesiasticam sepulturam consequi possit. *c. 2. de vsuris in 6.*

2. Quòd hæres sub pœna priuationis commodi, quod ex hæreditate acciperet, ad executionem mandati compelli possit. *l. vlt. C. de fideicommiss.* & docui. *l. 3. tract. 5. c. 11. num. 2.*

3. Quòd Vsurarius censetur remittere debitori juramentum præstitum de vsuris non repetendis, sicuti contra Innoc. III. probabiliter post Hostiens. hîc docet *Alexand. de Nauo. num. 30.* eò quòd voluntatem defuncti, præsertim in casu isto, de quo agitur, de animæ salute, plenissimè interpretari conuenit.

Sed quidquid sit de hoc, ex alio etiam capite debitores, qui iurârunt, se non repetituros, repetere possunt ab hærede, quia noua causa repetendi supervenit, iuxta *Rubric. huius cap. Imol. num 3.* Quòd juramentum non repetendi vsuras cessat obligare, si noua repetendi causa superueniat: Cuius ratio est, quia juramentum, quo aliquis juri suo renuntiat, cùm strictam obligationem contineat, intelligi debet de jure tunc exorto, non de in posterum exoriturο. *argum. cap. 2.* Vbi id docui *in Not. vnic. de renuntiat.* In proposito autem casu, noua repetendi causa oritur ab hærede propter mandatum defuncti, quod ille implere cogitur. Neque his obstat, quòd debitores in casu huius capituli, ob timorem ac reverentiam juramenti repetere intermiserunt, quia bonarum mentium est, ibi culpam timere, vbi culpa non est. *cap. 4. dist. 5.*

Notandum III. Judex nemine instante, ex officio inquirere, ac procedere potest ad solvenda debita, si agatur de periculo animæ, aut peccato vitando, licet per consequentiam id cessurum sit in commodum privatum, vt quia Vsurarius, aut hæres eius iniustus vsurarum detentor à peccato liberari non potest, nisi vsuras promissas remittat, *cap. 1. causa 14. q. 6.* & tradit *Abbas hîc. n. 3. & 4. Imol. n. 9.* Imò in casu huius Capituli Iudex directè procurare potuit comodum debitorum: licèt enim Iudex officium suum impertiri non debeat parti non petenti, excipiendum tamen est, nisi ipsa petere impedita sit, tum æquitas postulat, vt Iudex ex officio suo succurrat, sicut docuit *Bart. in l. 1. num. 7. ff. quod vi, aut clam. Alexand de Nauo. hîc. num. 20. argum. l. Plane. 38 ff. de petitione hæreditatis.* Tametsi verò, absolutè loquendo, debitores agere potuissent, tamen ipsi religioni sibi id duxerunt, & ideò quodammodo impediti fuerunt, quare æquitas postulabat, vt Iudex ex officio subveniret, quemadmodum miserabilibus personis pari ratione subveniri solet. Sicut hîc *Abbas* docet *num. 9. Alexand. de Nauo. num. 23.* ac *Gratian. cap. 1. & 2. dist. 87.* 3

Notandum IV. Si in casu aliquo Diœcesani, qui crimen, aut rem gestam cognos- 4

gnitam habent, illud denuntiare, aut de eo testari obligati sunt, tum Episcopus edictum generale sub censura promulgare potest, vt denuntient, aut testentur, qui rem cognitam habent, & addit *Abbas num. 2. hîc*, quòd etiam ad requisitionem Iudicis sæcularis, Episcopus, vel similis Ordinarius tale edictum promulgare possit, quia duæ potestates se mutuò ad iustitiæ administrationem adiuvare debent.

Addit ex *Hostiens. idem Abb. num. vlt.* quòd in hoc casu ipsemet quoque debitor, qui iurârat se vsuras non repetiturum, comparere posset ad denuntiandum, vel testimonium proferendum, vt Episcopi generali edicto, ac præcepto satisfiat, quandoquidem in eo juramento jus & authoritas Superioris exceptum censeri debet, vt constat ex Cap. præcedenti. Imò irritum censeri debet juramentum istud, quòd veritatem edicere nolit, Superiore inquirente in ordine ad impediendum peccatum, *argum. c. 80. 11. q. 3.*

CAPITVLVM XXI.

Ad nostram.

Paraphrasis.

Archiepiscopus Neapolitanus quasi coactus juramentum edidit (fortasse Capitulo suo, ait Gloss. magna) quòd judiciarium ordinem in omnibus causis servare velit. Hoc juramentum extendi non debet ad causas notorias, cùm enim secundùm Canones & Ecclesiasticas traditiones in notoriis, seu manifestis, ordo judiciarius non servandus sit, non est credibile, quòd Achiepiscopus jurando noluerit se obligare ad agendum contra Canones, alioquin non juramentum, sed perjurium edidisset, quod observandum non esset. Ea propter Innoc. III. juramentum Archiepiscopi benigniùs interpretatus. Respondet eum ratione juramenti sui in causis manifestis ordinem judiciarium servare non esse obligatum.

Imò verò si penitiùs rem considerare velimus, cùm jurauit se ordinem juris servaturum, at verò ordo juris postulet, vt in manifestis causis judiciarius ordo nõ per omnia observetur, videri posset Archiepiscopus ex juramento potiùs obligari ad non servandum ordinem juris in dictis causis, sed planiùs & faciliùs explicatur, quòd jurare voluerit, servare ordinem judiciarium in causis omnibus, in quibus de jure observari debet; secundùm hunc intellectum Archiepiscopus & juramentum servabit, & à Canonicis sanctionibus non recedet.

Svmmarivm.

1. *In causa notoria juris ordo non requiritur, sed nec probationibus opus est, neque Reus citandus, sed in absentem sententia ferri potest, si notorium sit, ei nullam defensionem competere.*
2. *Nec solennitas sententiæ necessaria erit, saltem in ciuilibus causis, sed solùm Iudicis præceptum & executio, quæ instar sententiæ est.*
3. *Iuramentum Episcopi contra ea, quæ sacris Canonibus sunt statuta, editum, temerarium & irritum est.*
4. *Iuramentum intelligi debet secundùm materiam subiectam.*
5. *Responsio data hoc cap. ab Innocentio vtilis est ad interpretandas Capitulationes Episcoporum, quas in electione sui jurant.*
6. *Iudex partibus etiam invitis, quandoque potest in causis summariis ordinem judiciarium obseruare, non tamen semper debet.*
7. *In causis leuioribus, quæ ex natura sua summariè tractandæ sunt, nec etiam potest processum ordinarium instituere.*
8. *In dubio juramentum interpretandum est, vt licitè & validè editum sit, non autem vt temerarium, aut irritum sit.*
9. *Verba generalia interdum restringi debent secundùm rationem, & conditiones obiecti.*

NOtandum I. In causa notoria juris ordo non requiritur, sed nec probationi- 1

bus

bus opus est. *6. De manifesta. 17. 2. q. 1 c. 3. De testibus cogendis. & c. Tua. 8. de cohab. Cler. & mulierum.* Neque Reus citandus est, sed in absentem etiam sententiam ferre posset Iudex, si notorium sit nullam ipsi defensionem competere. *argum. c. Olim. 12. De sententia & re judicata*, & tradit *Abb. his. num. 4. Alexand. n. 17.* Alioquin semper requiritur citatio, quippe cùm defensio sui, si fortè accusato competere posset, sit de jure naturali, vt docui *l. 3. tr. 6. c. 3. n. 2.*

2 Denique nec sententiæ solennitas necessaria erit saltem in civilibus causis, sed solùm Iudicis præceptum & executio instar sententiæ est, si causa ita notoria sit, vt simul etiam pateat, condemnãdo nullam exceptionem, aut defensionem competere posse. In criminalibus verò causis sententiam necessariam esse, admonet *Imol. hîc. n. 6. Alexand. n. 19.* Vbi ait, quòd pœna per Iudicis sententiam imponenda sit, & ita intelligendam esse *gl. in cap. 3. verb. non requirant.* de testibus cogendis, & *gl. in cap. Porrò. 3. verb. notoria. de divortiis.* Vide, quæ dixi *in cit. c. 3. n. 2.*

3 Notandum II. Juramentum Episcopi si sit contra ea, quæ sacris Canonibùs statuta sunt, temerariũ & irritum censeri debet.

Ratio est, quia sicut Episcopi contra Canones statuere nil possunt (vt docui *l. 1. tr. 4. c. 7. n. 3. §. Ex his.*) ita neque pacto, vel juramento promittere.

4 Notandum III. Juramentum intelligi debet secundùm materiam subiectam, quia imitatur naturam actûs, cui adiungitur. *cap. Quemadmodum. 23. hoc tit.* quare si editum sit circa materiam juris seu obligationis præexistentis, vltra eam non extenditur, sed eidem adaptatur, sicut videre est, quando Archiepiscopus jurauit se in omni causa ordinem judiciarium servaturum esse, respondit Pontifex interpretandum esse de omni causa, in qua judiciarius ordo de jure

5 requiritur. Quæ responsio Innocentij Papæ vtilis est ad interpretandas capitulationes Episcoporum, quas in electione sui Cap. jurant, vt non extendantur ad impediendam potestatem & jurisdictionem Episcoporum, quatenus ea à SS. Canonibus stabilita & definita fuit, sicut exemplis allatis explicatur. *l. 4. tract. 3. cap. 9. num. 2. exempl. primo.*

Obijcit *Gloss. hic. verb Requirit.* Quod etiam in causa notoria Iudex ordinem judiciarium servare possit sine peccato. *arg. c. Bona. 23. verb. Porrò. de electione.* & bene Respõdet: tametsi id quandóque fieri possit. v. g. ad vitandum scandalũ, tamen quòd in omni causa notoria ordo judiciarius observari debeat, id illicitum esse, & SS. Canonibus repugnans, quia frequenter jus actoris læderetur, & disciplina judicialis frangeretur, frustra protrahendo judicium, & probandi onere assumpto, ac res notoria sit, cùm nullæ esse possint probationes validiores, quàm facti evidentia.

Vtiliter hîc quærit *Abbas n. 8.* Vtrùm Iudex juramento se obligare possit, vt in causis omnibus summariis ordinem judiciarium servare debeat.

Et rectè respondet: Licet Iudex partibus 6
etiam invitis ordinem judiciarium in causis, de quibus sermo est *in Clement. 2. de judiciis.* observare quandoque non prohibeatur, tamen id semper facere debere repugnat potestati secundùm jura ipsi ob bonum publicum constitutæ, sicuti in simili paulò ante de Episcopo dictum. Veruntamen causæ le- 7
viores, quæ suapte natura summariè tractari debent, eæ partibus contradicentibus, per ordinarium processum protrahi nõ debent, vt hîc *Abb.* & vide quæ dixi *in c. De libelli oblatione. Imol. hic. n. 4.*

Nota IV. In dubio juramentum ita in- 8
terpretari debemus, vt licitè, ac validè editum sit, non autem vt temerarium, aut irritum sit, ita *gl. hîc verb. Benignius.* & habetur etiam *in c. Cùm tu. 16. de testibus.*

Not. V. Verba generalia non semper 9
generaliter accipi, sed interdum restringi debent, secundùm naturam & conditiones obiecti; ne inconveniens & absurdum aliquod sequatur, ita *gl. hîc. verb. in illis. Imol. hîc. n. 5.*

* * *

CAPITVLVM XXII.

Ea te.

Paraphrasis.

Innocentius III. mandauerat Episcopo Turritano, vt à Iudice Carolitano iuramentum fidelitatis Ecclesiæ Romanæ præstãdum acciperet, sed Iudex ille recusauit eâ prætensione, quòd iam antè Pisano Archiepiscopo, salvo Apostolicæ Sedis honore, tale Iuramentum præstitisset. Ad hoc respondet Innoc. onus non remitti, sed magis augeri, si alicui improvidè solvatur, quod alij præstandum esset; quare cùm cõstet Iudicem ad fidelitatem Pontifici & Romanæ Sedi præstandam obligari, hinc sequitur, juramentum, quòd Pisano Archiepiscopo editum fuit, pro illicito censendum esse, si censeatur contrarium esse juramento, quod Sedi Apostolicæ præstari debet, atque ideò illo priore illicito nil obstante, licitum, imò debitum Sedi Apostolicæ juramentum edendum fore. Sin autem contrarium illud juramentum huic non sit, tum iterum Iudex subterfugere non potest, quò minùs præstet.

Svmmarivm.

1. *Soluens alteri quod tibi debet, non liberatur sed obligationem suam auget.*
2. *Nisi coactus soluat Tyranno, vel Prælato intruso.*
3. *Juramentum illicitum est, imò irritum etiam, quod cedit in præiudicium seu iniuriam alterius.*
4. *Probatio non excusat id, quod indebitè fit.*

1 NOtandum I. Qui solvit alteri id, quod tibi debet, is non liberatur, imò obligatio eius aggravatur, quia iterum solvere tibi cogitur.

Ex quo colligitur, quòd prædo si prædam iniustam cum socio dividat, obligationem suam augeat, quia partem, quam socio dedit, in defectum eiusdem, id est, si socius non restituat, ipsemet, qui abstulit, ex suo restituere cogitur, ita *gl. hîc, verb. quod alij.*

Excipiendum est, nisi debitor à Tyranno, vel Prælato intruso per vim & metum gravem, cogatur, vt ipsi solvat, quod Reip. aut Ecclesiæ debetur, tunc ita solvens liberatus censetur, sicut docet *Bart. in tr. de Tyran. n. 23. Abbas hic, n. 1.* idque propter æquitatem meritò receptum est, ne alioquin innocens bis solvere cogatur. 2

His adde quod *gl. cit.* notat, & habetur *in l. Falsus. 43. ff. de furtis*, quod falsus creditor, seu qui se simulat creditorem, debitum accipiendo, furtum committat, si pecunia, vel alia res mobilis sit, quæ ei solvitur.

Not. II. Juramentum illicitum est, imò irritum etiam, si cedit in præiudicium, seu iniuriam alterius, ita dictum est supra *c. Venientes* & sumitur *ex hoc cap.* cùm enim tribunal eius Iudicis nomine feudi obligatum esset sedi Apostolicæ, ideò Iudex cùm in officium assumptus fuit, fidelitatem Romano Pontifici iurare debebat, & consequenter si alteri, videlicet Archiepiscopo juramentum edidisset, quòd Iuri sedis Apostolicæ repugnaret, illud illicitum fuisset, & non observandum. 3

Not. III. Protestatio non excusat id quod indebitè fit, censetur enim contraria facto *c. Sollicitudine 54. de appell. gl. in Clement. Gratiæ. verb. Renuntiare, de rescriptis.* Vt si quis per ignominiam alterum mentiri dicat, salvo honore eius, quod exemplum dat hîc *Alex. de Nauo. n. 5.* 4

CAPITVLVM XXIII.

Quinta vallis.

Paraphrasis.

Filiæ Quintavallis aliis mulieribus cõtumeliã irrogârũt, ea propter ipse iurauit, quòd pro satisfactione offensarũ, earum mandato parére vellet, tum ipsæ sub debiti juramento hoc illi iniunxerunt mandatũ: Vt si eius filiæ aut vxor verbum contumeliosum in ipsas dixerint, filias quidem exhæredare deberet, vxorem verò à se removere. Super hoc consulius Innoc. III. Respondit, juramentum Quinta-

vallis

Vallis licitum fuisse, sed mandatum mulierum illicitum, ac proinde ipsis iniungendum esse, vt reuocent mandatum, alioquin denuntiandum quòd Quinta vallis ad mandati eius obseruationem non teneatur.

SVMMARIVM.

1. *Compromitti potest pro satisfactione iniuriæ in partem quæ iniuriam passa est, quòd standum sit eius arbitrio.*
2. *Sub juramento generaliter antè præstito de stando alterius mandato, vel arbitrio, non comprehenduntur illicita.*
3. *Pater non potest exhæredare prolem, nisi ex legitima causa, siue per leges expressa.*
4. *Facultas exhæredandi trahit secum facultatem negandi alimenta non quidem naturalia, sed competentia.*

1 NOT. I. Pro satisfactione iniuriæ compromitti potest in partem quæ iniuriam passa est, quòd standum sit eius arbitrio, seu arbitramento; nam licet nemo in propria causa judex esse possit, tamen qui tale arbitrium circa contractus, damnorum compensationes, aut satisfactiones pro injuriis, secundum quod æquum videtur, pronuntiat, non sustinet partes Judicis, prout dixi in *Rubr. tit. de arbitr.* quamobrem mulier tale arbitramentum ex promisso dare potest, vt hîc apparet, tametsi arbitrium secundùm formam judicii pronuntiare nequit. *c. Dilecti. 4. de arbitr.*

2 Not. II. Sub juramento generaliter antè edito, quod stare velis mandato, vel arbitrio alterius, non comprehenduntur illicita, seu quæ honestè obseruari non possunt, cuiusmodi erant ista, vt Pater filios ob causam non legitimam exhæredaret, vxorem à se remoueret. Quare tale arbitrium, aut mandatum ipso jure irritum est, nullámque obligationem pariens, vt hîc & in *c. Veniens. 15. hoc. tit.*

Porrò vtrùm compromissor, qui jurauit se staturum arbitrio, illud obseruare teneatur, tametsi manifestè iniquum sit, dummodò sine peccato seruari possit, de hoc dixi in *c. Per tuos. de arbitr.*

Not. III. Pater non potest exhæredare filium, aut filiam, nisi ex causa legitima, siue per leges expressa; quare neque valet pactum, aut juramentum sine causa, legibus expressa exhæredandi filium, cum legitima portio sicut & alimenta necessaria omni jure filiis debeantur.

Causæ autem, ob quas Parens filium aut filiam exhæredare potest, numerantur in authentica, *vt cum de appellatione cognoscitur. c. 3. & 4. collat. 8.* & numerantur *hîc in gloss. exhæredari.* Videri potest *Bald. in authentica*, non licet. *Cod. de liberis preteritis.*

Ad extremum obiter hîc aduertendum, quòd facultas exhæredandi secum ferat facultatem alimenta negandi, ita vt ob quamcunque causam Pater filium, aut filiam exhæredare potest, eidē etiam alimenta & consequenter dotem filiæ nubenti negare queat. Secundum *gloss.* receptam in *l. Si quis à liberis. 5. §. Si quis ex his. ff. de liberis agnoscendis. Joann. Andr. hîc. n. 14. Alexand. de neu. n. 21. Abb. hîc & commentatorem eius. n. 5.* Est tamen id intelligendum de alimentis competentibus, at verò alimenta necessaria ad vitam degendam Pater naturali jure filiis suis, quantumcunque ingratis, aut immorigeris semper præstare tenetur vt docui. *l. 5. tract. vlt. p. 3. c. 5. n. 8.* Reliqua quæ hoc loco DD. tradunt, pertinent ad *lib. 1. Decretalium, titulum, de arbitris.*

CAPITVLVM XXIV.

Tua.

PARAPHRASIS.

Duo Coniuges inuicem jurârunt, quòd alter ab altero Coniugii debitum petere nunquam vellent; postea verò maritus pœnitens mulierem repetiuit, sed illa adeò renuit, vt mallet ad Saracenos transire, quàm viro se dare. Super hoc consultus Innocent. III. mandat Archie-

chiepiscopo Taraconensi, vt Coniuges hos ad continentiam mutuo consensu fouendam hortetur, quòd si paruerint, tunc permittat eos seorsim commorari, alioquin mulierem per excommunicationis censuram compellat, vt ad virum reuertatur, & tanquam vxor cum eo viuat, quandoquidem temerarium, fuit eorum juramentum, & vterque adulterium commisit.

SVMMARIVM.

1. *Irritum est juramentum duorum coniugum, si juratò sine justa causa sibi inuicem promittant, quòd vti matrimonio nolint.*
2. *E contra validum est & obligatorium si juratum hoc pactum fiat causâ pietatis & continentiæ.*
3. *Si mutuo consensu coniuges continentiam vouent, post votum tanquam frater & soror in eâdem domo ac mensa conuiuere debent, modò honestè ac decenter id fieri queat.*
4. *Post mutuum votum si alter coniunx adulterium committat, vel si vterque fornicatus sit, vtroque petente, Episcopum matrimonium redintegrare posse affirmant aliqui.*
5. *Sed rectiùs negatur.*

1 NOT. I. Si Coniuges temerè & sine justa causa conueniant inter se, ac jurent, quòd matrimonio vsuri non sint, irrita est promissio & juramentum. Ratio est, quia matrimonium institutum est ad Coniugii vsum, tum propter prolis generationem, tùm propter fornicationem vitandam, vt colligitur ex *Apostolo. 1. ad Corinth. 7.*

2 Not. II. Validum est & obligatorium mutuum pactum & juramentum continendi, si à Coniugibus fiat causâ pietatis & continentiæ, ita hic, & docet S. Augustinus Epistolâ 199. ad Ecditiam, & refertur à Gratiano. *c. Quod Deo. 33. q. 5.* & dixi *l. 5. tract. 10. p. 3. c. 7. n. 1.*

Sed dubitatur 1. Si mutuo consensu continentiam voueant Coniuges, vtrum concessum ipsis sit separatim habitare in sæculo?

Resp. Cum Turrecremata in *cit. c. quod Deo. Sanch. l. 9. de matr. d. 5. in fine & d. 37. n. 14.* id non esse eo modo concessum, vt mutua obsequia & dilectio inter ipsos refrigescat atque extinguatur cum ea ex Sacramenti institutione, adeóque jure diuino requiratur, vt videre est apud eundem. *Sanch. l. 9. de matrimon. disp. 9.* quare Maritus & vxor post votum continentiæ, tanquam frater & Soror in eadem domo, ac mensa conuiuere debent, lectis ac cellulis separati, dummodò id honestè ac decenter fieri possit, quod dico propter ordinem Sacerdotalem & Episcopalem, nam sacerdotem præsertim Episcopum ad vitandam suspicionem & alia incommoda magis decebit, vt separatâ domo Coniugem alat, eique prouideat, ac quatenus eius personam decet, charitatis officia exhibeat, sicuti legi potest apud S. Leonem. Epist. 92. ad Episcopum Narbonens. *c. 3. in Concil. Turonens. 2. Can. 13.* & apud *Gratianum. dist. 30. c. 11.*

Quamobrem quod de Coniugibus hoc c. dicitur, si mutuo consensu coniuges continentiam vouerunt, permittendum esse, vt vnus sine alio commoretur, explicari debet, quòd non conuiuere debent tanquam maritus & vxor; non autem, quòd ita inter se separari debeant, vt mutua officia charitatis non præstent; id enim vel maximè in hac causa præstari debet secundùm Ecclesiæ judicium, vt separatio non fiat ex odio, vel auersione, neque ita, vt mutuæ charitati obstare possit.

Dubitatur 2. Si post editum mutuo consensu inter Coniuges Continentiæ votum, alter adulterium committat, vtrùm volente innocente, vel si vterque coniux fornicatus sit, vtroque petente, Episcopus matrimonium redintegrare possit.

Ita affirmant aliqui apud *gloss. in cit. c. Quod Deo. verb. perseuera. gloss. fin. 4. in c. Nosse. 3. 13. q. 1.* idque *Abbas. hic. n. 6.* existimat saltem tunc fieri posse, si coniux in periculo continentiæ versetur, quia sicuti Con-

Coniugi, inquit, non permittitur, vt Religionem ingrediatur, altero coniuge in sæculo manente & continentiam vouente, si is iuuenis sit, & in periculo incontinentiæ versari videatur. *c. Cùm sis. 4. e. Ad Apostolicam. 13. de conuers. coniugatorum.* Ita & permittendum non est, vt in tali statu coniuges voueant, ac permaneant in sæculo.

Sed contrarium rectè docent *hic Alexand. de nauo. n. 10. Sanch. l. l. 9. de matrim. d. 37. n. 12.* quia licet fieri potuerit, vt imprudenter votum continentiæ coniuges ediderint cum periculo eius non seruandi, tamen postquam votum ediderunt, eo obligati manent, & contra incontinentiam alia remedia adhibere tenentur, donec dispensationem super voto impetrent ab eo, qui potestate eâ præditus est, videlicet Papa. Vt docui *l. 4. tract. 4. c. 8. n. 15.*

CAPITVLVM XXV.

Quemadmodum.

Paraphrasis.

Titius jurauit Caiæ, se eam ducturum, postea Caia cum alio fornicatur, debétne Titius eam ducere propter juramentum. Respondet Innocent. III. Quòd non: idque probat argumento ducto à maiore ad minus, si vir contrahens matrimonium cum Caia jurâsset, quòd ei vt vxori semper cohabitare vellet, ac postea Caja adulterium committat, dimittere eam non prohibetur, ergò multo minus si nondum duxerat, sed ducturum se promisit mulierem, quæ postea fornicatur, ducere non tenebitur eam.

Ratio vtriusque partis hæc reddi debet, quia sicut in priori juramento subintelligitur conditio, si contra legem coniugis mulier non peccet, ita etiam in posteriori juramento conditio intelligi debet, si contra legem desponsationis mulier non peccet, quòd verò argumentatio sit à maiore ad minus, negatiuè concludens probat Pontifex ex Poëtæ versu:

Turpius eijcitur quàm non admittitur hospes.

Constat etiam maius esse vinculum matrimonii contracti, quàm non contracti, sed contrahendi; quare si mulier post contractum matrimonium fiat non tantùm leprosa, sed paralytica, vel oculum, aut nasum amittat, seu turpius quidpiam ei accidat, maritus eam deserere non potest, & tamen si tale quid inopinato mulieri post sponsalia etiam jurata eueniat, à spōsalibus recedere potest sponsus.

Svmmarivm.

1. *A mutuo pacto resistere licet, altero priùs fidem violante, qui insuper etiam accusari potest de violato pacto.*
2. *Sponsalia de futuro etiam jurata graui superueniente mutatione solui possunt.*
3. *Lenior causa sufficit ad dissolutionem sponsalium, quàm ad diuortium inter coniuges instituendum.*
4. *Juramentum temerarium est, si vir juratō promittat vxori, quòd eam nolit accusare de vllo crimine committendo.*
5. *Si vir jurâsset, quòd vxorem de adulterij crimine nollet accusare, tutiùs aget propter juramenti religionem, denuntiando adulteram Ecclesiæ, non ad diuortium, sed ad pœnitentiam agendam.*
6. *Potest, qui jurauit criminosum de crimine se non accusaturum, (& vir vxorem de adulterio) saluo juramento eum etiam denuntiare Prælato ad emendationem; licet absolutè vir contra vxorem lapsam in adulterium, agere possit.*

NOTANDVM 1. A contractu, seu pacto reciproco potest aliquis resilire, si alter fidem violet, imò qui contra pacem mutuo fœdere stabilitam aliquid egit, eò quòd ab altero priùs violatum sit, is potest insuper accusare illum, tanquam qui fœdus priùs violauit; ipse autem propriè loquendo, 1

quendo, non violauit, cùm jam ruptum fuerit fœdus, sicuti docet *Bartol. in l. Cùm Pater. §. Libertis. n 7. ff. de Legat. 2. Abbas. hîc. n. 3. Alex. n. 4.*

Neque obstat si juramentum promissioni aut fœderi seruando accedat, sortitur enim juramentum naturam & conditiones actûs cui adiungitur. *c. Quemadmodum. 23. hoc tit.* quare sicuti promissio hanc tacitam conditionem suapte naturâ continet, seruabo fidem, si & tu seruaueris, ita similiter juramentum intelligi debet, sicut docui in *c. 3. hoc. tit.*

2 Notandum II. Sponsalia de futuro solui possunt, si grauis mutatio superuenerit, ad quod promittentis intentio, saltem virtualis, se non extendit, sicuti explicaui. *l. 5. tract. 10. p. 1. c. 2. n. 8. & l. 4. tract. 3. c. 9. n. 3. & 5.* idque locum etiam habet, tametsi sponsalia jurata sint, quia juramentum intelligi debet, secundùm materiam subiectam; sortitur etiam naturam & conditiones promissionis, cui adiungitur, ita ex *hoc c. colligitur* & ex *l. vlt. C. de numeratâ pecunia.* neque promissionis obligationem juramentum auget extensiuè, sed intra eosdem terminos intensiuè.

3 Nota III. Matrimonium contrahendum faciliùs impeditur, quàm contractum dissoluatur, non tantùm quoad substantiale vinculum, sed etiam quoad thorum seu cohabitationem, breuiùs dici potest, quòd leuior causa sufficiat ad sponsalium dissolutionem, quàm ad diuortium inter Conjuges instituendum.

§. Illud autem.

4 TEmerarium juramentum est, si maritus vxori juramento promittat, quòd eam de nullo committendo crimine velit accusare, nam si mulier infidelis fieret, & marito sine contumelia creatoris cohabitare nollet, aut eum ad infidelitatem trahere conaretur, deberet vtique eam si resipiscere nollet, secundùm SS. Canones dimittere.

Sed quid si specificè jurâsset, quòd super adulterii crimine eam impetere nollet, seruandúmne esset juramentum?

Videtur quòd non, cùm scriptura sacra § dicat, quòd Patronus turpitudinis est, qui celat crimen vxoris, & secundùm regulam Euangelii; si primò & secundò correpta vxor recipiscere nolit, dicendum est Ecclesiæ, vt tanquam Ethnica & publicana vitetur, ne alioquin libera ei peccandi licentia tribuatur. In contrarium verò est, quòd maritus vxori peccanti dimittere potest, non tantùm septies, sed septuagies septies secundùm Euangelii veritatem.

His in vtrumque perpensis. Respondit Innocent. III. ad quæst. Tutius esse in hoc casu, vt maritus propter Religionem juramenti ad diuortium celebrandum non accuset, sed ad pœnitentiam agendam denunciet Ecclesiæ.

Not. I. Qui jurauit se criminosum de 6 crimine non impetiturum, criminaliter aut ciuiliter, is nihilominus potest eum denunciare Prælato ad emendationem seu pœnitentiam agendam, sicut docui *l. 4. tract. 3. 6. 7. n. 2.* Ratio est, quia juramentum strictæ interpretationis esse debet, neque vltra verborum proprietatem, aut communem acceptionem extendendum.

Notand. II. Qui jurauit mulieri si adulterium commiserit, quòd contra ipsam agere non velit, ad diuortium celebrandum licet absolutè loquendo contra lapsam in adulterium agere possit, tutiùs verò operabitur, si eam Ecclesiæ Canonicè denunciet ad agendam pœnitentiam.

Prior pars probatur ex eo, quòd tale juramentum irritum sit, ac non obligatorium; non enim valet juramentum promissorium contra bonos mores naturales, tale autem juramentum est contra bonos mores naturales, cùm inuitet hominem ad liberiùs peccandum promissâ & juratâ ei immunitate. *argumento c. Penult. de consuetudine. & l. Illud conuenire. 13. ff. De pactis dotalibus.* vbi dicitur, non valere pactum, quo aliquis inuitatur ad delinquendum, v. g. si furatus mihi fueris, non te accusabo, licet enim commissum furtum

furtum condonare, & actionem remittere possim, non tamen de remissione paciſci, antequam committatur; quòd ſi verò hujuſmodi pactum bonis moribus repugnare, ac Reipublicæ noxium cenſetur, ſequitur, quòd juramento confirmari non poſſit, ſicuti docui *l. 4. Tract. 3. c. 6. aſſert. 6.*

Poſterior pars probatur. Cùm enim in hoc caſu maritus non teneatur vxorem adulteram accuſare ad diuortium celebrandum, ſed illi condonare poſſit, vti docui *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 13.* & alio modo eius emendationem procurare, inprimis priuata monitione, poſtea, ſi illam ſpernat, canonicâ denuntiatione, ideò tutius eſt, vt hunc modum maritus eligat, idque ob jurisiurandi religionem, quandoquidem quibuſdam rationibus videri poteſt, juramentum illud hominem obligare ſaltem ex religionis virtute propter regulam canonicam: *Omne juramentum promiſſorium erga hominem ſeruari debet, ſi ſine peccato ſeruari poſſit.* Cùm itaque hoc juramentum conſultum, imò tutius ſit obſeruare, vti Pontifex hîc reſpondet, ſequitur, quòd obſeruari debeat, ideóque maritus contra vxorem ad diuortium celebrandum agere non poſſit, ſicuti ſentit *Imola hîc n. 14.*

Sed contrarium mihi magis placet, quod docet *Ioan. Andr. hîc. n. 9.* quòd juramentum illud non ſit obligatorium, quippe turpe & contra bonos mores naturales, cùm rationem ſcandali in ſe contineat, ſiue præbeat proximo peccandi occaſionem. Quare reſponderur ad fundamentum oppoſitum, quòd regula illa canonica hanc vnicam limitationem habere debeat, vt videlicet ab ea excipiatur caſus iſte, ſi legibus juſtis prohibita ſit alicuius rei promiſſio, tanquam turpis, & Reipublicæ noxia, non autem prohibita ſit executio, v. g. vt aliquis non teneatur de furto, de adulterio; licet enim dolum, furtum, adulterium remittere, ſeu de eo non accuſare conceſſum ſit, non tamen paciſci de non accuſando criminaliter, aut ciuiliter, quia illud peccandi occaſionem non præbet, hoc verò maximè,

CAPITVLVM XXVI.

Etſi Chriſtus.

PARAPHRASIS.

Abbas & Monachi Caſtellionis à præſtando judiciali juramento abhorrebant, tanquam illis illicito. 1. Quia Chriſtus *Matth. 5.* dixit: Ego dico vobis, non jurate; ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non; quod autem his abundantius, eſt à malo. 2. Apoſtolus *Iacobus c. 5.* dixit: Ante omnia fratres mei nolite jurare.

AD hæc pluribus verbis reſpondet Innoc. III. ſumma doctrinæ in his conſiſtit.

1. Iuramentum ſecundùm ſe non malum eſſe, ſed ex malo, videlicet peccato, & pœna peccati prouenire, ſi enim homines eſſent, vti deberent veraces, fideles, & mutuam ſibi fidem habentes, tunc ſimplex aſſeueratio ſufficeret.

2. Chriſtus & S. Iacobus juramentum non prohibuerunt ſimpliciter, ſed ne falsò, aut temerè, aut ſine neceſſitate juretur; debet enim juramentum hos comites, veracitatem, judicium, & juſtitiam habere. *Ierem. 4.* Dein per Creaturam jurare non eſt licitum, niſi referendo ad Creatorem, cùm per ſolum Deum vltimatè ac principaliter juramenta religioſa fieri poſſint, ſicuti Apoſtolus ſcripſit, *Hebr. 6.* Quòd homines per majorem ſe jurant, videlicet per Deum.

Porrò, quòd juramentum ſecundùm ſe & abſolutè non illicitum ſit, ſcripturæ teſtimoniis oſtendit Pontifex. Qua & Angelus *in Apocalypſi* legitur jurâſſe per *Viuentem in ſæcula ſæculorum c. 10.* Et Chriſtus non ſimplici aſſeueratione contentus fuit, ſed addidit: *Amen dico vobis. In veritate dico vobis. Luc. 4.* Apoſtolus quoque non ſemel jurauit, *Teſtis eſt mihi Deus.* Rom. 7. Deus quoque in veteri Teſtamento tanquam jurans introducitur. Iurauit Domi-

nus, & non pœnitebit eum, *Psalm. 109. Matth. 5.* præcipitur: Reddes Domino juramenta tua. Denique addit quædam prohiberi, quia secundùm se & semper mala sunt, vt furtum, adulterium, quædam verò prohiberi, non quia per se mala sunt, sed quia frequenter & indiscretè fiunt, inde malum oritur. Ideò non ipsa res simpliciter prohibetur, sed abusus v. g. vini potatio, & tale quoque est juramentum, quod absolutè malum non est, & propter necessitatem licitum, sed frequentatio eius in malum, videlicet perjurium inducit, juxta illud *Eccles. 23.* Vir multùm jurans replebitur iniquitate. Itaque ad dubitationem Religiosorum respondet, tametsi ipsi ad perfectionem vitæ Christianæ conari debeant, tamen si alij testes in causis, quas ipsi habent in judicio desiderentur, concessum ipsis esse, vt testimonium perhibeant veritati. vide quæ docui *l. 4. tract. 3. c. 1. n. 4. & seq. & c. 3.*

CAPITVLVM XXVII.

Sicut.

Paraphrasis.

Vacante Ecclesia Tudertina Canonici in quædam capitula jurârunt, quæ in damnum Episcopatûs vergebant, postea Episcopus electus, qui & ipse vnus ex jurantibus fuerat eo tempore, adhuc in minoribus constitutus, consuluit Innoc. III. vtrùm his juramentis obligetur, præsertim cùm per ea Episcopales redditus minuerentur. Pontifex rescribens ad Episcopum Amelienſem testatur, quòd dicto Episcopo ob juramentum editum pœnitentiam imposuerit, vlterius verò considerans, quòd non juramenta, sed periuria potiùs sint dicenda, quæ contra Ecclesiasticam vtilitatem attentantur, mandat Episcopo Amelienſi, vt super his inquisitionem instituat per Canonicos, & si, quæ dicta sunt, vera cognoscat, videlicet quòd juramenta illa in damnum Episcopalis juris edita sint, in statum pristinum reducat.

Summarium.

1. *Episcopus vel Prælatus Ecclesiasticus, jurans in aliqua, quæ in Episcopatûs vel Prælaturæ præiudicium vergunt, non obligatur eo juramento.*
2. *An & quando possit Episcopus ex redditibus mensæ suæ aliquid donare Capitulo.*
3. *Læsis juribus Episcopatûs, vel alterius Ecclesiæ, superior ex officio inquisitionem instituere potest tam ad emendandum peccatum, quàm Ecclesiæ succurrendum.*

NOT. I. Si Episcopus, vel alius Prælatus jurauit aliquid se seruaturum, quæ in Episcopatûs, seu Prælaturæ præiudicium vergant, non obligatur juramento. Ratio est, quia Sede vacante Canonici non possunt juribus Episcopalibus, aut Prælaturæ præiudicium afferre. *c. 1. & seq. ne Sede vacante aliquid innouetur*, neque redditus Episcopales diminuere, *c. Si quæ. de rebus. 42. 12. q. 2.* 1

Corollarium. Si Episcopus in capitulatione sua iurauit, se omnia acturum cum Capituli consensu, aut priuilegium nullum daturum, non requisito Capituli consensu: Intelligi debet in iis rebus, in quibus consensus Capituli secundum Canones requirendus est, non autem quòd amplior obligatio Episcopo imponatur, per quod eius Episcopale officium ac potestas, quod ipsi secundum Canones competere debet, restringatur.

Quærunt hîc incidenter DD. vtrùm Episcopus ex redditibus mensæ suæ quidpiam Capitulo donare possit. 2

Resp. Si id fieri possit sine Episcopalis sui statûs detrimento, quia ipse redditibus abundat magis, quàm Capitulum, tunc fieri id potest in præiudicium donantis Episcopi, non autem succesſeris, quo minus is reuocare possit. Prior pars habetur in gl. communiter recepta, in *Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alienan. verb. Ecclesiam.* Posteriorem partem tradit *Abbas. hîc. n. 4.* & probat. Quia ad alienationem iurium, aut bonorum Episcopalium requiritur consensus

sus Capituli *c. Sine exceptione. 12. q. 2.* Capitulum autem consensum dare non potest in proprium suum commodum *cit. Clement. 2.* Ergo &c. Quòd si autem inferior Ecclesia Cathedrali Capitulo quidpiam ex justa causa donare velit, sufficiet, si consensus & authoritas Episcopi interueniat, cùm authoritatem is non præstet in proprio facto, si commodum directè inde non percipiat sicut idem *Abbas. hîc notauit.* Dein si fundus aliquis Episcopi tractatu præcedente & consensu Capituli vendendus esset, tunc etiam Capitulum emere posset, sicuti benè hîc docet *Abbas. in fine, argument. l. Pupillus. 5. §. item sibi. ff. de authoritate tutorum.* vbi dicitur, quòd in simili casu tutor à pupillo emere possit.

3 Nota II. Si jura Episcopatûs, alteriúsue Ecclesiæ lædantur aut malè administrentur, superior ex officio inquisitionem instituere potest, idque partim ad peccatum emendandum, partim ad Ecclesiæ, quæ se ipsam defendere non potest, succurrendum, sicuti tradit *Abbas. in c. Ad nostram. 20. n. 8. hoc. tit.* Sed & Episcopus, si voluisset, potuisset agere ad recuperationem jurium ac reddituum suorum, partim quia antea cõsenserat, & jurârat, tanquã Canonicus; id ipsum verò quod vacante Sede actum & statutum erat, postea retractare potuit, tanquam Episcopus, sicuti *gl. hîc. monet verb. reducas. argum. c. Quod sicut. 28. in fine de elect.* partim quia alienationem jurium Episcopatûs, etiam qui eam fecit, reuocare potest allegando propriam turpitudinem. Sicuti docui *l. 3. tract. 4. c. 10. n. 4.*

CAPITULUM XXVIII.

Cùm contingat.

Paraphrasis.

Si mulier consentiẽs alienationi rerum dotalium, aut propter nuptias donatarum factæ à marito, juramento confirmet, quòd eiusmodi alienationem impugnare nolit, sed postea soluto matrimonio nihil ominus oppugnet alienationem, quæritur, vtrum licitè id agat. Respondet Innoc. III. Tametsi secundùm leges ciuiles mulieris consensus in eiusmodi alienatione obligatorius non sit, tamen ne per talem prætextum periuriis via aperiatur, mulieribus, seruandum esse eiusmodi iuramentum, si absque vi & dolo spontè præstitum sit, & in alterius præiudicium non redundet; neque obseruatum vergat in dispendium salutis æternæ.

Svmmarivm.

1. *Jus ciuile prohibet & resistit alienationi fundi dotalis.*
2. *Donata propter nuptias à Marito, ne quidem cum consensu vxoris alienari possunt. Nisi Vxor post lapsum biennium consensum prabeat, & ex alijs bonis Mariti recuperare possit dotem.*
3. *Sunt ea etiam specialiter vxori pro dote obligata.*
4. *Mulier sponte consentiens in alienationem dotis, vel Rei donata propter nuptias, non peccat, neque puniri (per se loquendo) potest.*
5. *Si cum juramento consentiat renuntians priuilegijs, obligationem justitia contrahit, & quidem efficaciter.*
6. *Pactum, siue contractus, qui lege ipsi resistente, ob priuatum commodum, irritus est, per accessionem juramenti confirmatur, ita vt etiam in foro externo actio tribuatur.*
7. *Credibile tamen est, eiusmodi pactum si bonis moribus & juribus videatur contrarium, etiam juratum, à seculari potestate posse infirmari quoad obligationem iustitia & religionis.*
8. *Et hoc duobus modis. Primus hîc refertur.*
9. *Modus secundus.*

PRo intellectu aduerte 1. Quòd lex ciuilis prohibeat & resistat alienationi fundi dotalis, i.e. Rei immobilis ab vxore marito in dotem datæ. *l. 1. seq. ff. de fundo dotali. & instituit. quibus alienare non licet. in princip.* Vbi dicitur *neque consentiente muliere talem alienationem fieri posse, ne sexûs muliebris fragilitas in perniciem substantia earum conuertatur.*

2 Adverte 2. Quòd mulieri pro securitate dotis allatæ, spectato communi jure Cæsareo, constituatur donatio propter nuptias Ein gegen Widen. Habet autem hoc priuilegium res vxori in recompensationem & securitatem dotis constituta, vt à marito abalienari non possit, ne quidem consentiente muliere: nisi hæc duo concurrerent, quòd & iterum post lapsum biennium consensum præbeat, & dotem ex aliis bonis mariti recuperare possit: sin autem hæc duo, vel alterum eorum absit, tunc mulier etiam in rem actione instituta vindicare poterit, quod alienatum est. *Authent. sine à me. C. ad Senat. Conf. Velleian. auth. Præmissa. C. De donatione ante nuptias.*

Præterea licet mulieri pro dote allata omnia bona mariti tacitè obligata sint, tamen specialiùs ea res, quæ Vxori dicto modo propter nuptias donata est, adeò, vt marito ad inopiam vergente, eam à possessoribus vindicare possit. *Auth. vbi adhuc. & l. seq. C. de jure dot. l. assiduis. 12. C. qui potiores in pignore.*

3 Adverte 3. Cùm leges resistant, quo minùs mulier validè consentire possit, in alienationem dotis, aut rerum propter nuptias donatarum, seu, vt aliter dicam, cùm resistant, ne alienatio dotis, quamvis cum consensu mulieris facta, & suo etiam modo donatio rei propter nuptias donatæ valeat, primò ac directè spectant commodum priuatum mulierum, quippe quæ facilè induci ac lædi possunt; indirectè autem & consequenter spectant ad publicum bonum, quatenus omnes leges, si iustæ sint, ad Reipublicæ vtilitatem referuntur. 4 Ex hoc collige, quòd mulier non peccet, neque puniri possit, per se loquendo, si in talem alienationem spontè consentiat, quia leges commodum mulieribus & auxilium afferre, non autem obligationem aliquam afferre intenderunt.

5 Nota 1. Si mulier in alienationem rei dotalis, vel propter nuptias donatæ cum juramèto consentiat, renuntians priuilegiis suis efficaciter, etiam ex justitiæ virtute obligationem contrahit; Ita sumitur ex *hoc c.* Est autem quàm maximè hîc aduertendum, quod dico. Si mulier in alienationem dotis jurata consentiat, eam ex justitia quoque, & quidem efficaciter obligari; nam inprimis certum est, quòd obligetur ex virtute Religionis; cùm alienatio ista & renuntiatio priuilegiorum mulieri sub peccato prohibita non sit, vt paullò ante dixi, atq; insuper alienationem suam & juramentum mulier absque peccato seruare possit, consequenter etiam debeat. Additum verò est, quòd mulier ex justitia obligetur, adeóque plus quàm si vsurario vsura promissa sit. Dein additum est: efficaciter eam obligari, ita, vt nec in externo, nec in interno foro remedium exceptionis, aut rescissionis competat, per se loquendo, ideóque plus obligatur mulier, quàm is, qui dolo inductus, aut per vim injustam adactus in alienationem, aut contractum quemlibet consentit; nam is efficaciter non obligatur, sicuti ex *hoc c.* colligitur, quandoquidem juramenti relaxationem impetrare, & postea vel excipiendo, vel rescissionem contractûs petendo, defendere se possit, vt supra dictum *in c. Si verò. 8. hoc tit.*

Corollarium. Pactum siue contractus, 6 qui lege ipsi resistente ob priuatum commodum irritus est, per accessionem juramenti cõfirmatur, ita vt etiam in externo foro actio tribuatur, secundùm doctrinam. *Gl. in c. 2. verb. Seruari. ibidem Ioann. Andr. de Pact. in 6. Imol. hîc. n. 13. & 16.* & esse communem doctrinam, testatur *Abbas hîc. num. 8.* cámque docui *l. 4. Tract. 3. c. 8. n. 1.* est autem magnus iste effectus, si pactum, quod alioquin irritum esset, accessione juramenti confirmetur, quia obligatio eius indubiè transibit ad hæredes, & successores propter vim pacti, cùm alioquin obligatio, quæ juramento propria est, ex religionis virtute personalis sit, id est personam juramentis tantùm afficiens.

Interim tamen valdè credibile est, quòd sæcularis potestatis limites non excedat pactio-

pactionem aliquam, quæ bonis moribus & juribus incommodare videatur, adeò infirmare, vt neque juramenti accessione confirmetur, & quidem non tantùm per vim pacti, ita, vt ex justitia nulla actio, vel obligatio oriatur, de quo minus dubitari potest, & docui *hoc cit. tract. 3. c. 8. num. 4.* sed ita vt neque ex religionis virtute obligatio, quæ juramenti propria est,
8 oriatur; idque duobus modis. 1. Si ipsam pactionem, quamuis juramento confirmatam, lex seu scripta seu per consuetudinem stabilita tanquam turpem prohibeat, v. g. vt aliquis promittat puellæ nuptias, si vxor sua moriatur; vel quòd dolum, furtum, aut iniuriam aliam, si in futurum committatur, remittere velit. Tametsi enim vxore mortuâ aliam ducere, aut dolum, vel iniuriam commissam remittere turpe non sit, tamen ad talia se obligare, turpitudinem continere videtur, & peccandi causam præbere.

Simili ratione in causa criminali non testificari liberum est, sed per pactum & juramentum se obligare ad non testificandum, vtroque Iure turpe reputatur, ideò non obligatorium, vti hîc *Alex. de Nauo* notauit *num. 32.* & videri potest, *Imola n. 40.*

Alter modus est, si lex Canonica, aut ci-
9 vilis executionem pacti seu promissi, quamuis jurati, tanquam illicitum prohibeat; eò, quòd communi bono incommodare videatur, prout explicaui *cit. Tract. 3. c. 11. num. 9.*

CAPITULUM XXIX.

Sicut.

Paraphrasis.

Si constet, quòd H. bellum iniustum gerat aduersùs I. inducì debet, vt vniuersa, quæ per vim abstulit, eidem restituat, qui proinde I. etiam absolui debet à juramento, quod ob metum præstitit; quod si H. recusauerit, per sententiam excommunicationis compellatur, & terra eius interdicto subijciatur.

Summarium.

1. *Erepta injusto bello restituenda sunt, non obstante fœdere, quod alter etiam jurato sed coactus iniit, & à juramento absolui debet, si saluo scandalo potest.*
2. *Fides etiam jurata seruanda non est ei, qui vicissim datam non seruat, vel seruare paratus non est.*

Not. vnic. Quæ bello iniusto erepta sunt, restitui debent, non obstante 1
fœdere, quod alter coactus inijt, immò à juramento fœderis absolui debet, vt etiam constat *ex c. Si verò. 8. hoc tit.* dummodo notoria sit injustitia ex parte vnius pacisicentium.

Cauendum quoque est scandalum, si videlicet Christianus à juramento absoluatur, quòd ab eo infidelis, quamuis per vim, extorsit; quare talis absolutio non est danda, præsertim in publico fœdere, sicuti dixi *l. 2. Tract. 3. c. 12. q. 5.*

§. Iuramentum.

IVramentum, quod ex mutuo consensu ac pacto Ioannes edidit, ipsum non obligat, si alter, cui præstitum est, seruare negligat, quod promisit.

Not. vnic. Fidem etiam juratam aliquis 2
seruare non tenetur ei, qui fidem à se vicissim datam violat, aut seruare paratus non est, de hoc dictum est *in c. 3. hoc tit.*

CAPITVLVM XXX.

Nimis.

Paraphrasis.

Laici contra jus diuinum agunt, quando viros Ecclesiasticos nihil temporale (videlicet in feudum) ab ipsis habentes ad fidelitatis juramentum adigunt. Quare Innoc. III. tale juramentum præstari prohibet; quia secundùm Apostolum ad

Romanos 14. Seruus Domino suo stat, vel cadit.

SVMMARIVM.

1. *Immunitas Ecclesiæ non tantùm juris humani, sed etiam diuini est.*
2. *Tria sunt genera juramenti fidelitatis. I. Clientelæ,* Lehenspflicht. *II. Officij & administrationis:* Dienstpflicht. *III. Subiectionis* Landschuldigungspflicht. *Prima duo etiam in Clericum cadunt: non autem tertium erga sæcularem.*
3. *Resoluitur quæstio, an pagus situs intra territorium Ducis, censendus sit feudalis, vel liber seu allodialis.*

1 NOT. Vnic. Immunitas Ecclesiæ non tantùm jure humano, sed etiam diuino constituta est, vti hîc docet *Abbas n. 3. Alex. n. 7.* & docui *l. 4. tr. 9. c. 8. n. 1.*

2 Aduertendum hîc. Quòd juramenti fidelitatis tria genera sint, quorum duo prima jurantem non absolutè, sed respectiuè subditum faciunt, & ideò in Clericum comparatione domini sæcularis cadere possunt; non item tertium, quod absolutè subditum arguit. Primum itaq; est clientelare. Lehenspflicht/ quod Vasallus Domino præstat, idq; in Clericum cadit. *c. 6. & 7. de foro compet.* Alterum ratione officij & administrationis Dienstpflicht/ quod Officiales & Præsides Curiæ v. g. Regi aut Imperatori edunt, de quo dixi *cit. tract. 9. c. 5. n. 3.* Tertium est juramentum subiectionis Landschuldigungspflicht/ & hoc in Clericum non cadit erga sæcularem.

Quæritur hîc, si pagus v. g. positus sit intra territorium Ducis, censeríne debeat feudalis, an liber, seu allodialis.

3 R. Cum *Imol. Ioann. Andr. & Abb. hîc,* quòd liber præsumatur in dubio, quia seruitutes tam in rebus, quàm personis superinductæ sunt; & prius ac naturalius est rem liberam esse, quàm seruituti subiectam, idque maximè docendum est in bonis immobilibus Ecclesiarum; quippe cùm fundationes piæ ob Dei honorem plenissimè factæ censeantur, sicuti notat *Rosenthal in Synopsi de feud. c. 12. n. 12. & 59.*

Verumtamen si pagus v. g. aut Castrum sit intra territorium Ducis, alteriúsve Domini præsumitur territoriali eius Iurisdictioni subiectum, ita vt tametsi Dominus pagi habeat Iurisdictionem immediatam seu inferiorem in subditos, tamen ab ipso appellari possit ad Ducem, vti notauit hîc *Host. & Abbas n. 1.*

Potest tamen esse Ciuitas, aut pagus intra territorium Ducis, & non de territorio, sed præscriptione, seu priuilegio, aliáue concessione liberum, tunc verò pagus cum adhærentibus possessionibus, quantumuis modica terra sit, censetur proprium territorium, vt proinde eius Dominus territorialem quoque Iurisdictionem obtinere dicatur. *test. Andr. hîc. n. 4.* & tradit *Gl. in Clemen. ne Romani. verb. Diœcesin. de elect.*

Simile est, quòd omnis Ecclesia intra Diœcesin censeatur esse subiecta Iurisdictioni Episcopi. *c. Omnes. 10. causa. 16. q. 7.* nisi priuilegio, aut præscriptione aliquâ exempta demonstretur; tum verò licèt sit intra Diœcesin, non tamen est de Diœcesi; imò locus exemptus intra Diœcesin (vti docui *l. 1. tract. 4. c. 11. n. 5.*) æquiparatur loco extra Diœcesin. Quòd si exemptio etiam se extendat ad populum, tunc quasi propria Diœcesis censeri potest.

CAPITVLVM XXXI.

Petitio.

PARAPHRASIS.

Vacante Ecclesiâ Antiochenâ Princeps Ciuitatis cùm sibi à conspiratione timeret, à Canonicis juramentum extorsit, quòd contra ipsum agere nolint. Dubitârunt Canonici, num vi huius juramenti impediti essent, quo minùs jura Ecclesiæ suæ contra Principem tuerentur. Negat Innoc. III. ita esse intelligendum quasi pro juribus Ecclesiæ, imò propriis ac singularibus legitimè defendendis contra Principem stare non possint, sed intelligi debere ait, quòd abstinendum ipsis sit à machinatione omni, per quam læsio Principis personæ, aut principatui eius inferretur.

SVM-

SVMMARIVM.

1. *Iuramentum quantumuis generalibus verbis editum, non extenditur vltra intentionem iurantis.*
Intentio autem colligitur ex causa & occasione iurandi, materia subiecta & adiunctis.
2. *Conspiratio quid sit, in quantum accipitur in malam partem.*

NOT. I. Iuramentum quamuis generalibus verbis editum extendi non debet vltra intentionem iurantis, quatenus ea ex causa & occasione iurandi, materia subiecta, & adiunctis colligi potest. Ita sumitur ex *c. Veniens. 16. hoc tit. & ex isto c.* Nam causa & occasio iurandi erat, quia agebatur de illicita conspiratione, quare licet generatim editum fuerit iuramentum, quo Canonici contra Principem agere nollent, inde colligitur, quòd nihilominus iura Ecclesiæ defendere possent, imò etiam propria, quandoquidem de hoc non agebatur, vt juribus suis renuntiarent; sed ne injusta læsio fieret occasione conspirationis. quòd si verò ex jurandi occasione, & subiecta materia colligi potuisset, etiam ad illa juramentum se extendisse, vt quia Canonici pro suis juribus egerant contra Principem, ac inde inimicitia contracta esset; tum in generali verbo non agendo contra Principem abstinere vellent, cuiusmodi juramentum obligatorium foret, nisi quod relaxationem meretur, si per vim extortum esset. 1

Duo tamen circa hunc casum aduertit *Abbas hîc.* 1. Quòd tale juramentum de non agendo contra alterum, intelligi debeat quoad causas & lites, quæ tum ortæ erant, non item vt se extendat ad orituras. *Argum. c. 2. de renuntiat.* 2. Si quis alteri jurauit, quòd contra illum stare, aut agere nolit, non esse in dubio præsumendum, quòd etiam in propria causa agere nolit; nam hæc esset renuntiatio juris, siue donatio, quæ non præsumitur. *l. Cùm de indebito. 25. ff. de probat.* a

2 Not. II. Conspiratio quatenus in malam partem accipitur, est quorundam confœderatio seu consensio aduersùs personam alicuius vel dignitatem eius; interdum tamen accipitur in bonam partem, vti videre est apud *Ciceron. l. 2. de off.* vbi ait, quòd magnas vtilitates adipiscamur conspiratione hominum.

CAPITVLVM XXXII.

Ex literis.

PARAPHRASIS.

G. à Sede Apostolica impetrauit literas ad Iudices contra E. vt vsuras restituat in processu litis, Iudices ex dictis testium productorum ex parte G. sufficienter colligere non poterant summam sortis mutuo datæ: constabat tamen de terra per modum hypothecæ subjectæ ipsi E. atque insuper ex fama, quasi notorium erat, quòd E. ex eadem terra sortem & ampliùs accepisset, quare ne occultata veritate justitia succumbat, Papa approbat consilium Iudicum, videlicet, vt partes juramentum de veritate dicenda per censuram præstare cogantur, remotâ appellatione.

SVMMARIVM.

1. *Fama sola, nisi aliis adminiculis fulta sit, non probat plenè.*
2. *In causa vsura, si ea ciuiliter agatur & vehementes præsumptiones adsint contra creditorem velut vsurarium, potest ipsi vel debitori in supplementum probationis juramentum deferri.*
3. *Iuramentum de veritate dicenda, & calumnia, si initio litis exactum non est, in progressu exigi poterit, si quidem necessarium fuerit.*

NOT. I. Fama nisi aliis adminiculis fulta sit; non probat plenè; alia autem adminicula & præsumptiones in causa vsuræ esse solent, si creditor vsuras exercere consueuerit. *c. Illo. 4. de pignoribus*; vel si mercatores communiter in eo loco vsuras accipere solent, quâ de re *Ioan. Andr. hîc. n. 3. Abbas num. 8.* vbi disputant num ex I

con-

consuetudine, quòd creditor communiter cum vsura mutuum dare solet, sufficiens præsumptio fiat contra eum, quòd etiam hac vice ita mutuum dederit.

2 Ratio esse debet, quòd Iudex ex variis circumstantiis facti, & personarũ, animum suum informare debeat, quòd si præsumptiones vehementer vrgeant contra creditorem & causam vsurarum, ciuiliter agatur ad restitutionem, poterit saltem juramentum in probationis supplementum deferri debitori seu actori; postulari etiam potest à creditore, vt librum rationum exhibeat. *Clem. 1. §. Caterùm. de vsuris.*

3 Not. II. Si juramentum de veritate dicenda (idémque sentiendum de juramento calumniæ) in principio litis exactum non fuit, postea in progressu exigi potest. *c. 1. de juramento calumniæ. n. 6.* Id verò intelligi debet, si necessarium esse videatur, quia in judicio res notoria non est, nec per probationem, nec per confessionem partis, & hoc est intentum huius Capituli, vt *Alex. hîc* notat *n.* 43.

CAPITVLVM XXXIII.

Intellecto.

Paraphrasis.

Cum Innoc. III. intellexisset, quòd Rex Hungariæ alienationes quasdam in præiudicium Regni & contra Regis honorem fecisset, rescripsit, vt non obstante juramento, si quid edidit de alienationibus non reuocandis, eas reuocare ne intermittat; cùm enim ad hoc teneatur, & in coronatione sui jurauerit, quòd jura regni & coronæ honorem illibata seruare velit. Sequitur, quòd illicitum & non obseruandum sit juramentum, si edidit de non reuocanda alienatione.

Svmmarivm.

1. *Rex non potest alienare bona, ac jura pertinentia ad coronam Regni.*
2. *Facta à Rege alienatio innalida est, & reuocabilis à proceribus Regni vel Successore.*
3. *Excipiuntur quidam casus, in quibus licet Regi aliqua de bonis regni alienare.*
   In alienatione prohibita Prælatis, non comprehenduntur modica.
4. *Alienatio fundi in Ecclesiam facta censetur absoluta, sine reseruatione dominij directi vel superioritatis.*

Not. vnic. Rex non potest alienare bona ac jura pertinentia ad coronam Regni; nam regnum certâ lege à populo translatum est in vnum Regem, videlicet quoad jurisdictionem, administrationem, & conseruationem jurium; quæ dicitur lex fundamentalis originaliter proueniens ex pacto inito inter populum, ipsósque ordines Regni, ac regem, ideóque sic comparata est, vt à Rege tolli, mutari, aut relaxari nunquam possit. 1

Ab eiusmodi fundamentali lege, secundùm quam forma regni instituta censetur in perpetuum, ac immutabiliter, differunt capitulationes, quæ in electione Regis, aut Imperatoris proponuntur ab Electoribus; videlicet conditiones quædam, quæ si ab electo acceptentur, & juramento, vt fieri solet, confirmentur, ijs per modum contractûs obligatur, sed ad successorem non transeunt.

Ampliari debet notand. Quòd talis alienatio, quæ à Rege fit, nullius roboris esse debeat, vt proinde à Proceribus Regni, vel successore reuocari possit, vti notat *Felin. c. Ad audient. n. 4. de præscript.* 2

Excipiendum verò 1. Quòd Rex ex consensu Procerum ob justam causam alienare possit, etiam in externum transferendo jura ac bona Regni, v. g. post bellum fœdere inito cum hoste ob necessitatem, ita *Rosenthal de feudis. c. 5. conclus. 12.* 3

Excipiendum 2. Quæ modica, aut parùm vtilia sunt Regno, Rex ex justa causa alienare potest, non requisito Procerum consensu. ita *Innoc. hîc. & Abbas n. 7.* prohibita est enim Regi alienatio, per quam jura Regni ac dignitas Regis læditur seu imminuitur, ab alienatione modicorum talis læsio non contingit, aut saltem non æstimatur. *c. Terrulas. 3. 12. q. 2.* vbi apparet alienatio-

Excipiendum 3. Quòd Rex bona aliqua regni, ex justa causa in feudum dare, vel aliter concedere possit, ita vt supremam jurisdictionem & dominium à se non abdicet, est tamen hîc exactè distinguendum; vel bona antea infeudari solebant, tunc eodem modo infeudari, vel alio modo concedi possunt, cùm hæc non censeatur esse noua alienatio; Vti dixi *l. 3. tract. 3. c. 10. n. 2. §. denique.* vel antea infeudari & concedi solita non sunt, tunc attendendum partim ad grauitatem causæ seu necessitatis, ob quam concessio fiat, partim ad læsionem seu imminutionẽ jurium seu reddituum, est enim receptum apud *Canonist. in c. 2. de supplend. negligentia Prælatorum in 6.* quòd alienatio sine consensu Procerum fieri non possit cum magno præiudicio dignitatis Regiæ. Verùm ordinariè non præsumitur esse graue præiudicium ac læsio, si fiat cum reseruatione superioritatis ac supremi dominii directi, cuiusmodi reseruatio semper intelligi debet, tametsi in concessione non exprimatur, præterquam si ex modo donandi, siue ad, junctis apparet, alienationem ex causa justa ob publicum bonum factam esse plenè, ita vt omnis superioritas & directum etiam dominium abdicatum fuerit, qua de re *Couar. in pract. qq. c. 4. n. 1.*

4 Corollarium. Si à Rege, alióue Principe aut Domino alienatio fundi in Ecclesiam facta sit, censeri debet absoluta ac plena sine reseruatione dominii directi aut superioritatis in bona. *argumento. c. Nouerim. 6. causa. 10. q. 1.* & docet *gloss. in c. Solita. 6. verb. suscipiunt. ibidem Felin. n. 5. de maioritate. licet contradicat Couarr. n. 2.* cuius tamen sententia vera est, si ex consuetudine regni appareat, quòd omnia Ecclesiarum bona immobilia supremæ Imperat. aut Regis jurisdictioni subdita sint, vel ad eundem, tanquam supremum directum eorum dominum appellationis causâ denique deuoluantur.

Ad extremum aduerte in textu, quòd duæ causæ ab Innocent. afferantur, ob quas Rex alienationes reuocare debeat, videlicet quia jurauit se non alienaturum, & quia jus alienandi non habet, verùm prior causa sola non sufficeret, quemadmodum si aliquis juret se testamentum non reuocaturum, & postea reuocat, is periurus est, sed reuocatio valet, vti docui *l. 4. tract. 3. c. 8. n. 5.* quamobrem altera ratio adiuncta est, quæ & per se sola sufficit, quòd Rex, etiam seclusо juramento, alienandi potestatem non habeat.

CAPITVLVM XXXIV.

Mulieri.

Paraphrasis.

Mulier virum petebat coniugii jure, jurans quòd secum verbis de præsenti contraxisset, sed quia viro negante mulier in probatione defecit, ipse absolutus à Judice fuit. Hoc casu respondet Gregor. IX. Quòd Judex licentiam mulieri dare non debeat alteri nubenti, ne periurii ipsemet Pontifex auctor esse videatur, sed nec nubere volentem prohibere debet Judex, ne si fortè falsum jurârit, matrimonium legitimum impediatur, quare conscientiæ suæ relinqui debet.

Svmmarivm.

1. Si pars agens præmisso juramento confessionem faciat de contracto matrimonio, & in probatione deficiat, accessus ei ad alias nuptias non est prohibendus, neque tamen etiam suadendus, sed potiùs contrarium.

Not. Vnicum. Si pars agens confessionem juramento præmisso faciat, quòd matrimonium contractum sit, & in probatione succumbat, non est ei prohibendum, quominùs ad alias nuptias accedat, non est tamen idipsum suadendum sed potiùs contrarium, vt absistat. Prioris partis ratio est, quia confessio actoris non facit, vt sententia contra reum feratur, imò non obstante confessione eius, quamuis juratâ,

probata non sit, sententia fertur contra actorem pro Reo.

Dices si mulier hæc matrimonium cum viro verbis de præsenti non contraxerat, fuit periura; si autem contraxerat, tunc postetius matrimonium est irritum ac sacrilegum, ergo necessariò conuincitur esse grauis criminis rea.

Resp. ita esse, sed cùm nesciatur, nec de ea ostendi possit, veréne, an falsò jurârit, relinquenda est conscientiæ suæ, sicut in textu dicitur. Posterioris partis ratio est propter suspicionem periurii, vti ex tectu colligitur.

CAPITVLVM XXXV.

Clericus.

Paraphrasis.

Aliquis Clericus jurauit, quòd statuta Ecclesiæ suæ edita seruare vellet; post aliquot verò annos peridem, quod antea præstitit juramentum, promisit se seruaturum esse statutum, quod postea editum erat. Hoc casu resp. Gregor. IX. licet is malè fecerit, statutum transgrediendo, tamen ex vi juramenti ad eius obligationem non teneri, neque ad obseruationem obligatum.

Svmmarivm.

2. *Non potest aliquis facere, vt juramentum ante præstitum vltra limites materiæ suæ extendatur.*

NOt. Vnicum. Non potest aliquis efficere, vt juramentum antè præstitum vltra limites materiæ suæ extendatur, exemplum habes hîc: aliquis jurauit, quòd statuta Ecclesiæ suæ seruabit, is promittendo efficere non potest, vt virtute prioris juramenti obligetur ad statuta, quæ post juramentum edita sunt. Si tamen intentionem habeat, id denuò jurandi, ita vt sicut priùs jurârat se seruaturum statuta, quæ ante erant, ita jâ jurare velit in statuta, quæ postea facta sunt, tunc obligatur non ex juramento priore, sed posteriore. Veruntamen hoc casu non extendit juramenti prioris obligationem, sed aliud juramentum edit simile priori; idem cernere est in voto, si jurâsti, te omnibus diebus veneris jeiunaturum, non potes efficere, vt obligatio voti prioris extendatur etiam ad dies Sabbathi, potes tamen aliud votum edere!, quo obligari velis ad jeiunandum in Sabatho, vti antè te obligâras ad jeiunandum die veneris.

Quæritur. Vtra intentio in dubio præferenda sit? videri potest eam præferendam esse, quòd voluerit obligari ex primo juramento, ita vt intentio effectum non habeat, propterea quòd juramentum strictè interpretandum sit. *arg. c. Cùm Clerici. de verb sign.* Sed contrarium placet, præsumendum esse, quòd nimirum posteriorem intentionem habuerit, ita vt obligetur ex nouo juramento. Nam actus potiùs intelligi debet, ita vt valeat, quàm vt pereat. *c. Abbat. 25. de verb. signif.* & potiùs præsumi debet, quòd aliquis se obligare voluerit modò possibili, quàm impossibili, cùm impossibilium nulla sit voluntas.

Ad motiuum contrarium dico, si adsit aliqua obligatio juramenti, eam in dubio restringendam potiùs esse, non extendendam: at verò si constet, quòd aliquis voluerit se juramento obligare, tum is modus in dubio præferri debet, secundùm quem obligatio subsistit, & idem dicendum de voto,

CAPITVLVM Vltimum.

Iuramentum.

Paraphrasis.

Quando Judex parti juramentum defert, ab ea recusari non potest, sin autem pars parti juramentum deferat, pars, cui defertur juramentum, recusare potest vel referre, in actione tamen famosâ Reus conuentus juramentum referre non potest.

Svmmarivm.

1. *Juramentum litis decisiuum, à judice oblatum parti, ab ea præstandum est, nisi causam justam*

justam afferat, cur illud præstare non debeat. Potest tamen juramentum alteri parti referre.

2. *Potest hoc juramentum, quod pars parti defert, ab eâdem revocari, nisi judex juramentum ita delatum approbet.*
3. *Limitatur præcedens doctrina.*
4. *In actione famosa actor Reo deferre juramentum potest, si in ea transigere licet, v. g. quando ciuiliter agitur ad proprium interesse.*
5. *Potest idem judex deferre Reo in sui purgationem, si actor deficit in probatione, non tamen actori.*
6. *In actione famosa criminaliter intentatâ, actor Reo deferre juramentum potest in causis, quibus transigere licet.*

Et quis effectus juramenti à Reo præstiti?

1 NOT. I. Si Judex parti litiganti ex officio juramentum litis decisiuum offerat, jurare cogitur. *l. Generaliter. 12. §. Sed juramento. C. de rebus creditis.* dixi de hoc *l. 4. tract. 3. c. 5.*

Excipe 1. Nisi causam afferat pars, cur jurare non debeat, eam verò Judex examinabit, ita vt si satis justa non videatur, reiicere possit, concessâ tamen appellandi facultate, si pars litigans se iniustè grauari existimet. *cit. §. Juramento.*

Excipe 2. Quòd pars litigans, cui à Judice juramentum defertur, possit alteri parti litiganti referre, seu dicere, si jureiurando lis decidenda sit, vt pars altera juret; sic colligitur ex *cit. §. juncta. gloss. verb. vel referatur.*

2 Not. II. Si pars parti juramentum litis decisiuum deferat, simpliciter recusari potest, quare tale juramentum voluntarium dici potest. *argumento. l. 1. & l. Qui iurâsse. 26. §. vlt. ff. de iureiurand.* Ratio est, quia tale juramentum, quod à parte delatum est, & pars altera acceptat, transactionis species quædam est. *l. 2. admonendi. 31. in fine. ff. eod.* transactio autem sicuti & quælibet pactio voluntariam causam habet.

Limitari debet, si Judex juramentum à parte delatum approbet, tunc ita de eo sentiendum, ac si necessarium sit, quia pars, cui defertur, vel jurare debet, vel referre *cit. l. Generaliter. §. Sed iuramento. & l. Manifestè. 38. ff. eod.* ita quidem, vt si Reus sit, qui nec jurare vult, nec referre, pro confesso habeatur. *cit. l. Manifestè.* sin autem actor, tunc Reus absoluendus sit. *l. Jusiurandum. 34. §. vlt. ff. eodem.*

Sublimitari debet 1. si pars, cui juramentum cum approbatione Judicis defertur, justam causam alleget, cur jurare non debeat, vt dictum est ex *cit §. Sed iuramento. &c.* 2. Si Reus, cui juramentum defertur, probationes paratas habeat, quibus innocentiam suam demonstret, ad jurandum cogi non debet, sicuti docent DD. apud *Wesenb. in paratitlis. ff. de jureiurand. n. 9.* 3. Quòd in actione famosa, videlicet furti clandestini juramentum referri non potest, cuius rationem assignant DD. hîc & *gloss. in l. Marcellus. 11. & vlt. ff. Rerum amotarum.* Quia Reus meliùs plerumque scit veritatem, quàm actor; sin autem tale factum sit. v. g. inflicta alapa, vt vterquè æquè eius scientiam habere possit, tunc juramentum delatum referri nihil prohibet. 3

Quæres. Num juramentum in actione famosa seu infamante, ab actore deferri possit reo? Videtur affirmandum ex isto Capitulo: vbi dicitur: quòd Reus delatum sibi juramentum in actione famosa referre non possit; igitur supponitur, quòd ab actore Reo deferri possit. 4

Resp. Cum *Abbat. hîc. n. 13.* quòd in actionibus famosis actor Reo deferre possit juramentum, si in iis transigere liceat, videlicet quando ciuiliter agitur ad proprium interesse, quæ dicitur actio popularis. *l. 1. & seq. ff. de populari act.*

Similiter quoque Reo Judex juramentum deferre poterit in sui purgationem, si actor sufficienter non probauit; sed non ita actori, si causa famosa sit, deferri potest, juramentum in supplementum probationis. Sicut dixi. *l. 4. tract. 3. c. 5. n. 3. dict. 2.* 5

Sin autem de crimine famoso agatur criminaliter, tunc actor juramentum Reo de- 6

ferre potest in causis, quibus transigere licet, saltem ita, vt præstito juramento repelli debeat; quamuis aliqui deinde de eodem crimine accusare, vel Judex ex officio procedere non prohibeatur, sicuti hîc *gloss. & Alexand. de Nau. tradit n. 55.* Veruntamen *gloss. in l. agatur. ff. de jureiur.* monet delationem juramenti facilius concedi actori, quàm transactionem. Adde his, quæ dixi *l. 3. tract. 4. c. 37. n. 5.*

4. Sublimitandum, si actor, qui plenam probationem habere non potest de facto alieno, sed tantùm conjecturas, v. g. reperit aliquis instrumentum debiti in arca paterna, quod ponimus plenè non probare; si, inquam, hoc casu, reo deferatur in judicio juramentum, isque vicissim actori referre velit, audiendus non est Reus, sed à Judice jurare cogendus, vel pro confesso habendus, sicuti *notat. hîc. Abbas. n. 11.* & sumitur ex *cit. l. Marcell. §. Jurare. vbi gl. marg. & Bart.* doctrinam tradit, tunc demum licitum esse juramentum referre, si is, cui defertur, scientiam habere possit rei, non item, si sub scientiam eius cui refertur non cadat.

§. Sanè.

Actore nihil probante, Reus etsi nihil præstiterit, absolui debet: sin autem actor præsumptionem pro se habeat, tunc Judex Reo juramentum deferre potest ad sui purgationem seu innocentiæ ostensionem, nisi Judex consideratis circumstantiis causæ & personarum, actori potiùs existimet deferendum.

Svmmarivm.

1. *Judex actore plenè non probante, juramentum alteri parti deferre non semper debet, sed vbi videbitur expedire, præmissâ cognitione causæ.*
2. *Exigente causâ juramentum, & judice nolente, potest appellari.*
3. *Si probationes ex vtraque parte concurrant, an & cui sit juramentum deferendum?*

NOtandum Vnicum. juramentum litis decisiuum si actor plenè non probauerit, Judex ordinariè Reo defert, nisi consideratis causæ & personarum circumstantiis arbitratur actori deferendum esse. Consentit *c. vlt. in fine de test. in 6.* & explicaui *l. 4. tract. 3. c. 5.* & videri potest *gloss. in l. In bon. fidei. C. hoc tit.* 1

Quæritur 1. An Iudex, si actor plenè non probauerit, semper juramentum alteri parti deferre debeat? Resp. non semper, sed si expedire seu ad rem facere videatur, præmissâ cognitione causæ. *cit. l. 3.* Cauere etiam debet, ne ei deferat, qui rei cognitionem non habet, aut qui facilè peieraturus est, imò actor, cui juramentum in supplementum probationis defertur, debet esse persona fide digna, & omni exceptione maior, vti hîc docet *Alexand. n. 25.* 2

Cæterùm si causa exigere videatur, vt iuramentum deferatur, quia actor aliter probare non potest, v.g. clandestina sponsalia, tunc si Iudex deferre nolit, actore petente potest appellari, sicuti docet *Bart. in l. Admonendi. n. 5. 9. ff. hoc. tit.*

Quæritur 2. Si probationes ex vtraque parte concurrant, an & cui juramentum deferri debeat. 3

Resp. & Dico 1. Si alter plenè non probauit sed neque Reus innocentiam suam nisi semiplenè ostendit, tunc si Iudex juramentum deferre velit, plerumque Reo deferet, vti constat ex *not. huius. §.*

Dico 2. Si actor plenè probauit, videlicet per duos testes v.g. pecuniam mutuò datam esse Caio, Reus autem contrarium probat semiplenè, videlicet reprobando depositionem testium duorum, per vnum testem, qui deponat eo tempore Caium alibi fuisse, hoc casu juramentum deferri nequit, teste *Abbat. hîc. n. 10.* quia plena probatio actoris infringi non potest per contrariam semiplenam, quandoquidem in iudicio is obtinet, qui plenius probauit. *argumento. c. Licet. 9. de probat. & c. In nostra. 32. de testibus.*

Dico 3. Si probationes partis vtriusque contrariæ non sunt sed compossibiles, quia

actor

actor plenè probauit mutuum datum per duos testes, at verò Reus per exceptionem, quòd pactum supervenerit non petendi, probauerit semiplenè per vnum testem, hoc casu, cùm Reus excipiendo fiat actor, actore autem semiprobante, Iudex Reo iuramentum deferre possit, ideò rectè ait *Abb. cit. loco*, quòd hoc casu juramenti delationi locus esse possit. *c. 1.*

CAPITVLVM I.

EODEM TITVLO IN VI.

Contingit.

PARAPHRASIS.

In quibusdam locis consuetudo viget, vt Prælati, antequam Ecclesiarum administrationem capessant, jurare debeant, se Ecclesiarum ipsarũ statuta, & consuetudinẽ obseruaturos, idémque mos invaluit inter laicos, vt Rectores & Officiales ad Rectorias & officia non assumantur, nisi jurent, quòd statuta servare velint, cùm autem in ijs statutis ac consuetudinibus quædam interdum reperiantur illicita & Ecclesiæ libertati adversantia, ideò Nicol. III. respondet hîc: quòd juramentum generaliter editum ad talia se non extendat, sed tantùm ad statuta & consuetudines licitas & honestas, quòd si verò expresè jurent, se etiam illicita, aut quæ Ecclesiæ libertati adversantia sunt, statuta, seu edita, seu edenda, servaturos, juramento tali nequaquam obligantur, cùm illud institutum non sit, vt esset vinculum iniquitatis.

SVMMARIVM.

1. *Juramentum de seruandis statutis ac consuetudinibus loci, quamuis generaliter conceptum, intelligitur tantùm de licitis, neque præsumitur quòd intentio jurantis se extendat ad illicita.*

Et si se intentio jurantis extenderet ad illicita, respectu horum juramentum esset nullum, validum autem quoad licita.

2. *Canonicus jurans se statuta & consuetudines Ecclesiæ seruaturum? An & quomodo sine periculo periurij possit impetrare priuilegium aduersùs statuta?*

NOt. vnic. Juramentum servandi statuta ac consuetudines loci, quamvis generaliter conceptum, intelligitur tantùm de licitis, neque præsumitur, quòd jurans etiam quæ illicita sint, includere voluerit. Sin autem etiam illicita comprehendere voluerit, juramentum respectu eorum irritum est, validum autem quoad licita, quia vtile per inutile vitiari non debet. *Regula 37. in 6.*

Quæstio est. Si Canonicus post sui creationem iurauit, se statuta & consuetudines Ecclesiæ servaturum, num periurus fiat, si dein privilegium impetat à S. Apostolica sede adversùs statuta?

Resp. cum Rota Romana, novâ decisione *1. de jur.* & Dico 1. Si privilegium latum sit proprio motu, Canonicus eo frui potest, non obstante juramento, quia in juramento conditiones suapte natura insunt, saluo jure Superioris. *c. Venientes. 19. ext. hoc tit.* item si res in eodem statu permaneat, seu si mutatio, videlicet nova licentia non superveniat, vti docui *l. 4. tract. 3. cap. 9. conditione 4.*

Dico 2. Etsi priuilegium concessum sit ad instantiam Canonici, si tamen in eo clausula adijciatur, non obstantibus statutis contrarijs etiam juratis, iuxta *c. Cum aliquibus 4. de rescriptis in 6.* impetrans eo vti potest.

Dico 3. Si talis clausula adiungi non soleat, tunc rescriptum siue concessio priuilegij ad instantiam dati obreptitia censeri debet, nisi in impetratione mentio facta sit, quòd priuilegium deroget statuto jurato. Ita *Franc. hic.* in fine, est enim hæc taciturnitas veri, quod si Papæ explicatum fuisset, tale priuilegium non dedisset, aut tali modo non dedisset, sicuti explicaui *l. 1. tract. 4. cap. 22. n. 19.*

CAPITVLVM II.

Licet.

PARAPHRASIS.

Accidit, vt tametsi mulieres alienationibus dotium aut donationum propter nuptias se non contravēturas jurārint, nec vi, nec dolo adductæ; nihilominus apud seculares Iudices audiantur, si alienationes retardare velint, ideò hîc mandat Bonifac. VIII. vt Iudices per locorum Ordinarios sub censura adigantur ad observandum jus Canonicum, quo decernitur, vt tale mulierum juramentum obliget, ita enim res postulat, vt animarum periculis obvietur.

SVMMARIVM.

1. *Alienatio Fundi dotalis, aut propter nuptias donati, aliàs invalida, juramento mulieris confirmatur.*
2. *Judex secularis in foro suo secundùm Canones judicare debet. si agatur de vitando peccato, & ad hoc per censuram etiam compelli potest.*

1 NOt. I. Alienatio fundi dotalis, aut propter nuptias donati, licet alioquin irrita sit, tamen per juramentum mulieris confirmatur, ita etiam sumitur *ex c. 2. De pactis in 6.* & dixi *in c. Cùm contingat. 27. extra. h. tit.* & tradunt *Geminian. & Franc. n. 1.* consentit authentica, Sacramenta puberum *C. Si adversùs venditionem.*

2 Not. II. Judex secularis in foro suo secundùm Canones jurare debet, si agatur de vitando peccato, & ad observationem hanc juris Canonici, per censuram Ecclesiasticam compelli potest.

Porrò ratio & decisio ista capituli tantùm ostendit, quòd Iudex secularis pronunciare debeat, juramentum obligare ex virtute Religionis, ideóq; mulieri concedendum non esse, vt alienationem adversùs juramentum suum revocet; num verò ipsa alienatio per juramentum confirmetur, ita, vt exinde actio justitiæ oriatur, de hoc jus Canonicum Iudicibus sæcularibus nihil præscribit, videtur tamen forum civile, & in hoc jus Canonicum imitari. *argum. cit. authen.* & dixi *tr. 3. c. 8. n. 1.*

CAPITVLVM III.

Cùm in positionibus.

PARAPHRASIS.

Titius in Prælatum electus cùm aliquis ad impediendam eius confirmationem se opponeret, post juramentum editum de veritate dicenda, positiones, seu responsiones manifestè contrarias fecit. Ea propter Bonif. VIII. ipsum periurum esse declarat, & ideò à jure electionis removendum, præterquam si justa & rationabilis causa eum excuset, sed & idem dicendum, si procurator eius, ipso expressè mandante vel postea sciente & ratum habente, tales contrarias positiones eiusdem nomine fecerit.

SVMMARIVM.

1. *Positiones & Responsiones à litigantibus fieri solent præmisso juramento.*
2. *Periurus est, qui affert positiones contrarias, vel contradictorias, nisi in continenti corrigat, vel causam erroris sui per intervallum alleget.*
3. *Periurus in confirmatione repelli potest à jure electionis suæ.*
4. *Delictum suo nomine patratum ratum habens, censetur illud mandâsse.*

NOt. I. Positiones & responsiones à litigantibus fieri solent, præmisso juramento. *c. 2. De confessis in 6.* consequenter si quis positiones, responsionésve contrarias, aut contradictorias afferat, censeri debet periurus, nisi in continenti corrigat; vel etiam per intervallum justam causam sui erroris allegans. 1

Not. II. Periurij crimine irretitus in confirmatione repelli potest à jure electionis suæ, quia cùm periurus, postquam in beneficio 2

neficio aut prælatura institutus est deponi possit. *c. Tua. 11. extra hoc tit.* multo magis electus priusquam confirmatus & institutus est, repelli poterit. *argum. c. Quemadmodum 23. extra. hoc tit.*

Not. III. Qui delictum suo nomine patratum postea ratum habet, illud mandâsse juris quâdam fictione censetur. *c. Cùm ad sedem, 15. de restit. spol. & reg. 10. in 6.*

TITVLVS XXV.

DE EXCEPTIONIBUS.

POstquam actum est de probationibus, quæ veluti arma sunt, quibus Actor munitus Reum convincit, sequitur, vt de exceptionibus dicatur, quæ sunt defensiones, quibus Reus ictus actoris debilitat & elidit.

CAPITVLVM I.

Denique.

PARAPHRASIS.

Si crimina testibus productis per modum exceptionis obijciantur, distinguendum est: vel de ijs nunquam accusati erant, vel accusati, & quidem convicti, aut confessi in judicio, in priori casu criminum probatio exigenda est, priusquam causa per sententiam terminetur; eò, quòd testes, si criminis infamiâ notati, aut suspicione gravati sint, repelli debeant; in posteriore autem casu statim repelluntur, nisi se ostendant innocentes. Veruntamen in priori casu tametsi convicti fuerint de crimine, non tamen pœnâ ordinariâ affici debent testes; cùm accusatio contra eos directa nõ fuerit; quare sufficit eos à ferendo testimonio repellere, præsertim si crimen causam, de qua agitur, non respiciat.

SVMMARIVM.

1. *Ante conclusionem in causa & sententiam latam, contra testium personas excipi potest.*
2. *Excipe, si sententia non transeat in rem judicatam, v. g. in causa matrimoniali.*
3. *Condemnato in priori judicio, si in posteriori idem crimen obijciatur, permittendum, vt innocentiam suam ostendat, si velit.*
4. *Ob crimen in tali casu testi obiectum & probatum, si ad causam impertinens sit, puniri testis non debet; non pauci tamen putant, extraordinariè posse, si illud confiteatur.*
5. *Si crimen ad causam pertineat, testis de eo convictus & confessus puniri potest, si est falsum testimonium, & quidem pœna ordinaria.*
6. *Vti etiam si crimen sit causæ annexum, & testis susceperit judicialem litem super crimine, & succubuit.*

NOt. I. Ante latam sententiam contra testium personas excipiendo, obijci potest; id verò intellige, quòd hæc exceptio opponi debeat, antequam in causa conclusum sit. *argum. Cap. Cùm dilectus. 9. de fid. instrum.* Et *l. Si rem. 29. ff. de Evict. vbi gloss. marg.* ait quòd sententiam iam latam esse, & mox ferendam esse, paria censeantur. 1

Excipiendum. Si sententia non transeat in rem judicatam. v. g. in causa matrimoniali; tum etiam postea contra testium personas obijci posse videtur, quemadmodum & in causa appellationis, exceptio contra testes, sicut & peremptoriæ exceptiones, quæ antea oppositæ non erant, afferri possunt, dummodò malitiosè non fuerint dila- 2

tæ,

tæ, videlicet ad protrahendam litem. Ita *gl. hîc. verb. per sententiam*; *Abb. n. 8.*

2 Nota II. Si condemnato in priore iudicio, postea in alio iudicio idem crimen obiiciatur, permittendum ipsi est, si innocentiâ suam ostendere velit. v.g. falsis testibus convictum, vel ex errore, aut vi illatâ confessum fuisse. ita sumitur ex text. *verb. probauerint.* & tradit *Alexand. hîc. n. 22.* cùm enim causa iam denuò in iudiciũ adducatur agendo cõtra Reum, ideò permittenda ipsi est defensio sua, sicuti indicauit *Innoc. in c. Cùm dilecta. de rescript.* quare colligit *Alexand.* quòd regula illa: *probatio concernens inhabilitatem personæ, fidem facit in alio iudicio*, limitari debet, donec contrarium ostendatur.

3 Nota III. Si contra testem, eius repellendi causa, obiectum & probatum sit crimen ad causam, de qua agitur non pertinens, non debet de eo puniri, cùm ad hoc actum non sit, quare sufficit hoc casu, si iuxta intentionem excipientis testis repellatur. de hoc dixi *c. 2. de ord. cog.* & tradit *gloss. in cap. Ex pœnitentibus. 55 dist. 50.* ratio reddi debet; Quia ad hoc non agebatur *argum. cap. Super his. 20. de accus.* vbi dicitur, si electus repellatur tanquam indignus ob crimen commissum, ex eo non esse privandum beneficiis obtentis; non pauci tamen putant, si talis casu testis confiteatur crimen sibi obiectum in iudicio extraordinariè puniri posse. vide, quæ dixi *in c. 2. de confess.*

4 Hîc dubitatum est, num testis pœnâ & quidem ordinariâ affici possit, si confessus, aut convictus est de crimine ad causam, de qua agitur, pertinente. Ex text. huius cap. vix aliquid colligi potest, cum voculâ *maximè* hic Pontifex vsus esse videatur pro *indubitatè* abstinere volens à disputatione quid faciendum sit, si crimen ad causam, de qua agitur, pertineat.

5 Respondeo duobus modis fieri, vt testis de crimine ad causam pertinente, convincatur illúdque confiteatur, 1. Si de falso testimonio arguatur, hoc casu puniri potest à Iudice, coram quo falsum testimonium dixit. *l. Null. 14. C. de testibus.* ita vt ordinariâ pœnâ puniri possit tanquam falsarius & periurus, dummodò falsum dixerit circa factum substantiale, siue per se ad causam pertinens; sin autem circa rem, quæ ad causam iudicii per accidens pertinet, tum Iudicis arbitrio puniendum extraordinariè docet *Menoch. in arbit. casu. 307.*

2. Si crimen testis sit causæ in iudicium 6
adductæ connexum, & testis susceperit iudicialem litem super crimine & succubuit, tum pœnâ ordinariâ afficiendus videtur, *argumento l. 2. §. Si publico. ff. Ad l. Iul. de Adult.* vbi dicitur: Si mulier viro de adulterio ipsam accusanti obiiciat crimen lenocinij, licet mulier per hoc non excusetur à pœnâ legis, tamen maritum ob lenocinium puniri posse; idque magis locum habet, si testis crimen causæ connexum sponte confiteatur.

CAPITVLVM II.

A nobis.

Paraphrasis.

Titius à Martino accusatus excepit contra eum, quòd esset excommunicatus, ideóq; repellẽdus; sed Martinus replicauit, quòd cùm ipsemet quoque Titius excommunicationem contraxerit, communicando secum in oratione & locutione, ad excipiendum admitti non debeat, hoc casu resp. Innoc. III. exceptionem Rei conventi censeri legitimam, non ita replicationẽ Actoris; eo, quòd maior excommunicatio hominem à communione fidelium (consequenter etiam à forensi actione iudicii) repellat; sed minor excommunicatio tantùm à participatione Sacramentorum.

Svmmarivm.

1. *Excommunicatus maiori excommunicatione, à forensi iudicio arceri potest, non autem excommunicatus minori excommunicatione.*
2. *Actore & Reo excommunicato maiori excommunicatione, & Reo excipiente contra Actorem, actor replicando Reum repellere non potest.*

Not.

Not. vnic. Eum qui maiori excommunicatione irretitus est, à forensi communione arceri posse, ita vt in judicio actor non sit & Judex &c. non item qui minori excommunicatione affectus, de hoc dixi *l.1.tr.5. p.2.c. 2.n.14. & c.3.n.4.*

Quæritur 1. Quid si vterque Actor & Reus in excommunicatione maiori sit, atq; reus contra actorem excipiat, potéstne is replicando reum repellere, quod jus excipiẽdi non habeat constitutus in excommunicatione? Responsio est negatiua, cum *Gloss. verb, Accusatione*, quia hæc exceptio non habet se propriè per modum actionis, cùm tendat ad repellendum actorem, adcóque desistendum à judicio.

Confirmatur, nam pari ratione reus excommunicatus infamis, vel criminosus, repellere potest accusatorem vel testem excõmunicatum infamem, aut criminosum, sicuti ex communi docet hîc *Alexand. n.13. Farinac. de test. q.56.n.44. & 158.* Ratio est, quia in hoc casu nõ reperitur paritas, vt compensationi locus esse queat, cùm fauorabilior sit reus, eíq; defensio faciliùs cõcedenda, quàm actori oppugnatio; prout *Gloss.* notauit. *in c. test.54. verb. in hoc casu. de testibus.*

2. Quærit Glossa. Quomodo reus conventus, qui antea communicauerat actori in oratione & locutione, postea eundem repellere possit; quia quem semel probaui, reprobare deinde non possum, *argumento. cap. Quemadmodum. 25. De jureiurando.*

Respondeo, vel sermo est de excommunicato vitando, quocum communicando in sermone, oratione, &c. minorem excommunicationem cõtraxisti, tunc nihilominus in judicio agentem repellere potes ac debes; propterea quòd approbatio non pendeat à tua voluntate, siue communicando illi, non potueris eum approbare; est enim hoc jus publicum, vt excommunicatus nõ toleratus vitetur, cui juri nemo expressè, nec tacitè renunciare potest. *cap. Si diligenti. 12. De judiciis.* Sin autem sermo sit de excommunicato tolerato, tunc videri alicui posset, actorem repelli non posse ab eo, qui ipsi communicârat, propter Regulam paulò ante traditam.

Sed contrarium dicendum est, quia favor iste concessus fidelibus, vt excommunicatum vitare possint, latè interpretandus est: videlicet quandocunque volunt, eum vitare possint, præsertim cùm causæ vitandi, videlicet, contumacia hominis tractum successivum habeat.

Ad Regulam illam respondetur, locum tantùm habere in rebus, in quibus consentiendo, juri meo renuntiare videar, quod in proposito non accidit, quia jura libertatem concesserunt fidelibus, communicandi cùm excommunicato tolerato, atque etiam abstinendi, quando voluerint.

CAPITVLVM III.

Cùm Ecclesiasticæ.

PARAPHRASIS.

Pontifex Iacobo Canonicatum vacantem in Ecclesia Novariensi contulerat, cúmq; in possessionẽ deduci jusserat, sed Canonici exceperunt contra illũ, nolentes eum recipere in possessionem, sed & postea eundem ex mandato Papæ in possessionẽ inductũ remouere volebant, ea de causa, quia in alia jam Ecclesia possideret beneficium. Ad hoc respondit Innoc. III. Canonicos ad hanc oppositionem admittendos non esse, cùm & ipsi in diversis Ecclesiis beneficia obtinerent.

Non videtur hîc sermo esse de pluribus beneficiis ipso communi jure incompatibilibus, ita vt per adeptionem secundi vacet primum. Nam in hoc casu Pontifex non permisisset Canonicos in plurium ejusmodi beneficiorum possessione, nullâ factâ dispensationis mentione; quare credibile est, Canonicos suæ Ecclesiæ statutum allegâsse, secundùm quod non liceat Canonicum recipere, qui alibi beneficium obtineret, ideò volebant, impetrationem subreptitiam esse, quia de tali statuto mentio nulla facta sit.

Quòd si iste est casus capituli, tunc eruitur

Not. vn. Canonici non possunt allegando statutum Ecclesiæ contra promovendum excipere, si ipsi communiter seu plerique à statuto recesserunt, quia recedendo à statuto censentur ei renuntiare aut illud tollere voluisse. argumento. *cap. Cùm accessissent. 8, de constitut.*

Veruntamen si impedimentum ex pluralitate beneficiorum fuisset de jure communi, cui Canonici renunciare illúdve tollere non potuissent, tali casu, licet Canonici simili impedimento laborantes se opponere non deberent ob priuatum commodum seu interesse, quandoquidem in aliis reprobare non debent, quod in se ipsis tolerant, tamen Ecclesiæ vtilitatem agentes admitti debuissent, non obstante proprio vitio, sicuti *Innocent. & Felinus* hîc tradunt, *& Imolan. 4.* nam ad avertendum Ecclesiæ damnum (si v. g. ob residentiam impeditam Ecclesiastica officia peragi non possint) quilibet admitti debet, vt agat vel excipiat, *argumento cap. Si quis. 6. de reb. Eccles. non alienand.* & frequens, hoc est, quod persona alioquin inhabilis ratione publicæ vtilitatis censeatur habilis, *L. 3. §. Hi quoque. ff. Ad SC. Sylanianum.* licet aliter contra communem sentiat *Abb. hîc n. 9.*

CAPITVLVM IV.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Ne per exceptiones dilatorias causæ, sicuti quandóque fieri solet, nimis protrahantur, ideò vult Innoc. III. vt intra certum terminum Iudicis arbitrio assignandum omnes exceptiones dilatoriæ opponantur, ita vt partes postea opponere volentes non audiantur, nisi priùs protestatæ fuerint, vel nisi exceptio aliqua de nouo emergat, vel nisi is, qui opponere vult, juramento affirmet, se postea eius notitiam accepisse.

SVMMARIVM.

1. *Exceptiones dilatoriæ ante litis contestationem opponi possunt, vel intra certum à judice assignatum terminum debent, præterquam in aliquibus casibus, qui recensentur.*
2. *Peremptoriæ exceptiones vsque ad conclusionem causæ proponi possunt, neque eis terminum judex præfigere potest.*

NOtandum vnicum. Judex pro dilatoriis exceptionibus opponendis, quæ alioquin saltem ante litis contestationem opponi possunt, *Cap. inter 20. De sententia & re judicata. l. vlt. Cod. De exceptionibus,* certum tempus determinare potest, intra quod opponi debeant, ita vt postea non recipiantur; præterquam in his casibus. 1. Si priùs aliquis protestatus sit, quòd salua sibi exceptio in specie exprimenda manere debeat. 2. Si notitia exceptionis opponendæ postea acquisita sit. argumento *cap. Insinuare. 23. De offic. jud. deleg.* & videri potest *Glossa hic verbo, de nouo.* 3. Si antea exceptionis jus competebat, sed ignorabatur; dummodò hoc casu excipere volens juramentum edat, quòd malitiosè non excipiat, videlicet litis protrahendæ causa.

Addunt DD. alios casus; itaque 4. est, si exceptio quidem antea competebat, sed eius probandi facultas acquisita postea fuit, quia paria sunt non esse exceptionem, & eam probari non posse. *argumento cap. Vt circa. 4. de elect. in 6.* 5. Si tales exceptiones sint, quæ simul existere non possunt, consequenter nec probari, tunc tempus definitum ad probandas exceptiones non debet currere ratione exceptionis incompatibilis. *argumento. l. Contra. 16. Cod. De inofficios. testament.* vbi dicitur: si actiones cumulari non possint, v. g. si quis querelam inferre velit, quòd testamentum non sit perfectum, addendo: etiamsi perfectum sit, quòd inofficiosum existat, tunc quinquennium jure decretum pro priore actione, non currere actioni posteriori. vbi *Glossa noua margin. allegato hoc cap.* ait, quòd habens duas exceptiones, quæ simul probari nequeant,

queant, si in vna succumbat, ad aliam transire possit, iuxta *Regulam 20. in 6.* quod nullus pluribus defensionibus vti prohibetur.

Exemplum habes in peremptoriis exceptionibus, nam de his eadem est ratio, vt postea dicam; *Si quis de solutione decimarum à Parocho conventus excipiat, se privilegio exemptum esse, aut si exemptus non sit, se 40. annorum præscriptione tutum esse.* Hæ duæ exceptiones simul consistere non possunt, consequenter nec probari, siquidem is, cui jus immunitatis à decimis titulo privilegij competit, illud præscriptione acquirere non potest, cùm hæc inter se repugnent, sicuti doctè notavit *Alexand. de Nauo. hic n. 40.*

Dices. Qui contraria, seu quæ simul vera esse non possunt, in judicio proponit, audiendus non est, sed tanquam fallax & mendax repelli debet, & condemnari. *argument. l. 1. §. Interdum. ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, & ex pluribus Juribus ostendit *Dynus in Regul. 20. in 6.* ergo neque is, qui exceptiones contrarias, seu quæ simul consistere non possunt, in judicio proponit, audiri debet. Respondeo. Quod reus conventus oppositas exceptiones afferat, non asserendo vtramque veram esse, nam qui excipit, non propterea fatetur, vti ait *Gloss. in cap. 1. verb. Assecuti de testibus. in 6.* In proposito itaque exemplo asserit quidem Reus, se privilegium habere, addit verò si in eius probatione succumbat, tum se probaturum, quòd præscriptione tutus sit, quo casu absolutè non ait se præscripsisse, sed ex hypothesi, si actor nolit priuilegium agnoscere, quòd præscriptionem probare velit.

Pari quoque ratione Reus contraria ad sui defensionem proferre potest, sub conditione, si videlicet neget intentionem adversarij, dicendo: quòd nihil ipsi debeat; aut si deberet, quòd remissio facta esset per pactum, nullum petendi debitum, seu omnia condonandi, sicùti dixi *in cap. 2. De litis contest. in 6.* & docent *DD. in l. Si quidem. 9. Cap. De exceptionibus.* vbi *Baldus* ait, si Reus dubitat, num intentionem suam actor probare possit, cõsultum esse, vt duo cumulet, videlicet neget, & tametsi probatum esse videatur, exceptionem objiciat, dummodo id bona fide fiat, alioquin in conscientia non est tutus, qui negat debitum, quod probari non potest, sciens se debitorem esse. 6. Casus excipitur, si exceptio de incompetentia Iudicis objciatur, ea etiam post terminum à Iudice præfixum locum habere potest, si talis sit Iudex, in quem pars consentire non potest. v. g. Clericus in judicem Laicum; nam hæc est exceptio nullitatis, videlicet ob jurisdictionis defectum, qualis exceptio semper opponi potest, etiam post latam sententiam, vti tradit *Abb. hic. num. 16. Gloss. in Clement. 1. de sequest.* 7. Exceptio excommunicationis actori in qualibet litis parte opponi potest, non obstante termino præfixo partibus ad proponendas dilatorias exceptiones. *Clement. vn. hoc tit.* 8. Exceptio mixta v.g. litis finitæ, licet opposita non sit per modum dilatoriæ ad impediendum processum, tamen haud dubiè opponi postea potest per modum peremptoriæ, ad infringenda merita causæ *cap. 9. De litis contestat. in 6.* Videri potest Speculator. *l. 2. p. 1. tit. De dilationib. n. 8. junct. Ioan. Andr. verbo, opponuntur.*

Quærunt hoc loco, vtrum Iudex peremptoriis exceptionibus terminum præfigere possit. *Glossa hîc verb. dilatoria.* negat, nam jura permittunt, vt peremptoriæ exceptiones opponi possint, quousque in causa concluſum est, teste *Glossa in cap. Exceptionem. 12. verb. in dilatoriis. hoc titulo.* Atqui indultum à Iure beneficium non est alicui auferendum *Reg. 17. in 6.* Accedit, quòd hîc de graui præiudicio agatur, si ab exceptionibus peremptoriis, seu ad causæ meritum pertinentibus quispiam excludatur. Hæ rationes ostendunt, quòd Iudex non tam facilè & non nisi præmissâ causæ cognitione terminum per-

peremptoriis exceptionibus statuere possit, sicuti docet *Dynus in cit. Reg. 17. argumento. l. 2. ff. de judiciis.*

Veruntamen casus supradicti, quòd non obstante termino assignato, exceptiones proponi possint, si postea ortæ, cognitæ, aut earum probandarum facultas data sit, de cætero multò magis in peremptoriis locum habent, propter grauius periculum, si parti denegentur. vt *hîc Abbas. num. 5.* notat.

CAPITVLVM V.

Cùm inter.

Paraphrasis.

Inter Priorem & Conventum de argentolio ex vna parte, & nobilem N. ex altera parte lis erat propter damna illata, & quædam alia, quam causam Innoc. III. quibusdam delegauerat, sed procurator eius nobilis judicium horum declinare voluit, eò quòd duos ex ipsis suspectos haberet, sed contra replicauit monasterij Procurator, cùm nobilis in excommunicatione sit, exceptionem illam opponi ab ipso non posse; hoc intellecto, respõdit Papa, quòd dicto Nobili legitima defensio in judicio reservata sit, præsertim Iudicis recusatio; cùm periculosum sit, coram suspecto Iudice litigare; neque Sedes Apostolica soleat ex certa scientia talibus causas delegare; neq; verò hac in re excommunicato favor tribuitur, sed æquitas in judicando, quippe cùm judicium claudicare non debeat, & ideò absurdum foret, si actore impugnante, Reo copia defensionis negaretur; accedit, quòd excommunicato si in aliqua causa innocẽs reperiatur, sententia justa absolutionis non negetur, sed nec appellationis remedium, si iniustè cõdemnatus sit, ergo non apparet, cur alia similia & necessaria remedia defensionis eidem subtrahantur. Porrò ex hoc non sequitur, quòd etiam reconventio eidem competere debeat; nam quod in defensionis remedium conceditur, id ad impugnationis materiam extendi non debet.

Svmmarivm.

1. *Papa Iudici suspecto causam delegans, præsumitur id egisse ex ignorantia.*
   Neque negare potest remedium recusandi talis judicis suspecti.
2. *Inter litigatores æquitas seruari in judicio debet.*
3. *In eodem Excommunicatus non admittitur, vt Actor, sed tantùm vt Reus.*
4. *Excommunicatus extra judicialiter grauatus appellare non potest.*
5. *An & quomodo excommunicatus compensare possit debitum.*
6. *Reo excommunicato reconuentio non conceditur.*

NOta I. Si Papa Iudici suspecto causam deleget, præsumendum est, id eum egisse ex ignorantia, cùm non soleat ex certa scientia talem facere delegationem, quia periculo non vacat, si Iudex inimicus aut suspectus parti litiganti sit. *cap. Quòd suspecti. 15. causa. 3. quæst. 5.* Imò *Abbas hîc num. 9.* ait, quòd Pontifex ne quidem ex potestatis plenitudinè suspecti Iudicis recusandi remedium denegare possit, saltem in causis dependentibus à mera eius potestate; eò quòd defensio ipsáque recusatio Iudicis suspecti, alicui debita sit de jure naturali, cui Princeps sine justa causa derogare non possit. *Clement. 2. §. Caterùm. de sententia & re judicata.* Sed videri debent, quæ dixi *in cap. Ex parte. 13. de officio delegati*, & tradit *Alexand. in cap. Dilecti. 26. de testibus*, licet defensio, quæ à naturali jure est statuta, tolli nequeat, possent tamen tolli defensionis remedia, quæ à positiuo jure introducta sunt, quia Ciuilis ratio ciuilem rationem tollere potest. *§. Sed naturalia. instit. de jure naturali, Gent. & Ciuil.* 1

Nota II. Inter litigatores æquitas seruari debet in judicio, non habitâ personarum acceptione, iuxta *Regul. 12. in 6.* in judiciis non est habenda acceptio personarum. & *reg. 90. ff.* in omnibus quidem, maxi- 2

maximè autem in jure, id est in judicio (ait, glossa ibidem) spectanda est æquitas, iniquitas autem seu inæqualitas contendentiũ in judicio ea maxima esset, si uni licentia oppugnandi daretur, alteri autẽ defensionum copia negaretur, id verò procedit absque personarum differentia; siue, inquam accusatus probus sit, siue improbus, vilis & inops, aut in potestate constitutus, & diues. Videri potest *Suar. de cens. D. 16. S. 4. n. 2.*

Notandum III. Excommunicatus in judicio non admittitur vt actor, sed tantùm, vt Reus. Ratio reddi debet, quia actor voluntariè prouocat ad judicium, cùm nemo agere compellatur; quamobrem neque iniuriam passo permittitur, vt eam in excommunicatione positus prosequatur, neque vt in possessionem, à qua injustè deiectus est, restituatur; neque petere potest excommunicatus, vt Iudex compellat actorem ad litem prosequendam, vel vt pronunciando super sua exceptione silentium ei indicat, sicuti hîc videre licet apud *Abbatem*, *Alexand. Felin.* & alios; nam per talia commodum ipse suum intendit, quod ei non permittitur, nisi priùs absolutionem petat ab excommunicatione, in qua voluntariè persistit, ideóque suæ culpæ imputare debet, quòd justitia ipsi non administretur.

At verò Reus necessitate compellitur ad sistendum se in judicio, quia Iudicium redditur etiam in inuitum. *l. Inter. 83. §. Si stychum. ff. de verborum obligatione.* Cùm autem excommunicatus quamuis in contumacia persistens, in judicio ad obiecta respondere cogitur, ne ex iniquitate commodum reportet. *c. Intellexímus. 7. de Judice. C. Intellexímus. 7. de Judiciis.* consequenter omne remedium defensionis ipsi concedendum est, *c. Significauerunt. 11. hoc. tit.* ne alioquin accidat, vt innocentes condemnentur, vel condemnati iniustè puniantur, vel bonis suis spolientur, si appellationis, vel aliud necessariæ defensionis remedium denegetur.

4 Extrajudicialiter tamen grauatus appellare non potest, qui in excommunicatione est, eò, quòd talis ipsemet ad Iudicium prouocet, appellans autem à Iudiciali grauamine non inchoat judicium prouocando, sed potiùs prosequitur se defendendo; idémque sentiendum de eo, qui appellare vult à grauamine non merè extra judiciali, videlicet ab executore, qui alium vult constituere in beneficio, quod tu possides, talis appellatio cùm sit per modum necessariæ defensionis, contra executionem sententiæ, excommunicato permittitur, sicuti tradit *Monach. in c. 1. hoc. tit. in 6. n. 4. ibid. Domin. columnâ. 2.*

Quòd si aliquis voluntariè se judicio subiiciat, petendo. v. g. vt alter crimen, de quo ipsum infamauit, in judicio ostendat, sin minus, silentium ei imponatur *l. diffamari. 5. C. de Ingenuis.* In tali casu excommunicatus admittendus non est, sicut docui in *c. Exhibita. 29. de Judiciis*; & videri debent, quæ de Reo necessario & voluntario hîc docent *Innocent. & Imol. n. 10. Sayrus. l. 2. thesaur. c. 8. n. 11.*

Quæritur hîc num excommunicatus con- 5
uentus de debiti solutione, compensationem obiicere possit, videlicet in debitis suapte natura compensabilibus, sicuti docui in *c. Cùm Joannes. 10. de fide Instrum. gloss. hîc verb. Excommunicatione.* & plures alii negant, quia compensare sit agere ac petere. *argumento. l. Quæcunque. 14. ff. de compensationibus. l. Amplius. 13. ff. Rem ratam haberi.* quibus locis dicitur in debito inefficaci videlicet, quod per exceptionem peremptoriam. v. g. pacti de non petendo, elidi potest, compensationis locum non esse, sed oppositum placet, quod hîc tradunt *Anton. & Abbas. n. 23. Suar. de cens. D. 15. S. 3. n. 3.* nam in quouis negotio principalis intentio & effectus spectari debent, qui autem petenti debitum 100. aureorum ex mutuo compensandi causa obiicit, vicissim petendo totidem aureos ex vendito sibi debitos, is principali intentione & effectu excipit ac se defendit, quod facilè probatur; cùm enim compensatio, veluti solutio quædam moraliter æstimetur. *l. 76. ff. de verb. signif.* vbi legitur dedisse etiam eum, intelligendum esse, qui compensauit, constet autem eum, qui solutionem factam obiicit, jure defensionis

& exceptionis vti, cùm exceptio non sit aliud, quàm actionis exclusio, vti docui *tract. 3. c. 8. n. 1. de Justitia.* sequitur quòd compensationem obiiciens, principali intentione & effectu excipiat, & se defendat.

Ad rationem positam respondetur, quòd Reus conuentus super debito pecuniario v. g. ex mutuo, si viciſſim petat pecuniarium debitum ex vendito, animo compensandi, principali intentione excipiat, & se defendat, huiusmodi tamen defensio nulla est, si debitum, quod causa compensandi obiicitur, inefficax sit, seu per exceptionem, aut potiùs replicationem elidi possit, vt si pupillo sine tutore aliquid vendiderit maior natu.

Non obstat etiam quòd compensare volens debitum probare debeat, ideóque veluti actor sit, nam omni exceptioni hoc commune est, quòd eã obiiciens probare teneatur, & hâc saltem consideratione quodammodo actor sit, in aliis tamen, adeóque absolutè loquendo, excipiens distinguatur ab agente, quia actionis proprius & principalis effectus est oppugnare; Exceptio autem defensio quædam est contra oppugnationem.

Nota III. Reo excommunicato reconuentio non conceditur.

Ratio est, quia reconuentio, cùm sit reciproca petitio de mutuis petitionibus, non defensionis & exceptionis, sed actionis naturam obtinet; intelligitur autem de reconuentione propriè dicta, seu obiectione eius, quod est extra causam ab actore in judicium deductam; secus autem esset, si id, quod actori obiicitur, subleuet causam Rei, ita vt ad defensionem ipsius pertineat, sicuti *notat Suar. l. c.*

CAPITVLVM VI.

Cùm Venerabilis.

Paraphrasis.

Episcopus Sabinensis coram auditoribus ab Innoc. III. deputatis, litem habuit cum Monasterio Farfensi super Ecclesia S. Viti, quam vnà cum possessionibus & pertinentiis voluit ad se pertinere in spiritualibus & temporalibus. Procurator autem Monasterii, antequam Episcopus intentionem fundârat, præproperè respondit; tametsi Ecclesia illa Episcopo olim fuerit subiecta, quod tamen Episcopus eam vendicare nõ posset, quandoquidem permutationis titulo in Farfenense Monasterium translata sit, & hoc ostendit instrumentum exhibens, in quo contineri videbatur, quòd Theodosius Episcopus cum consensu Canonicorum Ecclesiam S. Viti, cum aliis quibusdam permutans Ecclesiis, Monasterio concesserit: tunc verò Episcopus proposuit intentionem suam hâc ipsâ responsione fundatam esse; dum enim aduersarius fatetur Ecclesiam ab Episcopo ad monasterium permutationis titulo peruenisse, permutatio autem, cùm inter contractus bonæ fidei numeretur, non nisi cum Domino, vel eo, qui loco Domini est, legitimè celebrari possit, sequitur quòd idem aduersarius fateatur tempore permutationis celebratæ, dictã Ecclesiam ad Sabinens. Ecclesiam pertinuisse, sed contra obiecit Monasterii procurator, cùm id à se dictum fuerit per modum exceptionis, non ideò censendum se de aduersarii intentione confessum esse. Postea Episcopus testes induxit, per quos probare conabatur, quòd Episcopi Sabinenses Ecclesiam S. Viti diu possederint vnà cum pertinentiis, de iis pro suæ voluntatis arbitrio disponentes. His relatis Innoc. III. respondit, quòd Episcopus intentionem suam nec per testes fundârit, nec per procuratoris confessionem; propterea, quòd exceptionem obiiciens non propterea de aduersarii intentione fateri censeatur, sed neq; ex instrumento intẽtio Episcopi stabilitur, nam in eo continetur, quòd quidem permutatio cum Theodosio Episcopo instituta fuerit, sed non additur fuisse Sabinensis, tametsi hoc in transumpto, quo Procurator vsus fuit, appositum sit vitio falsitatis, verùm quia delictum personæ (videlicet falsantis) in Ecclesiæ detrimentum redundare non debet; atque falsitatis exceptio non tantùm

tùm ante, sed etiàm post latam sententiã obiici possit, eò quòd ex falsis instrumentis lata sententia vsque ad 20. annos rescindi queat, compertâ veritate. Concludit ex his Pontifex, nullum Monasterio in temporalibus præiudicium inferri posse. At verò cùm dicta Ecclesia S. Viti intra Diœcesin Sabinẽsem posita sit, ideò jus Episcopale eidem adiudicatur, cùm nec per priuilegium nec præscriptionem legitimam probetur exempta, quibusdam solùm exceptis, quæ per scripta authentica ostensa erant ab Episcopali Iurisdictione liberata, verùm quoad temporalia, licet Episcopus ostenderit, se eius bona Ecclesiæ aliquandiu possedisse, quia tamen legitima præscriptione munitum se non demonstrauit, ideò monasterium ab impetitione Episcopi quoad temporalia absolui debet.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia latè loquendo, cum pertinentiis suis vendicari potest ab eo, cui jus in ea competit.*
2. *Ecclesia vna, cum altera Ecclesia, si Prælatis competant, jure proprietatis permutari potest cum consensu eorum, quorum interest. Et quis modus in ea permutatione seruandus.*
3. *Episcopi intentio fundata quidem est erga omnia loca sacra intra diœcesin quoad jus spirituale, non tamen quoad jura temporalia.*
4. *Vacantis autem Ecclesiæ solùm est administrator de communi jure. Et quid ei competat ratione huius administrationis.*
5. *Permutationis contractus institui non potest, nisi cum domino rei permutandæ, vel qui loco domini est.*
6. *Qui contra aduersarij intentionem excipit, non ideò eam fateri censetur.*
7. *Doctrina hîc tradita de exceptione Rei, intelligenda etiam est, de replicatione & triplicatione actoris.*
8. *An producens instrumentum in judicio à se, vel ab alio, mandato suo falsatum, cadat causâ?*
9. *An producens instrumentum, contenta fateri censeatur, licet illud postea reprobetur tanquam falsum.*
10. *Sententia lata ex falsis instrumentis retractari debet.*
11. *Actio de commisso crimine falsi criminalis, intra viginti annos institui potest.*

NOTA I. Latè loquendo etiam Ecclesia cum pertinentiis suis vindicari potest ab eo, cui jus in ea competit. Ita docet Innoc. in *c. Cùm Venerab. n. 2. De religiosis domibus*; licet enim *l. In rem. 26. §. Loca sacra. ff. De Rei vendicatione.* dicatur, quòd loca sacra & religiosa, tanquam nostra, actione in rem petere siue vendicare non possimus, id tamen intelligi debet de vendicatione directa & propriè dicta; interim conceditur indirecta petitio siue vendicatio videlicet juris, Episcopo, vel Rectori competentis in Ecclesia, si quasi possessionem amiserit. 1

Nota II. Ecclesia vna cum altera Ecclesia si Prælatis competant, jure proprietatis permutari potest, consentientibus iis, quorum interest; quòd si redditus Ecclesiarum æquales sint, tunc vnà cum Ecclesiis, tanquam accessoria, siue pertinentia transire possunt, alioquin si inæquales sint, ne Simoniæ vitium concurrat, si fortè jus spirituale vnius Ecclesiæ æstimetur, & in compensationem Rei redditus maiores tribuantur, ideò hoc casu conuenit, vt Jus spirituale Ecclesiæ cum jure spirituali alterius Ecclesiæ seorsim permutetur, & postmodùm redditus vtrinque collati secundùm æqualitatem compensentur. *c. Ad quæstiones. 6.* de rerum permutatione, & explicat hîc *Alexand. n. 8.* 2

Nota III. Licet Episcopi intentio fundata sit erga omnia loca sacra intra diœcesin quo ad jus spirituale, non tamen quoad jura temporalia, vt de iis ad libitum disponere possit, tametsi Ecclesiæ vacent, ait *Abbas n. 6.* habet tamen Episcopus spectato communi jure administrationem, dum Ecclesia vacat, ad eundémque pertinet in judicio agere pro juribus Ecclesiæ vacantis, vt hîc Innoc. tradit *argumento. c. Cùm dilectus. de succeff. ab intest.* quamuis id non satis se- 3

curum

curum sit, vti dicetur *tit. sequente.* Dein quòd Episcopus, antequam beneficium conferat, de fructibus eius superabundantibus quidpiam ad pios vsus applicandum subtrahere possit, docet *S. Thomas. 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3.* Quamuis hodie praxis Rom. Curiæ id permittere nolit, qua de re dixi *l. 4. tract. 2. c. 18. q. 3.*

4 Nota IV. Permutationis contractus instituì non potest, nisi cum domino rei permutandæ, vel qui loco domini est. Ita docet Pedius in *l. 1. §. Ideóque, ff. De rerum permutatione.* Si res aliena permutata sit, irritum esse permutationis contractum, in quo differt permutatio à venditione, quæ valida est, etsi res aliena emptori ignoranti vendita sit, quia venditor pro dato sibi pretio ad euictionem obligatur, vti docui. *l. 3. tract. 4. c. 17. n. 21.*

Ratio discriminis est, quia venditio & emptio solo consensu dandi, seu transferendi mercem pro pretio perficitur, & cùm semel perfectus sit contractus, non corruit, tametsi executio, siue translatio dominii non fiat juxta promissionem, sed agitur tunc de euictione ad interesse. *l. Venditor. 18. ff. De euictionibus.* At verò permutatio non perficitur consensu, sed traditione, seu rerum translatione mutuâ; quare si hæc translatio dominii ex vna parte non impleatur, ex altera parte locus est reuocationi seu contradictioni ob causam, causa non secuta. *l. 1. C. de rerum permutatione.* Et ideò fortasse Monasterium etsi probârit permutationis contractum secum celebratum fuisse, non tamen probauit Ecclesiam S. Viti ad ipsum pertinere, quia non ostendit permutationem omnino impletam fuisse.

5 Porrò exinde colligit *Abbas. hic. n. 27.* Si duo Clerici cum Episcopi auctoritate permutârint beneficia, & vnus eorum non habuerit jus in permutato, irritam esse permutationem, & ideò alterum permutantem redire posse ad beneficium, cùm non absolutè ei renunciârit, sed ob causam permutationis, quæ secuta non est. *argumento. cap. Si beneficio. 20. de prabend. in 6.*

Not. V. Qui contra aduersarii intentionem excipit, non ideò eam fateri censetur, vti dixi in *c. 1. hoc. tit.* Exemplum habes hîc: Episcopus vendicauit sibi Ecclesiam cum possessionibus pertinentibus, fundans se in jure dominii, aut quasi dominii, quod probare non poterat. Monasterii procurator excepit de facta permutatione, sed non propterea absolutè fassus est, Episcopum jus dominii, vel quasi habuisse in Ecclesia & pertinentibus, sed posito, quòd habuisset, tamen istud permutatione translatum fuisset, quamuis, vt dixi, ex solo contractu permutationis id sufficienter non ostendatur. Ratio huius notandi est, quia hoc ipso, quòd aliquis litem contestatam seu in judicio contendere vult, cùm maximè potest, aduersarii intentioni se opponit, eámque in dubio confiteri censendus non est; cùm itaque Reus non vnâ tantùm defensione. v. g. negatæ intentionis vti possit, sed insuper pluribus aliis exceptionibus, posito, quòd actor intentionem probâsse videatur, ideò existimandum est, si Reus in judicio contendens excipiat contra aduersarium, quòd non statim eius intentionem fateatur, quandoquidem talis exceptio vnà cum negata intentione consisterere potest. *l. Siquidem. 9. C. hoc. tit.* & videri potest *gloss. in Reg. 63. in 6.* vbi tamen monet, tutius esse, si sub conditione ita dicatur, nego me tibi promisisse hoc, & posito quòd promiserim, tu pactus es mecum de debito non petendo. 6

Addendum quod hîc dictum est de exceptione Rei, similiter esse intelligendum de replicatione actoris secundùm *gloss. finalem in cit. Reg 63.* nam sicuti se habet exceptio ad actionem, ita replicatio ad exceptionem, & triplicatio ad replicationem. *l. 2. ff. de exceptionibus.* 7

Porrò aduertendum est, quòd Papa aliâ quoque ratione ostendat, intentionem Episcopi fundatam non esse, quia instrumentum ab aliquo, fortasse ipso Procuratore falsatum erat, appositione voculæ: *Sabinensis*; dolus autem commissus Monasterio

nasterio ignoranti, nec mandanti obesse non debet.

8 Sed quid si Monasterium ita fieri mandâsset, vel si priuatus aliquis actor instrumentum tali modo falsâsset? *Gloss. Resp. hic.* quòd causâ cadere deberet propter falsationem, & potest ratio adiungi, quia exhibens instrumentum, censetur omnia in eo contenta confiteri, itaque & hoc quòd permutatio facta sit ab Episcopo Sabinensi. Quod ad 1. horum attinet, communiter est recepta doctrina *Bartoli in l. Falsum. C. Si ex fals. testimoniis* & explicat *Felin. hic. n. 22.* quòd falsum instrumentum, aut corrumpens testes, nõ ideò causam perdat, cùm id nullo jure statutum sit, at verò falsans acta judicii, v. g. à notario scripta, causam perdere debet. *argum. l. In fraudem. 45. §. Quoties, ff. de jure fisci.*

9 Ad alterum punctum, num is qui instrumentum produxit, eius contenta confessus censeatur, tametsi postea tanquam falsum reprobetur. Resp. negatiuè cum *Innocent. hic, n. 5. Felino. n. 24.* quandoquidem non absolutè confessus est, v. g. Capituli consensum in alienatione fundi interueniisse, sed quatenus in eo instrumento continebatur, igitur corruente instrumento, corruit etiam confessio; sed alia ratio esset, si quis absolutè confessus esset quidpiam, & ad id probandum produxisset instrumentum falsum, confessio eius subsisteret, etiam reprobato instrumento.

Idem discrimen cernitur in positione, quam aliquis absolutè facere potest, ita, vt confiteri censeatur, quod ponit, & respectiuè. v. g. pono alienationem cum Capituli consensu factam, sicut in instrumento continetur, tunc si in instrumẽto non contineatur, vel instrumentum falsum & suppositium sit, corruit confessio.

Excipiendum videtur, nisi, sciens instrumento non contineri, aut falsatum esse, illud offerat, aut ponat contra seipsum, tunc censeri debet absolutè confiteri, & ad confessionem suam confirmandam instrumentum falsò allegare, vti ex hoc Capitulo colligitur, quando ratio additur, quòd delictum personæ Ecclesiæ obesse nõ debet; hinc enim colligitur, si ipsum Monasterium, videlicet Prælatus & Conuentus, tale instrumentum scienter produxisset, vel produci mandâsset, quòd propriâ confessione sibi præiudicâsset, & ita docet *hic Alexand. n. 64. Felin. n. 27.*

Nota VI. Sententia lata ex falsis instru- 10
mentis retractari debet, prout dictum est in *Capitulo. 9. not. 3. de probationibus.* & habetur in *l. Diuus. 33. ff. de re Iudic. & l. 2. C. Si ex falsis instrumentis.* quibus locis tradunt DD. quòd talis sententia, si contra præsentem lata sit, valeat mero jure, sed implorato Iudicis officio intra quadriennium rescindi debeat per in integrum restitutionẽ, dein succurri possit, intentatâ ciuili actione in factum ad petendum id, quod interest, intra 30. annos; nam tanto tempore contra actiones personales præscribitur. *l. Sicut. 4. C. de præscriptione.* 30. vel 40. annorum. Exceptionem autem de dolo & falsitate commissâ ad impediendam executionem semper opponere licet. *l. Pure. 5. §. Non sicut. ff. de doli & metûs exceptione.* quia vt *Gloss.* ait in *l. Licet. 5. C. de except.* temporalia ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum, ob rationem elegantem traditam in *cit. §. Non sicut:* Quia actor quidem in potestate suâ habet, quando vtatur jure suo, is autem cum quo agitur, non habet potestatem, quando conueniatur.

Denique si pars de commisso crimine 11
falsi criminaliter accusetur, vel conueniatur, ea accusatio intra annos 20. sicuti & aliæ criminales actiones institui possunt. *l. Querelæ. 12. ad legem Cornel. de falsis.*

CAPITVLVM VII.

Olim.

PARAPHRASIS.

Wilhelmus ab Archiepiscopo Treuirensi, qui Iudex delegatus à Papa impetratus erat, comparuit, & exceptionem declinato-

natoriam proposuit, quod vltra duas diætas ad judicium traheretur, sed cùm Archiepiscopus exceptionem admittere nollet, ad sedem Apostolicam appellauit, quare Innoc. III. causam hanc Abbati S. Laurent. & Coniudicibus delegauit, coram quibus contra exceptionem Wilhelmi ex aduersâ parte replicatum fuit, quòd is vltra duas diœtas extra suam diœcesin non traheretur, quandoquidem Archiepiscopus locum partibus designauit, secundùm quem VVilhelmus supra duas diætas non traheretur, de hac replicatione certior factus Pontifex, alio rescripto mandat Abbatibus S. Huberti & S. Martini, si Procurator VVilhelmi probare potuerit exceptionem suam, quòd vltra duas diætas tractus fuisset contra Generalis Concilii constitutiones, vt appellationem ipsius legitimam decernant, ac principali negotio superseant.

SVMMARIVM.

1. *Exceptionem declinatoriam jurisdictionis, vel similem dilatoriam opponens, si non audiatur, & appellet, judex appellationis de Causa Principali cognoscere non debet, nisi eius cognitio expresse ipsi foret commissa.*
2. *Reus per rescriptum à Pontifice impetratum trahi non debet ad locum judicii vltra duas diatas; hodie vnam tantùm.*
3. *Iudex delegatus non potest exire locum commissionis.*
4. *Reus per Apostolicum rescriptum vltra vnam diatam à fine diœcesis citatus comparere non tenetur, si citato notoriè competat exceptio fori declinatoria.*

1 NOTA I. Si quis exceptionem declinatoriam Iurisdictionis, vel similem dilatoriam opponens non audiatur, & contra Iudicem appellet, tunc Iudex appellationis de causa principali cognoscere non debet.

Ratio est, quia de eo tantùm debet cognoscere, super quo appellatum est, cùm Iudex appellationis succedat Iudici à quo appellatum, cùm itaque Iudex à quo, super causæ meritis nihil cognôrit, neque Iudex appellationis cognoscere debet, vti *hîc Alex. notat. n. 13.*

Excipe nisi Iudici appellationis, si delegatus sit, cognitio causæ principalis expresse committatur, vti videre est in *c. Exparte. 67. de appellationibus.*

Nota II. Reus ad Iudicem, coram quo 2
jure ordinario conueniri non posset, per rescriptum à Pontifice impetratum trahi non debet ad locum vltra duas diætas (hodie verò vltra vnam diætam, seu vnius diei iter, *c. Statutum. 11. §. Cùm autem de rescriptis. in 6.*) distantem à loco, ex quo trahitur; quamuis autem jure antiquo Iudex delegatus propinquiùs accedere potuerit, vt locus judicii non amplius, quàm duas diætas à diœcesi domicilii ipsius Rei distaret, hodie tamen id concessum non est, vt delegatus procedat extra diœcesin, vel Ciuitatem, respectu cuius delegatio facta est, præterquam si vtraque pars consentiat *cit. c. Statutum. §. In nullo.* Videri potest *Abbas. in c. Nonnulli. n. 7. de rescriptis.* vbi docet, quòd Iudex delegatus non possit exire locum commissionis, ideò si respectu Ciuitatis certæ commissio facta sit, extra eam judicare nequeat, sin autem in certa diœcesi deputatus sit, intra illam (dummodo in loco insigni *cit. c. Statutum. in principio.*) & non extra cognoscere possit.

Quòd si verò Reus coram Iudice, ad quē 3
conueniri possit, siue ratione domicilii, siue beneficii, siue Rei sitæ aut contractûs, tunc ad eundem quoque locum per rescriptum Apostolicum trahi potest, imò & ad eandem illam diœcesin sicut *Abbas. notauit. c. dilectus. n. 4. de rescriptis.* nam sicuti Reus coram Ordinario in diœcesi conueniri posset, ita etiam coram delegato Papæ, quia is omnibus in locis cum ordinariis Prælatis in jurisdictione concurrit.

Quær. An per Apostolicum rescriptum vltra vnam diætam (seu 12. leucas aut milliaria) à fine diœcesis suæ citatus comparere teneatur. Resp. Cum *Abbate hîc*, si notorium sit, quòd citato competat exceptio declina-

declina-

clinatoria fori, eum non obligari, vt compareat, quia quæ notoria sunt, allegatione non egent, vti videre est apud *Felin. in c. Cum ordinem. n. 8. de rescriptis.*

CAPITULUM VIII.

Dilecti filii.

Paraphrasis.

Cùm Marcus in Priorem Ecclesiæ Gangrensis electus esset, tres Canonici electioni se opposuerunt, quamobrem Marcus contra illos, Iudices delegatos impetrauit à Pontifice; coram his comparentes Canonici exceperunt contra Marcum, quòd cùm in excommunicatione esset, & in periurii crimine actio & petitio eius recipi non deberet, sed Marcus replicauit, duos ex illis Canonicis etiam excommunicatos esse, tertium autem periurum, ideóque ipsorum exceptionem reiiciendam. Contra opposuit Procurator trium Canonicorum, replicationem istam frustra afferri, quia tametsi probata esset, non tamen Canonicos à defensione Ecclesiæ suæ repelleret. Adiecit discrimen esse inter obiectam exceptionem & vicissim ingestam replicationem, quia si exceptio contra Marcum probata fuerit, eum repellet ab actione; at verò replicatio tametsi probata fuerit, non repellet Canonicos à defensione. Nihilominus Iudices interlocutoriè pronunciârunt, priùs esse recipiendas probationes super replicatione, sed Marcus contra interlocutionem appellauit ad Innoc. III. qui resp. si ita se res habeat, in irritum esse reuocanda, quæ post appellationem gesta sunt.

Svmmarivm.

1. *Replicatio non exclusiua exceptionis, & hæc actionis repelli debent, aliàs appellari potest.*
2. *Prælato aut Rectori electo confirmationem petenti, si de eadem Ecclesia aliqui se opponant per exceptionem excommunicationis, vel criminis repelli nequeunt.*
3. *Præferendi tamen non criminosi, si adessent, qui opponere vellent, Excommunicati ab excommunicatione absoluendi vel repellendi, si obstinatè ab ea absolui nollent.*

Nota I. Replicatio reiici debet tanquam inutilis, si talis sit, vt tametsi probata fuerit, exceptionem non excludat, nam sicuti ad omnem exceptionem (intellige peremptoriam) requiritur, vt per eam excludatur actio siue intentio ac jus agentis, ita ad omnem replicationem requiritur, vt oppositam exceptionem elidat, quare cùm generatim loquendo nemo admitti debeat ad probandum, quod probatum non releuat. *l. Ad probationem. 21. C. de probationibus.* vbi *gl.* ait: id debet quis probare, quo probato juuatur; replicatio autem nisi exceptionem elidat, replicantem non adiuuat, sicuti nec exceptio excipientem, nisi actionem elidat, ideò sequitur, quòd replicatio non exclusiua exceptionis, sicuti & exceptio non exclusiua actionis repelli debent, alioquin contra Iudicem appellari possit. 1

Nota II. Si Prælato, aut Rectori electo confirmationem petenti, qui ex eadem Ecclesia sunt, se opponant, inhabilitatem eius allegantes, non possunt hi per exceptionem excommunicationis, aut criminis repelli. Ita cum *gloss hîc. verb. defendendo*, docent *Hostiens. Abb. Alexand. Felin.* & alii contra *Innoc. c. Cùm inter. hoc. tit.* Qui respondet ad istud *c.* Canonicos fuisse reos necessariò cùm fuerint tracti ad judicium à Marco, verùm ex textu & casû huiùs Capituli satis colligitur, Canonicos se priùs electioni opposuisse, at verò Marcum causam ad Curiam Romanam derinâsse, atque Iudices delegatos impetrâsse, coram quibus per actionem confessoriam volebat declarari, se legitimè electum fuisse, at verò Canonici repellebant illum ab omni actione circa jus electionis intentanda, aut scriptum impetrandum cùm esset excommunicatus & periurus. Hanc autem exceptionem repelli non posse, ait Pontifex, per replicationem, quia & ipsi excipientes excommunicati sunt, aut periuri, quia tametsi id probatum esset, nihilominus exceptioni pro defensione Ecclesiæ obiectæ locus foret. 2

Neque his obstat *Cap. Exhibita 19:*

de Iudic. vbi admittitur exceptio, quam electus obiecit, Canonicis se opponentibus, dicendo eos in excommunicatione esse constitutos; nam respondeo cum *gl. hîc. verb. excommunicationem*, casus esse diuersos, si enim Canonici vltrò agant, vt electio cassetur, tunc obiici ipsis potest excommunicatio, vt repellãtur ab actione; sin autem ipsemet electus confirmationem petat, & ideò compareant aliqui pro defensione Ecclesiæ, qui offendere velint esse indignum, non potest illis obiici excommunicatio, aut crimen; si enim in tali casu excommunicato concessum est, vt se opponat pro jure proprio tuendo, vti dixi in *c. Cùm inter. hoc tit.* multò magis pro jure, quod ipsi cum pluribus aliis commune est, ne Prælatum indignum accipere cogatur.

Veruntamen si alii adsint non criminosi, qui se opponere & inhabilitatem probare velint, haud dubiè præferri debent; dein si excommunicati absolui tunc possint, absolutio iis conferenda, priusquam admittantur; sin autem absolutionem obstinatè petere vel accipere renuant, ideóque in crimine perseuerent, tunc in hoc casu valdè probabilis est sententia Innoc. III. eos mox repellendos esse, cùm non bono Zelo Ecclesiæ suæ defendendæ procedere videantur.

CAPITVLVM IX.

Apostolicæ.

PARAPHRASIS.

Cùm Archiepiscopi Pragensis electio celebrata esset, & eam aliqui impedire vellent, duo Canonici Romam se contulerunt, vt electionis causam & Episcopi electi confirmationem promouerent, sed obiectum ipsis fuit, quòd sententiæ suspensionis & amotionis à beneficiis latæ essent in ipsos, tunc replicauerunt Canonici, quòd sententiæ irritæ fuerint, & ad hoc probandum per testes & instrumenta se obtulerunt, tunc Gregor. IX. respondit: Ne Pragensis Ecclesiæ ordinatio per eiusmodi obiectionem seu exceptionem diutiùs retardetur, se sententias illas relaxare ad cautelam.

SVMMARIVM.

1. *Canonicus suspensus ab officio, & depositus à beneficio, non potest proprio nomine agere pro juribus Ecclesiæ.*
2. *Ordinarius propter vtilitatem publicam, etiam non requisitus à parte, absolutionem aut relaxationem sententiæ ad cautelam, exacto priùs juramento parendi Ecclesiæ mandatis impertiri potest.*

NOTA I. Canonicus suspensus ab offi- 1
cio & depositus à beneficio, non potest proprio nomine agere pro juribus Ecclesiæ, videlicet vt Episcopus electus confirmetur: ita *gloss. hîc. verb. contingenter in fin.* Cùm enim suspensus ab officio non possit eligere, nec eligi. *c. Cum dilectus. 8. de consuetudine.* ideóque jure capitulari priuatus sit, & multò magis ille, qui à beneficio Canonicatûs depositus, siue eo priuatus est, hinc sequitur, quòd suo nomine agere non possit, vt electio confirmetur, cùm eius interesse non censeatur, dixi autem quòd nomine proprio siue vt Canonicus agere non possit pro causa electionis; at verò ex mandato Capituli seu vt Procurator eius, agere non prohibetur, cùm à communione fidelium propter suspensionem, aut priuationem amotus non sit, sicuti *Abbas. hîc monet. n. 4.*

Nota II. Ordinarius propter vtilitatem 2
publicam, etiam non requisitus à parte, absolutionem aut relaxationem sententiæ ad cautelam exacto prius juramento parendi Ecclesiæ mandatis impertiri potest, *argum. c. veniens. 28. de testibus.* & dixi *l. 1. tit. 5. p. 1. c. 7. n. 9.* solet autem absolutio, vel relaxatio ad cautelam conferri (videlicet ab eo, qui etiam absolutè loquendo absoluendi potestatè habet) quoniã dubium & incertum est, vtrùm censura contracta sit nec ne, vt in casu huius cap. cũ Canonici negarent sententias validè latas esse, atque id cognosci statim non poterat, moram autem longam trahere cum Ecclesiæ detrimento, consultum non erat.

CAPITVLVM X.

Dilectæ.

PARAPHRASIS.

Controuersia de decimis & aliis rebus erat

inter

inter Prioriſſam & Conventũ de Cõpeſſia ex parte vna, & Priorem ac Conventũ de Burcellia ex altera parte, quam Pontifex Abbati Benedictino, & aliis quibuſdam delegârat; cùm autem moniales ſe grauari exiſtimarent, ad ſedem Apoſtolicam appellârunt, & nuncium ad proſequendam appellationem Romam miſerunt, nihilominus Iudices poſt interpoſitam appellationem eas excomunicârunt, tunc Gregor. IX. cauſam appellationis ad petitionem Monialium commiſit Abbati de Angles & Coiudicibus, nullâ in literis factâ mentione excomunicationis, quãobrem pars adverſa, videlicet Prior, cùm excepiſſet de Monialium excommunicatione, cuius nulla mentio eſſet in literis Apoſtolicis, eámque exceptionem Iudices admittere nollent, ad ſedem Apoſtolicã appellauit, aliósq; Iudices, videlicet Abbatem de Gernemoe cum ſociis impetrauit, coram quibus Moniales replicârunt, quandoquidem ſententia excommunicationis in ipſas lata fuerit poſtquã appellârunt, & cuilibet etiam excommunicato defenſionis auxilium competere debeat, ideò rectè Iudices egiſſe in priori appellationis cauſa datos, videlicet Abbatem de Angles & ſocios, quando exceptionem Prioris admittere noluerunt. Veruntamen Prior de Gernemoe & ſocij, Monialium hanc defenſionem & replicationem reiecerunt, atque ideò ipſe denuò ad Papam appellârunt, qui ſic reſcribit ad Decanum Linconienſem, mandans ei, ſi narrata vera ſint, vt in ſtatum priſtinum reſtituat, quidquid poſt Monialium appellationem attentatum eſt, & poſtea in negotio ipſo procedat, ſicuti antea Priori de Gernemoe & Coiudicibus eius mandatum erat.

Pro intellectu Capituli aduerte. Cum Gloſſ. finali, quòd tribus vicibus Iudices delegati fuerint, ſuper cauſâ appellationis quamobrem vltimus Iudex, videlicet Decanus, ſi appellationem legitimam eſſe cognouit reſciſſis attentatis, procedere debuit in negotio principali, ſecundùm tenorem præſcriptum Abbati de Gernemoe, vt in textu dicitur. Credibile autem eſt eum fuiſſe tenorem Apoſtolici reſcripti, qualis communi jure eſſe ſolet, vt ſi Moniales legitimè appellâſſe appareat, procedat in negotio principali litem definiendo, ſin autem illegitimè, ijs in expenſas condemnatis cauſam remittat ad Iudicem à quo videlicet Abbatem de Angles, qui & ipſe cauſam decidere deberet, ſi legitimè à Monialibus appellatum cognoſceret, ſin autem illegitimè, condemnatis Monialibus in expẽſas, cauſam principalem ad primũ Iudicem à quo videlicet Abbatem Benedictinũ remitteret. Ita habetur *in c. Vt debitus 59. de appell.*

SVMMARIVM.

1. *Appellans non obſtante excommunicatione, quomodo proſequi poſſit appellationem.*
2. *Appellatione pendente nihil debet innouari, aliàs attentata reuocari debent.*
3. *Quando attentatio reuocatorum locum habeat erga judicem, quando erga partem.*

NOt. I. Appellans non obſtante excommunicatione appellationem proſequi poteſt, quod duobus modis intelligi poteſt. 1. Quòd, qui à Iudice per ſententiam excommunicatur, ab ea appellare poſſit, & appellationem proſequi iuxta *cap. vlt. hoc tit. c. 1. de reſcript. in 6.* 2. Si quis appellauerit à Iudiciali grauamine, Iudex autem poſthabitâ appellatione, nihilominus proceſſerit ad excommunicationem, quod ea nihil obſtante appellans appellationem proſequi, & in judicio contendere poſſit, imò verò talis excommunicatio, quæ poſt interpoſitam appellationem lata fuit, pro irrita haberi, ideóque eius nulla ratio haberi debeat, ſicuti hîc *Alexand. de Næo tradit n. 40.* 1

Not. II. Appellatione pendente nil debet innovari, ſeu de nouo attentari, alioquin attentata reuocari debent *cap. Non ſolùm. 7. de appell. in 6.* 2

Controuerſia hîc eſt inter *Innoc. & Hoſtienſ.* Vtrùm reuocatio attentatorũ habeat locum erga Iudicem, an etiam erga partem prius Innoc. vult, poſterius Hoſtienſ. ſed reſpondetur diſtinguendum eſſe inter appel- 3

lationem extra Iudicialem & judicialem; illa erga quemvis etiam non Iudicem tendere potest, & consequenter eâ pendẽte nil mutari debet à parte, contra quam facta est, v.g. cõtra Canonicos, ne in electione procedant, iuxta *c. Bona. 23. de electione.* Hæc aũtem propriè ac directè tendit contra Iudicem, vt is nihil interea mutare debeat; indirectè verò respicit partem, vt nihil agat, quo status causæ immutetur, iuxta *cap. Cùm teneatur, 17. de appell.* ex quo habetur, quòd per remedium attentati revocandi adiri possit Iudex, à quo appellatum est, quia sicuti ipse pendente appellatione nil immutare debet, ita etiã prohibere & revocare, si quid ab altero immutetur, aut attententur, imò hoc ipso, quòd Iudex à quo appellationi defert, tacitè prohibere censetur parti, ne quid innover, aut attentet, v. g. occupando rem sibi per sententiam adiudicatam, à qua appellatũ est, sicuti Baldus notat *in l. 3. n. 5. C. de appellat.*

CAPITVLVM XI.

Significauerunt.

Paraphrasis.

Canonici Tornacenses P. Clericũ elegerunt in Archipresbyterum, sed Mediolanensis Archiepiscopus eum confirmare noluit, prætendens sibi jus eligendi competere, atque reipsa Zephum Clericum instituit, eapropter Canonici ad sedem Apostolicam appellantes, impetrârunt causam cõmitti Præposito S. Stephani. Is pronuntians jus eligẽdi ad Capitulum pertinere, electionem de P. factam confirmauit, at verò partem adversariam videlicet Archiepiscopum & Zephum à petitione Capituli absoluit; tunc partes à sententia ista Præpositi appellârunt ad sedem Apostolicam, & causam Abbati Papiensi atque Præposito Vercellensi committi impetrârunt, corã quibus ex parte Archiepiscopi & Zephi contra Capitulum excomunicationis exceptio obiecta est. Tunc Iudices isti non considerantes quòd prætextu exceptionis oppositæ aliquis à prosecutione appellationis repelli nõ debeat, cùm omnis legitima defensio in judicio excomunicatis reseruata sit) decreuerunt Archipiscopum & Zephũ ad respondendũ non esse cogendos, ab hac verò sententia cùm Canonici ad Greg. IX. appellâssent, ipse mandat eisdẽ Iudicibus, vt nõ obstãte exceptione in negotio ipso procedant.

Svmmarivm.

1. *Episcopo, ad quem confirmatio electi Prælati spectat, nolente eum confirmare, vel protrahente, Capitulum grauatum per viam appellationis aut querelæ, ad superiorem recurrere potest. Et quod tum huius officium.*
2. *Sententia Iudicis plures articulos continere potest, in quorum vno pars accusata condemnetur, in altero absoluatur.*
3. *Victor in principali negotio appellere potest ratione expensarum sibi negatarum, ad quod tamen opus est, vt eas petiuerit.*
4. *Si judex ad expensas petitus non condemnet, tenetur pro ijs, de suo satisfacere.*
5. *Communi jure receptum est, vt pars victa non condemnetur ad expensas, si ratione probabili ducta in judicio contendit.*
6. *Censentur expensæ petitæ, si in libello petitum, vt omni meliore modo justitia administretur.*

NOtandum I. Si Episcopus, ad quem cõfirmatio Prælati electi spectat, eam neget, aut protrahat, censetur Capitulum, aut Conventus grauari, vt per viam appellationis, aut querelę ad superiorẽ recurrere possit, is verò de controuersia cognoscet, si aliqua sit inter Episcopum & Conventum de jure electionis, vt in casu huius Capituli. Sin autem Episcopus Conventui non neget jus electionis, tunc illi tempus definietur intra quod electum, premisso examine, confirmare debeat, sicuti docet *Abb. in c. 2. n. 13. de conces. prabenda.* 1

Not. II. Sententia Iudicis plures articulos continere potest, in quorum vno pars v. g. accusata condemnetur, in altera verò absoluatur; fortasse enim inquit, *Gloss. c. insuper.* petebat partem aduersam ad expensas litis condemnari, ab eâque petitione repulsam tulit, ex qua doctrina habetur, quòd vtraque pars appellare possit à sententia, quatenus 2

tenus ea sibi contraria est, & ita obseruant practici, quod appellent à sententia Iudicis, quatenus sibi aduersatur. Vlteriùs colligitur, quòd qui in principali negotio victor est, appellare possit ratione expensarum sibi negatarum.

3 Veruntamen ad hoc vt victor (non appellante victo) propter expensas appellare possit, opus est, vt eas petiuerit propter Regulã, quam ex *Durand. in spec. l. 1. p. 1. tit. De iurisdictione omnium Iudicum. §. 4. verb. Quid si Iudex.* tradit hîc *Abb. n. 10.* non esse locum appellationi, si Iudex aliquid intermittat, quod ex officio agere posset, aut deberet parte non petente. v.g. si excommunicatum actorem ex officio non repellat. Igitur & in hoc casu licet Iudex ex officio partem victã ad expensas condemnare possit & quandoq; debeat, *authent.* de Iudicibus § *Oportet, & c. Calumniam. 4. de pœnis*, tamen non est concedenda appellatio, si pars expensas litis non petiuit.

4 Simile est quod Iudex ex suo satisfacere nõ cogitur pro expensis, quæ petitæ nõ sunt, secus verò dicendum, si petitæ fuerunt, & Iudex ad earum restitutionem nõ condemnauit, secundùm Glossam receptam *in c. vlt. verb. expensis, de rescript.*

5 Veruntamen in quibusdam tribunalibus consuetudo viget, vt sumptus litis, quos victor fecit, parti victæ remittantur, nisi appareat, vel præsumptio sit, quòd per calumniã seu sciens causam iniustam se habere, in iudicio contenderit, aut malitiosè causam protraxerit, id verò communi iure receptum & æquum est, vt pars victa ad expensas non cõdemnetur, si ratione probabili ducta in iudicio contendit, videlicet ex errore facti, aut dubij Iuris, vti colligitur ex *l. Qui solidum. §. Etiam. ff. de legatis. 2.* & videri potest *Gl. in c. Finẽ. 5. verb. expensas, de dolo & contumaciâ.*

Ad extremum circa expensas petendas id obseruat *Gail. l. 1. obser. 51. n. 22.* Quòd eæ petitæ censeantur, si in libello petitum fuerit, vt omni meliori modo iustitia administretur, sic enim pars Iudicis officium implorâsse censetur, tam super principali, quàm super accessoriis.

CAPITVLVM XII.

Exceptionem.

Paraphrasis.

Quamvis exceptio excomunicationis inter dilatorias numeretur, quarum hæc conditio est, vt ante litis contestationẽ opponi debeant, tamen dicta exceptio hoc peculiare habet, quòd in qualibet litis parte opponi queat, ne aliquis cum animæ periculo excommunicato comunicare cogatur. Veruntamen si eam exceptionem opponere Reus distulit, ita, vt Actor laboribus & sumptibus frustra fatigaretur, ad præstãdas expensas legitimè condemnari debet. Porrò qui publicè excommunicatus est, etiam parte non excipiente, à Iudice ex officio repellendus est.

Svmmarivm.

1. *Exceptiones dilatoriæ ante litis contestationem opponi debent, & quidem intra terminum à judice assignatum.*
2. *Exceptio contra judicem aliis exceptionibus præmitti debet.*
3. *Exceptio excommunicationis etiam post litem contestatam vsque ad latam sententiam obijci potest, & respectu excommunicati non tolerati seu vitandi etiam debet.*
4. *Judex etiam quæ in facto consistunt, si notoria sint, ex officio supplere potest, & quandoque debet.*

NOta I. Exceptiones dilatoriæ ante litis 1
contestationem opponi debent, de hoc dixi *in c. 1. De litis contestatione in 6.* Hic verò duo addenda: Primum, si terminus dilatoriis exceptionibus proponendis à Iudice decretus sit, tunc intra eum terminum proponi debent, ita vt postea (nisi de nouo ortæ, aut cognitæ sint) proponi non possint, tametsi lis contestata nondum sit, quia terminus ab homine, videlicet à judice, statutus succedit in locum termini constituti à Iure, vti docet *Abb. in c. Pastoralis. num. 15. hoc tit.*

Alterũ: pars litigans ante omnia considerare debet, num exceptionẽ dilatoriã contra Iudi-

Iudicem, eum recusando, vt suspectum, vel eiusdem iurisdictionem inficiando proponere velit, tum enim cavere debet, ne priùs aliam opponendo exceptionem. v.g. rescriptum esse subreptitium, adversariũ esse excomunicatum, expresè aut tacitè petat, de hoc cognosci, & sic in Iudicem consentire censeatur, ideò ante omnes dilatorias exceptiones ea, quæ contra Iudicem est, afferri debet, quanquam si vnà cum ea etiam aliæ dilatoriæ opponantur, conditio exprimi potest, vel etsi nõ exprimatur, subintelligi censetur, si Iudex competens judicatus fuerit, quare hoc casu ante omnia alia ea exceptio discuti debet, quâ de re *Abb. hîc. & Alexand. num. 15.*

2 Nota II. Exceptio excomunicationis etiã post litem contestatam vsque ad latam sententiam obijci potest, Ratio affertur in text. quia in hac forensi comunicatione cum excomunicato vertitur periculum animæ, sed cuiúsnam periculum ex comunicatione, an eius, qui cum excommunicato comunicat? Respondeo, Pontifex hic loquitur de periculo animę seu peccato, quod litigans incurrit propter communicationem; id verò tantùm locum habet respectu excommunicati vitandi, seu non tolerati; quare tali casu excommunicatus à parte litigãte, vel eâ intermittente, à Iudice etiam post litem contestatam repelli non tantùm potest, sed etiam debet; sin autem sermo sit de excomunicato tolerato, seu non vitando, tunc dicendum, quòd talem seu ante seu post litis contestationẽ pars litigans repellere possit, ita vt interea donec exceptio excommunicationis probata sit, Iudex procedere vel Actorẽ excomunicatum ad intentionem suam probãdam admittere nequeat, vti colligitur ex *c. hoc tit. in 6.* & tradit *Suar. de cens. disp. 16. s. 3. n. 5.* Ratio assignatur *in cit. c. 1.* vt magis censura Ecclesiastica timeatur, & vt contumacia reprimatur, ea enim tractum successivũ habet, ideóq; semper cum peccato ex parte excomunicati juncta est, quippe qui continuò peccat, si absq; necessitate communicet cum fidelibus, tametsi vitandus non sit, quandoquidem per Cõstantiens. extravagantem ad *euitandum* nullus favor excommunicatis toleratis factus est, quominùs ipsi quatenus est ex sua parte fideles reliquos vitare teneantur, atque si de illorum excommunicatione constet à fidelibus repelli possint, sicuti jure antiquo poterant, vti notauit *Anila de censuris. p. 2. c. 6. Disp. 7. d. 1.*

Nota III. Judex etiam, quæ in facto cõsistunt, si notoria sint, ex officio supplere potest, & quanquã debet propter animæ periculum vitandum, & publicæ justitiæ vel Ecclesiæ bonum defendẽdum, sicuti in nostro casu videre est, cùm excommunicatus vitãdus in judicio agit; sin autem vitandus non sit, tamen publicus & notorius Iudex eum potest repellere, sed non tenetur, vti docet *Suar. Disp. 16. de cens. s. 3. n. 2.* 3

CAPITVLVM XIII.

Adversario.

Paraphrasis.

Petebas à Titio per rei vindicationem ædes quas tempore litis contestatæ possidebat; postea verò desiit possidere absque culpa sua, ideóq; à Iudice absolutus fuit, postea easdem ædes iterum possidere cepit, quas cùm iam denuò vindicare vis, ipse opponit exceptionem rei judicatæ, seu quod per Iudicis sententiam à petitione tuâ absolutus fuerit, hoc casu ait Gregorius IX. Titium audiendum non esse.

Svmmarivm.

1. *Possidens rem tempore litis contestatæ, quam postea lite pendente absque suâ culpa possidere desiit, actione in rem seu vindicatione non condemnatur, sed absolui debet; nisi dolo vel culpa lata desierit possidere.*
2. *Qui dolo possidere cepit, si absque dolo possidere desiit, restituere compellendus est.*
3. *Erga quemuis detentorem rei, aut commodatarium, conductorem, aut depositarium, vindicatio seu in rem actio, Domino competit.*
4. *Exceptio rei judicatæ non competit cessante causa, ob quam sententia lata est.*

NOta I. Qui tempore litis contestatæ rem possidet, postea verò lite pendente absque 1

absque culpa sua possidere desiit, actione in rem seu vindicatione non condemnatur, sed absolui debet, *l. Sin autem. 2. §. Possidet. ff. de rei vind.* Ratio est, quia per sententiam condemnari deberet, vt restituat, non potest autem restituere, si non habet, ergo non debet tali sententiâ condemnari.

Excipe 1. Nisi dolo, vel culpa lata, quæ dolo æquiparatur, desierit possidere, iuxta *l. Quod si. 22. ff. eodem. l. 1. iuncta Gloss. verb culpa. C. depositi & regul. 36. in 6.* pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere, & ideò vtili in rem actione seu vindicatione condemnari potest. *l. electio. 22. §. Si is quem. ff. De noxalibus actionibus.*

Porrò quòd dolo quis desierit possidere, id ab altero probari debet. *l. Quoties. 18. §. Qui dolo. ff. de probationibus*, nisi desierit possidere post litem contestatam, teste *Gloss. hic. verb. dolo.* Imò etiamsi post citationē in certa causa, sicut hîc *Abbas* docet, *& Alexand. n. 4.*

Excipe 2. Quòd bonæ fidei possessor, si pro re vendita pretium accepit, illud domino rei, si illam recuperare non possit; restituere cogatur, quia pretium succedit loco rei, vti colligitur ex *l. Item si. §. Si quis. ff. de rei vind.*

2 His adde 1. Quòd qui dolo possidere cepit. v.g. fur, aut raptor, si absque dolo possidere postea desiit, restituere compellendus sit. *l. Penultima. ff. de rei vindic.* Vbi dicitur, quòd prædo etiam teneatur de fortuito interitu rei, & *l. vlt. ff. De condictione furtiua.* Quòd ad furem semper spectet, periculum interitûs, cùm semper in mora sit. Cæterùm, si res eodē prorsus modo peritura fuisset apud Dominum, etsi ei subrepta non fuisset, quòd fur, aut prædo nō teneatur ad restitutionem, cùm causa damni non fuerit, docui *l. 3. tr. 3. de just. c. 4. n. 2.*

3 Adde 2. Quòd erga quemuis detentorē rei, aut commodatarium, conductorem, aut depositarium, vindicatio seu in rem actio Domino competat. *l. Officium. 29. ff. de rei vind.* Sed potest is nominare illum cuius nomine possidet, vt in judicium vocetur, si rem defendere velit. *l. 2. C. vbi in rem actio*, & notat *Gloss. in cit. l. officium.*

Not. II. Exceptio rei judicatæ non competit cessante causa, ob quam sententia lata est. Exemplum habes hic, reus per sententiā absolutus fuit, quia tunc non possidebat; ideò si postea possidere incipiat, non potest se defendere exceptione rei judicatæ, quo minùs restituat. Item aliquis, qui promiserat sub conditione, se quidpiam daturum, aut in diem certum absolutus fuit, quia conditio non evenit, aut dies nondum advenit, non potest se defendere exceptione latæ sententiæ, postquam dies advenerit, vel conditio evenerit. 4

CAPITVLVM XIV.

Venerabilem.

Paraphrasis.

Archiepiscopus Narbonensis à Iudicibus propter gravamen sibi illatum appellauit ad sedem Apostolicam, impetrans rescriptum super causa appellationis ad alios Iudices. Coram his obijciebatur illi, quòd tempore rescripti in excommunicatione fuerit, cuius in rescripto nulla mentio fieret. Hoc non obstante respondit Gregor. IX. Archiepiscopum ad prosequendam appellationem vigore eius rescripti admittendum esse, nam alioquin frustra excommunicatis concessum esset appellare, nisi etiam appellationem prosequi, & super ea rescriptum impetrare possent.

Svmmarivm.

1. *Concesso vno, censentur concessa ea, sine quibus illud inutile, & inefficax foret.*
2. *Qui potest in judicio agere coram Papa, vel alio principe, potest etiam rescriptum impetrare.*

Not. vnicum. Si quidpiam alicui concessum sit, censentur etiam ea esse cōcessa, sine quibus illud inutile seu inefficax foret; exemplum habes hîc, cùm excommunicato concessum sit à sententia lata appellare, concessum etiam censeri debet, vt appellationē prosequatur, & super causa appellationis rescriptum ad Iudices delegatos impetret, quia frustranea foret appellatio, nisi eam prosequi liceret. 1

Excipiendum est; Nisi quis appellet ab ipsa sententia excommunicationis, dicendo, eam esse iniustè illatam: cùm enim ita appellans confiteatur se excommunicatum esse, meritò repellitur à prosequenda appellatione, nisi priùs absolutione procuret, & impetret. *cap. Per tuas. 40. de sentent. excommunicationis*, ne alioquin excommunicationem contemnere videatur.

Porrò ex tradita doctrina generalior regula inferri potest, quòd quicunque in Iudicio agere potest coram Papa, alióve Principe, etiam rescriptũ impetrare possit, quare cùm Procurator generalis causam in judicio agere queat, *c. Qui generaliter. 5. de Procurat. in 6.* Sequitur quòd etiam rescriptum impetrare possit sine speciali mandato, id verò intellige nomine suo; sed vt nomine Domini impetret, indiget mandato eius speciali. *c. Nonnulli. 28. §. Sunt & alij. Gloss. verb. sine speciali. de rescript.* & ita tradit *Abbas. ib. n. 3.*

EODEM TITVLO DE EXCEPTIONIBVS IN VI. CAPITVLVM I.

Pia.

PARAPHRASIS.

Piè & rectè in S. Ecclesia statutum fuit, vt excommunicationis maioris exceptio in quacunque parte litis opposita, lites dirimat, & repellat agentes, vt Ecclesiastica censura magis timeatur, communionis periculum vitetur, contumacia reprimatur, atque excommunicati, dum à communibus actibus excluduntur, rubore suffusi, ad humilitatis & reconciliationis desiderium inclinentur. Verùm quod rectè prouisum fuit remedium, per hominum malitiam vertitur in nocumentum; dum enim in Ecclesiasticis causis talis exceptio frequenter per malitiam opponitur, differuntur negotia, & partes laboribus atque expensis frustra fatigantur, ideóq; æquum est, vt huic malo passim invalescenti medela adhibeatur; quemadmodum Innoc. IV. in Lugdun. generali Concilio decreuit, vt si quis excommunicationem alicui obijciat; speciem eius, & nomen excommunicatoris exprimere debeat, eámq; rem in publicã Iudicis notitiam deferat, ita vt post eam diem, in qua excommunicationẽ obiecit, intra octiduum proximum eam probare teneatur apertissimis documentis, quòd si non probauerit, Iudex in causa procedet, & reum in expensis, quas actor interim se fecisse probauerit, præmissa taxatione condemnabit. Sin autem reus præcedente instãtia causæ denuo excommunicationem obiiciat, eámq; probet, actor vlteriùs admitti non debet, donec absolutus fuerit, quæ tamẽ antecesserunt acta, firma manebũt; quòd si verò reus in probanda intra octiduum excommunicatione defecerit, tertiò excipere volens, audiendus non est, præterquã si noua excõmunicatio emerserit, vel evidens, aut expedita probatio antea obiectæ excommunicationis de nouo supervenerit. Cæterùm si post latam sententiã exceptio obiecta fuerit, eius executionẽ impediet, sed ipsa sentẽtia antecedenter in suo robore permanebit. Verùm si actor publicè excommunicatus sit, idq; judex sciat, tum actorẽ etiã, reo non excipiente, repellere debet.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus repellitur à judicio vt actor, non autem vt reus.*
2. *Exceptio excommunicationis Actori, sicuti testi, in quacunque litis parte vsque ad sententiam obiici potest.*
3. *Cum excommunicato Actore, Procuratore, Advocato, teste, si vitandi sint, in judicio communicare illicitum est, acta tamen valent.*
4. *Si excommunicatio judici obijciatur, pars excipiens, eum recusare potest, tanquam suspectum, nisi sponte in eum consentiat, aliúmque judicem petere, vel ad arbitros confugere.*
5. *Limitatur & explicatur.*

NOta I. Excommunicatus repellitur à Iudicio si sit tanquam actor, oppugnare volens; non item, si sit. vt reus, defendere se volens. *c. 2. c. Inter. c. Exceptionem. hoc tit.*

Not

2 Not. II. Exceptio excommunicationis actori ſicuti teſti in quacunq; litis parte vſque ad ſententiam obijci poteſt, *cit. c. Exceptionẽ.* Imò tametſi ſemel ſuccubuerit Reus in exceptionis huius probatione, iterum admittitur, ſi probare velit, idque ob odium excommunicati, quod ſemper durat; tertiâ tamen vice cùm malitiæ præſumptio contra reum ſit, non admittitur ad probandum, niſi in caſibus in textu expreſſis.

3 Nota III. Acta Iudicij cum excomunicato etiam vitando, qui repulſus non eſt, valida cenſeri debent, ſiue vt aliter dicam, cum excomunicato actore, itẽ Procuratore, Advocato, Teſte ſi vitandi ſint, in Iudicio communicare illicitum eſt, tamen acta valent, vti docui. *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 14.* Hîc verò adde ex Gloſſ. recepta hîc verb. *proponi.* quòd exceptio excommunicationis contra actorẽ, ſeu petitorẽ duobus modis proponi poteſt, vel in modum dilatoriæ ad proceſſum duntaxat impediendum, ſaluo jure actoris, ſecũdùm quod petitionem ſuam proponere poterit, poſtquã ab excomunicato ſolutus erit, & hic eſt caſus Capituli noſtri. 2. Per modum peremptoriæ, videlicet, ſi electo Prælato confirmationẽ petenti objciatur, quòd electio de ipſo excommunicato, vel ab excommunicatis facta fuerit, quo caſu de majore præiudicio agitur, quia probatâ exceptione omninò perit jus petitoris.

4 Quis porrò de exceptione excomunicationis cognoſcere debeat, ſi Iudici objciatur, tractat *Francus hic n. 30.* dici poteſt, quòd pars excipiens, niſi ſponte in Iudicem conſentiat, eum recuſare poſſit, tanquam ſuſpectum, qui de hac cauſa ipſemet cognoſcat, & ideò alium Iudicem petere, vel ad arbitros confugere, ſicuti dixi *in c. Si quis. 4. de foro compet.* Intellige hæc, ſi dubium ſit de excommunicatione, quæ Iudicem vitandum non efficit; ſin autem quæſtio ſit, an Iudex v. g. propter Clerici percuſſionem excommunicationem Canonis contraxerit, ipſemet cognoſcere haud poteſt, neque alteri cognitionem delegare, eò, quòd Iuriſdictio eius fundata non ſit, vti docui in *Diſputat. de Juriſdict. concluſ. 45.*

CAPITVLVM II.

Cùm quidam.

Paraphrasis.

Si Titius Laicus in cauſa mixti fori ſeu ad Iudicem tum Eccleſiaſticum, tum ſæcularem, ſecundùm jura, vel conſuetudinem pertinente, in Eccleſiaſtico foro ab impetitione adverſarij abſolutus fuerit, poſtea verò tractus ad Iudicem ſæcularẽ ſuper eâdem cauſa, rei judicatæ exceptionem opponat, Iudex ſæcularis exceptionem (ſicuti de jure convenit) admittere debet, & ad id ab Ordinario Eccleſiaſtico per cenſuram cogi poteſt. Similiter verò & Eccleſiaſtici Iudices, ſi coram ipſis opponatur exceptio cauſæ à ſæculari Judice judicatæ, eam admittere tenentur, ſi animarum periculum non vertatur, ſin autem non admittant, vbi admittere debent, per ſuperiores ſuos puniendi ſunt.

Svmmarivm.

1. *Judex ſæcularis exceptionem latæ ſententiæ in foro Eccleſiaſtico admittere debet, ſi nolit per cenſuram cogendus.*
2. *Sententia à judice competente inter eaſdem perſonas, & in eadem cauſa, valet etiam coram alio judice, licet ſit alterius fori.*
3. *Judex Eccleſiaſticus non debet admittere ſententiam latam à judice ſæculari, ſi cum animæ periculo ſit coniuncta.*

NOta I. Si Iudex ſæcularis Eccleſiaſticæ Iuriſdictioni derogare velit, videlicet, non admittendo exceptionem latæ ſententiæ in foro Eccleſiaſtico, per cenſuram compeſci poteſt. 1

Nota II. Sententia latâ à Iudice competente inter eaſdem perſonas, & in eadem cauſa, valere etiam debet coram alio Iudice, quamvis alterius fori ſit. Ita *Gemmian. Ancharan. & alij hîc paulò poſt principium.* Ratio eſt, quia per Iudicis ſententiam jus parti acquiritur, quod alius Iudex lædere non debet, idque maximè procedit, ſi loquamur de foro Eccleſiaſtico & Ciuili, quæ 2

licet diversa sint, tamen se invicem adiuvare, & jura mutuò defendere debent.

3 Nota III. Judex Ecclesiasticus non debet admittere sententiam latam à Judice sæculari, si cum animæ periculo juncta sit. Ita *Geminian. hic & alij.*

TITVLVS XXVI.

DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

CUm præcedente Titulo de exceptionibus generatim dictum sit, subiungitur materia de præscriptionibus, quia præscriptio species quædam est peremptoriæ exceptionis, vti docui *l. 3. Th. Mor. tract. 1. de Iust. cap. 8.*

CAPITVLVM I.

Placuit.

PARAPHRASIS.

Si quispiam Prælatorum locum aliquem ad fidem Catholicam converterit, & per triennium tenuerit, non repetente Episcopo ad quem de jure pertinet, vlteriùs repeti non potest. Verùm si Ecclesia Cathedralis vacauerit, non præiudicatur ei, quominùs constituto Episcopo locus repeti queat; Deinde si Episcopus ab hæresi ad fidem Catholicam redierit, ex tempore reditûs triennium ipsi conceditur ad repetendum locum, qui ad Ecclesiam Cathedralem pertinet.

SVMMARIVM.

1. *Casus specialis, in quo per triennium præscribitur in juribus Ecclesiæ ab hæreticis & schismaticis recuperatæ.*
2. *Limitatur hæc doctrina & declaratur.*
3. *Præscriptio contra Ecclesiam nõ currit dum ea vacat; neq; si est quis inutilis ad agendum, quamuis non sine sua culpa.*

1 NOtandus hîc est casus specialis, quo per triennium præscribitur in Iuribus Ecclesiæ ab hæreticis & schismaticis recuperatæ; si enim Episcopus, ad quem Ecclesia de jure pertinet, seu intra cuius diœcesim sita est, post monitionem ipsi à Coëpiscopis insinuatam, intra 6. menses recipere negligat, alius vicinus Episcopus, eandem Ecclesiam recipere seu ad Catholicam fidem reducere potest, *c. Placuit. XV. c. 16. q. 3.* ita quidem, vt si Episcopus ille, adquem spectat, intra triennium repetere Ecclesiam omittat, postea audiendus non sit, idque in Africano Concilio. *c. 88. & c. 121.* specialiter decretum est, in fidei Catholicæ fauorem, & ad Episcoporum diligentiam & vigilantiam excitandam.

2 Excipiendum 1. Si Episcopus, in cuius diœcesi Ecclesia sita est, ideò eam vltra 6. menses ad fidem Catholicam reducere intermittat, quia tempus expectat, quo sine tumultu securiùs id peragere poterit *cit. c. Placuit.* Hoc casu cùm justam differendi causam habuerit, ne præcipitando maius hæreticis damnum inferret, alius Episcopus præoccupare ac præuenire non debet.

3 Excipiendum 2. Quòd præscriptio contra Ecclesiam non currat, dum ea vacat. *cap. Auditis. 13. hoc tit.* idémque est, si sit inutilis ad agendum, quamvis non sine culpa sua. v. g. in Carcerem ob crimen inclusus, vel excomunicatus, sicut ex hoc cap. colligitur, & tradit *Gl. in c. Quia. 13. verb. postliminio. ib. q. 3.*

Quod verò *Abbas hic. n. 8. tradit.* quòd præscriptio non currat contra excommunicatum etiam in juribus propriis, id verum est, quamdiu per ipsum non stat, quominus absolutionem impetret. *c. Quia. 5. De concessione præbendæ.* Sin autem culpabiliter absolutionem petere omittat, videtur, præscriptio procedere, teste *Baldo & Alexand. hic num. 9.* quia non debet censeri impeditus

tus, qui impedimentum tollere potest. *argumento l. Sed etsi. 26. §. Ait Prætor. ff. Ex quibus causis maiores.* & alioquin excommunicatus ex propria iniquitate commodum ferret, quandoquidem id ordinarii Iuris est, vt qui intra tempus definitum agere intermittit, postea excludatur, seu contra eum excipi ac præscribi possit.

CAPITVLVM II.

Nihil.

PARAPHRASIS.

S. Gregorius I. Papa ad Italicam Patriciam l. 2. Epistola 58. Regist. scribit, tametsi ipse jura quædam Ecclesiastica, concordiæ causâ, & ne tumultus, vel scandalum oriatur in judicio, repetere intermiserit, imò etiam non se repetiturum promiserit, tamen per talem taciturnitatem, aut patientiam nolle se successoribus suis Pontificibus in rebus pauperum præiudicium aliquod generari.

SVMMARIVM.

1. *Prælatus propter vitandum scandalum remittere potest aliquid de juribus Ecclesiæ, ita tamen vt nullum præiudicium, aut præscriptio in futurum oriatur.*
2. *Taciturnitas & patientia Prælati non repetentis bona Ecclesiæ, non præiudicat successoribus, quo minus ipsi repetere possint.*

Propter eam tamen, & Prælati negligentiam, concurrente bonâ fide, viâ præscriptionis jura Ecclesiæ amitti possunt.

NOT. Vnic. Prælatus propter vitandum scandalum quandoque aliquid de Juribus Ecclesiasticis, aut causarum piarum remittere potest, ita tamen vt in futurum nullum præiudicium, aut præscriptio oriatur, quamobrem protestari interdum debet, quòd eiusmodi remissionem liberè faciat, non ex obligatione.

Possumus etiam aliter colligere ex *text. c.* quòd taciturnitas & patientia Prælati non repetentis bona Ecclesiastica, vel ad causas pias destinata, non præiudicet successoribus quo minùs ipsi repetere possint, nam sicuti Prælatus talia bona expressè dare non potest, ita nec tacitè per renunciationem præsumptam ex taciturnitate.

Interim non negamus, quin jura Ecclesiæ viâ præscriptionis amitti possint propter negligentiam & taciturnitatem Prælati; sed hoc fit concurrente bona fide, quæ oritur ex ignorantia, cùm videlicet existimat is, qui præscribit, jus v. g. decimarum non ad Ecclesiam illam, sed ad se pertinere, vti docui. *l. 3. tr. 4. de just. c. 10. n. 6. in fine.*

CAPITVLVM III.

Sanctorum.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesia possessionem aliquam 30. annis pacificè & bona fide, quamuis siue titulo possedit, postea ei auferri non debet, si tamen denunciatio aut proclamatio synodalis ante cessit, ea præscriptionem interrumpit.

NOT. Vnicum. Jure antiquo Præscriptio in rebus immobilibus sine titulo, 30. annorum spatio contra Ecclesiam etiam perficiebatur, nunc verò 40. anni requiruntur, vt mox patebit.

CAPITVLVM III.

De Quarta.

PARAPHRASIS.

Clericus contra Episcopum quartam decimarum & oblationum funeralium intra annos 40. præscribere potest, nisi interea Ecclesia Cathedralis caruerit pastore, qui jura Ecclesiæ exigere debuisset. Porrò 30. annorum præscriptio, quæ olim in rebus immobilibus, ac juribus, tanquam ordinaria longissimi temporis statuta erat. *l. 3. C. de præscription.* 30. vel 40. annorum à Romana Ecclesia non recipitur, si aduersùs jura Ecclesiarum tendat.

SVMMARIVM.

1. *De jure communi quarta pars decimarum & funeralium oblationum debetur Episcopo. Utraque pluribus locis abolita est.*
3. *Contra Ecclesiam carentem Rectore qui jura eius defendere debet, non currit præscriptio.*
3. *Contra eandem in rebus immobilibus ac juribus non procedit præscriptio minor 40. annis, interdum opus est tempore immemoriali. Quando?*
4. *Idem est de legatis, aut donatis ad causam piam, ratione quorum Episcopus loci agere debet, si executor alius constitutus non sit.*
5. *Pauperibus post præscriptionem competit beneficium restitutionis in integrum quadriennio non minùs quàm aliis piis locis.*

1 NOT. I. Spectato communi jure, Episcopo pars 4. ex decimis (quæ dicitur quarta decimarum) & pars 4. ex funeralibus oblationibus (quæ portio specialis Canonica appellatur) debetur. De quarta decimarum habes in *c. Conquerente. 16. de officio Ord.* & dixi *l. 4. tr. 5. de just. c. 4. n. 6.* de portione Canon. funeralium in *c. Requisisti. 13. de testamentis.* & dixi *l. 3. tr. 5. c. Vltimo. n. 13.* Quibus locis monui tum quartam decimarum, tum quartam funeralium pluribus locis abolitam esse.

2 Not. II. Dum Ecclesia caret Rectore, qui jura eius defendere debet, non procedit contra eam præscriptio, vti dixi in *c. 1. hoc tit.* & ampliari debet 1. Si Ecclesia caret Rectore immediato, ad quem pertinet actio & defensio, quòd præscriptio non procedat, tametsi mediatus, videlicet Episcopus, aut Papa agere posset, vt docet *Abbas. in cit. c. 2. de rest. spoliat.* 2. Ampliari debet quòd vacante Ecclesia non procedat præscriptio contra jura, quæ ad Prælatum & Conuentum communiter pertinent. Sicut tradit *Abbas. cit. c. 1. n. 4. Mol. tr. 5. de just. D. 11. n. 16.* Cùm enim Ecclesia defensore ac Rectore proprio & principali careat, lites circa jura eius (nisi ad Capitulum propriè pertineant) eo tempore cessare debent. *c. vlt. ne sede vacante.*; vbi *gloss. ait. verb. vacante.* quòd vacante sede nihil fieri debeat, per quod ei præiudicari possit. Tametsi verò *Innoc. in c. Cum dilectis. n. 1. de consuet. gloss. in Clement. vlt. verb. renocari. de Procurat.* existimet, quòd conuentus Monasterii, vacante Prælatura, Syndicum constituere, & per eum pro juribus Monasterii agere possit; tamen non ideò fateri debemus, quòd vacante Prælatura & non agente Conuentu præscriptio currat contra Monasterium, quandoquidem proprius ac principalis administrator & defensor deest.

Not. III. Contra Ecclesiam in rebus im- 3
mobilibus ac juribus non procedit præscriptio minor annis 40. Ita *hìc & c. Ad aures. 6. hoc tit. Authent. de Eccles. tit. §. Pro temporalibus. collat. 9.* Verùm non semper sufficiunt 40. anni, sed interdum opus tempore immemoriali, si videlicet jus commune Canonicum præscribenti resistat, neque is titulo colorato adiuuetur. Vti habetur in *c. 1. hoc tit. in 6.* & docui *l. 3. tr. 1. de just. c. 8. n. 14. & l. 4. tr. 6. c. 6. n. 7.*

Addendum est huic notando, idem quo- 4
que sentiendum esse de legatis aut donatis ad causam piam, videlicet pro redemptione Captiuorum, aut sustentatione pauperum, quamuis in genere seu indeterminatè, pro eiusmodi legatis seu relictis si executor alius constitutus non sit, ad Episcopum loci agere pertinet. *l. Nulli. 28. l. Si quis. 48. C. de Episcopis.* & docet *gloss. in l. Vt diuinum. 23. verb. captiuorum. C. de SS. Ecclesiis.* Episcopo autem negligente per annos 40. præscriptio cum bona fide perficitur. *auth. cit. §. pro temporalibus.* vbi habetur, quòd præscriptiones, quæ contra priuatum esse solent annorum 10. 20. aut 30. aduersùs Ecclesiam aut sacrum locum, vel in hæreditatibus, aut legatis ad pias causas, ante annos 40. non perficiantur, & notauit id *gloss. in cit. l. Vt diuinum. verb. centum. Abbas. in c. 2. n. 10. hoc tit. Felin. ibid. n. 4.* vbi tamen monet, quòd pauperibus post præscriptionem beneficium restitutionis in integrum quadriennio non minùs, quàm piis locis com-

competere debeat, qua de re dixi *l. 3. tr. 1. de Just. c. 8. n. 20.*

5 Contrarium docuit Ant. hîc, quòd præscriptio non procedat, si pauperibus indeterminatè legatum sit; cùm enim pauperes incerti sint, imputari ipsis non potest, quòd agere intermiserint. *argum. l. 1. §. ne autem.* Vbi dicunt DD. quòd non valenti agere, non currat præscriptio, sicuti si Pater, penes quem filii aduentitia bona sunt, agere pro iis intermittat, id filio non nocet *cit. §. Ne autem.*

Sed rectè ad hoc respondet *Abbas. cit. n. 10.* vtroque jure notissimum esse, quòd ob negligentiam administratoris lege constituti, natu minoribus, Ecclesiis, piis locis, & causis perficiatur præscriptio, tametsi minor procuratorem habens, sicuti & Ecclesia, aut pia causa per se ipsam agere non possit: de Patre autem habente bona aduentitia filii, alia ratio est, cùm ea non habeat, vt legitimus administrator filiis datus, sed proprio jure vsum fructum teneat, proprietate ad filios spectante, quemadmodum & Maritus dotem retinet, & administrat jure proprio propter vsum-fructum ad se pertinentem, quare nec contra vxorem præscriptio in rebus dotalibus procedit, dum constante matrimonio agere non potest. *l. In rebus. 30. C. de jure dotium.*

CAPITVLVM V.

Vigilanti.

Paraphrasis.

Cauendum est, ne malâ fide prædia aliena possideamus, quoniam nulla temporis diuturnitas malæ fidei possessionem adiuuat, & semper malæ fidei possessor aliquis censendus est, postquam sciuit rem alienam esse, donec resipuerit, videlicet restituendo. Ephesinus quidam legislator ob hominum res & jura sua non repetentium desidiam vitandam, & longi temporis errorem auferendum, 30. vel 40. annorum præscriptionem, etiam cum malæ fidei possessione introduxit, sed hæc lex irrita est, & injusta, siue is, ad quem res pertinet, sibi competere sciat, siue ignoret.

Svmmarivm.

1. *Possessor malæ fidei nullo vnquam tempore præscribit.*
2. *Leges Cæsareæ possessori malæ fidei præscriptionem concedentes, à jure Canonico abolitæ sunt.*
3. *Vti malæ fidei possessor præscribere rem non potest; ita potest bonæ fidei, siue dominus sciat, siue nesciat rem ad se pertinere, vel ab alio possideri.*
4. *Probabiliter tamen ignorans rem suam ab alio possideri, si ignorantiæ causam alleget, restitutionem in integrum obtinere debet.*
5. *Contra absentem, aut ignorantem, rem ab alio occupatam, & ciuilem possessionem retinentem, non currit præscriptio.*

NOtand. I. Possessor malæ fidei nullo vnquam tempore præscribit. *c. vlt. hoc. tit. & regul. 2. in 6.* vide, quæ docui *l. 3. tr. 1. de just. c. 8. n. 10.*

Not. II. Possessori malæ fidei Cæsareo jure præscriptio conceditur ob odium Domini res suas petere negligentis *l. Si quis emptionis. §. Quod si quis. C. de præscriptione.* 30. vel 40. annorum, & explicat Gratianus post *C. Placuit. 15. causa. 16. q. 3.* sed leges istæ Canonico jure abolitæ sunt, videri potest *Couar. in Reg. possessor. p. 2. §. 11.*

Porrò sicuti malæ fidei possessor præscribere non potest, siue Dominus sciat, siue nesciat rem ad se pertinere, vel ab alio possideri, vt hîc dicitur, ita vice versâ bonæ fidei possessor præscribere seu vsu capere rem potest, siue Dominus, aut is, ad quem res pertinet, sciat, siue ignoret ad se pertinere, vel ab altero possideri. *l. vlt. prope fin. juncta. gloss. ff. de præscript. longi temporis.*

Limita 1. Si probabiliter ignorans rem suam ab alio possideri, ignorantiæ causam alleget, quòd restitutionem in integrum obtinere debeat, secundùm *Abbatem. hîc. n. 3. Bart. in l. 1. §. Si quis. ff. de itinere &c.*

Limita 2. Si absens, aut ignorans rem suam

ſuam ab alio occupatam eſſe, ciuilem poſſeſſionem retineat, non procedit contra eum præſcriptio, vti docui in *cit. c. 8. n. 5.* & ſumitur ex *l. Si id 23. §. Quod autem eſt. l. Si de eo. 40. §. Si fortè. ff. de acquirenda poſſeſſione.*

Refert autem, num Dominus ſciat rem ſuam ab alio occupatam eſſe, an non ſciat; in 1. caſu ſi rem dimittat, aut recuperare negligat, breui tempore eius ciuilem poſſeſſionem, quam naturaliter perdidit, etiam ciuiliter ſeu animo deſeruiſſe cenſetur. *argumento. l. Quod meo. §. Si dum. ff. de acquirenda poſſeſſione.* ſin autem ignoret, tunc requiritur ad amittendam poſſeſſionem, tanto tempore rem à Domino negligi, vt obliuio induci poſſit, & conſequenter animus poſſidendi amiſſus ſit. Secundùm *Bart. in cit. l. Si de eo. §. Si fortè.*

CAPITVLVM VI.

Ad aures.

Paraphrasis.

Parochus nomine Eccleſiæ ſuæ vendicare voluit jus decimarum, quia agri intra fines Parochiæ conſtituti eſſent, ſed alter Parochus, qui decimas ex his agris minimùm 40. annis perceperat, præſcriptione ſe defendit, hoc caſu ait Alexand. III. huius poſſidentis meliorem eſſe conditionem, quia quadragenalis præſcriptio omnem prorſus actionem excludit.

Svmmarivm.

1. *Eccleſia contra Eccleſiam aliam non minùs quàm priuatus indiget quadraginta annis ad præſcribendum in juribus & rebus immobilibus.*
2. *Annorum 40. poſſeſſio cum bona fide præſcriptionem inducit, per quam omnis actio excluditur.*
3. *Duplex huius præſcriptionis effectus.*

1 NOtand. I. Sicuti priuatus, ita etiam Eccleſia contra aliam Eccleſiam indiget 40. annis ad præſcribendum in juribus & rebus immobilibus.

Obiicitur, quòd priuilegiatus non vtitur priuilegio contra pariter priuilegiatum, ſed vtroque in tali caſu ceſſante priuilegio, ſeruari debet jus commune, ſicuti docent DD. in *l. Sed & milites. ff. De excuſatione tutorum.*

Reſp. Ex doctrina *Bart. in Auth. quas actiones. C. de ſacroſanctis Eccleſiis*, Regulæ illi tunc locum eſſe, ſi duo in eadem cauſa pariter priuilegiati ſint, ſecus verò ſi pariter priuilegiati non ſint, quia vnus agit de damno vitando, & alter de lucro non amittendo, qua ratione ſi Eccleſia lædatur ab altera Eccleſia, in integrum conceditur læſæ reſtitutio, quia potior fauor eſt, ſeu priuilegium, ne Eccleſia damnum ferat, quàm ne alteri lucrum auferatur. *l. verum. 12. §. vlt. ff. de minoribus.*

Non item locus eſt Regulæ, ſi vnus priuilegiatus ſit in genere, alter verò ſpecialiter in cauſa, de qua agitur, hoc enim caſu ſpeciale priuilegium præfertur, vt hîc: nam Eccleſia quæ præſcribit generaliter priuilegiata eſt, non item in cauſa præſcriptionis, vt minore tempore, quàm priuatus præſcribere poſſit: at verò altera Eccleſia in hac ipſa cauſa præſcriptionis priuilegiata eſt, vt minore quàm 40. annorum tempore contra eam præſcribi nequeat.

Nota II. 40. Annorum poſſeſſio cum 2
bona fide præſcriptionem inducit, per quam omnis actio excluditur.

Hinc collige, quòd qui ita rem vſu cepit, eius jus ſiue dominium ſibi acquirat, ex quo duo effectus ſequuntur. 1. eſt, quòd tametſi poſt exactum legitimum tempus poſſeſſor cognôrit rem ad alterum pertinuiſſe, eam tamen tanquam ſuam titulo vſucapionis factam retinere, nullóque jure cogi poſſit ad reſtitutionem, quandoquidem omnis actio, conſequenter omne jus ex altera parte per legem præſcriptionis excluſum eſt.

Alter, ſi is, qui rem dicto modo vſucepit, juris errore ductus reſtituat, ratus eſſe alienam & reſtitutioni obnoxiam, quod tanquam indebitè datum repetere, & vt ſuum vindicari poſſit. Sicut docui *cit. tr. 1. de juſt. c. 8. in fine.*

Id

Id solùm monendi sumus, si jus possessori præsumptiuè resistat, ei verò, contra quem fit præscriptio assistat, vt in casu huius Capituli, tum vltra annos 40. requiri titulum coloratum, sine titulo autem præscriptionem non perfici, nisi tempore immemoriali. *c. 1. eodem tit. in 6.*

CAPITVLVM VII.

Causam.

Paraphrasis.

Controuersia erat super jure decimarum inter Archidiaconum Reginensem & G. Nobilem virum. Eam Alexand. III. commisit Parmensi Episcopo, mandans ei, vt adversùs nobilem causam decîdat, non obstante, quòd is præscriptionem temporis obijciat, aut concessionem factam à persona seu Ecclesiastica, seu sæculari; quia cùm Laici decimas possidere non possint, nulla ratione eas præscribere valent.

Svmmarivm.

1. *Ius decimarum in personam vel communitatem laicam transferri, vel alienari non potest.*
2. *Ius decimarum in titulum habens, v. g. Parochus, earum fructus percipiendos vendere, vel ad tempus vita sua elocare potest.*
3. *Prælatus Ecclesiasticus ex justa causa præcedente tractatu & consensu Capituli, decimas Laico in perpetuum feudum dare non potest. potuit ante Lateranense Concilium.*
4. *Laicus legitimo titulo decimas consecutus, an & quando alienare possit?*
5. *Ius decimarum Laicus nullo vnquam tempore præscribit.*
6. *Si tamen illud per tempus immemoriale, assistente sibi publica famâ & opinione, habuerit præsumptionem juris pro se habet ita, vt in neutro foro ad decimarum restitutionem teneatur.*

1 Not. 1. Ius decimarum in personam Laicam (idémq; sentiendum de communitate Laicorum) transferri vel alienari non potest.

2 Sed exactiùs distinguendum: vel jus decimarum possidens est Ecclesiastica persona, vel laica; Si primum, vel habet jus decimarum in titulum Beneficij, v. g. Parochus aut Capellanus Ecclesiæ, hoc casu jus decimarum secundùm se & absolutè alienare non potest, quamuis fructus percipiendos ad vnum, pluréſue annos vendere, vel ad tempus vitæ suæ locare potest, ita vt mortuo ipso beneficiario expiret locatio seu concessio, quia extincto jure dantis, extinguitur etiam jus accipientis. *l. Lex vectigalis. ff. de pignoribus.* & docui *l. 3. tract. 4. de Iust. c. 10. n. 5. & tract. 4. c. 6.* 3 Vel jus decimarum competit in proprietatem, quia nexum est Monasterio, Prælaturæ, aut Episcopatui, tunc dicendum, quòd Abbas, aliúsue Ecclesiæ Prælatus, ex justa causa, præcedente tractatu, & consensu Capituli decimas laico in feudum perpetuum dare potuerit ante Lateranense concil. sub Alexand. III. habitum anno M. C. LXXX. postea verò talis in feudum concedendi facultas, in dicto Concilio penitùs sublata fuit, vti docui *l. 4. tract. 6. c. 6. n. 4.* Verùm quæ decimæ ante Lateranense Concil. in feudum concedi solebant, eæ etiam postea à Prælatis concedi potuerunt, cùm hæc non censeatur noua alienatio secundùm *gl. in c. Perhibemus. 19. verb. Laicos de decimis. Felin. hîc n. 4.*

Si secundum, tunc certum est, quòd Laicus decimarum jus alienare non possit, 4 si illud titulo non legitimo consecutus est. *cit. c. Prohibemus.* Sin autem titulo legitimo, videlicet ex feudi concessione facta à Prælato ante Lateranense Concilium, tunc refert, quâ formâ feudum datum fuerit, num ex pacto & prouidentia, ita vt ad extraneam personam transferri non posset, an verò concessio absolutè facta sit, ita vt esset feudum liberum seu francum. ita *Felin. hîc. n. 4.*

Not. 11. Laicus jus decimarum nullo vnquam tempore præscribere potest, nam sine possessione (videlicet ciuili ac juridi-

ca) præscriptio non procedit. *Reg. 3. in 6.* Quare dici solet, quòd incapax possidendi, est incapax præscribendi, sed Laicus jus decimarum, quippe, quod spirituale est, possidere nequit: Intellige Ciuiliter ac Iuridicè, quamuis nonnunquam de facto Laici occupent, & detineant, consentit *c. 1. 16. q. 7.* & videri potest *gl. hîc. verb. Detinere.*

7 Est autem hîc exactè aduertendum, quòd in tali casu, si aliquis sit incapax possidendi jus Ecclesiasticum absque legitima concessione facta à Prælato Ecclesiæ, temporis etiam immemorialis decursus, quamuis ignorantia inculpata, & bona fides coniuncta sit, non faciet illum possidere, aut præscribere. & hoc est, quod docent *Ioann. Monach. in c. 2. n. 5. de præbend. in 6. Ioann. Andr. ibid. n. 7.* Quòd autem Laicus ex sola immemoriali possessione jus spirituale, v.g. decimarum acquirere nunquam possit, ita probatur. Vel enim ipsi verè & legitimè facta est concessio auctoritate Prælati, & tunc non acquirit per præscriptionem, cùm acquisierit per priuilegium, titulum, seu concessionem; vel non est facta concessio legitima, tunc non possidet ciuiliter ac juridicè, tametsi fortassè fama sit, aut publicus & inculpatus error de facta concessione: nam sicut erronea persuasio non facit verum titulum, ita nec veram, nec juridicam possessionẽ, si ea ex juris dispositione absque vero titulo, seu causa competere non possit.

8 Verumtamen si Laicus jus decimarum, vel aliud simile, quod ex Ecclesiastici Prælati concessione obtineri à Laico potest & solet, per tempus immemoriale, assistente sibi publicâ famâ & opinione, habuerit, tanquam sibi legitimè competat, tunc ex temporis huius diuturnitate habet præsumptionem juris pro se, ita vt ad decimarum restitutionem neque in externo, neque in interno conscientiæ foro obligari possit secundùm doctrinam. *Alex. hîc. n. 8. Felin. in c. Cùm ex iffic. n. 13. hoc tit.* Imò si spoliatus sit, restitui debet, prout docet *Couarr. l. 1. resolut. c. 17. n. 6.*

Quod verò *Suar. t. 1. de Relig. tract. 2. l. 1. de decim. c. 27.* & alij communiter docent, requiri communem famam & opinionem in populo factæ legitimæ concessionis ab Ecclesiastico Prælato, id non ita intelligendum arbitror, vt in specie fama, siue traditio sit, quonam pacto, & à quo, aut quando decimarum concessio facta fuerit, cùm talis memoria ob temporis diuturnitatem aboleatur, sed sufficit, si à tempore immemorialî constans fama & persuasio fuerit, decimas ad Laicum de jure pertinuisse, quamuis in particulari nesciatur, quomodo, quando, vel à quo ad ipsum peruenerit, idque dico ad succurrendum multorum Laicorum conscientiis, qui decimas à maioribus suis per antiquissima tempora acceperunt, & ideò adduci se non sinunt, vt restituant; interdum verò restituere non possunt, quia tantùm per modum hypothecæ, seu anticryseos possident, aut quia decimæ fideicommissi aut feudi vinculo vnà cum dominio, cui adhærent, adstrictæ sunt; consultum tamen est, vt partem aliquam abundantium reddituum suápte naturâ ex speciali titulo prouenientium in pauperes & alias pias causas expendant, præsertim cùm non desit magna suspicio, decimas ad Laicos detentores frequenter peruenisse illegitimè, prout docui *l. 4. tract. 6. c. 6. n. 13.*

CAPITULUM VIII.

Illud autem.

PARAPHRASIS.

In antiquis Canonibus *cap. 1. & 2. cap Quicunq; 4. 16. q. 3.* reperitur annis 30. possessiones, & jura Ecclesiarum aduersùs eas præscribi posse, sed Ecclesia Romana minorem, quàm 40. annorum præscriptionem non admittit, & idem procedit, si Ecclesia contra Ecclesiam præscribere velit, quòd 40. annorum continuatam possessionem ostendere debeat; sin autem possessionis interruptionem, aut vsucapionis factam esse objiciatur, tunc ab vtraque parte testes recipi debent, & si interruptio facta fuerit, præscriptio non obtinebit.

SVM-

SVMMARIVM.

1. *Contra Ecclesiam tam à priuato, quàm ab Ecclesiæ circa bona immobilia & jura non præscribitur, nisi 40. annis, circa mobilia triennio.*
2. *Si simul ad Laicum & Ecclesiam jus quoddam pertineat diuisibile, contra priuatum, breuiori tempore præscribitur, quàm contra Ecclesiam, secus est, si jus sit indiuisibile.*
3. *Interruptio præscriptionis alia est ciuilis, alia naturalis. Quis vtriusque effectus.*

1 NOT. I. Contra Ecclesiam siue à priuato ciue ab Ecclesia non præscribitur tempore minore quàm annis 40. id verò intellige circa omnia bona immobilia, & jura, at verò circa mobilia Ecclesiæ bona absolvitur adversùs eam præscriptio triennio, sicuti contra privatum, vti docui *l. 3. tract. 1. de Iust. c. 8. n. 13.*

2 Addendum hîc, si ad Laicum vnâ cum Ecclesiâ jus aliquod pertineat, distinguendum est, num illud divisibile sit, tunc breviori tempore contra privatum, quàm contra Ecclesiam præscriptio conficietur. *Arg. l. 1. C. si in communi &c.* exempli causa: si Ecclesiæ & privato civi jus competat in alieno prato pascendi pecora, vel agendi currus, & decem annis non vtatur eo civis, per viam præscriptionis spatio decennii excludi potest, vti docui *sit. tract. 1. c. 9. dicto 3.* Ecclesia autem non nisi post annos 40. jure suo privabitur propter omissionem. At verò si jus, seu servitus indivisibilis sit, tunc privatus propter communionem cum Ecclesia eodem 40. annorum tempore gaudebit *juxta l. 9. ff.* quemadmodum servitus amittatur, si communem fundum ego & pupillus haberemus, licet vterque non vteretur, tamen propter pupillum (contra quē in pupillari ætate præscriptio non procedit) & ego viam retineo; vbi *gl. marginalis* ait, quòd privilegium vnius consortis prodest alteri non privilegiato in re indivisibili, quemadmodum hoc ipsum cernere est in jure patronatûs pertinente simul ad Ecclesiam & Patronum laicum, quòd huic propter communionem cum Ecclesia sex menses ad præsentandum concedantur, secundùm *Gl. receptam. in c. vn. verb. Ecclesiasticus. de jure Patronatûs. in 6.*

Not. II. Præscriptio semel legitimè cepta quandoque interrumpitur. Est autem 3
duplex præscriptionis interruptio, secundùm *Gl. receptam. hîc. verb. Interruptio, naturalis & ciuilis.* Naturaliter interrumpitur præscriptio, si possessio, eáque civilis amittatur per spoliationem, idque locum habet tum in rebus corporalibus, tum in incorporalibus, seu juribus, vt si sim in possessione eligendi, aut præsentandi, & vel vna vice repulsus discedā, ex eo tempore amitto possessionem Iuris, consequenter interrupta est præscriptio, vt postea de novo inchoare necessarium sit. Præterea interrumpitur præscriptio naturaliter, si bona fides amittatur, quia rei alienæ scientia interuenit: nam hæc duo, possessio & bona fides necessariò requiruntur ad vsucapionis progressum, ergo si vnum cesset, cursus vsucapionis interrumpitur. videri potest *Alex. hîc. n. 21.*

Ciuiliter interrumpitur præscriptio ex Iuris dispositione, per actum aliquem interpositum videlicet motæ litis super re ab altero possessa, sed distinguendum inter præscriptionem triennalem, & quæ longi, aut longissimi 30. vel 40. annorum temporis est. Illa per litis contestationem non interrumpitur, sed continuatur, ita tamen, vt si, quamuis post lapsum interea triennium adversùs possessorem sententia lata sit, res possessa restitui debeat, non habita ratione vsucapionis. *l. 2. §. vlt. ff. Pro emptore.* & docet *Abbas hîc. n. 4. Couarr. Reg. possessor. p. 2. §. 12. n. 4. Molin. tract. 2. de Iust. D. 78. n. 12.* Nam hæc triennalis possessio valdè fauorabilis est, & duntaxat in fauorem possidentis introducta, at verò præscriptio temporis longi (idémque sentiendum de tempore longissimo) videlicet 10. annorum inter præsentes, & 20. inter absentes circa rem immobilem cum titulo colorato, per litis contestationem coram Iudice competente, interrumpitur. *l. More. 26 c. De rei*

vindicatione. Et dici solet talis præscriptio introducta partim in fauorem possidentis, partim in odium jus suum recuperare negligentis, vti videre licet apud *Gratian. in c. Placuit. 15. 16. q. 3.* Opus tamen est sententiam postea ferri aduersus possessorem ad hoc, vt per litis contestationem præscriptio interrupta censeatur, *Arg. l. Euidenter. 16. ff. de except. rei judicata*, & docet *Molin. n. 14.*

CAPITVLVM IX.

Quia.

PARAPHRASIS.

Inter duos Abbates controuersia erat circa fines agrorum; ea propter Alex. III. jussit eam agrimensoris definitione terminari, & hoc ipso c. mandat delegatis suis, vt ad loca, de quibus est contentio, accedant, vt in præsentia sua controuersiam secundùm jura sua faciant finiri exceptione præscriptionis 40. annorum vtrique parti reseruata.

SVMMARIVM.

1. *In controuersia circa fines agrorum adhibendus agrimensor, & juxta eius pronuntiatum illa definienda.*
2. *Agrimensore malè pronuntiante, quod remedium læso competat.*
3. *Aduersùs agrimensorem non competit actio locati, licet aliquid remunerationis causa acceperit.*
4. *Idem est de Notario, Aduocato, Medico, Iurisperito & similibus, qui itidem non obligantur ex culpa ciuili, etsi pro opera præstita honorarium acceperint. Si tamen hi ob imperitiam læserunt partem, actione in factum tenentur ad præstandum interesse.*
5. *Exceptio præscriptionis, si difficultatem habet, differri potest post litis contestationem, vt examinetur.*

1 NOt. I. Si lis de finibus agrorum oriatur, agrimensor in partium, vel, si opus sit, etiam Iudicis præsentia adhibendus est, & secundùm huius pronuntiatum causa definiri debet. Vide, quæ dixi in *c. 3. & 4. De probat.*

2 Quæritur. Si agrimensor malè pronuntiauit, quodnam remedium competit ei, qui læsus est? R. De hoc videndam esse *l. 1. & seqq. ff. Si mensor falsum modum dixerit*, videlicet, contra mensorem agi posse actione in factũ ad præstandum id, quatenus interest actoris, quòd mensor falsò pronuntiauit, dummodò is dolosè egerit, vel in culpa lata, quæ dolo æquiparatur, fuisse deprehendatur; sed de alia culpa, seu negligentia sua non tenetur, cùm aduersùs eum actio locati non competat, tametsi aliquid remunerationis causâ acceperit; cùm enim singularis industria hominis interueniat, id, quod datur, non operis mercedem, sed honorarium pro beneficio præstito veteres appellârunt. Quamobrem licet actio ista 3 contra mensorem hæredi, aut successori concedatur, non tamen aduersùs hæredem mensoris, cùm quodammodò pœnalis, adeóque personæ inhærens, non rei persecutoria sit. *l. 3. §. Hanc actionem. ff. eodem.*

Idémque pari ratione dicendum est, de Notario, Advocato, Medico, Jurisperito & similibus personis, quòd non obligentur ex culpa ciuili, tametsi pro beneficio præstito honorarium accipiunt, vti colligitur *ex l. vlt. C. de Magistratibus conueniendis.* Quare quod dicere solent DD. si Medicus, Iurisperitus, aut Confessarius, mercedem accipiat pro opera præstita, quòd transeat contractus in locationem, id non propriè dicitur, sed de quasi locatione accipi debet, vti hic *Abb. notauit. n. 3. cum Bart. in cit. l. 1.* & sumitur *ex l. 1. ff. de variis & extraordinariis cognitionibus. iuncta Gl.* vbi dicitur, quòd Iudicis implorato officio extra ordinem mercedes ac salaria petantur. Vide, quæ docui *l. 3. tr. 4. de Iust c. 7. ass. 4.* & quod Dynus & alij docent *in regul. 19. in 6.* non est sine culpa (intellige latam, quæ dolo, juris præsumptione, æquiparatur) qui rei, quæ ad se non pertinet, se immiscet, quod videlicet Notarij, Medici, Iurisperiti & similes, qui se peritos in arte profitentur, cùm non sint, si ob imperitiam læse-

læserunt partem, quacum quasi contraxerunt, actione in factum teneantur ad præstandum interesse, sicuti hoc ipsum de Iudice traditur *instit. de obligationibus ex quasi delicto, principio.*

Not. II. Exceptio præscriptionis, quæ numerari debet inter exceptiones litis finitæ, si difficultatem & intricationem habere videatur, post litis contestationem differri potest, vt examinetur, ita sumitur ex hoc cap. & indicat *Alex. n. 10.* & docui *in c. 1. de litis contest. in 6.*

CAPITVLVM X.

Ex transmissa.

Paraphrasis.

Erat Ecclesia matrix de Camenone pertinens jure proprietatis, seu incorporationis ad Monasterium Habennense. Ea Ecclesia alias Ecclesias filiales, seu Capellas sibi subiectas habebat, ita, vt Parochiani harum ad decimas, & alias oblationes matrici Ecclesiæ, spectato jure communi, obligarentur, sed Clerici earundem filialium paulatim omne jus parochiale præter jus funerandi matrici Ecclesiæ subtraxerunt: de hac re consultus Lucius III. mandat, vt decimæ, oblationes, & aliæ obventiones (non obstante vsucapione, quæ tempore hostilitatis processit) dictæ Ecclesiæ matrici restituantur.

Svmmarivm.

1. *Decimæ prædiales, oblationes, quæ obveniunt ex Ecclesia filiali, & jus funerandi, de jure communi debentur Ecclesiæ matrici.*
2. *Tempore hostilitatis præscriptio non currit.*
3. *Idem est si ob pestilentiam jus non dicatur, vel aliud impedimentum juris intrinsecum.*
4. *Impedito agere de jure, non currit præscriptio, impedito autem de facto currit: restituendus tamen est, si justum fuit impedimentum.*

Not. I. Decimæ prædiales, & oblationes, quæ proveniunt in Ecclesia filiali, itémque funerandi, spectato communi jure, pertinent ad Ecclesiam Parochialem matricem, ita tamen, vt Sacerdoti & Clericis, qui filiali præsunt, congrua sustentatio provideatur. *c. Ad audientiam. 3. de Ecclesiis ædificandis.*

Not. II. Tempore hostilitatis, cùm ob hostium incursus jus non dicitur, quia homines aliò diffugerunt, præscriptio non currit, sed quiescit ac veluti dormit, postea iterum progressura, cùm impedimentum, quo minùs actio institui potuerit, sublatum fuerit, ita, vt tempus illud, quo præscriptionis cursus cessauit, inde subtrahendum sit, *cap. Auditis. 15. hoc tit.* & docet *Innoc. hic. n. 1.* & explicaui *l. 3. tr. 1. de Iust. c. 8. n. 19.* 2

Idem verò dici debet in casu omninò simili, videlicet si ob pestilentiam jus non dicatur, neque verò refert, quod id jure expressum non reperiatur, quia non omnes casus legibus comprehendi possunt, sed cùm vnus pro facti relatione ac specie decisus fuit, ad alios similes decisio ob identitatem rationis extendi debet, *l. Non possunt. 12. ff. de legibus. & not. Bartol. in l. Naturaliter. 23. ff. de vsucapionibus.* 3

Loquor autem de impedimentō juris, quod est intrinsecum, quia vel judicia non aguntur, vel Ecclesia vacat, aut defensore destituitur, aut pupillus in ætate pupillari, vxor constante matrimonio pro bonis dotalibus, & filius pro bonis adventitiis agere prohibetur; aliud verò est impedimentum facti & extrinsecum, si quis spectato jure agere possit, sed extrinseca causa. v. g. necessariæ absentiæ ob Rempub. impeditur; hoc casu præscriptio currit & perficitur; sed conceditur beneficium restitutionis in integrū. Vti docui *in cit. c. 8. n. 22.* Quare Regulam collige ex *Felin. hîc. n. 8.* impedito agere de jure non currit præscriptio, sed impedito agere de facto currit, quamvis restituendus sit, si impedimentum justum fuit. 4

CAPITVLVM XI.

Accedentes.

Paraphrasis.

Præpositus S. Nazarij & Canonicus S. Stephani

phani tanquam Procuratores seu Syndici primarij, & Clerici Mediolanens. questi sunt, de Canonicis ordinariis seu Ecclesiæ Cathedralis, quòd Legatis & Nuntiis Rom. Sedis procurationes dare nolint, ex quo & ipsi & alij Clerici magis grauantur, dum maius expensarum subsidium ministrare debent. Hoc intellecto Innoc. III. considerans id, quod omnibus incumbit, ab omnibus comportari oportere, mandat Abbati cuidam, vt Canonicos, nisi se ostendant immunes à procurationibus, vi priuilegij Apostolici, ad procurationis sarcinam ordine debito præstandam compellat, non obstante quòd tempore longissimo procurationis obsequium non impenderint, cùm in talibus præscriptio locũ habere non possit.

SVMMARIVM.

1. *Clerus ciuitatis vel oppidi, licet vnum Rectorem non habeant, possunt tamen Collegium seu Vniuersitatem in causis sibi communibus, & in his sibi constituere Procuratorem seu Syndicum.*
2. *Tributa censiua, & alia communia onera, iuxta facultatum proportionem, ab omnibus quorum interest, præstanda.*
3. *Contra procurationes quæ legatis Apostolicis debentur, præscribi non potest.*
4. *Declaratur & limitatur.*
5. *Contra procurationes per tempus immemoriale, vel 40. annos cum titulo indirectè præscribi potest.*

1 NOt. I. Clerus alicuius ciuitatis aut oppidi, licet non habeant Rectorẽ, vnum tamen possunt facere Collegium seu vniuersitatem in causis, quæ ipsis communiter incumbunt, & in his constituere Procuratorem seu Syndicum. Ita *Abb. hîc not. n. 3. Felin. n. 1. post Innoc. III. in cap. Dilecta. 14.* de excessibus Prælatorum, vbi ait, quòd tales Clerici possint inter se instituere Collegium seu fraternitatem causâ Religionis. v. g. pro Missis legendis. *argumento. l. 1. ff. de Collegiis illicitis.*

2 Not. II, Conueniens est vt tributa, & census & similia onera ordine debito. videlicet secundùm facultatum proportionem præstentur ab omnibus, quorum interest, seu qui in eadem causa sunt, ne, dum aliqui immunes esse volunt, alij plus justo grauentur.

3 Not. III. Contra procurationes, quæ Legatis Apostolicis debentur, præscribi non potest.

Sed contra: quidquid priuilegio acquiri potest, id etiam per consuetudinem, aut præscriptionem saltem immemorialem acquiri potest; atqui immunitas à procurationibus priuilegio acquiri potest, vti dicitur in text. ergo &c.

Variæ sunt Respon. Canonistarum hîc & *in c. Cùm instantia. 17. de censibus.*

4 Respondeo & dico 1. Directè contra Procurationes, ita, vt Apostolicis Legatis nõ soluantur, cum eorundem præiudicio, præscribi nunquam potest. Ita *Bald. apud Alex. hîc n. 18.* Quòd contra procurationem præscribi non potest, quia debetur propter honorem Sedis Apostolicæ. Alia verò ratio est de priuilegio: nam priuilegium concessum à Papa reuocari potest, at verò præscriptio tribuit jus adversùs eum, erga quem præscribitur; quare procedere non potest adversùs supremam potestatem, seu plenitudinem potestatis papalis, quam habet Papa in Ecclesiasticis beneficiis.

Nec obstat quòd *l. 3. tr. 3. de just. p. 1. c. 3. n. 5.* dixi, subditum tempore immemoriali præscribere posse immunitatem à tributis Principi suo præstandis, non obstante *l. 6. Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum.* Est enim discrimen inter Imperatorem, aliúmve sæcularem Principem & Papam, quia Princeps sæcularis sicuti absolutè aliquem eximere potest à jurisdictione sua, sic etiam limitatè tribuendo immunitatem à tributis, ita quidem, vt concessio transeat in contractum & reuocari non possit; at verò Papa sicuti nullum fidelem ab obedientia & subiectione eximere potest, ita specialiter Clericis seu Beneficiariis concedere non potest absolutam exemptionem, & immunitatem quoad Ecclesiastica beneficia, quominùs in signum plenitudinis potestatis, quam semper

per retinet, aliquid exigere queat. Videri potest *Felin. c. Cum nobis. 14. n. 24. h. tit.*

Ex quo etiam patet ratio ad obiectionem; negamus enim, quòd Pontifex tale priuilegium exemptionis dare possit, quo jus acquiratur contra Papam, sicuti per præscriptionem acquiritur.

5 Dico 2. Contra procurationes eiusmodi per tempus immemoriale, vel 40. annos cum titulo præscribi potest indirectè. Ita videlicet, vt Legatis totum, quod necessarium est, proveniat, sed aliqui Clerici à præstatione immunes sint; alij autem tantò plus grauentur, atque ita in effectum præscriptio tendat contra alios Clericos beneficiarios. ita *Ioan. de Lignano*, quem hîc sequitur *Antonius*, & alij apud *Alex. n. 18.* quia nulla ratio afferri potest, cur talis præscriptio contra vnam partẽ Cleri procedere non possit.

Nec obstat *text. c. huius*, cùm enim in jure dicitur, præscriptionem etiam temporis longissimi non procedere, non comprehendi debet centenaria, vel immemorialis, dummodò capacitas sit in præscribente, vti optimè docuit *Bald. in l. Omnes. n. 6. & 7. C. de præscript. 30. & 40. annorum. Felin. in rubr. huius tit. n. 18. ipsemet Abb. in c. vlt. hoc tit.* & simile est, quod docui *in l. 1. tr. 4. c. vlt. n. 7. §. Imò verò.*

Sed limitari debet assertio, nisi onus siue grauamen ita in aliquos paucos, aut pauperes Clericos reijciatur, vt ipsis portabile non sit, cùm id charitati repugnet, & rectæ rationi, ideóque per præscriptionem introduci nequit, quemadmodum nec per priuilegiũ talis exemptio quorundam, cum graui aliorum detrimento, grauamine, aut scandalo juncta à Principe concedi solet, aut potest *cap. Suggestum. 9. de decimis. & l. 2. C. De precibus Imp. offerendis.* Sin autem exemptionis priuilegium aliquibus inferior magistratus conferat, tunc non debent exinde alii plus grauari, sed in eximentis detrimentum id cedere oportet, præterquam si justa causa subsit, vt quia DD. pro Repub. laborantes ratione dignitatis, aut meritorum eximuntur, *Alex. hîc n. 35. Felin. n. 7.*

CAPITULUM XII.

Cùm non liceat.

Paraphrasis.

Archiepiscopus Bracharensis questus est de quibusdam Prioribus, quorum Ecclesiæ in diœcesi eius sitæ erant, quòd obedientiam præstare contumaciter recusent, hoc intellecto admiratus est Pontifex, cùm non liceat membris à capite recedere; quare mandat illis Prioribus, vt non obstante præscriptione temporis, obedientiam ac reuerentiam Bracharensi Episcopo ac Ecclesiæ eius, sicuti alij Clerici diœcesis impendant.

Svmmarivm.

1. *Non tantùm Canonici Cathedrales, sed etiam alij Prælati, imo omnes Diœcesani cum Episcopo particularis Ecclesiæ corpus constituunt.*
2. *Clerici inferiores non tantùm Episcopo, sed accessoriè etiam Cathedrali Capitulo obedientiam & reuerentiam exhibere debent.*
3. *Subditus contra Prælati obedientiam & reverentiam ipsi debitam præscribere non potest.*
4. *Ecclesia præscribere potest contra vnum Episcopum, vel Archiepiscopum, ita vt non ipsi, sed alteri Episcopo, vel Archiepiscopo subijciatur.*
5. *Tota communitas, Provincia aut regnum potest præscribere contra jurisdictionem Imperatoris, non autem priuatus præscribere potest immunitatem seu exemptionem exclusiuè, ita vt nemini in temporalibus subsit.*

NOt. 1. Licet principaliter ac proximiùs Canonici Cathedrales censeantur esse 1
cum Episcopo connexi, tanquam membra cum capite. *c. Noui. 4. de his, quæ fiunt à Prælatis*, tamen etiam reliqui Prælati diœcesis, tanquam membra cum Episcopo vt capite vnum corpus constituunt, imò verò ampliore significatione omnes Diœcesani cum Episcopo particularis Ecclesiæ corpus faciunt, quem-

quemadmodum omnes, qui vbique sunt fideles cum summo Pontifice Ecclesiam universalem. *c. Significâsti. 4. in fine de electione.*

Not. II. Clerici inferiores non tantùm
2 Episcopo, sed accessoriè etiam Cathedrali Capitulo obedientiam & reverentiam exhibere debent. Ita sumitur ex *text. & c. Cùm Clerici. 29. iuncta Gl. verb. principaliter, de verbor. signif.* Ratio petitur ex communione, quæ est inter Episcopum & Capitulum Cathedrale. Ex quo fit, vt qui in spiritualibus Episcopo subiectus sit, quodammodò etiam Capitulo se subiectum fateri debeat, sicuti qui viro tanquam Domino obedientiam & reverentiam profitetur, quodammodò etiam vxori debet, de Capitulo loquor, non de singulis Canonicis, quia non singuli, sed Capitulum publicum officium gerit. vti ait *Innoc. 6. Cùm dilectus. num. 5. de* consuetudine.

Not. III. Qui fatetur se subditum esse
3 Prælato, non potest præscribere contra obedientiam & reverentiam ipsi debitam. Ita intellexit hoc Capitulum Innoc. & sumitur ex Rubrica Capituli, quòd subditus non præscribat obedientiam contra Prælatum, Quia ad vsucapionem requiritur possessio, dum autem aliquis pro subdito se gerit, non est in possessione immunitatis seu exemptionis, ergo contra eam non præscribit quæ potestati gubernatrici intrinseca est, videlicet quominùs superiori obedire, eique reverentiam exhibere teneamur.

Cæterùm, si Ecclesia aliqua intra diœcesin posita à tempore immemoriali sit in possessione exemptionis cum bona fide, per tempus immemoriale præscribere potest, licet nullum exemptionis priuilegium exhiberi queat. *c. Cùm olim. 14. de priuilegiis. cap. Cùm personæ. 7. eodem tit. in 6.*

Aliam explicationem adferunt hîc *Gloss. vlt. Abb. n. 13. Alex. n. 69.* Quòd subditus nũquam possit exemptionem ab obedientia & subiectione præscribere excluſiuè, possit tamen translatiuè. Sed arbitror ita dicendum esse 1. Certum est, quòd nemo se ab obedientia Episcopi per vim præscriptionis eximere possit, ita vt nec Papæ sit subiectus; quemadmodum si Ecclesia intra diœcesin constituta dicat sese exemptam ab Episcopo, & consequenter immediatè subiectam Sedi Romanæ; principaliter agitur de jure Rom. Pontif. de quo minimè dubitatur, quin is contra Ecclesiam inferiorem. v.g. Cathedralem præscribere possit. 2. Certum est, 4
quòd Ecclesia præscribere possit contra vnum Episcopum, aut Archiepiscopum, ita, vt non ipsi, sed alteri Episcopo vel Archiepiscopo subijciatur, quæ dicitur præscriptio exemptionis translatiua, & ita docet *Glossa in cap. Auditis. 15. h. tit.* & habetur expressè *in cap. Cùm ex officiis. 16. hoc tit.*

Difficultas verò est: Num aliqui contra Imperatoris jurisdictionẽ præscribere possint, ita vt omnimodè exempti sint. Negat *Abb. hîc n. 16.* vbi addit, quòd nec Imperator possit concedere priuilegium omnimodæ exemptionis, quia hoc esset lacerare Imperium. Veruntamen tametsi hoc concedatur, non sequitur tamen, quòd præscriptio locum non habeat, nam etiam Prælatus Ecclesiæ suæ jura & bona eius donare, remittere, & arbitratu suo alienare non potest. Sicuti nec Rex jura Coronæ regni. *c. Intellecto. 33. De jureiur.* & tamen per præscriptionem talia jura alienari, seu perdi possunt propter negligentiam & taciturnitatẽ Prælati. Quemadmodum *Bart. in l. Hostes. n. 6.* 5
ff. de captiuis, & alij apud *Felin. n. 4.* dicunt, quòd tota communitas, prouincia, aut regnum cum scientia aut patientia Imperatoris omnino se per temporis immemorialis decursum eximere potest. *Sin autem loquimur* de priuatis quibuslibet, tunc rectè dicitur, quòd non possint præscribere immunitatem seu exemptionem excluſiuè, ita vt nemini in temporalibus subsint, sed sint acephali, quandoquidem id gentium juri repugnat, secundùm quod Respub. ac societates hominum, &, quæ inde manat, potestas gubernandi instituta est: possunt tamen priuati præscribere immunitatem translatiuè, ita vt alteri Domino, vel Regi subijciantur: quo casu etiam ipsis, saltem secundariò acquiritur jus aliquod, pro quo in judicio agere possunt, quandoquidem ipsorum interest,

vt non

vt non avellantur à Domino, cui temporis diuturnitate paruerunt, sicuti hîc notat *Abb. num. 15.*

CAPITVLVM XIII.

Ad audientiam.

Paraphrasis.

Controuersia erat inter virum Nobilem Matafelonem & Castellanum siue Dominũ de castro Palatioli. Nobilis dicebat, ex eo castro sibi deberi annuos 40. solidos denariorum Papiensium loco ac nomine Ecclesiæ Romanæ; Insuper etiam procurationes, seu victualia, jus edicti ac banni; itémque jurisdictionem forensem, & omnia jura, quæ Ecclesiæ Romanæ in omni loco competunt. Verùm, hæc Nobili debita esse, Castellanus constanter negauit, quamobrem Nobilis ad probandam intentionem, produxit priuilegium Alexand. III. & librum censualem Rom. Ecclesiæ, insuper & testes, qui dicebant se vidisse dictum censum Nuntiis sedis Apostolicæ solutum fuisse. Ad hæc Castellan. respondit, quòd priuilegio suo Nobilis vsus non fuerit annis 30. & liber censualis suspectus sit, quia non in Camera Apostolica adseruatus erat, atque scriniarius seu tabellio aliter dicta testiũ scripserit, quàm illi deposuerunt.

His relatis Innoc. III. ait, se pluris facere priuilegium, quàm testium depositiones; librum verò censualem pro suspecto non esse habendum, licet non in Apostolicæ sedis, sed in Cardinalis S. Adriani Camera inuentus sit, qui eum ex Camera S. Petri accepit, neque existimandum esse, scriniarium qui juratus est officium suum fideliter exequi, aliud scripsisse, quàm testes deponerent; denique ait, id maximè esse perpendendum, quòd negotium hoc principaliter pertineat ad Ecclesiam Romanam, contra quam non nisi centenaria præscriptio currit. Ob hæc itaque Pontifex ad solutionem censûs & alia omnia, quæ petita erant, condemnauit Castellanum, iniungens ei, non intuitu suæ personæ, sed Ecclesiæ Romanæ, cuius nomine & auctoritate ille præcipere debet, quippe eiusdem Vasallus existens, ea absque cunctatione persoluat.

Svmmarivm.

1. *Vt libro censuali antiquo credatur, debet asseruari in loco non suspecto, scilicet apud publicum & juratum officialem.*
2. *Notario publico & jurato fides habenda est.*
3. *Publicis actis ab eo in judicio scriptis absque testium subscriptione plena fides habetur.*
4. *An plus credendum actis & scripturæ Notarii, quàm testi neganti se hæc dixisse.*
5. *Per scripturas authenticas facilius probatur census, quàm per testes.*
6. *Contra Ecclesiam Romanam & habentem jus ab ea, non præscribitur ante 100. annos.*
7. *Limitatur doctrina hæc, si inter duas Ecclesias controuersia sit de subiectione.*
8. *An extraneus jus feudi præscribere possit contra vasallum, vel etiam ipsum Dominum.*

NOT. I. Ad hoc vt libro censuali antiquo fides habeatur, requiritur, vt in loco non suspecto asseruetur, videlicet, apud publicum & juratum officialem. Vide *Felin. hîc. n. 13.* & quæ docui in *c. Cùm causam. 13. de probationibus.* 1

Not. II. Notario publico & jurato ratione sui officii, fides habenda est, vt docui in *c. Quoniam. 11. notand. 1. de probationibus.* & generatim, quòd alicui ratione officii maior fides habeatur, tradit *Menoch. l. 2. arbitr. casu. 99. n. 4.*

Est verò id speciale in Notario, quòd publicis actis ab eo in judicio scriptis, absque testium subscriptione plena fides habenda sit, vt docent DD. *l. In donationibus. 31. C. de donationibus gloss. in l. Si quis. 21. verb. auctorem. C. ad. l. Corneliam de falsis.* & notauit. *hîc. Innoc. n. 1. & Andr. n. 5.*

Num verò plus credendum sit actis seu scripturæ Notarii, quàm testi neganti se hæc dixisse, tractat Speculator. *l. 1. p. 4. tit. de test.*

§. 1. n. 48. vbi respondet & Alex. hîc, & dicunt. 1. Si Notarius scripsit præsente Judice, scripturæ magis esse credendum, quàm testibus negantibus. 2. Tametsi Judice absente scripserit, magis ei credendum esse, si bonæ famæ sit, quàm testibus etiam pluribus negantibus, eò quòd testes, cùm seorsim deposuerint, singulares sint. 3. Ait Alex. Si vna cum Notario aliæ personæ interfuerint, v.g. vnus, vel plures examinatores & hi concordent cum teste negante, plus ipsis credendum, quàm scriptioni Notarii, quamuis certa de his regula tradi non possit, sed Judex ex circumstantiis causæ (& num ciuiliter, an criminaliter agatur) & personarum arbitrari debeat.

5 Not. III. Per scripturas authenticas facilius probatur census, quàm per testes, ita *Ioann. Andr. n. 2.* & benè declarat *Alexand. n. 26.* quia testes plerunque tantùm deponunt de facto, videlicet solutionem factam esse, ignorantes ex qua causa, de quo dicetur. *c. Peruenit. 5. de censibus.* at verò ex libro censuali apparet solutionem censûs debitam esse, idcóque efficaciùs probat intentionem petitoris & magis adhuc priuilegium à Papa concessum, si in eo dispositiuè seu fundando intentionem dispositionis, dicatur, jus aliquod ad Romanam Ecclesiam pertinere, tum id plenè probat propter Pontificiæ dignitatis auctoritatem. *c. Si Papa. 19 de priuileg. in 6.* Id in proposito casu videre est, nam Alexand. Papa Nobilem tanquam Vasallum per priuilegium inuestierat super censu, & aliis juribus; proprietate ad Ecclesiam Rom. pertinente. Ergo huic tenori, siue contentis priuilegii fides habenda est, cùm in eo fundetur Papæ intentio, dispositio, seu concessio priuilegii.

6 Not. IV. Contra jura Rom. Ecclesiæ non perficitur præscriptio ante 100. annos, & potest hoc priuilegiũ centenariæ præscriptionis etiam alteri in consequentiã prodesse, quatenus jus habet à Rom. Ecclesia, sicuti hîc apparet, quia licet per annos 30. Nobilis feudatarius concesso sibi jure vsus non fuerit, ac proinde quatenus erat ex ipsius parte præscriptum fuerit, tamen propter prærogatiuam Sedis Apostolicæ Nobili causa adiudicata fuit, & idem sumitur ex *c. Cùm dilecta. 4. de confirmatione* vtili, & docet *hîc Innoc. in fine. Abbas n. 12.*

Interim tamen fateri debemus, si inter 7
duas Ecclesias controuersia sit de jure subjectionis, causam adiudicandam esse ei, quæ 40. annorum possessione se defendit, ita tamen, vt jus integrum & illæsum remaneat Sedi Apostolicæ, si postea appareat Ecclesiam immediatè ipsi subiectam fuisse, ita vt nihilominus ante 100. annorum decursum Ecclesiam sibi vendicare nequeat, *c. 2. de Capell. Monach. juncta. Gloss. verb. generetur.*

Disputant hîc, cum *gl.* verb *principaliter.* 8
num extraneus jus feudi præscribere possit cõtra Vasallum, vel etiam ipsum Dominum.

Resp. & Dico 1. Extraneus contra Vasallum jus feudi, vel dominium vtile 30. vel 40. annis præscribere potest, siue Dominus feudi sciat, siue ignoret, si videlicet Titio & hæredibus eius à Principe prædium cum juribus suis in feudum datum sit, sed Caius bona fide per tempus longissimum pro Vasallo se gerat, præstans ea, quæ Vasalli jure debet, aut potest, excludit Titium à jure feudi ita *gloss. cit. Abbas hîc. n. 14. Felin. n. 14.* & alii apud *Rosenthal. de feudis. c. 3. const. 97. l. 8.* vbi testatur, id specialiter in feudis esse receptum, vt breuiori, quàm 40. annorum tempore non præscribatur.

Dico 2. Extraneus contra Dominum jus feudi seu vtile dominium præscribere potest 30. vel 40. annis, si is sciat, sed contra ignorantem opus est tempore immemoriali. Prior pars est communis apud *Abbat. hîc. n. 19. Alex. n. 48. Rosenthal. l. c. in Comment. lit. L.* Posterior pars à plerisque recepta est, vti videre licet apud *Clarum. l. 4. sententiarum. §. feudum. q. 45. n. 2. Rosenthal. lit. G.* & sumitur ex *l. 1. feudorum tit. de Capitulis Conradi.* vbi dicitur, quòd liceat Dominis omnes alienationes feudi (ipsis ignorantibus) factas, nulla obstante præscriptione renouare; in eiusmodi autem generali præscriptionis prohibitione non censetur comprehensa immemorialis; item quæ 100. est

annorum, vt supra dixi. Cæterùm tali casu, quòd contra Vasallum annis 30. præscriptum est, si Dominus recuperet feudũ absque consensu suo alienatum, non tenetur restituere Vasallo, vel hæredibus eius, quia ob negligentiam id non merentur, sicuti docet *Rosenthal. lit. Q.*

Dico 3. Si extraneus, in quem facta est alienatio, aut translatio possessionis feudi, rem tanquam non feudalem, sed allodialem possideat cum bona fide annis 30. vsucapit directum Dominium aduersùs Dominum ita *Alex. hîc. n. 53.* Veruntamen ob justam ignorantiæ causam Domino restitutio in integrum concedetur. Et similiter Vasallus si pro libero se gerat cum bona fide, directum dominium sibi per 30. vel 40. annos via vsucapionis acquirere potest, vti ex communi *Abbas. hîc* docet. *n. 17. Alex. n. 59.*

CAPITULUM XIV.

Cùm vobis.

Paraphrasis.

Jure tum Cæsareo (*authent. quas actiones C. de SS. Ecclesiis, & authent. vt Ecclesia Rom. & collat. 2.*) tum Canonico decretum est, vt contra Ecclesiam Romanam ob speciale priuilegium præscriptio ante annos 100. non perficiatur, debet tamen inde deduci tempus intercedentis schismatis, cùm schisma secundùm juris ordinem præscriptionis cursum impedire debeat.

Svmmarivm.

1. *Contra Ecclesiam Romanam circa bona immobilia & jura eius particularia non præscribitur nisi 100. annis.*
2. *Circa Vniuersalem jurisdictionem in omnes fideles & plenitudinem potestatis papalis, nec per præscriptionem, nec per priuilegium derogari potest.*
3. *Res quam Papa inferiori nunquam concedere solet, per præscriptionem acquiri non potest.*
4. *Ad præscribendam rem, quam Papa quandoque concedere solet, sufficit possessio temporis immemorialis cum bona fide, nec opus est alio titulo nec sententia, aut patientia Papæ.*
5. *Tempore schismatis non procedit præscriptio centenaria, sed interim suspensa est.*

Not. 1. Contra Ecclesiam Romanam circa bona immobilia, & jura eius particularia non perficitur præscriptio ante annos 100. 1

Nota, quòd dico *Particularia*, at vērò quoad vniuersalem jurisdictionem in omnes fideles, & quoad plenitudinem potestatis Papalis per præscriptionem derogari non potest, sicuti nec per priuilegium.

Addit *gloss. in c. 1. verb. non obstante. de Clerico ægrotante in 6. Alex. hîc. n. 14.* quòd ea quæ Papæ in signum prærogatiuæ specialis reseruata sunt, & inter causas maiores numerantur in *c. 2. de translatione Episcopi. & c. 3. de Baptismo.* nunquã vsucapi possint, sed *Abbas hîc* ait, quòd talia per præscriptionem acquiri possint decursu temporis immemorialis, si adsit scientia & patientia Pontificis, ea enim in præscriptione rerum incorporalium seu jurium necessaria est *l. 2. C. de seruitutibus. Felin. autem hîc. n. 2.* arbitratur opus non esse in hoc casu scientia & patientia Papæ, cùm temporis immemorialis decursus, & possessio cum bona fide habeat vim priuilegii seu constituti. *l. Hoc jure. 3. §. Aqua ductus. ff. de aqua quotidiana.* 2

In hac controuersia respondeo & dico 1. Si talis res sit, quam Papa concedere inferiori nunquam solet, vera est sententia Alexand. quòd per præscriptionem acquiri non possit: cùm enim Sedi Apostolicæ in signum prærogatiuæ specialis competat, non potest alteri competere, nisi ex speciali concessione Papæ, consequenter non potest ab inferiore præscribi, nisi cum titulo colorato, seu ex præsumptione concessionis factæ, quæ in hoc casu cessat. Si tamen adesset scientia & patientia Papæ, tunc præscriptionis locus esset, sed id videtur esse contra hypothesin, cùm loquamur de re, quam Pontifex nunquam concedere solet. 3

4. Dico 2. Si tale quidpiam sit, quod Pontifex alteri quandoque impertiri solet, tunc sufficit possessio temporis immemorialis cum bona fide, nec opus est alio titulo, nec scient â & patientiâ Papæ. Sicuti docet *Felin. hîc.* & dixi. *l. 3. tr. 1. de Iust. c. 9. n.* 3. Nam eodem modo Regalia seu quæ Principis supremi propria sunt jure primæuo, si aliis ab ipso concedi solent, per tempus immemoriale præscribuntur. *c. super. 26. de verbor. signif.*

Videntur tamen hæc omnia niti præsumptione concessionis factæ, quæ cùm juris sit, & de jure, non admittitur contra eum probatio; sicuti hîc *Felin. tradit. n. 7.* sin autem certum est, quòd Regalia, seu quæ Principi in signum specialis prærogatiuæ concessa sunt, aliquis non obtinuerit per Principis concessionem seu expressam (videlicet priuilegium) seu per tacitam, quia Princeps valdè remotus nullam scientiam habuit, non videtur præscriptioni locus esse, quia hoc ipso, quòd Principis propria censeantur, non possunt ab inferiore sine Principis voluntate obtineri.

5. Not. II. Tempore schismatis, cùm videlicet dubitatur, quis legitimus Pontifex sit, atque idcircò jura & possessiones Ecclesiæ malè defenduntur, non procedit præscriptio centenaria, sed interim suspensa est, ac veluti dormit, ita vt tempus durantis schismatis deducendum, siue in computatione annorum 100. computandum non sit. *Ita hîc in text.*

CAPITVLVM XV.

Auditis.

Paraphrasis.

Lis erat inter Vigorensem Episcopum, & Abbatem de Heuescham super Ecclesiis in valle de Heuescham, quas Episcopus volebat pertinere ad legem & jurisdictionem suam diœcesalem; Abbas autem dicebat exemptas esse; tametsi verò Pontifici de exemptionis concesso priuilegio non satis constabat, tamen tanti temporis possessio plenæ jurisdictionis ad Abbatem spectantis per testes probata erat, vt videretur Abbas jus Episcopale præscripsisse; quamobrem mandat Innoc. III. quibusdam Episcopis, vt priuilegia, quæ super immunitate Abbas se habere asserit, inspiciant, & si apparuerit, Ecclesias illas à Cœlestino Papa exemptas fuisse, tum eas Abbati vt pleno jure subiectas adiudicent, & Episcopo silentium imperent; si verò Abbas in probatione defecerit, tum audiatur Episcopus super exceptione sua adversùs præscriptionem; dicebat enim Sedem Episcopalem aliquandiu vacâsse, ita, vt, si tempus vacationis subtrahatur, non restet tempus annorum 40. quam exceptionem seu potiùs replicationem, si probauerit Episcopus, jus Episcopale eidem in dictis Ecclesiis adjudicandum, & Abbati silentium perpetuum indicendum est; sin autem Episcopus defecerit in probatione, nihilominus quia ipse in quibusdam saltem jurisdictionis articulis, videlicet processionis agendæ in Pentecoste, receptionis, ac procurationis Archidiaconi sui; item solutionis quorundam denariorum, causarum Matrimonialium cognitionis, Capellani suspensionis, & interdicti Capellarum, probauit Episcopus se possessionem habuisse, ideò super his jus Episcopale eidem adjudicari debet, dummodò præscriptio Abbatis ante finem 40. annorum interrupta fuerit, at verò in reliquis articulis, in quibus interruptio facta non ostenditur, Episcopo silentium imperetur.

Svmmarivm.

1. *Lex diœcesana strictè accepta distinguitur à lege jurisdictionis, non item si latè accipiatur.*
2. *Religiosi contra Ordinarium se defendere possunt priuilegio exemptionis, & 40. annorum præscriptione, cum titulo colorato, sine eo per tempus immemoriale.*
3. *Abbas censetur habere quasi Episcopalem jurisdictionem si Ecclesia intra diœcesin pertinens ad Monasterium sit exempta, vna cum eius Clero & populo.*

4. In-

4. *Interruptio præscriptionis quoad certos jurisdictionis articulos, non extenditur ad alios, in quibus possessio præscribentis continuata fuit.*
5. *Quomodò fiat interruptio præscriptionis circa jurisdictionalia.*

1 NOt. I. Iurisdictio Episcopalis comprehenditur etiam sub lege diœcesana latè accepto vocabulo isto, at verò si strictè accipiatur, distinguitur lex diœcesana à lege jurisdictionis. vti constat ex *c. Dilectus. c. 8. de off. ord.* & videantur quæ dixi *c. Conquerent. 16. eodem tit.*

2 Not. II. Religiosi contra ordinarium, cuius jurisdictio & jus Episcopale in tota diœcesi fundatum est, duobus modis se defendere possunt, videlicet priuilegio exemptionis & 40. annorum præscriptione cum titulo colorato, sine titulo autem per tempus immemoriale, quòd si in probatione priuilegii (quæ facilior est, & ideò præmittenda secundùm *Abbatem. n. 2.*) deficiant, tunc ad præscriptionis probationem accedere possunt, teste *Innoc. hîc n. 2.* Et sumitur ex *c. Cùm olim. 18. hoc tit.* & docui *in c. Cùm Venerabilis. 6. de except.*

3 Not. III. Si Ecclesia aliqua intra diœcesin pertinens ad Monasterium ab Episcopi jurisdictione exempta sit, Abbas cēsetur habere quasi Episcopalem jurisdictionem, sicuti explicaui in *Disp. de Elect. Pralat. q. 206.*

4 Not. IV. Sicuti exercens Jurisdictionem incertis articulis, non præscribit nisi in iis articulis, si alius videlicet Ordinarius sit in possessione aliorum articulorum, quia non plus aliquis præscribit, quàm possidet, neque extenditur præscriptio de casu ad casum. *c. Cùm olim. 18. hoc tit.* vbi *Abbas. n. 6. & c. Cùm contingat. 29. de decimis*, & exemplis declarat *Felin. n. 10.* & ita etiam interruptio præscriptionis quoad certos jurisdictionis articulos non extenditur ad alios articulos, in quibus possessio præscribentis continuata fuit.

5 Fit autem interruptio præscriptionis circa jurisdictionalia per litis contestationem; item per prohibitionem, aut pœnam subditis inflictam, eò, quòd alteri tanquam Domino aut superiori paruerint, dummodò ij pœnam acceptârint, uti *Alex. hîc tradit. n. 28.* vel denique si alterum à jurisdictione exercenda per vim excludat, illéque acquiescat siue recedat, sicuti explicat *hîc. Abbas. n. 13.* qui etiam monet non sequi, quòd inferior Prælatus præscribere possit Jurisdictionem tum priuatiuè, id est excludendo Episcopum, tùm cumulatiuè, quandoquidem visitatio, excommunicatio & similes actus jurisdictionis à pluribus exerceri possunt, videlicet vt & Abbas vel Archi-Diaconus aliquis visitet ac puniat Ecclesiæ ministros & simul Episcopus, detúrque locus præuentioni.

CAPITVLVM XVI.

Cùm ex officii.

Paraphrasis.

Cùm Archi-Episcopus Senonensis visitando Prouinciam transiret per Parisiensem diœcesin, & ratione quarundam Ecclesiarum procurationes peteret, Abbas S. Maglorii Prior de Castres, & alii, ad quos Ecclesiæ pertinebant, inhumaniter denegârunt; eò, quòd non meminerint se procurationem antecessoribus Archi-Episcopi soluisse, sed nec petitam fuisse, tunc Archi-Episcopus censuram in eos tanquam contumaces tulit. Hæc res ad Innoc. III. delata est, qui scribit ad Episcopum Parisiensem, quòd contra procurationem quæ ratione visitationis debetur, præscribi non possit, sicuti nec contra visitationem; licet alius contra alium præscribere possit vtramque, quamobrem mandat, vt sententiam quam Archi-Episcopus ex antiqua Metropolis consuetudine tulit in Prælatos illos vsque ad dignam satisfactionem faciat seruari, quia secundùm Apostolum, si quis spiritualia seminat, magnum videri non debet, quòd temporalia metat, cùm nemo stipendiis suis militare cogatur, quòd si verò aliquid aliud Prælati contra intentionem Archi-

Episcopi obiicere velint ac probare, justitia eis non negabitur.

SVMMARIVM.

1. *Contra procurationem ratione Visitationis, Episcopo vel Ordinario debitæ, nullo modo præscribi potest, ne quidem tempore immemoriali.*
2. *Ordinarius procurationem debitam quotiescunque visitat, remittere potest, jus tamen eius exigendæ remittere, vel cum alia re permutare non potest, nec solet etiam jus hoc Papa remittere.*
3. *Ab aliis censibus, & præstationibus Ecclesiasticis, v. g. charitativo subsidio, Cathedratico &c. per tempus immemoriale cum bona fide præscribi potest immunitas.*

Contra visitantem jure speciali, potest præscribi procuratio secundùm communem praxin.

Potest etiam eadem præscribi contra talem, licet Episcopo loci sit subiectus.

1 NOT. Vnic. Contra procurationem ratione visitationis Episcopo vel Ordinario debitæ nullo modo præscribi potest, ne quidem tempore immemoriali: Ratio est, quia jus Canon. resistit huic præscriptioni, tanquam irrationabili, & contra Ecclesiarum vtilitatem tendenti, idque partim quia indecens est vt Ecclesiæ visitatori earum causâ laboranti, & spiritualia ministranti, hospitalitatis, & sustentationis necessariæ beneficium non largiantur, partim quia hac ratione Ordinarii locorum à visitandis Ecclesiis abduci possunt, cum earundem & totius Diœcesis pernicie.

2 His adde 1. Licet Ordinarius procurationem debitam, quotiescunque visitat, remittere possit, non tamen posse se, suósque successores obligare ad remittendum & vno verbo jus procurationis exigendæ remittere, vel cum alia re permutare. Ita *Innoc. hic. n. 1. Abbas. n. 16.* si enim jus Procurationis per expressam remissionem aut alienationem amitti posset, multò id magis posset per præscriptionem saltem temporis immemorialis, aut 40. annorum cum titulo colorato

Adde 2. Quòd nec Papa concedere soleat, vt Ecclesia visitanti Episcopo seu Ordinario procurationes, id est, necessaria victualia ministrare non teneatur ob rationes supra allatas.

Limitari debet notandum, cum *Gloss. in Clem. 2. verb. compositionem. de censibus.* licet compositio, quâ tollitur procuratio, non valeat, tamen super modo procurationis, & numero procurandorum compositionem valere, & consequenter præscribi etiam posse, saltem eo modo atque limitatione, vt neque officium visitatoris impediatur, nec lex charitatis, aut hospitalitatis lædatur, sicuti *Felin. hic docet n. 16.*

Ex his judicium fieri potest de doctrina eiusdem *Felin. in cap Accedentes. n. 6. h. tit.* & *in hoc cap. n. 13.* Si Ecclesia tempus immemoriale alleget & probet, in quo immunis fuerit à procurationibus, ex tali tempore oriri præsumptionem antecedentis tituli, seu accepti priuilegij, cuius ratione libera pronuntiari debeat; non propter præscriptionem, quippe quæ à Jure Canon. in hoc casu negatur, & prohibetur, sed propter præsumptionem; ita tamen, vt etiam post 200. & amplius annos cognita veritate cõtraria, priuilegium nullum datum esse, cessante præsumptione debeatur procuratio; quare, ait Felinus, actor in hoc casu ineptè formaret libellum, si ad fundandam intentionem suam diceret se præscripsisse, sed dicere debet, se tempore immemoriali immunem fuisse, ex quo coniectura & præsumptio fiat de titulo seu concesso priuilegio immunitatis, præsertim concurrente famâ publicâ.

Hæc doctrina in se optima est, & inserviens ad intelligendum, num jus decimarum, aut jus Patronatûs, per temporis immemorialis decursum à laico comparari possit, sicut explicatur *in c. Causam. hoc tit.* Verùm hæc doctrina malè huc accommodatur, tum quia satis significatur in hoc Cap. non obstante immemoriali tempore, quo nec petita, nec data fuerat procuratio, præstandam esse ab Ecclesiis subiectis; tum quia præsumptio priuilegij locum non habet, si priui-

priuilegium dari non potest, aut solet, vt in casu nostro, siquidem Episcopus non potest remissionem procurationis facere, Papa autem non solet, quod id indecens sit & noxium Ecclesiis, vt dixi.

Vlteriùs adverte 1. Quòd hîc specialiter sermo sit de procuratione debita ob visitationem, non autem loquitur de aliis censibus, aut præstationibus. v. g. charitatiuo subsidio, Cathedratico, aliáve annuâ pensione; in his enim per tempus immemoriale cum bona fide immunitatem præscribi posse, probabile est, vti resoluit *Abbas vol. 2. consil. 26. Felin. hîc. n. 14.* Quia cessant rationes, quas attulimus, cur contra procurationem præscribi non possit, accedit quòd dictæ præstationes priuilegio aut pacto, seu compositione remitti possint, consequenter etiam per præscriptionem temporis immemorialis, cùm ea vim tituli habeat, si capacitas sit in vsucapiente.

Advertendum est 2. Quòd loquimur de procurationibus, quæ debentur visitanti jure ordinario, non item de ijs, quæ debentur visitanti jure speciali, siue ex priuilegio, nam contra hunc visitatorem vt procuratio ei nõ debeatur, præscribi potest secundùm communem praxim, de qua testatur hîc *Felin. n. 13.* licet ipsi contrarium placeat; sed probatur praxis; cùm enim ab initio. v. g. Archidiaconus cumulatiuè cum Episcopo Ecclesias ex speciali concessione, priuilegio, aut consuetudine visitare potuerit sine jure procurationis exigendæ, vt fatetur ipse Felin. Sequitur inde quòd Ecclesiæ etiam postea huiusmodi immunitatem viâ præscriptionis acquirere possint.

Denique adverte. Quòd locuti simus in casu, quo ipsæ Ecclesiæ immunitatem à procurationibus præscribere vellent adversùs ordinarium Visitatorem, seu eum, cui communi jure visitatio competit; at verò alius quispiam. v. g. Archidiaconus, vel Abbas, cui jure speciali competere potest jus visitandi, consequenter etiam præscribere potest jus procurationis exigendæ à quibusdã Ecclesiis diœcesis, vti constat ex text. *capituli* & ait *Felin. hîc n. 12.* id locũ habere etiamsi visitator iste Episcopo loci subiectus sit.

CAPITVLVM XVII.

Si diligenti.

Paraphrasis.

Archiepiscopus Pisanus juramentum fidelitatis accepit à Iudice Calaritano Marchione Massæ, quod Innoc. III. ait ipsi non licuisse, cùm Iudicatus, seu Tribunal Calaritanum immediatè ad proprietatem Sedis Apostolicæ pertineat, sicuti & tota Sardinia, quamvis verò Archiepiscopus se defendere voluerit, quòd secundùm antiquam suorum antecessorum consuetudinem juramentum pro sede Apostolica, seu Vice-sedis Apostolicæ recepisset, tamen Pontif. respondit, neque ipsum, neque Ecclesiam eius jure aliquo nixam esse, cùm authoritatem Sedis Apostolicæ non exhibeat, neque præscriptione muniatur; propterea quòd confiteatur Archiepiscopus ipsum, vel Ecclesiam eius non fuisse in quasi possessione juris exigendi juramenti, sed Ecclesiam Rom. quippe cuius nomine exactum & præstitum fuerit juramentum ministerio Archiepiscopi, siquidem & is possidere dicitur, cuius nomine alius possidet, sin autem dicatur, quòd Archiepiscopus & Antecessores eius suo nomine, & non Rom. Pontif. aut Rom. Ecclesiæ juramẽtum exegerint, tum sequitur, quòd Archi-Episcopi ea re juramentum suum de jure & honore sedis Apostolicæ conservando violârint, & ideò in tali possessione exigendi juramenti suo nomine, permanere non debeant, quandoquidem præscriptioni contra jura Ecclesiastica locus non est, si bona fides, ac justus titulus desit.

Denique etsi ponamus præscriptioni esse locum, tamen non est credibile præscriptionem centenariam, quæ sola contra Ecclesiam Romanam currit, probari posse.

Svmmarivm.

1. *Rex aut Princeps habet fundatam intentionem*

tionem super totâ terrâ, & omni eius parte, quoad iurisdictionem supremam territorialem sibi competentem.

2. *Rerum incorporalium seu iurium est quasi possessio.*
3. *Alterius nomine rem possidens vsucapere non potest.*
4. *Si jus possessori resistat, ad præscribendum tempore ordinario non sufficit bona fides, sed insuper requiritur titulus præsumptus.*
5. *Accipiens terram in feudum, non ideò jurisdictionem supremam ac territorialem habere censetur.*
6. *Ex juramento fidelitatis, quod judices & subditi præstant alicuius loci, non alicui ibi degenti, sed superiori domino, colligitur, quod jurisdictio territorialis non ad illum, sed ad hunc pertineat.*

1 NOt. I. Dominus alicuius regni, aut territorij habet fundatam intentionem super tota terra & omni eius parte, quoad jurisdictionem supremam territorialem sibi competentem die Landsfürstliche hohe Obrigkeit/ sicuti de Imperatore docet *Ioan. Andreas in c. vlt. n. 43. de offic. Archidiaconi.* Solet tamen Imperator aliis dare in feudum, ita, vt ipsemet duntaxat retineat quoad directam proprietatem & potiùs secundùm habitum, quàm exercitium.

2 Not. II. Rerum incorporalium seu jurium est quasi possessio, nam propriè dicta possessio spectatò nominis derivatione, rerum corporalium tantùm est. *l. 1 ff. de acquirenda possessione.*

3 Not. III. Qui non suo, sed alterius nomine in possessione rei aut juris existit, vsucapere non potest; quia non propriè possidet, sed ministerium exhibet ei, cuius nomine possidet. vti docui *in c. Cùm venissent 9. de restit. spoliator. & l. 3 tr. 1. de Iust. c. 8. n. 5.*

4 Not. IV. Si jus possessori resistat, non sufficit bona fides ad præscribendum, sed requiritur etiam titulus præsumptus; quod intellige, vt præscribatur tempore ordinario videlicet anno 40. contra Ecclesiam, at verò possessio temporis immemorialis cum bona fide instar tituli est, si capacitas sit in possidente. *cap. 1. hoc tit. in 6.*

Quamobrem tali casu opus non est allegare titulum, quamvis etiam non obsit si allegetur; cùm pluribus exceptionibus seu defensionibus, contra petitorem defendere se liceat, ita vt, si probatio in vno deficiat, ex altero capite obtineri possit. vti docui in *c. Pastoralis. 4. de exceptionibus.*

Quæres. Qua in re jus resistebat Episcopo, quominùs legitimè exigeret suo nomine juramentum à Iudicibus Calaritanis; & ideò non censeretur bona fide tale jus possedisse, nisi priuilegium exhiberet. Resp. Quia locus ille, in quo tribunal erat, sine controversia pertinebat ad Ecclesiam Romanam: licet vtilitas jure feudi pertineret ad Archi-Episcopum Pisanum, sicuti hîc *Innoc.* notat.

Hinc collige doctrinam, quòd aliquis accipiens terram in feudum, non ideò jurisdictionem supremam ac territorialē die hohe Lands-Obrigkeit/ quod est plenam jurisdictionem in subditos habere, censetur. Et ita ex communi docet *Andr. Kniechen. de Territ jure. n. 248.* vbi addit *n 352.* quòd nec in concessione Comitatûs, vel Baronatûs, seu Castri, nisi disertis verbis exprimatur, omnimoda jurisdictio comprehendatur. Ratio est, quia jurisdictio illa omnimoda in subditos sublimis ac regia est, ideóque Principi propria, quemadmodum apud nos appellatur die Landsfürstliche Obrigkeit/ quæ Ducatui, aut Marchionatui inest, adeò vt, si Imperator aliquem investiat de Ducatu ac Marchionatu, eo ipso jurisdictionem territorialem omnimodam concedere videatur, cùm ea dignitas & eminentia loco annexa censeatur; quamobrem Principes appellari solent, quibus talis jurisdictio data est, quia in suo territorio Imperatorem repræsentant, ex cuius concessione acceperunt.

Præter hanc autem sublimem est alia jurisdictio inferior, in subditos, non propriè territorialis die hohe Lands-Obrigkeit dici potest, sed districtus die niedrige Obrigkeit/ quæ juncta est cum exigua coërcitione & exactione mulctarum pro delictis leuibus.

Not. V. Si subditi, aut Iudices alicuius loci juramentum fidelitatis non præstent alicui ibi degenti & jura aliqua habenti, sed supe-

superiori Domino, signum manifestum est quòd qui ibi degit, jurisdictionem territorialem, de qua locuti sumus, nequaquam habeat, quod ex *hoc cap. colligitur*.

CAPITVLVM XVIII.

Cùm olim, Frater.

PARAPHRASIS.

Episcopus Lucanus apud Sedem Apostolicam controversiam habuerat cum Abb. & Monachis Saluatoris de Ficheto super jurisdictione spirituali in plebem, & Sacerdotum in Capellis adiacentibus institutionem, aliáque Episcopalia jura. Episcopus Actor ad fundandam intentionẽ suam allegabat jus commune, cuius auctoritate universa spiritualia intra Diœcesin ad ipsum, tanquã Ordinarium spectare censebantur. Insuper Arbitrorum pronunciatam sententiam, siue laudum suæ intentioni assistere dicebat. Sed ad elidendam intentionem Episcopi, Abbas Gregorij VIII. priuilegium arbitrio illo longè antiquius exhibuit, per quod Monasterium vnà cum plebe & Capellis ab Episcopo exemptum & liberatum videbatur. Sed & aliorum Pontif. priuilegia ante illud arbitrium concessa idem protulit, quibus exemptio data videbatur; sed quidquid sit de priuilegiis istis, quandoquidem Abbas iam sufficienter ostẽdit, quòd Monasterium suum super institutionibus, ac destitutionibus Plebani, Clericorum, insuper Baptismo ac pœnitentia in culpis leuioribus, sepultura, decimarum perceptione ac diuinis officiis celebrandis tam in plebe, quàm in Capellis, excommunicationis, & interdicti sententias ferendo, & absoluendo præscriptione munitum sit. Ideò Innoc. III. Abbatem ab impetitione Episcopi absolvit, super iam dictis articulis, silentio perpetuo imposito ipsi Episcopo, at verò circa alios omnes articulos ad jus Episcopale pertinentes circa plebem & Capellas secundùm tenorem arbitrij pro Episcopo lati Abbatem condemnat.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus habet intentionem fundatam super jure parochiæ, capellis seu filialibus annexis, & aliis juribus spiritualibus intra suam diœcesin.*
2. *Jura Episcopalia à Prælato inferiore per præscriptionem acquiri possunt, etiã quoad institutionem curatorum, aliorúmque ministrorum.*
3. *Ex eo quòd possit Sacerdos diœcesanos à peccatis absoluere, non sequitur, quòd etiam possit à reseruatis Episcopo.*
4. *Ad possessionem & præscriptionem juris aut jurisdictionis vniuersalis sufficit exercere actum in vno aliquo genere cum intentione habendi possessionem omnium coniunctorum.*
5. *Limitatur: Nisi alius sit in possessione jurium.*
6. *Prælatus compromittere & transigere potest super parochiis, aut capellis de quarum exemptione controuersia est.*

NOt. I. Episcopus super jure Parochiæ seu spirituali cura plebis & Capellis seu filiabus annexis, aliisque juribus spiritualibus intra diœcesim suam habet intentionẽ fundatam. *cap. Cùm Venerabili. 7. de religios. domibus.* Quemadmodum talia jura quorũ plura hîc enumerantur, Episcopalia dicuntur & diœcesalia, quia spectato communi jure, ad Episcopum loci, seu diœcesanum pertinent, alij autem intra diœcesim degentes Prælati licet ordinariam jurisdictionem habeant, & quanquam speciali jure priuilegij, aut præscriptionis exempti sint, siue quoad suas personas & Clericos, aut Religiosos Ecclesiæ suæ, siue etiam quoad curam plebis sibi subiectæ, ita vt nomen Ordinarij loci ipsis competat. iuxta *c. 3. iuncta Gl. verb. locorum. de offic. ordin. in 6.* tamen Diœcesani appellari non solent, sicut cõstat ex *Clement. 1. juncta. Gl. verb. Diœcesan. de jure Patronat.* & ostendit *hîc Alex. n. 3.* 1

Not. II. Jura Episcopalia à Prælato inferiore per præscriptionem acquiri possunt etiam quoad institutionem Curatorum aliorúmq; ministrorum. Ita sumitur ex hoc c. 2

& tradit *Abbas in cap. Auditis. n. 7. ibid. Felin. n. 8. hoc tit.* Idem *Abb. super hoc cap. n. 4.* vbi ait, extendendum etiam esse id ad non exemptos, quòd & ipsi Clericorum institutione ac destitutionem præscribere possint.

3 Not. III. Si alicui Sacerdoti per priuilegium, aut præscriptionem competat, vt possit Diœcesanos à peccatis absoluere, non ideò consequens est, quòd possit etiam absoluere à culpis illis grauioribus, quas Episcopus sibi reseruat, vti colligitur ex *cap. 2. de pœnit. in 6.*

4 Not. IV. Licet ad acquirendam possessionem ac præscriptionem juris aut Iurisdictionis universalis sufficiat exercere actũ in vno aliquo genere cum intentione capiendi ac habendi possessionem omnium cõjunctorum, argumento. *l. 3. §. 1. ff. de acquirenda possessione*, & indicat *Innoc. in c. 1. de Relig. domib. Abb. hic n. 6.* Excipi tamen debet nisi alius sit in possessione jurium, tunc enim locum habet Regula, quòd non plus aliquis præscribit, nisi quatenus possidet, vti hîc apparet, & in *cap. Auditis. 13. hoc tit.* vbi videri potest *Felin. n. 10.*

5 Not. V. Licet Prælatus exemptus promittere, aut transigere non possit super jure exemptionis suæ, aut Ecclesiæ suæ exemptę, valet tamen compromissum, aut transact o super Parochiis aut Capellis, de quibus controversia est, num Episcopo subiectæ sint, an verò ab eius jurisdictione liberatæ, Prælato exempto pleno jure subijciantur, vti etiam colligitur ex *cap. Cum tempore. 5.* vbi docui *not. 1. de arbitris*; nam in tali casu per se ac principaliter non agitur de jure Ecclesiæ Romanæ, sed de jure ipsius. v. g. Monasterij, aut Collegiatæ Ecclesiæ. Quamobrem si contra tale jus 40. annis ab Episcopo præscriptum non sit, non poterit Ecclesia exempta se defendere allegatione Rom. Ecclesiæ, cui minor, quàm centum annorum præscriptio obesse non possit; quamvis si agatur de præscriptione contra exemptionem ipsius Monasterij immediatè subiecti Apostolicæ Sedi, tali modo post 40. annorum cursum defendere se posset, vti hîc notat *Felin. n. 3.* & docui *in c. Ad audientiam. hoc tit.*

CAPITULUM XIX.

Veniens.

PARAPHRASIS.

CONtroversia fuit inter Abbatem S. Martini de Pannonia & Vesprimensem Episcopum super decimis & aliis quibusdam juribus spiritualius Simagiensis Parochiæ & Comitatûs; Abbas postulabat, vt Episcopus nec per se, nec per alium impediat, quo minùs decimas ex illis locis percipiat, secundùm priuilegium Papæ Paschalis & S. Stephani Regis. Episcopus verò decimas illas quippe intra diœcesis suæ terminos constitutas, ab Abbate, qui eas detinebat, restitui petebat, nisi jure speciali eas sibi competere demonstraret (quæ fuit legitima petitio iuxta *c. 2. de rest. spoliat. in 6. & c. 1. h. tit. in 6.* Quod verò ad alia jura Episcopalia attinebat, producta fuerunt priuilegia à Paschali & Alexand. Pontificibus Monasterio concessa, in quibus continebatur, quòd Clerici dictarum Ecclesiarum & Capellarum ad Monasterium pertinentium, Chrisma, Oleum sacrum, consecrationes Altarium & Basilicarum, ordinationes item Clericorum, qui ad sacros Ordines promovendi essent, à Diœcesano videlicet Episcopo Vesprimensi peterent, si is Catholicus esset, & in communione cum Ecclesia Romana permaneret, atque ea, quæ dicta sunt, gratis, & sine vlla prauitate exhibere vellet, alioquin à quolibet alio Præsule seu Episcopo Catholico recipere possent.

Sed aduersùs hæc priuilegia Abbas allegauit aliud postea à Clemente Papa concessum priuilegium, in quo amplius quid Monasterio tributum erat. Sed Innoc. III. hîc respondet, priuilegium istud non rectè allegari, cùm id prioribus priuilegiis non deroget, quippe nullam de iis mentionem faciens, præsertim cùm in priuilegio Clementis inserta sint verba: *Saluis institutionibus Romanæ Ecclesiæ, eiúsque legatorum.* Neque etiam obstat præscri-

scriptio, per quam Abbas plus de dictis Episcopalibus juribus sibi arrogare volebat; vel enim consummata tunc erat, cùm Monasterium aliud priuilegium à Clemente impetrauit; hoc casu Abbas juri per præscriptionem acquisito cum Monasterio renuntiâsse censetur. Accedit Abbatem coram Innoc. III. vsum fuisse priuilegio Paschalis, quod tamen intentioni eius quoad istum articulum contradicit. Vel præscriptio consummata non fuit, sed in processu erat, tunc sequitur, quòd post impetratum priuilegium Abbas & Monasterium bonam fidem non habuerit, & ideò secundùm Canones præscribere non potuerit.

SVMMARIVM.

1. *Conuentus interdicto possessorio retinendæ, potest super eâdem re conuenire possessorem interdicto vnde vi.*
2. *Ab Episcopo proprio, si sit hæreticus, Schismaticus denuntiatus &c. Ordines accipientes suspensionem incurrunt.*
3. *Neque tamen in tali casu de communi jure ad alium Episcopum ordinationis causa accedere possunt.*
4. *Qui priuilegium impetrauit cum moderatione, de eo mentionem facere debet, si aliud impetrare velit sine ea moderatione.*
5. *Impetrans priuilegium contrarium præscriptioni consummatæ, censetur recedere ab ea, eique renuntiare.*
6. *Et hæc renuntiatio facta judicatur, licet priuilegio illo contrario priuilegiatus vsus non fuerit.*

1 NOT. I. Conuentus interdicto possessorio retinendæ vt desinat molestus esse possessori, potest super eadem re conuenire possessorem interdicto vnde vi, aut clam, vel precario, vel per rei vindicationem petendo, vt res per vim, aut clanculum occupata, aut precario aliquandiu detenta, vel dominii jure ad se pertinens sibi restituatur. Ita *Innoc. hîc. n. 1. Abbas n. 3. Felin. n. 6.*

2 Not. II. Si proprius Episcopus sit hæreticus, schismaticus, excommunicatus, aut Simoniacus, ordines ab eo accipi non debent, imò suspensionem incurrunt, qui à tali se ordinari sinunt, quod tamen intelligi debet, si Episcopus denunciatus sit. Sicut docui *l. 5. tr. 9. c. 10. suspens. 2.* Veruntamen in tali casu, quo à proprio Episcopo ordinatio accipi non potest, non est licitum, spectato communi jure, ad alium Episcopum accedere ordinationis causâ. Ita docet *Abbas. hîc. n. 10.* & sumitur ex *hoc. c.* quoniam speciali priuilegio concessum est Monachis, vt in tali casu ab alieno Episcopo ordines suscipiant. Item ex *c. 2. de temporibus ordinationum. in 6.* Vbi Pontifex in speciali casu facultatem concedit, vt subditi ab alieno Episcopo ordines accipere possint, veluti in pœnam Episcopi proprii, qui ordinando sibi non subditos suspensionem annuam ab ordinibus conferendis contraxit.

3 Not. III. Si quis antea impetrauit priuilegium cum moderatione per quam alteri jus suum confirmatum erat, postea impetrando aliud priuilegium sine tali moderatione, debet facere mentionem de priuilegio priùs impetrato; ita sumitur ex *text.* & & tradit *hîc Innoc. n. 4.* aliud exemplum afferens: Si Monasterium à Sede Apostolica per priuilegium impetrauerat partem decimarum, reliquas decimas relinquens juri Parochiali seu Diœcesali, postea verò omnes, aut maiorem partem decimarum, quàm antea, de nouo impetrare velit, necesse est vt Prioris Pontificii priuilegii seu ordinationis faciat mentionem. Ratio dari debet, quia Pontifex si recordatus fuisset, aliam se antea modificatam dispositionem fecisse, per quam jus alterius veluti confirmatum fuisset, eam non facilè immutâsset.

4 Not. IV. Impetrans priuilegium contrarium præscriptioni consummatæ censetur recedere ab ea, eique renuntiare. Ita sumitur ex text. cùm dicitur Abbatem non posse se defendere præscriptione temporis (videlicet longissimi, aut immemorialis sine titulo) in quo Chrisma, oleum, & ordinationes à quocunque Catholico Episcopo acceperit, cùm enim post completam hanc præscriptionem Abbas seu Monasterium impe-

trâhit priuilegium contrarium, ideò præscriptioni renuntiâsse censetur. Ita *Innoc. n. 1. & alii communiter.*

Aduerte autem, quòd 1. dicitur, si præscriptio completa sit, sin autem non completa, fieri potest, vt occurrente dubio (quod tamen malam fidem non inducit) si post inchoatam cum bona fide possessionem superueniat, & veritas deprehendi non possit; vti docui *l. 1. tr. 1. c. 5. n. 21.* priuilegium quamuis in alia & aliquo modo contraria forma impetretur ad cautelam, ita, vt sub ditione inseruire possit, si videlicet præscriptio de jure non subsistat, vti notauit *Alex. de Nauo hîc. n. 37.*

2. Aduerte, quòd dicitur: si priuilegium sit contrarium antecedenti vsucapioni, vt in casu huius Capituli, alioquin si contrarium non sit, non obstat, quo minùs priuilegium absolutè & sub eadem forma impetretur, sicuti ex vi præscriptionis competit. Vti hîc docet *Innoc. loco. cit. Abbas. n. 18.* Ratio reddi debet, quia hoc non infrequens est, quòd aliquis per priuilegium impetret, quod communi jure ipsi competit, videlicet ad corroborationem eius, ac maiorem securitatem, omnémque dubitationem tollendam, si fortè in judicio contra petitorem exceptio seu defensio ex vno capite probari non possit, vt ex altero probatio procedat, cùm facilior & expeditior sit probatio per priuilegium, quàm vsucapionem.

Quæres. Vtrùm necesse sit priuilegio impetrato aliquo vsum fuisse ad hoc, vt præcedenti contrariæ præscriptioni consummatæ renuntiare censeatur.

Responsio est negatiua cum *gl. hîc. verb. intentioni.* Quia hoc ipso, quòd priuilegiatus impetrat priuilegium contrarium, censetur renuntiare præscriptioni; cùm verò additur in text. nostro vocula *præsertim* siue *maximè* si vsus etiam priuilegii accedat, id ostendit etiam secluso vsu, tacitam renunciationem præsumendam esse.

* * *

CAPITVLVM Vltimum.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Innocent. III. in Concilio Lateranensi definiuit, quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, ideò nulla sine bona fide valere debeat præscriptio Canonica, aut ciuilis, cùm vniuersim loquendo omni constitutioni, aut consuetudini derogandum sit, quæ absque mortali peccato obseruari non potest, quemadmodum necesse est, vt qui præscribere vult, in nulla temporis parte conscientiam habeat rei alienæ.

SVMMARIVM.

1. *Habens intra tempus præscriptionis conscientiam rei alienæ, quam restituere, aut cui satisfacere debeat, is præscribere non potest.*
2. *Debitor ex personali debito, v. g. mutui cuius est conscius sibi, quòd debeat, si illud non soluat, creditore non petente, præscribere debitum illud non potest etiam tempore longissimo 30. annorum, licet Hostiensis & Abbas contrarium doceant, contra communem Theologorum, & Canonistarum.*
3. *Valet tamen statutum, vt Creditori jus non dicatur, si decennii spatio debitum personale non exegerit.*
4. *Bonâ fide litigans & condemnatus ad soluendum contra executionem sententiæ potest scribere, altero solutionem non petente.*
5. *Prælatus sciens notoriè rem alienam à Monasterio detineri, tenetur eam restituere.*
6. *Si notorium non sit, nec à Prælato demonstrari possit, retinere potest.*
7. *Capitulum aut Conuentus cum bona fide non potest præscribere, Prælato habente scientiam rei alienæ, si ea communiter ab vtroque possideatur, requiritur vtriusque bona fides.*
8. *Si Prælatus confiteatur rem alienam esse, non nocet Ecclesiæ, nisi ab Ecclesia vel Capitulo mandatum habeat, vel adsit juris præsumptio, quòd res aliena sit, vel ea spectet ad solum Prælatum.*

9. Re-

9. *Resoluitur quæstio, an mala fides antecessoris, noceat successori, ita vt præscribere non possit, etsi bonam fidem habeat.*
10. *Non nocet successori particulari v. g. emptori, donatario &c. nisi res vitio reali affecta sit.*
11. *Nocet tamen successori vniuersali, si causam habeat ab antecessore ita, vt nunquam præscribere possit.*
12. *Ampliatur doctrina etiam ad successorem populum, eiúsque Magistratum.*
13. *Successori in beneficio, vel dignitate nocet mala fides antecessoris.*

NOTAND. Vnic. Quicunque intra tempus jure definitum ad complendam prescriptionem conscientiam habet rei (aut juris) alienæ, quam ipse restituere, aut cuipiã satisfacere debeat, is prescribere non potest. Ratio est, quia si quis sciat rem, aut jus ad alterum spectare, & nihilominus detineat, contra conscientiam agit, & consequenter peccat, quia quod non est ex fide, peccatum est, quia contra conscientiã fit: atqui lex prescriptionis siue Canonica sit, siue ciuilis, non debet esse nutritiua peccati, alioquin cùm justa & rationabilis non sit, non est vera lex, neque obligat. Vide quæ dixi *l. 3. tr. 1. de just. c. 8. n. 10.*

Aduerte autem ad verba quæ adiunxi: *quam ipse restituere &c.* si enim alter jus habeat, quidpiam agendi aut petendi, tu autem debeas ei tradere aut reddere, nisi ille petat, hoc casu non es in mala fide, si eo non petente, aut agente taceas, seu dissimules, consequenter per temporis legitimi decursum præscribere potes; vt si vicino tuo jus competat seruitutis rusticæ, videlicet, quòd per agrum tuum ire, aut currum agere liceat, atque per 10. annos cessauerit, amisit jus suum viâ præscriptionis: tametsi tu probè sciueris jus ipsi competere, tamen in mala fide aut peccato positus non fuisti, cùm tu nihil agere debueris, sed tantùm pati, si vicinus ageret, sicut explicani pluribus positis exemplis *cit. c. 8. n. 12.*

Quæritur I. Quid sentiendum sit de eo, qui scit se debitorem esse ex personali, v. g. debito accepti mutui, & non soluit, quia creditor petere intermittit, num præscribere possit saltem tempore longissimo 30. annorum, quo omnis actio excluſa videtur. Ita affirmat *Hostiens. in sum. h. tit. n. 4. Abbas. n. 18.* nam talis, qui debitum personale. v. g. ex mutuo non soluit, quia non exigitur, malæ fidei possessor non est, cùm non possideat alienum; quamobrem inferunt, validum esse statutum municipale, vt si creditor intra annos decem debitum personale non repetat, postea jure suo cadat, nec repetere amplius possit, idque ad excitandam diligentiam & vigilantiam creditorum.

Sed contrarium ex communi Theologorum & Canonistarum sententia docet *Imol. hic. n. 24. Alex. n. 24. Felin. n. 3.* quia falsum est, quòd debitor ex mutuo. v. g. Creditore non petente, soluere obligatus non est, nisi præsumere possit, quòd creditor sciens sibi deberi, ideò non petat, quia remittere, seu condonare velit, sed hæc est tacita renunciatio juris, non præscriptio, quippe quæ etiam contra ignorantem procedit. & cum hac doctrina consentit *l. Magna. 12. Cod. de contrahenda emptione*, vbi dicitur, si tempus solutionis faciendæ advenit, quòd dies pro homine interpellat.

Interim fateri possumus, quòd ad excitandam Creditorum diligentiam, & vitandam litium intricationem valeat statutum, vt Creditori jus non dicatur, si decennij spatio debitum personale non exegerit, sed non ideò perficietur præscriptio, per quam jus naturale debiti aboleatur, aut Canonica denuntiatio ad amovendum iniustitiæ peccatum impediatur, sicuti etiam fatetur *Abbas num. 23.*

Ad rationem in oppositum respondeo. Nomen possessionis latè accipiendum esse, dicitur: Quod malæ fidei possessor nullo vnquam tempore præscribit. *Regula 2. in 6.* vt comprehendat etiam debitorem ex debito personali, qui, postquam tempus soluendi advenit, si soluere intermittat, sibi jus immunitatis à debito arrogat, & quodammodò possidet, sed malâ fide, si conscientiam suæ obligationis habeat.

4 Cæterùm, si quispiam bonâ fide litigârit coram Iudice, atq; per sententiam damnatus sit ad solvendum, poterit altero non petente executionem per 30. annos præscribere, contra executionem sententiæ, ita vt solvere non cogatur, si arbitretur naturaliter se obligatum non esse, sicuti indicauit *Innoc. in cap. vlt. in fine de exceptionibus.* & tradit *Abbas hic n. 30. Alex. n. 29.* nam pro sententia Iudicis est quidem præsumptio juris, ac de jure, quòd justa sit, & ideò executioni mandanda, si eius iniustitia notoria non sit, tamen hæc præsumptio cessat post 30. annorum decursum, cùm veluti expirârit virtus sententiæ.

Quæritur 2. Si Prælatus sciat rem alienam à Monasterio possideri, vtrùm debeat eam restituere?

5 Respondeo & dico 1. Si notorium sit alienam esse, tenetur eam restituere, cùm hoc boni administratoris officium sit, vt aliena non servet, neque iniuriam alicui inferri sinat. *argumento cap. Generaliter. 15. in fine dist. 54.* nihil perire credimus Ecclesiasticis vtilitatibus, si, quæ sunt aliena, restituantur.

6 Dico 2. Si notorium non sit, nec à Prælato demonstrari possit, tunc retinere potest, *argumento c. 2. 6. 6. q. 2.* quia restituendo nihil proficeret, sed damnum ipsemet incurreret, cùm non possit, nisi justa causa probata rem alienare; si tamen existimaret, quòd Dominus rei jus suum probaturus sit, debet eum monere, vt illud prosequatur, secundùm *Gloss. in cit. c. Generaliter. verb. reddantur. & gl. final. huius cap.*

7 Sed nunquid Capitulum aut Conventus cum bona fide præscribere poterit Prælato habente scientiam rei alienæ, si ea communiter à Prælato & Capitulo possideatur, affirmat *Alex. hic n. 42.* & idem sentire videtur *Imol. n. 36.* sed arbitror contrarium dicendum, si res communiter possideatur, quod & Prælati & maioris partis Conventus bona fides requiratur, quia Prælatus talem rem præscribere non potest sine Capitulo seu Conventu, cùm itaque Capitulum incapax sit præscribendi propter malam fidem seu scientiam rei alienæ, sequitur quòd præscriptio non procedat. Accedit quòd lex præscriptionis, cùm sit derogatoria juris alieni præter jus naturale introducta, odiosa potiùs, quàm favorabilis censeri debeat, & ideò non extendenda, ita vt bona fides vnius partis adiuvet malam alterius, sed potiùs vt mala fides vnius partis destruat bonam fidem alterius, ex indiviso possidentis.

Dico 3. Si Prælatus confiteatur rem alienam esse, non nocet Ecclesiæ, nisi ab Ecclesia, vel Capitulo mandatum habeat. *c. 2. de testibus in 6.* & tradit *Gl. fin. hic gl. in c. 3. verb. nescio. Dist. 22.* Vel nisi Iuris præsumptio adsit, quòd res aliena sit; argumento *c. Si diligenti. 17. hoc tit.* & docet *ibi Abb. n. 4. Felin. hic n. 11.* Vel nisi res, de qua agitur ad solum Prælatum spectet, & non simul ad Conventum, tunc obesse sibi potest saltem quoad vitam suam *argumento c. Cùm venissent. juncta gl. in not. de instit.* & tradit *Felin. hic cit. n. 11.* 8

Quæritur 3. Vtrùm mala fides antecessoris noceat successori, ita, vt præscribere non possit, tametsi bonam fidem habeat. 9

Resp. & Dico 1. Mala fides antecessoris non nocet successori particulari v. g. emptori, donatori &c. Ratio est; quia possessio translata censetur in aliam personam, & ideò à priore infici non debet. 10

Limitand. est. Si res vitio reali affecta censeatur, quia furtiuè, aut violenter occupata fuit, tum vsucapi non potest. §. *furtiuè, & §. nouissimè. Institut. de vsucapionibus. & l. Titia. 11. Cod. de acquirenda possessione.* Ex quo sequitur, si quis sciens rem alienam esse, alteri vendat, aut donet, à donatario, vel emptore vsucapi eam non posse, propterea quòd qui ita vendit, aut ex alia causa tradit, furtum committere censeatur. *cit. §. furtiuè.*

Intelligi autem hoc debet, quòd præscribi non possit res furtiua tempore longo 10. annorum, attamen longissimo præscriptibilis est à bonæ fidei particulari possessore *authent. malæ fidei Cod. de præscript.* longi temporis & *l. 3. & 4. C. de præscript.* 30. vel 40. annorum.

Dico 2. Mala fides antecessoris nocet successori vniuersali, si causam habeat ab 11

ante-

antecessore, ita, vt talis successor præscribere nunquam possit; ita habetur in *l. Cum vitium. 11. ff. de diuersis. & temporalibus præscriptionibus & in l. Malâ fide. C. Communia. de vsucapionibus.* Vbi rubrica Baldi: *vitium defuncti nocet successori vniuersali, etiam bonam fidem habent:* & in §. *diutina. iuncta. gl verb. Quod nostra. Instit. de vsucapionibus.* Et docet ex communi *Bartolus in l. Pomponius. ff de acquirenda possessione. Abbas in c. Si diligenti. n. 29. de præscript. Gabriel. lib. 5, conclus. vbi de præscript. conclus. 6. Couar. Reg. peccatum. part. 2. §. 9. n. 5. & 6.* Ratio est, quæ traditur in *gl. cit. § diutina.* Quia successor universalis (in omnibus juribus ac oneribus succedens) eadem persona cum antecessore reputatur.

12 Ampliari debet. Quòd hæc doctrina locum non tantùm habeat in hærede respectu defuncti, sed etiam in successore populo, eiúsque Magistratu, cùm succedant juribus ac oneribus antecessorum suorum, atque possessio omninò eadem maneat, si mutatio nulla fiat, id est, non possessio, quæ initio vitiosa erat apud populum, nunquam ad alterum per alienationem aliquam translata sit, tunc enim locus est *Regulæ 29. in 6.* Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. Et ita docent *DD. in cit. l. Vitium. & in l. Cùm hæres. 11. ff. de diuersis actionibus*, si possessio ab initio vitiosa fuit, vsucapionem nunquam fieri posse, nisi mutatio aliqua seu inversio possessionis interveniat.

13 Quæres igitur, si Monasterium ante 200, vel 300. annos sine solennitate debita. v. g. nõ adhibito consensu Episcopi, ciuitati vendidit prædium, num illud jam revocari possit à successoribus. videlicet Magistratu & populo, si vt ponimus, emptores juris errore, non facti, laborârunt, aut fortè sciuerunt, Episcopi consensum non interveniſſe.

Respondeo, id omnino esse consequens, si hæc ita ostendi possint, veruntamen propter temporis diuturnitatem in dubio præsumendum erit, Episcopum postea emptionem approbâsse, aut ratificâsse, quandoquidem in dubio præsumitur actum legitimè cognitum esse, & ita vt valeat, potiùs etiam præsumetur ciuitatem facti errore laborâsse, quàm juris.

Ad extremum duo adverte. 1. Quòd in assertione dixi: Si causâ habeat ab antecessore, vt hinc excludatur successor in beneficio, vel dignitate, cui non nocet mala fides antecessoris, cùm ab eo titulum & causam non habeat, sed à collatore; sicuti hîc tradit *Imola n. 10. Couarr. cit § 9. n. 6. vers. 7. Felin. in cap. de quarta. n. 23. h. tit. Molin. to. 2. tr. 2. de Iust. D. 65.*

Alterum: licet successor universalis vsucapionẽ perficere potuerit etiam cum mala fide, si antecessor eius bonâ fide rem possedit, spectato jure Iustinianeo. §. *diutina. cit.* Id tamen jure Canon. correctum est, quare hodie nullo habito discrimine inter successorem universalem & particularem, neuter eorum ceptam ab antecessore vsucapionem continuando perficere potest, nisi & ipse bona fide possideat.

CAPITVLVM I.

EODEM TITVLO IN VI.

Episcopum.

Paraphrasis.

Episcopus. v. g. Augustanus repetebat Ecclesias, vel decimas ab Episcopo Constantiensi, eò, quòd in diœcesi Augustana sitæ essent, sed Constantiensis Episcopus obiecit, se eas præscripsisse tempore legitimo, videlicet annorum 40. Hoc autem non sufficere respondet Bonifac. VIII. sed opus etiam esse, vt Episcopus præscriptionis titulum alleget ac probet, propterea quòd jus commune sit contra possessorem Episcopum, in tali autem casu, si vel jus commune sit contra possessorem, vel alia adversùs eum præsumptio existat, tunc ad præscribendum non sufficit bonæ fidei possessio, nisi etiam titulus adsit, qui causam tribuat possessori præscribendi, vel nisi tanti temporis possessio probetur, cuius initij memoria nulla existat.

Svm-

SVMMARIVM.

1. *Possessori ad præscribendum non sufficit bona fides cum tempore ordinario sed requiritur etiam titulus, vel tempus immemoriale.*
2. *Si jus commune resistat possessori, non tamen assistat petitori, præter tempus legitimum & bonam fidem, non requiritur titulus.*
3. *Quomodo probari soleat possessio immemorialis.*

NOtand. Vnic. Si jus commune sit contra possessorem, non sufficit bona fides cum tempore ordinario ad præscribendum, sed etiam requiritur titulus vel tempus immemoriale, cùm sit instar tituli, aduerte ad verba singula.

1. Dixi: *Si jus commune sit contra possessorem*, non ita quidem, vt jus commune possessionis vel præscriptionis potentiæ resistat, tunc enim nec cum titulo præscribi vllo tempore potest, sicuti docui in *c. Causam. h. tit. & notat. ibi Alexand. n. 52.* Sed ita quòd considerato communi jure, res, quæ possidetur, ad possessorem pertinere non debeat, quamuis possit jure speciali. Sicuti *gl. magna hîc explicat.*

2. Dixi: *quòd non sufficiat bona fides*, quorum verborum hæc debet esse explicatio, licet is, qui longo rem tempore possedit, tanquam suam, bonæ fidei possessor censeatur, ideóque sufficiat ei ad præscribendum vnâ cum possessione legitimo tempore continuatâ, bonam fidem allegare, tamen excipiendum est, nisi jus commune repugnet possessori, tunc enim non censetur rem bonâ fide assecutus, aut possidere in ordine ad præscribendum, propterea quòd Juris communis ignorantia in vsucapionibus non prosit, ideóque ad præscribendum non conducat, *l. Nunquam. 31. ff. de vsucapionibus. & Reg. 82. in 6.* Qui contra jura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere, quare idem simili ratione dicendum est, si alia, eáque grauis seu vehemens juris præsumptio sit contra possidentem, tunc enim cessante præsumptione bonæ fidei, non procedit præscriptio.

3. Dixi. *Nisi & titulus adsit*, videlicet coloratus seu præsumptus, nam talis probabilis titulus dat justam causam præscribendi, quia malæ fidei præsumptionem, quæ ex jure communi resistente oritur, titulus tollit, bonámque fidem inducit.

Denique dixi: *Vel nisi tempus immemoriale* &c. Nam talis immemorialis possessio, si capacitas sit in præscribente, tribuit præsumptionem tituli, seu instar tituli esse censetur in ordine ad præscribendum.

Quær. 1. Si jus commune faciat contra possessorem, seu modo supra explicato resistat possessori, non tamen assistat petitori, seu non fundet intentionem petitoris, num tempus legitimum cum bona fide sufficiat ad præscriptionem, an verò titulus requiratur? Quòd titulus hoc casu requiratur, existimat Abbas in *c. Si diligenti. 35. extra, hoc tit. Francus. hîc. n. 7.* Sed contrarium placet, quod tradit *gl. hîc. verb. titulum gloss. in c. 2. verb. eundem. de restitutione spoliatorum.* & benè explicat *Alexand. in cit. c. Si diligenti. n. 53.* si enim jus commune petitori non assistat, tunc nec possessori resistet in ordine ad hunc petitorem, consequenter præsumptio bonæ fidei erit pro possessore, si eum comparemus cum hoc petitore; siquidem in pari causa melior videri debet conditio possidentis. Exemplum: Si Abbas vnus contra alterum Abbatem agat judicio petitorio decimarum: Abbas autem possessor obiiciat præscriptionem ortam ex 40. annorum possessione cum bona fide, non arbitror tituli allegatione, aut probatione opus esse.

Quæres 2. Quomodò probari soleat possessio immemorialis? Resp. *benè gl. finalis hîc*, per testes deponentes, quòd semper viderunt & audierunt ita esse, nec vnquam viderunt, vel audierunt contrarium, & quod communis est & fuit semper opinio, quòd sic fuerit; sin autem aduersarius contrarium ostendere velit, producere debet testes, qui dicant, quòd viderunt tali tempore contrarium, vel audierunt à Maioribus suis contrarium tali tempore fuisse.

Quòd si in tali casu vtraque pars probârit, tunc præferendi sunt testes, qui aptiora, seu magis verisimilia deponunt: & videtur quòd

quòd plerumque præferri debeant ii, qui de contrario probant, quandoquidem deponunt super affirmatiua, alii autem in sua depositione inuoluunt negatiuam, quæ minùs probari potest *c. accusator. 6. q. 5.*

CAPITVLVM II.

Si qui.

PARAPHRASIS.

Si quis propter delictum siue ipso jure, siue per sententiam priuatus sit bonis, quæ ad Ecclesiam deuoluantur, à qua bona accepit, videlicet in feudum, aut emphyteusin, non perficitur præscriptio nisi 100. annis, si sit Ecclesia Rom aut 40. annis, si sit alia, licet leges ciuiles aliter statuisse videantur.

SVMMARIVM.

1. *Præscriptio contra Ecclesiam quoad bona eius feudalia, aut emphyteutica, si caduca fiant, tempore longissimo ordinario perficitur.*
2. *Et hæc duobus modis fieri potest. 1. Si quis crimen committat, ob quod bona eius sint applicanda fisco sæculari.*
3. *Secundò si crimen committat Ecclesiæ vasallus, ob quod feudo priuandus sit, illúdque ad Ecclesiam redire debeat.*

NOT. Vnic. Præscriptio contra Ecclesiam quoad bona eius feudalia, aut emphiteutica, si ob bonorum confiscationem factam propter delictum caduca fiant, tempore longissimo ordinario perficitur: potest autem id contingere duobus modis, ita vt locus sit dispositioni huius Capituli.

2 1. Si quis crimen committat, ob quod bona eius applicanda sint fisco sæculari; nam hoc casu bona feudalia, quæ sunt ex pacto & prouidentiâ, ita vt ad extraneos hæredes transire non possint, non confiscantur, sed redire debent ad Dominum feudi. ita *Bart. in l. Si finita. §. Si de vectigalibus. n. 3. ff. de damno infecto. Clarus. l. 4. sent. §. feudum. q. 84. & §. emphyteusis q. 29. Peregrinus. de jure Fisci. l. 5. n. 108.* Quare idem *Bart. in l. Imperator. ff. de fidei commiss. libertat. Regulam tradit.* si res alienari prohibita sit, non transit in fiscum per bonorum publicationem, & addit *Clar. l. 4. sent. q. 78. n. 10.* Quòd bona feudalia ne quidem durante vita eius, qui prohibitus est alienare, transeant in fiscum, sed in fidei commisso, emphyteusi & similibus alienari prohibitis, quorum vtilitas in alium transferri potest, pro tempore vitæ transferentis, fiscus interim succedere videtur, ita vt ante tempus mortis, cuius bona confiscata sunt, repeti non possint. *argumento. l. Statius. 48. ff. de jure Fisci.*

Quod si verò tali casu fiscus sæcularis bona feudalia, quæ ad Ecclesiam redire debent, sibi accipiat, & tanquam propria possideat, cum bona fide præscribere poterit annis 40. vel 100. sicuti *in text.* dicitur.

2. Id accidere potest, si Ecclesiæ Vasal- 3
lus delictum committat, ob quod feudo priuandus sit, illúdque ad Ecclesiam redire debeat; seu quia ille agnatos nullos habet, seu quia fuit feudum novum, quòd à Vasallo tanquam primò acquirente alienari poterat cum Domini consensu, quia ad illud feudum agnati nisi ex persona primi acquirentis (qui tamen ob delictum priuatus est) peruenire non poterant, secundùm probabilem sententiam *Clari. §. Feudum. q. 84. Peregrin. n. 107.* vel denique si crimen videlicet Felloniæ contra ipsum Dominum, videlicet Ecclesiam in nostro casu commissum sit, ita vt non ad agnatos, sed ad Dominum reuerti debeat. sicuti docui *l. 3. tract. 4. de Iust. c. 24. n. 12. §. Porrò.* & esse communiter receptam sententiam, tradit *Peregr. cit. num. 108.*

Exinde colligitur non novum jus hoc loco à Bonifacio VIII. constitutum fuisse, sed dubium resolutum, quod oriebatur ex authentica Iustiniani. *tit. de SS. Episcopis. §. Si quis rapuerit. c. 43. collat. 9.* vbi dicitur: quòd bona rapientis, corrumpentis, aut sollicitantis Monialem in criminis pœnam applicari debeant Monasterio, si intra annum petat, postea verò applicanda fisco esse, sed bene ibi monet *Gl. verb. Assignare.*

§. Si post mortem.

PARAPHRASIS.

Si aliqui hæretici decesserint (qui dum vixerunt Catholici putabantur, & bona ipsorum à filiis eorum, aut nepotibus, vel quibuscunque etiam extraneis hæredibus Catholicis 40. annis bona fide possessa fuerant) postea molestandi non sunt, tametsi ea bona ad Ecclesiam Romanam pervenire debuissent.

SVMMARIVM.

4. *Bona hæretici defuncti, de jure communi Canonico ipso facto, fisco sunt acquisita.*
5. *Præscribere tamen ea hæredes possunt, sed non nisi cum certis conditionibus hic assignatis.*

NOt. vnic. Si quis in hæresi decesserit, spectato communi jure Canonico, omnia eius bona ipso facto censentur acquisita fisco, ita vt à quibuscunque possessoribus repeti possint. *c. Cùm secundùm. 19. de hæret. in 6.* præterquam si hæredes præscripserint, quæ tamen præscriptio rarò locum habet propter conditiones hîc requisitas, videlicet quòd defunctus Catholicus reputabatur, quòd hæres eius 40. annis bonâ fide possederit, existimans videlicet defunctum in fide Catholica decessisse, & quòd idem hæres toto eo tempore catholicus fuerit, ita ex communi *Sanch. explicat. tom. 1. Moral. l. 2. c. 22. n. 37. & seq.*

Porrò præscriptio cum his conditionibus, adeo efficax est, vt contra quemcunque etiam Rom. Ecclesiam absque restitutionis in integrum remedio, dicto tempore perficiatur, sicuti Francus notauit in fine huius Capituli.

TITVLVS XXVII.

DE SENTENTIA ET RE IVDICATA.

EXpeditis ijs, quæ ad Iudicij processum, probationes, itē & exceptiones spectant, sequitur vt de eo, quòd post concluſ. in causa supereſt agatur, videlicet de sententia Iudicis, quæ, nisi ab ea legitimè appellatum sit, transit in rem judicatam.

CAPITVLVM I.

Sententia.

SVMMARIVM.

1. *Sententia Judicis ipso jure irrita est, si lata sit contra leges aut canones, licet ab ea appellatum non sit.*
2. *Potest autem duobus modis ea esse contra jus; vel enim est contra jus respiciens merita causæ, vel aliud extrinsecum, v. g. si defectus sit jurisdictionis in judice &c.*
3. *Vt ipso jure priori modo irrita sit sententia, debet in ea error, vel repugnantia cum lege vel canone exprimi, aliàs ea subsistit & transit in rem judicatam, si intra decem dies non sit appellatum, nisi notoria sit eius injustitia.*
4. *Demonstratio seu declaratio, quòd injustè & contra jus judicatum sit, fieri debet in judicio appellationis.*
5. *Præsumptioni pro judice locus non est, si notorium sit, sententiam esse latam contra jus clarum & indubitatum, secus est, si foret hoc obscurum & DD. variis opinionibus obnoxium.*
6. *In casu tamen etiam dubij & obscuri juris tenetur judex probabiliora sequi, & quæ communiter saltem in eo tribunali recepta sunt, cùm stylus curiæ jus faciat, si probabilitate nitatur.*
7. *Condemnatus potest in foro conscientiæ subterfugere executionem sententiæ, quam novit evidenter esse injustam, licet id publicè notorium non sit.*
   In foro tamen externo talis non audiretur, sed puniretur.

Ipso

1 IPso jure irrita est Iudicis sententia, si lata sit contra leges aut Canones, tametsi ab ea appellatum non sit. Ita *Gregor. I. l. 2. Ep. 6.*

Advertendum est ex doctrina *Gloss. Abbatis. Alex. & aliorum hîc. Gloss. in c. Per tuas. 51. verb. intolerabilem, de sententia excommunicationis*, quòd sententia Iudicis duobus modis possit esse contra jus, videlicet vel contra jus respiciens merita causæ vel a-
2 liud extrinsecum. Posterior modus varius esse potest, videlicet si Iudex careat jurisdictione. *cap. At si Clerici. 4. de Iudiciis:* vbi dicitur: quòd sententia data à Iudice non suo non valet, vel si Iudicis jurisdictio suspensa sit propter excommunicationem eius. *c. Ad probandum. de probationibus.* Item si sententia lata sit contra minorem stantem in Iudicio sine Tutoris, vel Curatoris sui auctoritate. *l. Clarum. 4. C. de auctoritate præstanda.* si sententia lata sit die festo. *c. vlt. De feriis.* Si in Ecclesiâ à sæculari Iudice. *cap. 2. De immunitate Ecclesiæ in 6.* in his & similibus casibus sententia ipso jure irrita est, vt nullâ rescissione opus sit, sed solùm declaratione. v. g. quòd Iudex in excommunicatione fuerit, præterquam si id notorium sit; nam quæ notoria sunt, declaratione non indigent.

3 In priori casu iterum distinguendum, num error seu repugnantia cum lege, vel Canone in sententia exprimatur, hoc casu irrita est ipso jure. *l. 1. ff. quæ sententia sine appell. & c. l. Si expressim. 19 ff. de appellationibus.* vti Gl. exemplum afferens ait: Si Iudex pronuntiat minorem 14. annis posse testari, non valet sententia ipso jure. An verò error seu repugnantia cum jure non exprimatur; hoc casu, sententia subsistere censetur, atque transire in rem judicatam, si intra dies 10. appellatum non sit. *c. Cùm inter 13. hoc tit. & l. Cum prolatis. 32. ff. eodem.*

Excipe si notoria sit iniustitia sententiæ, ipso jure irrita est. *c. Inter 9. hoc tit.* & tradit *Innoc. in c. Fraternitatis. n. 5. de frigidis. Abb. n. 7. hic. Alex. de Nau. n. 21.*

4 Ratio exceptionis est, quòd enim sententia Iudicis, tametsi reipsa iniusta sit, tamen valere censeatur, est propter præsumptionem, quæ esse debet, pro Iudicis sententia, donec demonstretur iniustè, seu contra jura eum judicâsse, talis autem demonstratio ac declaratio fieri debet in judicio appellationis.

Cæterùm, præsumptioni locus non est, si 5
notorium sit, sententiam latam esse contra jus, siue contra legem, cùm enim Iudex secundùm leges judicare debeat. *c. Iniustis. dist. 4.* sequitur, quòd iniustè judicando limites potestatis suæ excedat, ideóque nihil agat. Vide quæ docui *l. 3. tr. 6. de Iust. c. 2. n. 10.*

Porrò quæ dicta sunt intelligi debent de jure claro & indubitato, non item si jus obscurum sit, ita ut variæ sint DD. opiniones, quemadmodum enim error juris obscuri bonæ fidei vsucapionem inducere potest, ita & Iudicem in judicando excusare, sicuti hîc *Felin. monet n. 15.* Veruntamen etiam in hoc casu juris dubij aut obscuri Iudex tenetur probabiliora sequi, & quæ communiter saltem in eo tribunali recepta sunt, quandoquidem stylus Curiæ, dummodò probabilitate nitatur, jus facit, videri possunt quæ docui *l. 1. tr. 1. c. 5.*

Sed neque contra leges judicâsse censetur Iudex, ita vt litem suam faciat, aut sententiæ eius irritæ censeri debent, si judicauit contra legem. v. g. extra vagantem, de qua meritò dubitatur, num recepta sit. 6

Ex dictis sequi videtur, si condemnato 7
manifestum & euidens sit, quòd Judex non rectè seu iniustè & contra leges judicârit, tametsi id publicè notorium non sit, posse illum in foro conscientiæ subterfugere sententiæ executionem, dummodò scandalum cesset, sicuti in simili dixi *l. 3. tr. 6. de Iust. c. 2. n. 8.* Propterea quòd sententia Iudicis obligat propter præsumptionem justitiæ, quæ præsumptio cessat si oppositum alicui verè manifestum & indubitatum sit; veruntamen in externo foro talis non audiretur, sed puniretur.

CAPITVLVM II.

Iurgantium.

PARAPHRASIS.

Æquitatis pariter & juris rigori congruum

est, vt lites judiciales per sententiam definitiuam celeriter expediantur. Ita *Gregor. l. 2. Epist. 18. ad Ioann. Rauennat.* Archi-Episcopum.

SVMMARIVM.

1. *Lites judiciales non protrahendæ, sed celeriter finiendæ.*
2. *Notandæ tres acceptiones* Rigoris juris.
3. *Ita acceleranda sunt lites, vt tamen ordo juris requisitus seruetur, dilationes necessariæ concedantur, & totius causæ status rectè discutiatur.*
4. *Rescindi debet sententia, si lis definita sit intra tam breue tempus, vt plene discuti non potuerit.*
5. *Post sententiam latam executio saltem ad decem dies differenda, etiam in criminalibus, quamuis hoc consuetudine non obseruetur.*
6. *Addunter limitationis quinque huius doctrinæ.*

1 NOT. Vnic. Lites judiciales protrahi non debent, sed quàm fieri potest celeriter finiri; ait autem Pontif. id verum esse tùm secundùm æquitatem, tùm secundùm juris exactam, seu rigidam examinationem; vult dicere celeritatem in causis expediendis commendandam esse, tum quia id per se æquum est, tum quia in jure scripto expressum reperitur; nam juris rigor hic accipitur sicut
2 in *c. Super. 20. de rescript.* pro eo quod juri consentaneum est, literam eius rigorosè sequendo, vti dixi etiam *l. 1. tr. 4. c. 19. principio.* videri etiam potest *gl. in c. vt constitueretur. 25. verb. detrahendum.* Cùm ait quòd rigor eius interdum accipiatur pro excessu & quadam austeritate juris ad terrorem incutiendum, & iste rigor temperandus plerumque atque æquitas præferenda: interdum verò rigor juris sumatur pro subtilitate juris, vt in *c. In literis. 5. de restit. spoliatorum.* Ideóque notari hìc possunt tres acceptiones juris rigoris.

3 Porrò quòd dicitur causas celeriter expediendas esse, intelligi debet, vt tamen interim ordo juris requisitus obseruetur, & vt dilationes necessariæ concedantur, atque totius causæ status rectè discutiatur sicuti colligitur ex *Clement. 2. de verb. signif.* Adeò 4
quidem, vt si tam paruo tempore lis definita sit, intra quod non videatur plenè discuti potuisse, ea rescindi debeat secundùm *Bartol. in l. Prolatam. n. 10. Cod. de sententiis. Abb. & Alexand. in fine huius cap.*

Adde post latam à Judice sententiam ex- 5
spectandum esse saltem diebus decem priusquam executio fiat, vti colligitur ex Capitulo, *Quod ad 16. h. tit.* idque etiam in criminalibus causis obseruandum esse docet *Bartol. in l. Qui vltimo. ff. de pœnis.* quamuis hoc consuetudine non obseruetur, cui consuetudini fauere videtur *l. Non tantùm. 6. ff. de appellationibus.*

Præterea limitationes aliæ adhiberi de- 6
bent. 1. si consuetudo non permittat appellationem, in causa criminali. 2. Si crimen notorium sit, ita vt appellatio admitti non debeat. 3. Si Reus crimen legitimè confessus sit in judicio. 4. Si vehementissima & apertissima adsint testimonia, aliæúe probationes, vt Reus non nisi peruicaciter & impudenter negare possit: nam in dictis casibus appellatio ordinariè non recipitur. 5. Si propter scandalum vitandum executio differri non possit. videri potest *Abb. hìc. n. 3. Felin. n. 3.*

CAPITVLVM III.

Non potest.

PARAPHRASIS.

Episcopus deponendus non est, nisi Episcopi congregati aduersùs eum sententiam concordes ferant; ex *Gregor. l. 2. c. 47. epist. 8. Registri.*

SVMMARIVM.

1. *Iuxta antiquos canones aduersùs Clericos in Sacris, cognosci non debuit causa criminalis & digna depositione, nisi in Synodo vel conuentu Episcoporum, & præsentia duodecim Episcoporum in causa Episcopi; Presbyteri 6. Diaconi 3.*

2. *Iuxta*

2. Juxta Tridentinum Concilium quis hodie modus in simili causa procedendi præscriptus sit.

1 ADuertendum est, quòd secundùm antiquos Canones aduersùs Clericum in sacris causa criminalis & digna depositione cognosci non debuerit, nisi in Synodo, seu conuentu Episcoporum, ita vt Episcoporum 12. præsentia necessaria esset in causa Episcopi, sex in causa Presbyteri, triũ in causa Diaconi. *c. Siquis tumidus. 3. & c. Felix. 4. 13. q. 7.* & hæc eadem tot Episcoporum præsentia seu assistentia necessaria dicitur *c. 2. de pœnis. in 6.* saltem in sententiali ac respectiua Clerici in sacris constituti depositione, ita vt 6. Episcopi conuocandi essent ad Presbyteri condemnationẽ, tres verò ad condemnationem Diaconi, vel Sub-Diaconi, præterquam quòd in condemnatione ob crimen hæresis loco Episcoporum alios Prælatos, vel personas Ecclesiasticas suæ diœcesis peritas proprius Episcopus conuocare possit. *c. 1. de haret. in 6.*

2 At verò *Concil. Trid. sess. 13. c. 4. de reform.* constituit, vt Episcopus proprius per se vel vicarium suum assistentibus totidem locorum Abbatibus, vsum mitræ ac baculi habentibus, aut si ii in ciuitate, vel diœcesi reperiri, vel commodè interesse non possint, aliis Ecclesiasticis gratibus, juris scientiâ præditis & in dignitate Ecclesiasticâ constitutis personis (qui tanquam Assessores & Judices adhibeantur) procedere possit ad Clerici in sacris depositionem respectiuam; at verò ipsam solennem degradationem solus quidam Episcopus facere potest, & per se ipsum debet, non per Vicarium, nisi & ipse consecratus Episcopus sit, cùm hæc solennis degradatio ac veluti deordinatio actus ordinis Episcopalis esse censeatur, qui alicui non Episcopo committi non potest. *c. Aqua. de consecratione Ecclesiæ.* Veruntamen de Episcopi degradatione, aut depositione nihil in *Trident. Concil. cit. c. 4.* decretum fuit. sicuti nec in *c. 2. de pœnis. in 6.* propterea quòd secundùm Canones posteriores Episcoporum causæ criminales, quæ depositionem merentur, Sedi Apostolicæ Rom. reseruatæ sint. Sicuti docui *l. 1. tract. 4. c. 6. & n. 7. & not. Suar. de censur. D. 30. S. 1.*

CAPITVLVM IV.

Ea quæ.

PARAPHRASIS.

Leo I. in Epistola 87. aliàs 91. ad Episcopos per Cæsaream Mauritaniam, quæ incipit: *Cùm de ordinationibus sacerdotum*: in fine scribit, quòd causæ ad statum Ecclesiarum & Episcoporum concordiam pertinentes si in Synodo Episcopali juxta Ecclesiasticum morem justè & rationaliter definitæ sint, ad Sedem Apostolicam cum plena relatione mitti debeant, vt etiam Rom. Pontif. accedente sententiâ roborentur.

SVMMARIVM.

1. Curandum vt omnes graues causæ ad Sedem Apostolicam referantur cognoscendæ vel confirmandæ.

NOT. Vnic. Ex hoc Capitulo ostendi 1
non potest nisi vniuersalis cura, quam Romana Ecclesia erga omnes alias Ecclesias gerere debet, ideóque imperare potest, vt causæ, quæ vel secundùm se vel secundùm temporum & locorum circumstantias graues sunt, ad Apostolicam Sedem referantur cognoscendæ, aut confirmandæ.

CAPITVLVM V.

De Cætero.

PARAPHRASIS.

Pontifex in aliqua causa sententiam tulit contra Titium, postea eam commisit Cajo executioni mandandam, coram hoc executore excipit Titius, fraude interueniente sententiam latam fuisse; hoc casu Executor non debet de toto negotio cognoscere, sed quæstionem, quæ incidit ad Sedem Apostolicam deferre.

SVMMARIVM.

1. *Coram executore sententia potest à parte opponi exceptio fraudis, quam si cognouerit non esse friuolam, executionem suspendet, & quæstionem ad superiorem remittet.*
2. *Ampliatur hæc doctrina ad omnes alias exceptiones, quæ post sententiam latam opponi possunt.*
3. *De his exceptionibus executor cognoscet, vt sciat an executione supersedere debeat, non autem vt quæstionem definiat: quòd solùm potest judex Ordinarius, vel executor mixtus, habens potestatem etiam cognoscendi.*
4. *Executor merus, sententiam, quam etiam iniustam nouit, exequi debet, postquam in rem judicatam transiit.*
5. *Excipe primò causas criminales capitales, vbi agitur de vitâ, aut corporis integritate.*
6. *Excipe secundò, si sententia non tantùm iniusta, sed etiam indubitatè nulla sit.*
7. *Potest judex parti, pro qua lata est sententia, executionem committere, v. g. vt propria authoritate ingrediatur possessionem.*
8. *Hæc doctrina habet duas limitationes.*

1 NOT. Vnic. Si Judex latæ sententiæ executionem alicui commisit, pars, contra quam executio facienda est, opponere potest exceptionem fraudis, videlicet: per falsos testes sententiam latam esse, aut instrumenta falsa; quo casu executor de hac incidente quæstione saltem summariè cognoscere potest ad hoc, vt intelligat, num exceptio friuola & solùm ad tardandam, vel impediendam executionem facta sit, ideóque reiici debeat, an verò ratione vera aut verisimili nixa sit, ita vt executione super sedere oporteat, & quæstionem ad superiorem, qui commisit, remittere. Ita *Innoc. hic. n. 2. gl. super Gratian. in c. Dicenti. 16. verb. cognoscatur. 25. q. 2. Bart. in l. à Diuo. n. 9. ff. de re judicata. Abbas. hîc. n. 3. & 9.* Et amplianda est doctrina, quòd idem sentiendum sit de omnibus aliis exceptionibus, quæ post latam sententiam opponi possunt, siue id accidat ob naturam causæ. v. g. matrimonialis non transeuntis in rem judicatam, siue ob priuilegium personæ, v. g. militis, cui peremptorias exceptiones ob ignorantiam Juris non opponenti ante sententiam succurritur, vt postea etiam audiatur *l. 1. Cod. de Juris & facti ignorantiâ*, vel denique id fiat ob naturam exceptionis, quæ semper opponi potest, videlicet nullitatis, falsitatis instrumentorum &c.

Super talibus itaque exceptionibus executor cognoscet, vt appareat, num executione supersedere debeat, donec is, qui commisit, pleniorem de iis cognitionem assumat; non autem vt ipsemet executor quæstionem definiat, alioquin enim absurdum sequeretur, quòd inferior superioris Iudicis sententiam rescindere possit. sicuti *Bart.* notauit *cit. n. 9.* & consentit *lex. Si prætor. 75. ff. de Iudiciis.* 3

Sed alia ratio est, si Iudex ordinarius exequi debeat sententiam Arbitri, aut delegati sui exequendi potestatem non habentis *juxta cit. l. à Diuo.* & quotiescunque ad Iudicem pro executione recurritur tanquam ad eum, qui maiorem, aut superiorem Iurisdictionem habet, is cognoscere potest de exceptionibus, etiam vt negationem definiat adeò quidem, vt etiam super nullitate prioris sententiæ, aut per modum restitutionis in integrum cognoscere queat. *Argumento. c. 3. de off. ordinar.* & tradit hîc *Abb. Alex. n. 8.*

Præterea aduertendum, quòd *text. c.* nostri loquatur de executore mixto, cui hoc ipso cognitio aliqua commissa censetur, quia exceptiones, quæ opponi possent contra sententiæ executionem, coram Iudice committente propositæ & examinatæ non fuerunt, sin autem ponamus super ipsa quoque executione faciendâ plenam cognitionem præmissam fuisse, tunc executor sententiæ censeri debet merus, cui nulla omnino cognitio competit, sed exequendi tantùm necessitas incumbit, vti notauit *Bart. in cit. l. à Diuo. n. 10.* & adeò quidem id verum est, vt tametsi sciat executor sententiam iniustam esse, exequi eam debeat, postea-quam in rem judicatam transiit, ita vt jus inter partes ortum sit.

Exci-

Excipiendæ tamen 1. sunt causæ criminales, quibus agitur de vita aut corporis integritate, in his arbitror, executorem parêre non posse, si sciat Reum reipsa innocentem, & ex falsis allegationibus condemnatum fuisse. vti docui *l. 3. tract. 6. c. 2. q. 1. in fine.*

2. Excipiendũ, Si sententia lata non tantùm iniusta sit, sed etiam indubitatè nulla siue irrita, tunc executioni mandari non debet, cùm sententia nulla, non sit sententia, nec transierit in rem judicatam, vti habetur *in l. 4. ff. de re judicata. condemnatum accipere debemus eum, qui ritè condemnatus est*, vt sententia valeat; & notat *Abb. hîc n. 5.*

Porrò tametsi executor merus, seu cui vt ministro ac nuntio executio mandata est, nullam cognitionem causæ habeat, ideóque si ea non præcesserit, & aliquid coram ipso à partibus probabiliter opponatur, executione supersedere debeat; ac similiter, si jussus fuerit aliquem in possessionem mittere, & eam vacuam non reperiat, aut possessor absens sit, vel præsens recedere nolit, non possit eum exturbare, sicut *Innoc. notat in c. Cùm olim. 2. n. 2. de priuilegiis. Argumento l. vlt. Cod. Si per vim.* attamen si sententia præsentibus partibus lata sit super possessione alteri tradenda, tunc elapso decennio executor merus, seu nuntius, qui missus est ad possessionem tradendam, mandatum exequi poterit, etiã absente, aut repugnante possessore, dummodò scandalum aut maioris mali periculum non timeatur. & ita docet *Innoc. citato loco. Abb. hic. n. 7. Alex n. 13.* & consentit *Gl. in c. vlt. §. Caterùm. verb. Commissum. de off. delegati*, quod merus executor coërcitionem habeat, (videlicet facti) ita vt impedientes repellere possit. quod verò addit de excommunicatione infligenda, id nisi commissum sit, non videtur esse verum, cùm ea jurisdictionem requirat, quam executor merus non habet.

7 Restat quæstio vtrum Iudex parti, pro qua lata est sententia, executionem committere possit, vt v. g. propriâ auctoritate possessionem ingrediatur, affirmat *Gl. in l. Meminerint. 6. verb. Sed quid si Iudex. C. vnde vi.* Quia etiam per partium conuentionem ita constitui potest. *l. 3. C. de pignoribus. juncta Gl. recepta. verb. Debent.* & vera est responsio cum duabus limitationibus. Prima est, dumodò possessionem ex pacto, aut Iudicis concessione capere volens, resistentem non reperiat pristinum possessorem, aliàs ob scandalum vitandum abstinere debet, & Iudicis authoritatẽ implorare, *juxta Reg. 136. ff. Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè potest fieri, ne occasio sit maioris tumultûs faciendi.*

Altera est: Dummodò causæ cognitio necessaria non sit; nam nemo in propria causa Iudex esse potest. *l. vn. Cod. Ne quis in propria causa.* & tradit *Abbas hîc n. 11.*

Veruntamen si debitor constituisset, se precariò possidere velle rem loco creditoris, ita vt jurisdictione possessio translata fuerit (*juxta l. Certè. 6. ff. de precario, is qui rogauit*, vt precario in fundo moretur, non possidet, sed possessio apud eum, qui concessit, remanet) hoc casu creditor precariò possidentem deijciendo, vim inferre non censebitur, sed possessionem suam contra violentum detentorem potiùs defendere, sicut *Bart.* notauit *in cit. l. 3. de pignoribus.* & sequitur hîc *Abbas n. 15.*

CAPITVLVM VI.

Cùm aliquibus.

Paraphrasis.

Si res quoad dominium, vel quasi dominium petitori adjudicata fuerit, ad executionem sententiæ non sufficit, si condemnatus pignora dare velit, sed requiritur, vt ipsam possessionem transferat.

Svmmarivm.

1. *Condemnatus actione reali compelli debet ad rei vnà cum fructibus possessionem tradendam, & quidem in continenti, si sententiam judicis acceptauit, vel post decem dies, si appellatum non sit.*
2. *Limitatur.*
3. *In personalibus debitis condemnato quadrimestre tempus ad solutionem conceditur.*

4. Quo

4. Quo modo ab executore possessio rei tradenda ex primo aut secundo judicis decreto.

NOT. Vn. Condemnatus actione reali compelli debet, ad rei vnà cum fructibus possessionem tradendam, & quidem in continenti, si sententiam Iudicis acceptauit, siue pariturum se dixit, alioquin post decem dies, si appellatum non sit, sicuti *Gl.* tradit *in c. Quærenti. 26. verb. Quadrimestre. de off. delegati. gl. Institut. de off. Iud. §. Etsi in rem. verb. in præsenti*, neque censendus est soluere, aut rem restituere, qui pignora pro solutione offert, & accommodari hoc potest, quod habetur *in c. 1. De eo, qui mittitur, &c.* quòd voluntas sola non sufficit, vbi factum requiritur.

Excipe. Si possessor statim restituere non possit, tempus ei determinabitur, intra quod restitutio fieri debeat, ita tamen, vt interim caueat per fidejussores aut pignora, secundùm *Gloss. marginal. in cit. c. quærenti.* Porrò in personalibus debitis condemnato, quadrimestre tempus ad solutionem concedi, dictum est *in eod. c. quærenti.*

Alium sed minùs conuenientem intellectum huius Capituli affert *gl. hîc.* quod ad prætorium pignus non sufficiat, si actor verbo tenus mittatur in possessionem rerum propter contumaciam Rei conuenti, sed opus sit vt actu tradatur ei possessio, causa custodiæ, sicuti dixi *tit. De eo, qui mittitur &c. & l. 3. tract. 4. de Just. c. 3. n. 2.* & habetur in *l. Non est. 26. ff. de pignor. actione.* Sciendum tamen est, vbi jussu Magistratûs pignus constituitur, non aliàs constitui, nisi ventum fuerit in possessionem, vbi gl. monet in hoc differre pignus prætorium à conuentionali, quia pignus conuentionale seu hypotheca solâ conuentione, absque traditione constitui potest *l. 1. ff. eod.*

Corollarium. Si Nuntius seu executor missus sit ad possessionem rei tradendam ex 1. aut 2. Judicis decreto, non sufficit, quòd in præsentia rei seu solo aspectu tradere velit possessionem. Sicuti notat Durandus communiter receptus in speculo *l. 2. de 1. decret. §. quinto.* Cùm enim nuntius possessionem, aut administrationem rei non habeat, ideò non potest eam absque corporali apprehensione transferre, si tamen impedimentum obstet, quo minùs ex Judicis auctoritate possessio transferatur, tunc jura subueniunt, vt etiam solâ jussione, seu verbo possessio facta transferri queat, maximè in præsentiâ & conspectu rei, sicuti *hîc Felin. tradit. n. 5.* Quòd possessio habeatur pro accepta, seu acquisita, quando in conspectu rei traditur oculis, vel etiam extra conspectum ab executore non audente, vel non valente se appropinquare ex justa causa. Adiuuat etiam plurimum ad hoc, si tradens ita possessionem, sit saltem in possessione juris conferendi. v. g. beneficium, officium, feudum, sicuti *Alexand. hîc. not. n. 26.* vide quæ docui *l. 3. tr. 1. de just. c. 7. n. 2. v. 4.*

CAPITVLVM VII.

Lator.

PARAPHRASIS.

Titius Caiam verbis etiam de præsenti desponsauit, & matrimonium consummauit, postea cùm inter ipsos scandalum, aut contentio orta esset, vir mulieri debitum coniugij subtraxit; quamobrem mulieris consanguinei offensi, matrimonium accusare aggressi sunt, dicentes: quòd Titius eam invitam, renitentem, & secundùm ætatem matrimonio ineptâ duxisset. Tunc Titius cùm vitam dissolutam desideraret, contentus fuit, vt matrimonij separatio fieret, sed postea (ipsomet viro, vt putatur turpitudinem & inconstantiam suam confitente) propositum erat, separationem rationabiliter factam non esse, eapropter Alex. III. mandat à se delegatis Iudicibus, si eis constiterit, Ecclesiam in ea separatione deceptam fuisse, vt ipsos ad coniugalem cohabitationem compellant, eò quòd matrimonia canonicè contracta, leuiter dissolui non debeant.

SVMMARIVM.

1. Sententia lata contra matrimonium non transit

transit in rem judicatam. Vnde agi iterum potest nouo petito judicii processu, ad redintegrationem matrimonij.

2. *Si appellatio non interuenerit, præsumptio est pro justitia sententiæ, & legitimo eius processu. si interuenerit, elidit præsumptionem.*

3. *Nec sententia pro valore matrimonij transit in rem judicatam, sed potest adhuc oppugnari tanquam laborans impedimento dirimente.*

1 NOt. vnic. Sententia lata contra matrimonium non transit in rem judicatam, sicuti infra etiam dicetur. *c. Tenor. & c. Consanguinei.* quare agi iterum potest nouo petito judicii processu ad redintegrationem matrimonij, non obstante, quòd à lata sententia intra 10. dies appellatum non fuerit; refert tamen, vtrùm appellatio interveniat, nec ne; si non intervenit, præsumptio est pro justitia sententiæ & legitimo processu eius, ita vt sententiam oppugnare volens, probationes afferre debeat, sicuti ex hoc Capitulo 2 constat, & tradit *Ioan. And. in c. Tenor. n. 1. h. tit. Alexand. hic n. 11. Abb. n. 3.* vbi ait: quòd asserenti errorem commissum, probatio incumbat, si verò appellatum sit, tunc appellatio censetur elidere præsumptionem, quæ pro lata sententia est, eò quòd appellatio vim sententiæ debilitet, sicuti hîc monet *Alexand.*

Simili quoque ratione dicendum, quòd 3 sententia pro valore matrimonij non transeat in rem judicatam, sed nihilominus oppugnari posse tanquam laborans impedimento dirimente, cui partes renuntiare seu illud consensu suo supplere non possunt, v. g. si sint consanguinei, affines, impotentes, & ita not. *Glos. hic, verb. permanere.*

CAPITULUM VIII.

Cùm causa.

Paraphrasis.

Archipresbyter seu Diaconus ruralis vendidit domum Ecclesiæ absq; consensu Capituli, quibusdam laicis, qui proinde domum sibi adiudicari ac tradi petiuerunt coram Sedis Apostolicæ Legato, pro defensione eiusdem domûs nomine Capituli comparente quodam Canonico, is à sententia Legati appellauit ad Pontificem; Legatus appellanti temporis terminum constituit, intra quem iter arriperet ad Sedem Apostolicam, sed quia ipse intra hoc tempus ad appellationem prosequendam sibi præfixum iter non arripuit, ideò Legatus in causa processit, & iuxta ciuitatis Veronensis consuetudinem laicis domum adiudicauit.

Cùm autem ab hac Legati sententia Romã iterum appellatum esset, & Brixiens. Episcopus super eâdem delegatus; is prætextu consuetudinis, posthabitâ formâ Canonum, iterum adversùs Capitulum pro laicis sententiam tulit. Verùm Alexand. III. considerans, quòd licet consuetudinis non parua auctoritas sit, non tamen veritati, aut legi præiudicare possit, ideò latam sententiam retractat, & Canonicos ab impetitione laicorum absoluens ipsis & Ecclesiæ eorum domum adiudicat.

Svmmarivm.

1. *Judex appellationis, si pro appellante in causa dominij, vel quasi decernat, non tantùm pronuntiabit malè judicatum & bene appellatum fuisse, sed etiam eidem rem & jus adiudicabit, modò super eo lis contestata fuerit.*

2. *Consuetudo irrationabilis est, nec legitimè præscripta, per quam introductum contenditur, vt alienatio bonorum Ecclesiasticorum valeat absque solennitate jure canonico requisitâ.*

3. *Consuetudo non potest prævalere legi resistenti seu prohibenti eam introduci.*

1 NOt. I. Si Reus conventus litem eo modo contestatus fuit, quòd jus dominij, aut quasi dominij ad ipsum pertineat, probationésque attulit, atque post latam sententiam appellauit, tunc Iudex appellatio-

nis, si pro appellante decernat, non tantùm pronuntiabit malè judicatum & benè appellatum fuisse, sed insuper etiam jus adiudicabit possessori, qui se Dominum, aut quasi Dominum probauit, ita *Abb. hîc. n. 7.* nam Iudex appellationis cùm subrogetur Iudici à quo appellatum, debet reformare eius sententiam, seu ita judicare, sicuti ille judicare debuisset, *argumento cap. Raynutius 16. & cap. Raynaldus 18. de testamentis*, atque in casu huius Capituli, Iudex à quo, non tantùm absoluere debuisset Capitulum ab impetitione laicorum, sed etiam eidem rem, seu jus adiudicare, dummodò super hoc lis etiam contestata fuerit, vt *Felin. hîc notat colum. 1.*

2 Procedit autem hoc notandum secundùm intellectum huius Capituli à pluribus approbatum, quòd laici fuerint actores, Capitulum autem non tantùm negârit ratione venditionis absque solennitate factæ, domum debitam esse laicis, sed insuper petiuerit domum illam declarari à Iudice de jure ipsius capitulari esse.

Not. II. Consuetudo laicorum non censetur rationabilis & legitimè præscripta, per quam introductum esse contenditur, vt alienatio bonorum Ecclesiasticorum valeat absque solennitate jure Canon. requisita. ita *gloss. hîc. verb. promulgauit, & verb. præiudicat. Gloss. in Clem. 2. verb. consentiente*, de rebus Ecclesiæ non alienandis. vbi ait: non valere consuetudinem, quòd Prælatus alienet rem Ecclesiasticam sine consensu Capituli. *Ioan. Andr. hîc in fin. & in c. Nulli. n. 5. de rebus Ecclesiæ non alienand.* Et esse communem doctrinam ait *Alexand. hîc n. 21.* & fusè eam tractat *Felin. hîc. n. 11.* Ratio est, quia consuetudo, quæ Ecclesiis damnosa est, tanquam irrationabilis & Canonibus contraria reprobatur, *cap. 1. De consuetudine*, atqui consuetudo, per quã solennitates jure requisitæ ad alienationem rerum Ecclesiasticarum tolluntur, meritò damnosa Ecclesiis censetur. Ergò.

Quæres. Quomodo intelligi debet, quod dicitur in hoc capite. consuetudinem non posse prævalere legi, cùm tamen consuetudo frequenter sit abrogatoria legis scriptæ.

Respondeo. Sensus est, quòd consuetudo non possit prævalere legi resistenti, seu prohibenti eam introduci, propterea quòd irrationabilis & bono publico noxia judicetur. Vide quæ docui *l. 1. tr. 4. c. 24. n. 4.*

CAPITVLVM IX.

Inter.

Paraphrasis.

Si causa aliqua judici delegato commissa sit remotâ appellatione, isque sententiam iniquam ferat, rescindi debet, neque seruanda est, si iniquitatem manifestam contineat.

Svmmarivm.

1. *Admittitur appellatio, & rescindenda est sententia iniqua, licet causa fuerit appellatione remotâ commissa.*
2. *Contra sententiam notoriè iniustam, latam à judice cui causa commissa est remota appellatione, agi potest per viam nullitatis.*
3. *Clausula, remota appellatione, tollit remedium appellationis, non autem nullitatis.*

Not. I. Si causa commissa sit, remotâ appellatione, & superior, qui commisit, existimet, sententiam iniquam latam esse, poterit non obstante illâ clausulâ appellationem recipere & sententiam rescindere. Quia licet clausula: *appellatione remota*, operetur id, vt Iudex à quo, appellationi deferre non cogatur, sed sententiam exequi possit (nisi appellatum sit ex causa in jure expressa *argumento c. Pastoral. 28. §. Præterea. de off. delegati.* vel nisi appellatum sit contra sententiam, quæ manifestam continet iniquitatem, juxta *gl. in c. Ex conquestione. verb. post appellationem. de restitutione spoliatorum*) tamen Iudex, qui causam commisit, nequaquam impeditus est, quominus appellationem recipere, & de Iustitiâ sententiæ prioris cognoscere, eámque rescindere possit *c. Pastoral. 23. de appell.* & legi potest *c. Vt debitus. 59. eodem tit.* 1

Not.

2 Not. II. Si causa alicui Iudici commissa sit, remotâ appellatione, ísque sententiam notoriè iniustam ferat, vel errorem in ipsa sententia exprimat, tali casu contra sententiam agi potest per viam nullitatis, ídque in textu cap. significari videtur cùm dicitur: quòd condemnatus tali sententia stare non teneatur, cùm ipso jue irrita sit *c. 1. hoc. tit.*

3 Corollarium. Clausula ea, remotâ appellatione non excludit viam nullitatis, cùm ea nunquam excluſa censeatur etiam post latam sententiam, accedit quòd dicta clausula opponitur ad tollendum remedium appellationis, idem extendi non debet ad remedium nullitatis, cùm hæc remedia diuersa sint ait *Alex. hîc. n. 4.* & colligitur ex *c. Licet. 14. de sententia excommunicationis in 6.*

CAPITVLVM X.

Tenor.

PARAPHRASIS.

Inter R. & M. controuersia erat circa matrimonium, num inter eos contractum fuerit, quæ causa Theatino Episcopo à Sede Apostolica commissa fuit, is virum à petitione mulieris, dum illa absens esset, absoluit, hoc cùm intellexisset mulier, à Pontifice impetrauit, vt alteri Iudici committeret, qui causam cognosceret ac definiret, iste Iudex citauit virum, qui infirmitatem prætendens comparere intermisit, & nocte insequente aliam sibi vxorem copulauit, ea propter Iudex delegatus in eum excommunicationis sententiam promulgauit, postea verò se sistens eidem Iudici, absolutionem ab eo obtinuit, exhibuitque insuper literas Episcopi Theatini, ex quibus apparebat ipsum sententionaliter à mulieris impetitione absolutum fuisse. Veruntamen quia mulier testes offerebat ad probandum, quibus dictus vir ipsam annulo dato publicè subarrhâsset, dubitabat Iudex delegatus quid sibi agendum esset; Respondet Clem. III. quòd non obstante absolutione illicita, quam Episcopus, contulit, in causa procedere, & viro sub excommunicationis pœnâ seuerè interdicere debeat, ne ad eam, quam superinduxit, accedat, priusquam causa decisa fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Infirmitas corporis vera & grauis excusat citatum à contumacia, nisi exercuerit actum non facilè consistentem cum graui infirmitate. Qui tamen nihilominus ad euitandam pœnam contumaciæ audiendus erit, si probare voluerit se verè impeditum fuisse per infirmitatem corporis.*
2. *Subarrhatio publicè facta per annulũ, olim introducebat præsumptionem matrimonii, hodie judicatur matrimonium si in præsentia parochi & testiũ, & si de eodem tractatus accedat, contrahendo verbis de præsenti.*
3. *Si subarrhationem antecedat tractatus sponsalium aut manûs spontanea oblatio, introducit præsumptionem sponsaliarum.*
4. *Ad redintegrationem matrimonii malè separati, quilibet è populo agere potest.*

NOT. I. Licet corporis infirmitas, si vera & grauis sit, citatum excũset à contumacia. *l. Quæsitum. 60. ff. de re judicata.* tamen hæc excusatio infirmitatis tollitur, si ille exercuit actum non facilè consistentem cum graui infirmitate, nihilominus etiam hoc casu ad euitandam pœnam contumaciæ, audienda erit pars, quæ comparere intermisit, si probare voluerit (v. g. Medicorum testimonio *l. Semel. 6. Cod. de re militari. libro. 12.*) se verè impeditam fuisse per ægritudinem, quo minùs compareret. Ita *gl. hîc verb. infirmitate. & verb. promulgâsti*; Et applicari hæc possunt etiam ad Canonicorum absentiam à choro propter infirmitatem. 1

Not. II. Subarrhatio, quæ publicè facta est per annulum olim introducebat præsumptionem matrimonii, seu desponsationis de præsente, vti docet *gl. in c. vlt. verb. subarrhauit. de desponsatione impuberum.* imò etiam hodie si in præsentia Parochi & testium tractatus antecedat de matrimonio 2

verbis de præsenti contrahendo, & annuli traditio & acceptio mox secuta sit, judicabitur Matrimonium, cùm non interfit verbis ne, an facto consensus exprimatur *l. 5. ff. Rem ratam haberi.* vbi dicitur non tantùm verbis ratum haberi posse, sed etiam actu, & notauit *Gloss. in c. Tua. verb. verba. de sponsalibus. Sanchez. l. 1. de matrimon. D. 22. n. 3.*

3 Sin autem antecessit duntaxat tractatus sponsaliorum de futuro, tunc annuli traditio, aut manûs spontanea oblatio introducet præsumptionem sponsaliorum, secundùm doctrinam Abbatis in *c. Cùm virum. n. 3. de statu regularium.* quòd tacens habetur pro consentiente, si agatur de obligatione personæ; & si interueniat actus positiuus, qui eam significare possit; secùs autem est, si sola taciturnitas adsit, vt si vir fœminæ manum capiens dicat: do tibi fidem de matrimonio contrahendo & mulier taceat, non est sufficiens signum sponsaliorum ait *Sanch. cit. D. 22. n. 6.*

Admonet porrò Innoc. hîc non constare, vtrum mulier citata ad Episcopum Theatinum contumax fuerit, nec ne; si contumax non fuerat, sententia Iudicis irrita fuit, sin autem contumax, tunc in causa ista Matrimonii non transeunte in rem judicatam iterum audienda est mulier, saltem allatâ probabili causâ, cur noua Iudicii instantia inchoanda & probationes admittendæ sint, imò hæc sufficiens causa esse debet, quòd pars contumax, cùm condemnata erat, non fuerit præsens, vt se defendere posset.

4 Addit *hîc Abbas. n. 7.* ex Hostiensi. *Gail. l. 1. observ. 112. n. 4.* & docent DD. *in c. Videtur. tit. qui Matrimonium accusare possunt.* quòd ad redintegrationem Matrimonii malè separati quilibet è populo agere possit, propter Sacramenti honorem & peccatum vitandum, quemadmodum & quilibet ad accusandum matrimonium seu impedimentum eius dirimens denuntiandum admitti debet. *c. vlt. de Clandest. desponsat.*

* * *

CAPITVLVM XI.

Consanguinei.

Paraphrasis.

Vir & Mulier matrimonium contraxerunt; quod postea accusârunt consanguinei testibus probantes, inter illos compaternitatis impedimentum intercedere, quapropter diuortii sententia in eosdem lata fuit, postea verò Mulier confessa fuit Episcopo loci, quòd commater Viri non fuit ante diuortium institutum, quamuis deinde compaternitatem cum eodem contraxerit, ac postea ad secundas nuptias transierit. Ad hunc casum respondet Clem. III. propter mulieris confessionem non recedendum esse à sententia Ecclesiæ rationabiliter promulgata, donec legitimis contrariis probationibus destruatur.

Svmmarivm.

1. *Sententia lata in causa matrimonij ad eius separationem propter impedimentum dirimens, non transit in rem iudicatam.*
2. *Ordinariè loquendo si intra decem dies contra sententiam appellatum non sit, causa manet judicata, decisa & irretractabilis.*
3. *Sunt aliquæ causæ in quibus non interpositâ appellatione per decendium noua judicii instantia postulari potest.*
4. *Et talis est causa matrimonialis.*
5. *Sententia peccati nutritiua nunquam transit in rem judicatam.*
6. *Sententia diuortij lata in causa matrimoniali ad solam vnius, vel vtriusque coniugis asserentis contrarium non retractatur.*
7. *Post sententiam diuortij, si alia judicii instantia petatur, alii testes producendi sunt.*

NOt. 1. Sententia lata in causa matrimonij ad eius separationem propter impedimentum dirimens non transit in rem judicatam. 1

2. Pro intellectu adverte, quòd ordinariè loquendo, si contra sententiam intra 10. dies appellatum non sit, ea causam judicatam

tam decisam & irretractabilem reddat, partim propter Iuris & Iudicis auctoritatem, partim propter partis non appellantis consensum & renuntiationem.

3 Sunt verò aliquæ causæ, in quibus non interposita appellatione per decendium nova Iudicij instantia postulari potest, saltem probabili allegatâ causâ, secundùm *Innoc. cap. Tenor. h. tit.* Et hoc est, sententiam non transire in rem judicatam: id est, rem seu causam non reddi ita judicatam & decisam, vt iterata cognitio & decisio peti non possit etiam ab ipsomet litigante, allegante propriam turpitudinem & inconstâtiam suam, si videlicet confessus fuerit, quod iam negat, prout tradunt DD. nominatim *Abb. in cit. cap. Lator.* Quòd turpitudinem suam licitum est allegare, si non allegando periculum animæ inferatur.

4 Talis itaque causa, in qua sententia lata non transit in rem judicatam, est matrimonialis, propterea quòd nec Iuris, nec Iudicis auctoritas, nec partium consensus aut renuntiatio efficere possit, vt matrimonij legitimè contracti separatio fiat, sed neque vice versâ, vt matrimonio non legitimè contracto, subsistente impedimento eius dirimẽte, vir & mulier carnaliter coniungãtur, cùm agatur de periculo animæ, quemadmodum regula traditur apud eundem *Abb. in cit. c. Lator.* v. g. quòd sententia peccati nutritiva nunquam transit in rem judicatam.

Nor. II. Propter solam confessionem
5 aut dictum seu vnius seu vtriusque coniugis, nullum inter ipsos intercedere impedimentum, nõ redintegratur matrimonium, quod ante rationabili & legitimo judicio Ecclesiæ videlicet secundùm allegata & probata separatum fuit, quemadmodum nec ob confessionem aut dictum vnius vel vtriusque intercedere impedimentum, separatur matrimonium, quod antea cum Ecclesiæ approbatione contractum erat. *c. Super eo. 5. De eo qui cognouit.* & notat *Gloss. finalis hic.*

Id denique rectè monet eadem Glossa. si post coniugum separationem judicio Ecclesiæ factam, alia judicii instantia petatur, quia dicitur errorem commissum esse, seu nullum impedimentum intercedere, tum alios testes producẽdos esse, propterea quòd Iudicij instantiam postulans priores testes periuros esse dicat, ideóque inhabiles ad testificandum, iuxta *cap. Sicut. 9. De testibus.*

CAPITULUM XII.

PARAPHRASIS.

Cùm Archidiaconus Ecclesiæ Magalonensis vacaret, Episcopus nominauit P. de Castro nouo, sed Præpositus dictæ Ecclesiæ protestatus est, Archidiaconum instituti non debere, nisi duplici sibi concesso suffragio, & si id negetur, ad Sedem Apostolicam adversùs institutionem appellavit, verùm hoc non obstante, Episcopus dictum P. per annulum investiuit, at verò Præpositus alium nominauit; postea ab vtraque parte missi sunt procuratores ad Sedem Apostolicam.

Cœlestinus Papa intellectâ hac controuersiâ, vtriusque partis acta cassauit; insuper pronuntiauit scribendum esse ad quosdam, vt Episcopum, Præpositum & alios ad Archidiaconum concorditer instituendum disponerent; sin autem hoc impetrare non possint, vt ipsimet aliquem instituant; postea verò idem Cœlestinus, contra Priorem suam pronuntiationem, G. qui nondum Diaconus erat, ignorante Episcopi Procuratore Romę tunc morante, Archidiaconatum contulit, sicut credere licet circumventus. Quare Innoc. III. inhærens vestigiis suorum antecessorum dicentium: quòd sententia Romanæ Sedis in melius commutari possit, si aliquid falsitatis obrepserit, collationem ipsi G. factam (non obstante quòd etiam Episcopus Magalonensis eandem collationem non sine Apostolicæ Sedis illusione eidem fecisse narretur) in irritum revocat, eíque licet absenti super dicto Archidiaconatu perpetuum silentium indicit, atque insuper Capitulo præcipit, vt Archidiaconum convocatis omnibus,

qui in Ecclesia præsentes sunt, Canonicis, ordinare aggrediantur.

SVMMARIVM.

1. *Potest de consuetudine Præpositus simul & Canonicus duo suffragia habere.*
2. *Quo casu non potest ea suffragia duo in diversos diuidere & duos eligere.*
3. *Si Papa, vel alius Ordinarius contra præcedentem suam sententiam conferat beneficium, vel rescriptum gratiæ prioris sententiæ immemor, obreptitia est collatio beneficij & rescriptum.*
4. *Ampliatur hæc doctrina.*
5. *Si impetratur rescriptum litis à parte, parte alterâ vel eius procuratore præsente, citari ea debet.*
6. *Sententia principis ob falsitatis vel erroris obreptionem reuocari & mutari debet.*
7. *Illudi censetur Sedi Apostolicæ, si Papa postquam contulit beneficium, inferior collator idem conferre velit.*
8. *In facto notorio, ita vt liquido constet, nullam reo defensionem competere posse, valet sententia lata contra absentem, etiam non citatum.*

1 NOt. I. Si Ecclesiæ alicuius consuetudo sit, vt personatum gerens, v. g. Præpositus, vocem in Capitulo habeat, tametsi Canonicus non sit, tunc si Præpositus etiam Canonicatum habeat, duplicem vocem in Capitulo habere debet, ita colligi videtur ex hoc Capitulo, & tradit hîc *Innoc. III. in principio.* Quia fortè, ait ipse, plurium personarum vicem gerebat, videlicet Præpositi & simplicis Canonici. *Ioan. Andr. hîc. n. 8.* benè limitat, nisi sit alia consuetudo Ecclesiæ videlicet, vt tametsi aliquis diversa officia habeat, quibus singulis seorsim jus suffragij competat, tamen si ea in vna persona concurrant, non nisi ei vox vna concedatur. Quam consuetudinem æquissimam esse censet, vt nullus in vno corpore seu Collegio plura suffragia habeat jure sui capitis, licet plura habere possit ex aliorum commissione, seu vt Procurator aliorum, idémque sequitur *Abb. hîc. n. 2. & alij.*

Id verò addendum est, si consuetudo sit, 2
vt Præpositus simul & Canonicus duo suffragia habeat, quod nō debeat ea dividere in diuersos, seu diuersos eligere, sed vnū pro vno suffragium dare, licet id æquiualeat duobus propter duplicem qualitatem & duplex jus eius. *argumento. c. Si quis. 46. §. Porrò. de elect. in 6.*

Notand. II. Si Papa, aliúsue Ordinarius aduersùs præcedentem suam sententiam, collationem faciat, aliúdue rescriptum etiam gratiæ tribuat, prioris sententiæ seu pronunciationis mentionem nullam faciens, censeri debet collatio, aut rescriptum obreptitium, ita sumitur ex text. & notant DD. communiter, nominatim *Abbas. n. 13.* & habet locum doctrina 1. Tametsi collatio aut rescriptum gratiæ proprio motu emanârit, quia motus proprius non confirmat gratiam contra præsumptam intentionem concedentis; secundùm *Ioannem Andr. in c. Si motu. princip. de præbend. in 6.* 3

2. Habet locum non tantùm in collatione beneficii facta contra interlocutoriam sententiam, aut priorem reseruationem. v. g. factâ Legato pro Titio (si postea nullâ eius mentione facta alteri conferatur) sed etiam in duabus interlocutoriis, ita vt posterior priori contraria eius nulla mentione factâ per circumuentionem emanare censeatur, vti docet *gl. hîc verb. circumuentus.* præterquam si ex circumstantiis appareat Iudicem prioris. v. g. paulò ante prolatæ interlocutoriæ sententiæ rectè memorem esse, sicut *Abbas. hîc. limitat. n. 13.* quandoquidem in facto proprio ac recente, ignorantia facilè præsumenda non est, *argumento. c. Abexcommunicato. 41. de rescriptis.* 4

Notand. III. Si impetretur rescriptum 5
litis à parte, altera vel Procuratore eius præsente in Curia, citari ea debet. Ita *Alexand. hîc. not. 4. post Hostiens.* qui testatur ita seruari in Curia Roman. videri potest *Abbas. hîc. n. 16.*

Notand. IV. Sententia Principis propter 6
falsitatis seu Erroris obreptionem reuocari & mutari debet, consentit *cap. Tùm ex literis. 5. de in integrum restit.*

Not.

6 Notand. V. Si postquam Pontifex beneficium contulit, inferior collator se immiscere & idem conferre velit, Sedi Apostolicæ illudi censetur; ita *gl. hîc. & Alex. not. 5.* Quia hæc res speciem habet quasi inferior potestas antecellat superiori.

8 Not. VI. Si notorium sit factum, adeò vt etiam liquidò constet, nullam Reo condemnando defensionem competere posse, valet sententia lata contra absentem, etiam non citatum. *argumento. c. Ad nostrum. 21. de jureiurand. & notat gl. verb. absenti. Bart. in l. 1. §. Si de frumentar. ff. de administr. rerum &c. Alexand. hîc. not. 6.* & videri potest *Abbas. n. 20. & seqq.* vbi aliam Regulam confirmat, quod in facto notorio si possit aliqua defensio Reo competere, semper requiritur citatio, aliàs sententia erit nulla, quippe contra jus naturale.

CAPITVLVM XIII.

Cùm inter.

PARAPHRASIS.

Abbas & Conuentus S. Zenonis Veronens. nomine Monasterii sui agebant contra Archipresbyterum & Clericos S. Proculi, proponentes, quòd eorum Ecclesia Monasterio pleno jure subiecta esse debeat, videlicet quoad institutionem & destitutionem, investituram Archipresbyteri, fidelitatis promissionem ab Archipresbytero Abbati faciendam, eiusdem quoque & fratrum suorum obedientiam, præsentationem ad ordinem & tonsuram, Chrismatis vnctionem, Litanias, siue Processionem, & similia, quibus plena subiectio significatur, ad eámq; probandam ex parte Monasterii exhibitum fuit publicum instrumentum concessionis factæ à B. quondam Veronensi Episcopo, quam concessionem eius successor G. ratam habuit, & confirmauit; insuper quoque Romanorum Pontificum & Aquilegiensium Patriarcharum priuilegia & confirmationes productæ sunt, quorum vnus in priuilegio suo de subiectione plenariâ expressè meminit, fuitq; hoc priuilegium conditũ sub testimonio R. postea Veronens. Episcopo, qui illo tempore eiusdem Ecclesiæ Archipresbyter fuit, petiítque, vt Prior S. Zenonis suo loco subscriptionem faceret (quia ipse fortasse non poterat) præterea ex parte eiusdem Monasterii propositum fuit, quòd inter B. quondam Monasterij Abbatem & Archipresbyterum S. Proculi ac fratres eius, olim controuersia orta fuerit super fidelitate & obedientia manuali; nam ad hæc duo se Abbati obligatos esse negârunt, & testes produxerunt, denique verò Episcopus Veronens. Cardinalem quendam sequens, qui hoc idem antea judicauerat, sententialiter definiuit, vt vel Archipresbyter Ecclesiam dimittat, vel Abbati obedientiam promittat, quæ sententia, cùm ab ea appellatum non fuerit, in rem judicatam transiit, atque insuper 50. anni elapsi sunt, ex quo Monasterium S. Zenonis in possessione Ecclesiæ S. Proculi tanquam pleno jure subiectæ permansit. Tametsi verò supradicto donationis seu concessionis instrumento fortasse non multum innitendum sit, sed neque confirmationibus, seu priuilegiis sequentibus, quippe quæ à priori instrumento illo causam & originem acceperunt, tamen cùm inter litigantes ipsos ex lata sententia jus factum sit, posteaquam in rem judicatam transiit, etsi poneremus contra jus litigatoris latam fuisse (quandoquidem non expressè contra legem lata fuit) ideò veritas judicialium actorum, quæ ob auctoritatem rei judicatæ legitima præsumuntur, prævalere debet sermonibus seu verbis priuilegiorum, ac proin definit Papa Innoc. III. vt Archipresbyter S. Proculi, qui pro tempore fuit, fidelitatem & obedientiam præstet Abbati S. Zenonis.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia sæcularis potest per specialem concessionem aut præscriptionem esse subiecta*

cta alteri Ecclesiæ non Cathedrali, etiam sæculari.

2. *Prælatus Ecclesiæ non Cathedralis aliam Ecclesiam sibi subiectam petens, specificare debet actus, in quibus subiecta sit.*
3. *Sententia, à qua non est appellatum, constituit jus parti, pro qua judicatum fuit, quod ante appellationem tantùm declarat.*
4. *Iudex certò cognoscens iniquitatem suæ sententiæ, jurare debet, ne pars, pro qua lata fuit, executionem petat, vel sententiam retractari permittat. Et ad hoc pars tenetur, si & ipsa certa sit de sententiæ injustitia.*
5. *Testis instrumentarius petere potest, vt alius vice suâ subscribat, si ipse scribere nesciat, vel impeditus sit, v. g. mancus.*
6. *Episcopus ne quidem cum consensu Capituli à se omnino eximere potest Ecclesiam suæ diœcesis.*

1 NOT. I. Ecclesia sæcularis per specialem concessionem aut præscriptionem potest subiecta esse alteri Ecclesiæ non Cathedrali etiam sæculari. Consentit Capitulum *Auditis 15.* de præscriptionibus, quòd si tali casu Ecclesia inferior negat, aut subtrahit fidelitatem & obedientiam Monasterij Abbati, agere is potest contra eam, quæ dicitur subiecta, neque opus est, vt agat contra superiorem, v. g. Episcopum, qui Ecclesiæ jura de facto possidet, sicuti hîc docet *Abbas n. 1. & in c. Auditis. n. 19. Alex. hîc n. 30.* vbi ait: quòd in tali casu agi possit contra vtrosque videlicet subditos subtrahentes obedientiam, & superiorem eos possidentem, sed sententia lata contra vnam partem non præiudicet alteri parti.

2 Not. II. Cùm Prælatus Ecclesiæ non Cathedralis aliam Ecclesiam sibi vt pleno jure subiectam petit, specificare debet actus, in quibus subiecta sit, quandoquidem ex jure communi fundatam intentionem non habet, sed jure speciali alicuius concessionis aut præscriptionis niti debeat, quod jus cùm ordinario Episcopali juri præiudicet, extendendum non est, vel ut clariùs dicam, non plus juris competere censetur, quàm præscriptum aut concessum ostendatur, *juxta citatum cap. Auditis.* & docet *Abbas hîc n. 5.*

Not. III. Licet sententia cùm primùm 3
prolata est, jus inter partes contendentes non constituat, sed declaret secundùm *Gl. in c. Foras 10. verb. Iuris status. ff. de verb. signif.* Tamen post decem dies, si appellatum non sit, jus constituit parti, pro qua judicatum fuit contra alteram partem, ita vt hæc non audiatur, si iterum productis actis, aliáve ratione ostendere velit, injustè judicatum esse. Ratio est, quia ex juris dispositione post lapsum decendium præsumptio est pro sententia, justè latam fuisse, ita vt in contrarium probatio non admittatur, *juxta l. Res. ff. de Regul. Juris.* vbi dicitur, quòd res judicata pro veritate habetur.

Ex quo sequitur 1. Si sententia notoriè iniusta sit, quia eius iniquitas ex actis manifestè constat, pro irrita habendam esse, sicut ex communi docet *Abbas hic n. 8. Vantius de nullitatibus. tit. de defect. processus. n. 127. argumento l. Si pars. 10. de inofficioso testamento*; nihil enim magis repugnat Iudicis sententiæ, quàm notoria iniquitas, cùm & ipsa sententia jus quoddam sit, vnde & Iudex appellatus est quasi jus dicens. Accedit quòd sententia Iudicis post 10. dierum lapsum confirmata, sancta & irretractabilis censeatur propter Iustitiæ præsumptionem, quam ob Iudicis auctoritatem, ipsiúsque partis non appellantis taciturnitatem acquirit; præsumptio autem cessat, si contraria veritas notoria sit, prout dixi etiam *in cap. 1. hoc tit.*

Sequitur 2. Si pars, pro qua sententia lata 4
fuit, pro certo habeat, eam iniustam esse, & contra jus alterius litigatoris, non potest ei salua conscientia se conformare, aut eius executionem petere, vel acceptare, sicuti benè hîc tradit *Abb. num. 8.* imò si pars litigans confiteatur, iniustam esse, retractari debet, vt idem *Abbas* docet. nam Regula illa, quòd res judicata pro veritate habetur, & quòd jus inter partes facit, limitari debet, nisi contraria iniustitia indubitata sit.

Sequi-

Sequitur 3, Si Judex latæ à se sententiæ iniquitatem certò cognoscat, tum parti, pro qua prolata fuit, intimare debet, vt eius executionem non petat, vel factam retractari sinat, vide quæ docui *in cit. c. 1. & lib. 3. tr. 6. de justitia. c. 2. q. 3.*

Obijcies, Pontifex in hoc Cap. distinguit num sententia lata sit contra jus litigatoris, an contra jus constitutionis, aitque in priori casu valere sententiam, in posteriori autem non valere, si error siue repugnantia juris aut legis in sententia expressa sit tacitè insinuans valiturum, si expressa repugnantia non sit.

Resp. Hæc dicta Pontificis secundùm præsumptionem intelligenda esse, videlicet licet ex vna parte videri possit sententiam latam esse contra jus litigatoris, vt in casu huius Capituli, prout dicemus in Not. 5. tamen ex altera parte prævalere præsumptionem, quæ est pro justitia sententiæ, si ab ea appellatum non sit, cùm sciri non possit, ex quibus causis Iudex motus fuerit ad sententiam ferendam, idémque dicendum videtur, si sententia videatur esse contra jus cõstitutionis, tamen id manifestum aut notorium non existat, at verò si error seu repugnantia Iuris in sententia exprimatur, si videlicet Iudex sententiam suam fundet contra jus commune, tum manifesta & notoria est eius iniquitas.

Addit verò *Ioan. Andr. ex Hostiensi in c. In præsentia. de renuntiatione.* Si Iudex in sententia suas causas exprimat, quarum vna sola sit contra jus constitutionis seu legem, valituram sententiam, si ex altera causa subsistere possit, quia vtile per inutile vitiari non debet. *Reg. 37. in 6.*

5 Not. IV. Testis instrumentarius petere potest, vt alius vice sua subscribat, quod intellige, si ipsemet scribere nesciat, aut impeditus sit. v. g. mancus, *secundùm glossam hîc, verb. vice sua.*

6 Not. V. Episcopus ne quidem cum cõsensu Capituli à se omnino eximere potest Ecclesiam suæ diœcesis, prout docet *glossa recepta in c. 1. verb. tradite. 16. q. 2.* Quòd Episcopus Ecclesiam à se totaliter eximere non possit, ita, vt correctionem, visitationem, procurationem & Cathedraticum non retineat, *argumento cap. Cùm Venerabilis.* vbi id fusè tradit *Ioan. Andr. n. 7. de censibus.* & indicatur in hoc c. Quando dicitur, licet instrumento donationis ab Episcopo factæ multum innitendum non videatur, tamen propter rei judicatæ auctoritatem ita præsumendum esse, quòd Ecclesia S. Proculi ab Episcopali interdictione libera Abbati S. Zenonis plenò jure subiecta censeatur, & existat. Ratio huius notandi est, tum quia Episcopus non potest alium in diœcesi præter se ordinarium constituere, vti docui *in disp. de jurisd: ordin. c. 3.* Tum quia absurdum est, quòd Episcopus Episcopalem suam curam & jurisdictionem erga aliquos sibi commissos sine Papæ auctoritate omnino exuere possit, sicut *Ioan. Andr. hîc notat*, quare eâdem ratione nec Parochus curam à se erga aliquem abdicare poterit.

CAPITVLVM XIV.

Causam.

PARAPHRASIS.

Inter Canonicos Novarienſ. Ecclesiæ ex parte vna, & A. Clericum ex parte altera controuersia erat super dictæ Ecclesiæ præbenda. illam Pontifex ex partium consensu commisit Episcopo Laudensi, qui sententiam pro Canonicis tulit, à qua Clericus A. ad Pontificem appellauit, cùm autem partes coram Pontifice constitutæ in vtrámque partem pro & contra justitiam prioris sententiæ multa adduxissent, Innoc. III. diligenti tractatu præmisso respondit: Licet ex parte A. propositum, & testium depositiones productæ sint, quòd Episcopus contra formam mandati Apostolici sententiã promulgârit; quia tamen animus Iudicis non semper ad vnã tantùm probationis speciem inclinatur, & alioquin Episcopi sententia nil iniquum continet, considerato etiam quòd causa ex partium communi consensu eidem fuerit commissa, quĩ

etiam, vt sententiam post causæ examinationem ferret, ab vtraque parte requisitus fuit ob has causas se sententiam dictam confirmare.

SVMMARIVM.

1. *Etiam à judice qui ex communi partium consensu impetratus, appellari potest, vti & à judice cuius jurisdictionem partes prorogârunt.*
2. *Afferuntur aliquot limitationes.*
3. *Difficiliùs sententia semel lata rescinditur, si judex ab vtraque parte electus est qui tamen nihilominus etiam in hoc casu, de eius justitia cognoscere debet.*
4. *Ostenditur modus cognoscendi & pronuntiandi in tali appellationis causa.*

1 NOt. I. Tametsi Iudex ex cõmuni partium consensũ impetratus sit, tamen ab eo appellari potest. *l. Ex consensu. 33. ff. de appellationibus.* Idémque sentiendum, si partes ad Iudicem non suum accedant prorogantes jurisdictionem eius. *l. Ex concessu.*

2 Excipe 1. Casum specialem legis *Episcopale 9. de Episcopali audientia.* vbi statuitur, si aliqui (videlicet laici) Episcopi Iurisdictioni in causis ciuilibus se committunt, appellationi locum non esse. Ita *Abb. n. 1. Alex. n. 2.*

Excipe 2. Si à Iudice, cuius jurisdictio prorogatur, subditi appellare non possint, neque prorogãtes jurisdictionem ab eo appellare possunt, sicuti docet *Bart. in cit. l. Episcopale. Gl. in c. B. & G. verb. prorogatio. de off. deleg.* vbi rationem dat, quia jurisdictio prorogata non fit alia (cùm partes jurisdictionẽ conferre non possint) sed extenditur, ideóque eiusdem naturæ manet, adeò vt si prorogetur jurisdictio ordinaria, maneat ordinaria, sin delegata ad alias causas prorogetur, maneat delegata.

3 Not. II. Faciliùs præsumitur pro Iudicis sententia, siue vt aliter dicam, ea difficiliùs tanquam iniustè lata rescinditur, si Iudex ab vtraque parte electus sit. Veruntamen Iudex appellationis etiam in hoc casu cognoscere debet de justitia sententiæ prioris revolvendo acta eius, quia pendente appellatione non est præsumptio pro justitia sententiæ, quandoquidem de illa cognosci debet. Quapropter si Iudex à quo contra 4
actorem pronuntiauit, & ex actis cognoscatur, quòd actor intentionem suam legitimè probârit, retractari debet sententia *c. cùm Berchtold. 18. hoc tit.* & vice versa si Iudex sententiam tulit pro Actore contra Reum, at verò ex actis apparet, actorem non probâsse sufficienter, retractanda est sententia. *argumento. c. Cùm ad sedem. 15. verb. Nos prioris. de restit. spoliat.* Sin autem inspectis actis res dubia sit, quia videlicet non constat, testes productos in priori Iudicio fuisse integræ fidei, neque sciatur quibus aliis præsumptionibus seu in vnam seu in aliam partem nixus fuerit Iudex, adeóque res planè dubia sit, quia neque in posteriore seu appellationis judicio nouæ probationes afferuntur, hoc casu prioris Iudicis sententia, maximè si ex vtriusque partis consensu electus fuerit, confirmanda erit.

Et hic videtur esse casus huius Capituli, interprete *Alex. de Nauo in fin.* fortasse enim scripserat Pont. pro Clerico ad Episcopum, vt si constaret, eum à maiore parte Capituli electum esse, ipsum institueret. Clericus autem ille produxit testes, qui deposuerunt de tali electione, quo tamen non obstante sententia contra ipsum lata fuit. hoc casu Pontifex, cùm eadem sententia iniustitiæ accusaretur, per viam appellationis: Respondit tametsi considerando solam illam testium depositionem, pro actore Clerico sententia ferenda fuisset secundùm formam mandati, quia tamen non satis constabat, quòd probatio, seu depositio fuerit omni exceptione maior, aut qnas alias Iudex in vtramque partem præsumptiones habuerit, & vno verbo, cum iniustitia sententiæ inspectis ac perpensis omnibus, quæ coram Iudice appellationis exhibita sunt, non satis appareat, ideò sententiam eiusdem præsertim cum cõmuni consensu impetratus sit, & ex vtriusque partis requisitione pronuntiârit, non rescindendam, sed confirmandam esse.

CAP.

CAPITVLVM XV.

Quoad Consultationem.

PARAPHRASIS.

Clerico cuidam, qui v. g. de iniusto damno illato suspectus erat, purgatio indicta est, ita vt nisi intra dies 20. se purgaret, certam pecuniam solueret, hanc conditionem cùm acceptâsset, adueniente postea die seu termino elapso appellauit, nullâ expressâ causâ; hoc casu appellatio eius recipi non debet, quia cùm intra 10. dies appellare intermiserit, ideò post hoc tempus sententia in auctoritatem rei iudicatæ transiit, ipséque Clericus per Iuris interpretationem sententiæ latæ acquieuisse censetur, vt proinde appellare postea non possit, præsertim nullâ redditâ appellationis causâ, sed neque executio sententiæ contra eundem Clericum latæ, circa pecuniam damnificato soluendam retardari debet, tamersi tempus quadrimestre, quod ordinariè talium debitorum solutioni jura indulgent, necdum elapsum sit, quia hoc tempus à Iudice breuiari & prorogari potest. Accedit, quòd, cùm Clericus terminum breuiorem sponte acceptârit, sibi ipsi hoc imputare debet. Veruntamen si contra eum modus & forma executionis à Canonibus præscripta excedatur, tum audiri debet conquerendo.

SVMMARIVM.

1. *Tempus 10. dierum pro appellatione concessum, incipit à momento latæ sententiæ, nisi copia haberi non posset judicis à quo, vel ad quem appellandum esset.*
2. *Si pars litigans intra decendium cùm possit, non appellat, censetur acquiescere sententiæ.*
3. *Tempus à jure definitum pro executione sententiæ, quod in personalibus debitis est quadrimestre, judex ex justa causa breuiare vel prorogare potest.*
4. *Ab executore mero ordinariè appellari non potest, nisi limites mandati excedat.*
5. *Nullitas sententiæ semper opponi potest contra executionem. Et tunc de tali exceptione cognoscere potest merus executor, vti & de ea, quæ solùm accidentarium quid proponit, non directè judicis sententiam oppugnans.*
6. *Appellatio ab executione, si de eius jure sit, deferri debet ad judicem pronuntiantem, si de eius facto, ad superiorem judicis mandantis, casu quo executor exequi vult, prout mandatum est, secus ad judicem mandantem. Poterit etiam in hoc casu sine appellatione, judicis officium implorari.*
7. *Si judex sententiam suam exequitur per alium (vt interdum solet) judicem seu superiorem, appellatio ad quem deferenda?*
8. *Appellans ab executione sententiæ, causam exprimere debet.*

NOt. I. Tempus dierum 10. quod jura ad appellandum indulgent, incipit à momento illo, in quo sententia lata est, præterquam si nec Iudex à quo seu coram quo appellatio facienda esset, neque Iudex, ad quem appellari debet, copiam sui faciat, nam interea tempus non currit. *l. 1. §. dies. ff. quando appellandum.* & refertur in *c. Biduum. 29. c. 2. q. 6.* His adde, quæ dicentur in *c. vlt. de appellationibus.* 1

Not. II. Si pars litigans, contra quam sententia lata est, intra 10. dies non appellet, cùm posset appellare, censetur acquiescere sententiæ. Consentit *l. ab eo. 3. C. quomodo & quando &c. & l. vlt.*) *de sententia, qua sine cert. quant. in fine.* vbi dicitur: quòd condemnatus nõ appellans, videatur confirmare sententiam, id tamen intelligi debet in eum effectum duntaxat, vt postea non audiatur, tanquam qui sententiæ acquieuerit, sed absolutè loquendo præsumptio illa falsa est, cùm frequentissimè alia causa sit appellationem intermittendi, videlicet, quia lites aliquis exec ratur, vt malit re carere, quàm toties litigare. *l. item si. 4. in fin. ff. ne alienatione judicii mutandi causâ.* præsertim si animaduertatur, quòd Iudex ad quem, non facilè rescindat sententias latas à Iudice inferiore. 2

4 Not. III. Tempus à jure definitum pro executione sententiæ, quod in personalibus debitis quadrimestre est, Iudex ex causa justa breuiare vel prorogare potest *l. 2. & l. 4. §. Si quis condemn. ff. de rejud.* & tradit *gl. hîc. verb. actori.* sed causæ cognitione non præmissâ, non potest tempus mutari, prout tradit *gl. citat. Felin. hîc. n. 8.* addens, quòd nec prorogari possit sine causa. Dynus & alii in *Reg. 17. in 6.* indultum à jure beneficium non est alicui auferendum.

5 Not. IV. A mero executore ordinariè appellari non potest. *l. Ab executor. 4. ff. de appellationibus.* Ratio est, quia ipse exequendo non grauat, sed si grauamen contingit, id à Iudice, cuius sententia executioni mandatur, illatum est.

Excipe, nisi executor formam aut limites mandati excedat, *juxta c. nouit. 48. de appell.* vt si partes Iudicis sibi vendicauit, aut sententiam interpretari velit, cùm talis potestas mero executori ac nuntio non competat. *l. Si vt proponis. de executione rei judicatæ*, aut si exequi velit ante tempus; vel non secundùm ordinem præscriptum v. g. vt à debitore priùs capiantur bona mobilia. *l. à Diuo. 15. §. in vendit. ff. de rejud.* & videre licet in *gl. fin. hîc. apud Alexand. n. 57.*

His adde 1. Quòd nullitas sententiæ semper opponi potest contra executionem, vti videre est apud *Durand. in specul. l. 2. p. 1. tit. de except. & replicationibus. §. 3. n. 14.* nam talis exceptio nulliratis, quæ exceptio judicium retrò nullum reddit, v. g. Judicem non fuisse competentem, procuratorem fuisse falsum seu mandato destitutum, post latam sententiam semper opponi potest *c. in nostra. 4. de procuratoribus.* Quare hoc casu executor merus cognoscere potest de exceptione contra sententiam, vt appareat, num eam exequi debeat, an verò supersedere, & causam ad superiorem seu mandantem remittere. *c. de cætero. 5. hoc. tit.* & tradit *Gail. l. 1. obseru. 113. n. 8. Joann. Andr. hîc. n. 21.* Qui ait: nisi sententiam manifestè constet nullam esse, executorem impediri non posse ab executione.

Adde II. Si exceptio, quæ obiicitur, talis sit, vt sententiã Iudicis directè non oppugnet, seu iniustitiæ arguat, sed accidẽtarium quidpiam proponat, cognoscere de eo potest executor, vt intelligat exequíne debeat, v. g. si dicatur factam esse nouationem. i. e. nouam conuentionem super sententia condemnationis, *l. 4. §. Si ex conuentione. ff. de rejudicata.* vbi *Bart. & Paul. de cast.* videri possunt, aut si dicatur compensatione alióue modo satisfactum esse debito; *cit. l. 4. §. condemnat. verb. soluisse.*

Quæritur I. Si appellandum sit contra 6 executionem, ad quem Iudicem appellatio deferri debeat. Ad hoc Resp. *Abbas. hîc n. 28. Alex. n. 65. ex Bart. in cit. l. Ab executore. & cit. l. A Diuo. §. Sententiam.* vel appellatio fit de jure executionis, dicendo malè pronũtiatum esse super executione facienda, tunc appellatio tendere debet ad Iudicem pronuntiantem; quare si talis sit, à quo appellari non possit, locus non erit appellationi, vel appellatio fit de executionis facto, & hoc casu vel executor exequi vult, prout ipsi mandatum est, tunc appellatio ad superiorem tendit Iudicis mandantis, quia ipse est qui grauat, nõ executor seu nuntius, is enim potiùs facere aliquid censetur, cuius nomine & mandato id fit, præsertim si is tanquam subditus aut famulus parére debeat, quâ de re *l. 3. tract. 2. de just. c. 6. n. 2.* Sin autem executor modum excedat, vel aliter ipse grauet, tum ad Iudicem mandantem appellatio deuoluetur, poterítque sine appellatione Iudicis officium in hoc casu implorari, *test. Bartol. in cit. l. Ab executore. num. 4.*

Denique interdum Iudex sententiam suam exequitur per alium Iudicem, seu Superiorem, ídque duobus modis; vel vt alter Iudex proprio jure post denuntiationem sibi à Iudice priori factam, sententiæ executionem faciat, quæ in rem judicatam transiit. *c. Romana. §. Contrahentes. de foro compet. in 6.* tunc appellatio deferri debet ad superiorem Iudicis executionem facientis, ídque multò magis locum habet, si condemnatus ab vno Iudice, postea apud alterum pro executione conueniatur actione in factum

ctum, seu actione judicati, teste *Bart. in cit.* §. *Sententiam.*

Vel vt alter Iudex auxilium prębeat priori Iudici exequi volenti, & hoc casu distinguitur, num sit auxilium facti, v. g. manum militarem subministrando, hoc casu appellandum est ad superiorem Iudicis exequentis, cui auxilium ministratur, quia ipse est, qui principaliter grauat; an verò sit auxilium juris, quia v. g. sæcularis Magistratus petit ab Ecclesiastico Prælato, vt pro executione facienda condemnatum parére recusantem excommunicet, hoc casu appellari potest ad superiorem excommunicare volentis, secundùm *Bart. cit.* §. *Sententiam. n. 6.* sed *Abb. & Alex.* dicunt appellari etiam posse ad superiorem eius, qui Ecclesiasticæ potestatis auxilium implorat, cùm sit causa illati grauaminis. *Arg. c. vlt. de injuriis.*

§ Quæritur 2. Vtrùm appellans ab executione sententiæ causam exprimere debeat. Responsio est affirmativa, cùm *Abb. hîc. n. 30. Alex. n. 70. Felin. n. 18.* Rationem dat Abbas, quia interpellans à sententia interlocutoria, causam grauaminis exprimere debet. *c. Vt debitus. 59. de appell.* sed executio aut sententia executionis faciendæ interlocutoria est, aut vim interlocutoriæ habens, &c. sed hæc ratio non probat, vti benè notat *Alex. n. 74.* quia sententia excommunicationis potiùs habet vim definitivæ; propterea, quòd eam alia non sequatur. quare alia ratio dari debet, quam etiam Abbas affert; cùm appellatio ab executione sententiæ ordinariè interdicta sit, ideò audiendus non est appellare volens, nisi causam afferat, nam alioquin præsumptio adest contra illum, & pro valore sententiæ, quæ in rem judicatam transiit.

CAPITVLVM XVI.

Sicut.

Paraphrasis.

Controuersia erat inter H. Subdiaconum, & B. Presbyterum super quinque modiis frumenti, quos H. sibi à Presbytero annuatim soluendos proponebat, ea causa Iudicibus delegata est coram quibus H. modios sibi debitos petebat. Presbyter autem negabat se debere, propterea, quòd antea super hoc conventus fuerit, & per sententiam absolutus, idque duobus testibus probauit, ex quorum depositione constabat, quòd Magister A. auctoritate Lugdunensis Episcopi Presbyterum à petitione H. absoluerit; sed quia testimonia nudè prolata erant, non adiectâ causâ, ex qua Iudex motus fuerit ad ita pronuntiandum, dubitârunt Iudices, quid statuere deberent. Resp. ipsis Innoc. III. hîc, quandoquidem in plerisque locis, in quibus prudentum copia habetur, id vsitatum est, vt quæ Iudicem ad sententiam ferendam mouent, in ea non exprimantur, ideò cùm testes deponant de sententia à Iudice prolata, propter auctoritatem judiciariam præsumendum, quòd omnia legitimè acta sint.

Svmmarivm.

1. *Pensionarius recusans solutionem pensionis quasi indebitæ illi, qui diu erat in possessione exigendi eam tanquam debitam, spolium committit, & tenetur interdicto, vnde vi.*
2. *Actus ad cuius substantiam requiritur scriptura, eâ peditâ probari potest per duos testes.*
3. *Sententia judicis valida est, licet nulla in ea causa expressa sit, nisi interdum per accidens, ad quosdam effectus.*
4. *Si constet sententiam à judice latam esse, propter judiciariam authoritatem, præsumitur, omnia legitimè facta fuisse.*

Not. 1. Si quis longo tempore fuerat in possessione exigendi annuam pensionem tanquam sibi debitam, & pensionarius incipit eius solutionem recusare, quasi debita non sit, censetur spolium committere, vt locus sit interdicto vnde vi; ita colligitur ex *hoc c.* & habetur *in c. Querelam. 24. de elect.* Tradit hîc *Abb. n. 2. Felin. n. 1.* vbi aiunt: esse hunc textum singula- 1

rem secundùm quem agi possit interdicto possessorio pro juribus merè personalibus ad pensionem solvendam, vide quæ dixi in *cit. c. Querelam.*

2 Not. II. Actus, ad cuius substantiam requiritur scriptura, videlicet lata sententia *c. vlt. h. tit. in 6. l. 2. C. de sententiis ex periculo recitandis*, probari potest per duos testes, si scriptura deperdita sit. *c. Cùm olim. 12. de priuileg.* & notat *Abbas hîc n. 4. Masard. de probationibus concl. 908.* vbi ait tria hoc casu esse probanda videlicet actum celebratum fuisse, instrumentum super eo confectum, illúdque amissum, juxta *l. testium. 18. C. de testibus.* & videri potest *Bald. ibi. n. 3.* vbi ait: quòd instrumenta interdum perduntur casu fortuito, videlicet incendio, naufragio &c. tunc qui casum allegat, debet eum probare, probato autem casu, sufficiunt duo testes ad probandum instrumentum & tenorem eius; verùm quod attinet ad casum amissionis, si probatio difficilis sit, ad coniecturas, præsumptiones, & juramentum confugiendum erit. Vide *Felin. hîc & Canonist. in c. Cùm olim.*

3 Not. III. Sententia Iudicis valida est, tametsi nulla in ea causa expressa sit. Ita *text. & gl. recepta hîc verb. exprimantur. Durand. in speculo. l. 2. p. 3. tit. de sententia. §. 5. n. 3.* vbi ait: consultius esse Iudici, vt causam nullam exprimat, ne, si falsam seu juri repugnantem alleget, sententia vitietur. Veruntamen *Durand. ibidem & Gl. cit.* casus afferunt, in quibus necesse sit in sententia causam exprimere, videlicet in causa appellationis *cap. Cùm Berthold. 18. h. tit.* Si Iudex propter ineptitudinem libelli reum absoluit, *c. Examinata. 13. de judiciis.* Si eundem absolvit non simpliciter, sed ab instantia judicii. *l. Properandum. 13. §. illo. C. de Iudic.* Si Iudex sententiando recedat ab ordinario jure. v.g. victum in expensas non condemnet. *auth. de jud. §. oportet. collatione 6.* Si reum absoluat, eo, quòd non possideat in judicio vindicationis *cap. penultimo, de exceptionibus.* Denique sententiæ excommunicationis causa exprimenda est. *c. 1. De sententia excommunicationis in 6.*

Verùm Abbas hîc generatim defendit traditâ Regulam, quod per se loquendo necesse non est ad sententiæ valorem, vt causa exprimatur, licet interdum per accidens, sive ad quosdam effectus id necessarium sit, nam damnatus. v.g. tutor ex vna causa, videlicet ob dolum commissum, efficitur infamis, secus autem, si ob negligentiam à tutela remoueatur. *l. Hæ enim. 4. ff. de suspect. tutoribus.* vbi tamen dicitur, si in sententia non exprimatur causa, quod mitiùs est, præsumendum esse, vt ob negligentiam tantùm amotus censeatur. Iudex quoque appellationis causam suæ sententiæ dicere non tenetur, nisi quòd æquum sit ad conseruandum Iudicis prioris honorem, si sententia ex nouis actis rescindatur, vt id exprimatur. *c. Cùm Ioannes. 10. de fide instrum.* & idem fermè est in aliis supradictis casibus, excepto casu latæ excommunicationis, in quo causa necessariò exprimenda est necessitate præcepti, non autem vt aliter sententia non valeat.

Not. IV. Si constet sententiam à Iudice latam esse propter judiciariam auctoritatem, præsumitur, omnia legitimè facta fuisse, exinde colligit hîc *Abb. n. 6.* si testes deponant de actu sententiæ latæ, præsumptionem inde oriri, quòd in scripturam redacta fuerit, cùm scriptura pertineat ad substantiam sententiæ judicialis, saltem in causis alicuius momenti, *l. 2. & auth. nisi breues. C. de sent. ex periculo &c.* 4

Deberent tamen testes de hoc ipso examinari, num audiuerint sententiam ex scriptura recitatam, iuxta *cit. l. 2.* quòd si verò ex antecedentis judicii actis constet, quòd testes deposuerint de sententia lata, tum locus est doctrinæ Abb. quòd censeatur deposuisse de sententia lata legitimè, videlicet ex scriptura.

CAPITVLVM XVII.

Cùm super &c.

Paraphrasis.

Controversia erat inter Episcopum Aurien-

sem

sem & Monasterium Cellæ nouæ super subiectione eius, in ea causa plures sententiæ pro Episcopo latæ fuerunt, quibus & Monasterium & Episcopus Ouetensis (cui Monasterium subiectum asserebatur) se grauari existimârunt, & ideò ad Sedem Apostolicam appellârunt, petentes, vt sententia executioni non mandaretur, sed quia ex parte Monasterij nihil rationabile allatum fuit, cur sententia pro Episcopo lata retractari deberet, eam Pontifex in ordine ad Monasterium cõfirmandam esse censuit; at verò si constiterit, appellationem pro Episcopo Ouetensi rationabiliter impositam fuisse, & ad eam prosequendam nuntium intra terminum temporis legitimum fuisse destinatum, executionem sententiæ differendam esse, ne dicta Ouetensis Ecclesia circa possessionem juris erga Monasterium patiatur detrimentum, alioquin verò sententiam, sicuti justum fuerit, executioni mandandam esse absque Ouetensis Ecclesiæ præiudicio. Quandoquidem hæc non præiudicant isti Ecclesiæ, quo minùs consequi possit, quod rationes eius ostendunt; cùm res inter alios acta, ordinariè loquendo, secundùm Canones, alteri obesse non debent.

SVMMARIVM.

1. *Ab eâdem sententia potest appellare non tantùm victus, sed etiam tertius, cuius interest.*
2. *Casus specialis est, in quo cuilibet appellare licet, tametsi eius non interfit, nempe si aliquis trahatur ad supplicium, quem alius innocentem ostendere velit, tenet appellatio, etiam inuito eo qui trahitur, & mori volente.*
3. *Appellationes in causis criminalibus in Imperio non recipiuntur.*
4. *Principali in causa succumbente, etiam appellationis, potest tamen is cuius interest, à sententia legitimè appellare, suspensa eius executione, dum huius causa cognita sit.*
5. *Appellatio tamen hæc fieri debet intra decendium, doceri etiam quòd appellantis interfit, & adsit causa rationabilis appellandi.*

NOt. I. A sententia inter aliquos lata, alius appellare potest, cuius inter est, seu cui ex sententia præiudicium aut damnum proueniret, tametsi ipse judicio non interfuerit *l. à sententia. 5. ff. de appell. consentit cap. Cùm inter. 16. de electione.* vbi dicitur, appellationem ei concessam non esse, cuius non interest, vnde per sensum contrarium colligitur, si alicuius interfit, appellationem ipsi concedi. 1

His adde, esse casum specialem in quo cuilibet appellare licet, tametsi eius non interfit, videlicet: si aliquis ad supplicium trahatur, quem alius innocentem esse ostendere velit, ideóque differendum supplicium esse dicat, tametsi is, qui trahitur, inuitus sit, seu mori malit. *l. 6. ff. eodem.* Vbi dicitur, quòd non tantùm ei, qui ad supplicium ducitur, procurare permittitur, verùm alii quoque nomine eius, tametsi resistat, qui damnatus est, & perire festinans. vbi *gl. Marg.* admonet, ideò confitenté, se occidisse hominem, non puniri, prætextu confessionis, nisi constet de corpore occiso, quia non auditur perire volens. 2

Pro pleniore intellectu videri potest *l. 2. C. Quorum appellationes non recipiuntur.* vbi habetur in duobus casibus, appellationem recipi post latam sententiam, in tali criminali causa, videlicet si conuictus Reus dicatur, sed non confessus, aut si confessus sit ob tormentorum metum; Veruntamen in Imperio appellationes in causis criminalibus fermè non recipiuntur. 3

Not. II. Tametsi is, qui principalem causam egit, succumbat, seu sententiam contra se ferat, tamen id non debet obesse alteri, qui sua interesse ait; & ideò à latâ sententia legitimè appellat; imò tametsi is, cuius causâ principaliter agitur, etiam appellauit, & in causa appellationis succumbat, non debet tamen sententia executioni mandari, donec & ipsius causa, qui ob interesse suum appellauit, etiam audita sit. Veruntamen necesse est, vt intra tempus legitimum, videlicet 10. dierum, appellatio fiat, & doceatur in- 4

intereſſe eius, qui appellat; denique adeſſe cauſam rationabilem appellandi: nam jure ordinario nemini conceditur appellatio, præter eos, inter quos cauſa acta fuit, cùm itaque iſte, cuius intereſt, jure ſpeciali veniat, oſtendere debet rationabilem ſubeſſe causã, ſicut in ſimili *ſup. ine. Quod ad. 15. h. tit.*

Quòd ſi verò vnum ex his deſit, quia intra 10. dies is, cuius intereſt, appellare intermiſit, vel cauſam rationabilem docere non potuit, tum diſtinguendum, num ſciverit, an ignorârit cauſam agi & ſententiam latam eſſe; ſi ignorauit, certum eſt, quòd ipſi nullo modo præiudicari debeat, quare ſententia executioni mandanda non eſt, ſi is in poſſeſſione. v. g. ſubiectionis exiſtat, quia præiudicium ei fieret, ſi poſſeſſio auferretur, id eſt, Clerici, qui hactenus obedientiam & fidelitatem Epiſcopo Ovetenſi præſtiterunt, nunc Aurienſi Epiſcopo præſtare juberentur. *arg. cap. Veniens. 38. juncta gl. verb. utraque pars. de teſtibus.* Sin autem ſcivit & tacuit, aut ſi intra tempus legitimum non appellauit, tunc executio fieri debet, ſalua tamen proprietatis quæſtione, ſi cauſam ipſemet in judicio petitorio deducere velit; nõ enim obſtabit ei res judicata, quia, quæ inter alios acta ſunt, aliis nocere nõ debent, & hæc eſt interpretatio *Gl. communiter recepta hic verb. non noceat. Ioan. Andr. n. 11. Imol. n. 2.* vbi aiunt: quòd in hoc caſu præiudicium fiat quoad poſſeſſorium, non item quoad jus proprietatis; quamuis contrarium doceat hic *Abb. n. 7.* neque quoad poſſeſſionem præiudicum fieri oportere, ideóque executionem etiam tali caſu differendam eſſe: ſed communis interpretatio apertè colligitur ex textu, quando dicitur: ſi Epiſcopus Ovetenſis ob cauſam rationabilem & intra tempus legitimum appellauit, executionem ſententiæ differendam eſſe, ne Eccleſia eius circa poſſeſſionem detrimentum patiatur: alioquin (id eſt, ſi non intra legitimum tempus appellatũ ſit) executioni mandandam eſſe ſententiam, tamen ſine præiudicio Eccleſiæ Ovetenſis quo minùs ipſa ſuas rationes & jura poſtea proponere poſſit.

Neque mirum videri debet, quòd in hac cauſa ſubiectionis executio fiat, cum præjudicio poſſeſſionis, partim quia ſibi imputare debet poſſeſſor, quòd cauſam agi paſſus eſt, ſententiam ferri, & in rem judicatam tranſire, partim quia poſſeſſio non niſi indirectè & per conſequentiam ei aufertur, eò quòd Eccleſia duobus ſubdita eſſe non poſſit, ac proinde dum vni Epiſcopo obedientiam præſtare cogitur, alteri quodammodò ſubtrahitur.

CAPITVLVM XVIII.

Cùm Berchtholdus &c.

PARAPHRASIS.

Berchtoldus miles pagum ſuum P. militi hypothecæ nomine obligauit, mortuo P, hæres & nepos eius A. vacante Eccleſiâ eius loci D. Clericum præſentauit, aſſerens jus patronatûs ad ipſum vnà cum bonorum univerſitate tranſiiſſe, ea propter Archidiaconus dictum D. ex Epiſcopi conſenſu inſtituit, inducens ipſum in poſſeſſionem corporalem, ſed & Berchtoldus fundi Dominus Sacerdotem T. Epiſcopo præſentauit, qui tamen eum non admiſit; quapropter dictus T. item mouit D. coram Remenſi Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato, qui illam Iudicibus quibuſdam delegauit eâ formâ, vt cauſam examinatam & inſtructam ad ipſum remitterent: ſed cùm D. Clericus cum atteſtationibus ſuis adveniret. T. autem nec per ſe, nec per Procuratorem ad conſtitutum ipſi terminum compareret, Archiepiſcopus inſpectis dicti Clerici atteſtationibus, eum ab impetitione Sacerdotis judicialiter abſoluit, eidem ſilentium ſuper Eccleſia memorata indicens, poſtea verò idem T. ad Archiepiſcopum intra breue tempus accedens, juſtam abſentiæ cauſam allegauit. Tunc Archiepiſcopus Argentino electo Epiſcopo, & quibuſdam aliis per literas mandauit, vt ſi juſtam coram eis abſentię cauſam oſtenderit, priorem ſententiam nullius roboris eſſe

esse declarent, causámque ipsi definiant, alioquin verò faciant sententiam illam obseruari. Verùm delegati illi Iudices vices suas aliis commiserunt seu subdelegârunt, qui cùm testes super illo articulo recepissent, ab eis Clericus D. ad Pontificem appellauit. Porrò tametsi T. Sacerdos absentiæ suæ causam minùs sufficienter in auditorio Papæ probârit, tamen ne opinio veritati præiudicet,

Resp. Diaconum Cardinalem causæ ipsius principalis dedit auditorem, qui cùm Papæ omnia retulisset ex tenore sententiæ, perspexit Innoc. III. Archiepiscopum fuisse circumventum, partim quia in ea cõtinebatur, quòd per attestationes Clerici sufficienter probatum fuisset supradictum A. in possessione juris patronatûs fuisse, quando eundem Clericum ad Ecclesiam præsentauit, cùm tamen per attestationes illas aliud probatum non sit, nisi quòd B. & A. ratione cuiusdam juris, ob quod ex Ecclesia illa patronis aliquid præstari solet, annuatim 10. solidos acceperint, partim quia in eadem sententia continebatur, quòd dictus T. in probatione defecerit, & tamen ex attestationibus apparebat intentionem suam ipsum satis probâsse: partim quia Archiepiscopus causam non sufficienter instructam recepit, quandoquidem vnius tantùm partis attestationes accepit, quæ parum ad rem faciebant, ea propter Pontifex dictã sententiam retractat, & T. Sacerdoti Ecclesiam adiudicat, quia ex attestationibus evidenter constitit, ipsum à vero Patrono ad Ecclesiam illã præsentatum fuisse.

SVMMARIVM.

1. *Post factam beneficij collationem prouisus induci debet in corporalem eius possessionem.*
2. *Potest tamen possessio beneficij solo verbo fieri in præsentia eius, modò nemo alius possideat.*
3. *Refertur casus in quo etiam in absentia rei possessio eius tradi possit.*
4. *Cum vniuersitate bonorum v. g. Castro cum pertinentibus, Creditori concesso in pignus, non transit in eum jus patronatûs.*
5. *In possessione juris patronatûs non constituitur ex eo, quòd percipiat annuam possessionem, quæ patrono dari solet iuxta fundationis tenorem.*
6. *Postquam sententia in absentia partis lata in rem judicatam transiit, pars adveniens non auditur, nisi legitimam absentiæ suæ causam probauerit, tunc sententia retractari debet.*

NOt. I. Post factam beneficij collationem prouisus induci debet in corporalem eius possessionem, nam per collationem aut institutionem titulus confertur, non possessio, prout etiam docui *in disp. de electione. q. 114.* Potest tamen possessio beneficij. v. g. Parochiæ solo verbo fieri in præsentia eius, dummodò nemo alius in possessione sit. *argumento. l. Quod meo. 18. §. Si venditorem. ff. de acquirenda possessione.* vbi dicitur: si vicinum mihi fundum venditor in mea turri demonstret, vacuámque se possessionem tradere dicat, non minus possidere cepi, quàm si pedem finibus intulissem. 1

Imò probabile est, quod etiam in absentia rei possessio eius tradi possit, si hæc tria concurrant. 1. Vt nemo alius in possessione sit. 2. Vt ob impedimentum aliquod v. g. aduersarii vires, ad rem accedi non possit. 3. Vt, qui possessionem ita tradit, rei dominus sit, aut liberam de ea disponendi facultatem obtinens. v. g. collator Ordinarius de beneficio vt dixi in *c. Cum aliquibus. 6. hoc. tit.* 2

Not. II. Si Iudex causam instructam mittat ad superiorem, potest parti vtrique statuere terminum competentem, intra quem comparere debeant, & vt sufficienter causa instructa censeatur, non vnius, sed vtriusque partis attestationes consignatæ mitti debent, consentit *c. vlt. de accusationibus.* 3

Not. III. Si vniuersitas bonorum. v. g. Ciuitas aut Castrum cum pertinentibus, cui jus patronatûs annexũ est, in pignus seu hypothecæ nomine creditori detur, non transit in eum jus patronatûs, ita vt suo jure aut 4

nomine præsentationem facere possit, ita *text. capit. iuncta gl. verb. patronus.* Ratio dari debet, quia si jus patronatûs hoc casu transiret ad Creditorem, tunc per accidens seu accessoriè transiret vnà cum ciuitate alienata, seu translata. *argum. c. Ex literis. 7. c. Cùm saculum. 13. de jure patronatûs.* At verò per pignoris constitutionem res tradita non alienatur, aut transfertur quoad dominium vtile, cùm creditor fructus pignoris in sortem computare debeat, ideóque eorum percipiendorum jus non habeat. *c. 1. de vsuris.* At verò is, cui ad tempus non breue vniuersitas bonorum v. g. castrum cum annexis bonis locatur, is dominium vtile acquirere censetur, consequenter alienatio quædam fit, quacum etiam jus patronatûs accessoriè transfertur, vti docui *l. 4. tract. 2. c. 13. n. 21.*

Exinde porrò videtur sequi, si quis per contractum non merè antichriseos, sed adiecto contractu censuali, aut venditionis cum pacto redimendi ciuitatem. v. g. oppignoratam sibi habeat, ita fructus percipere possit, adeóque dominium vtile penes creditorem sit, donec pignus reluatur, juxta ea, quæ docui *l. 3. tract. 4. de Just. c. 16.* hoc casu jus patronatûs transire ad creditorem, vt proinde ipsi præsentatio, sicuti & alia jura, interim competant, cùm penes ipsum est ciuitatis possessio per modum hypothecæ.

§ Notand. IV. Exeo, quòd aliquis pensionem annuam percipit, quæ patrono dari solet juxta fundationis tenorem *c. Verùm. de conditionibus appositis.* non constituitur in possessione juris patronatûs, ita habetur in textu. Ratio est, quia fieri potest, vt pensionem percipiat non tanquam patronus, sed ex alio titulo, videlicet non suo nomine, sed alieno tanquam ex hypotheca, ideóque pensiones in rationem acceptæ sortis computare debeat, vel quia ipsi pensio fructuum locata, aut donata fuit sine jure ac titulo, in quo fundatur. Nam sic Parochus. v. g. ad aliquot annos, aut vitam suam decimas alicui locare potest, quamuis jus parochiale, cuius ratione decimæ percipiuntur, in alterum transferre haud possit.

Neque his obstat *c. Cùm veniſſet. 9. de restit. spoliatorum.* vbi significatur, quòd per receptionem pensionis ex Ecclesia possessio eius acquiratur, quia id duntaxat verum est, si alicui pensio debeatur, tanquam jus habenti in Ecclesia, vti apparet ex *cit. cap.* Quare & nos fatemur, si alicui pensio ratione fundationis debita tanquam Patrono soluatur, quòd in possessione juris patronatûs per id constituatur, tametsi fortasse nunquam præsentauerit, neque alium actum patroni proprium exercuerit, nam sicuti in corporalibus rebus ad possessionem totius fundi acquirendam sufficit vnam eius partem ingredi animo capiendi totum *l. 3. in princip. ff. de acquirenda possessione.* Ita etiam in rebus incorporalibus seu juribus satis est vnum eorum actum exercere animo capiendi seu possidendi jus integrum *argumento. l. Vna est. 18. ff. de seruitutibus prædiorum Rusticorum.*

Vel dici potest cum *Abbate. hîc. n. 87.* ideò creditorem propter pensionis solutionem non fuisse positum in possessione juris patronatûs, quia alius erat in possessione, quemadmodum nec colonus alteri soluendo pensionem sine scientia & voluntate domini priuat eum possessione, *argum. l. Quamuis. 46. ff. de acquirenda possessione.* vbi dicitur: tametsi alius animo possidendi ingressus fuerit saltum, tamen priorem possessorem non amittere possessionem, quam diu eam ab altero occupatam ignorat.

Not. V. Si post litis contestationem in absentia alterius partis sententia lata sit, quæ in rem judicatam post 10. dies transierit, & deinde pars adveniat, audiri amplius non debet, nisi justam absentiæ causam sufficienter demonstret, hoc verò casu sententia rescindi debet, seu perinde haberi, ac si sententia lata non sit, iuxta *l. Quæsitum. 60. ff de re judicata:* Vbi dicitur: si rei judicatæ tempore alter ex litigatoribus febrem habuit, res non videtur judicata, sin autem impedimentum justum sufficienter non probetur, tunc ait *Abb. hîc. n. 35.* sententiam non statim retractari, tamen allegantem impedimen- 6

mentum admitti, vt infirmet sententiam, seu agat contra sententiam.

Verùm hoc generaliter verum esse non videtur, *arg. c. Ex literis. 4. de in integrũ restit.* vbi habetur: quòd restitutio contra sententiam, si causa justa absentiæ sufficienter probata non sit, in causa matrimonij concedenda sit, ob specialem favorem eius, qui in aliis causis non ita concedi debet, præterquam si insuper præsumptio aliqua sit adversùs sententiam, vt in casu huius Capituli, quando attestationes vnius tantùm partis receptæ fuerunt, & quædam in sententia continebantur, quæ aliter se habere constabat, ita *gl. hìc. verb. minùs. Alex. n. 76.*

CAPITVLVM XIX.

In causis &c.

PARAPHRASIS.

Pontifex in decidendis causis Iuris ordinem & æquitatis vigorem exactè obseruare debet, quia cæteri postea Iudices in causis similibus similiter judicare debent, præterquam si Pontifex considerata necessitate vel vtilitate dispensatiuè aliquid decernendum duxit.

SVMMARIVM.

1. *Papa in sententiis ferendis juris ordinem seruare debet, ex juris quidem honestate tantùm illum, qui est ex jure positiuo; ex necessitate autem, qui est ex jure naturali & gentium.*
2. *Sententia lata à Principe jus facit aliis judicibus inferioribus, vt ipsi in causis similibus similiter judicare debeant.*
3. *Adducuntur limitationes huius doctrina.*
4. *Inferioris judicis sententia judicialis non est in similium causarum decisione pro lege communi habenda.*
5. *Ea tamen frequentata in tribunali parit jus consuetudinarium, seu stylum curiæ, verùm non semper & sæpe non tam facilè.*

NOt. I. Summus Pontifex in sententiis ferendis juris ordinem seruare debet, est tamen distinguendum, quòd juris ordo partim est ex jure positiuo, vt quòd libellus scriptus offeratur, litis contestatio fiat &c. Et talem ordinem juris Princeps seruat ex honestate, non ex necessitate, quia Princeps eiusmodi legibus non est obligatus, cùm per plenitudinem potestatis etiam possit super jus dispensare. Ait *Innoc. III. in cap. Proposuit. 4. de conces. præbend. & Innoc. IV. in c. 1. de litis contest.* ait: quòd coram Papa sufficit partium narrationes fieri sine petitione & litis contestatione, quia præsentia Papæ supplet has solennitates. *Cap. 1. de transactionibus*; partim verò Iuris ordo est ex jure naturali ac gentium, vt quòd pars citetur ac defensio eius admittatur (nisi notorium sit, defensionem nullam competere.) *Clem. 2. hoc tit. l. de vnoquoque. 47. ff. de eodem.* Talia enim Princeps tollere non potest, sicuti notat *Gloss. & Bald. in l. vlt. n. 1. C. de legibus*, vbi distinguendo ait: coram Principe requiritur examinatio & ventilatio veritatis, quæ est de jure gentium, vnde licet solennitates legales non teneatur Princeps obseruare, obseruatio tamen juris gentium non debet abesse, quia pertinet ad naturalem æquitatem.

Not. II. Sententia lata à Principe jus facit aliis Iudicibus inferioribus, ita vt ipsi in causis similibus similiter judicare debeant, sumptum est ex *cit. l. vlt.* vbi habetur: Si Imperator examinatâ causâ & partibus præsentibus sententiam dixerit, omnes Iudices, qui sub imperio sunt, sciant hanc esse legem non solùm illi causæ, pro qua producta est, sed & omnibus similibus, consentit *l. 1. C. de constit. Principum.* Quod Principi placuit legis habet vigorem.

Excipiendum est 1. Si Princeps dispensatiuè aut ex plenitudine potestatis, præter, aut contra jus commune judicauit, ad alios casus similes id extendi non debet, vti hìc dicitur, & videri possunt, quæ docui *l. 1. tr. 4. cap. 18.*

Excipiendum 2. Si princeps adversùs contumacem dixit sententiam, ea jus inter alios Iudices facere non videtur. *arg. cit. l. vlt.* vbi partium præsentia requiritur, & tra-

dit hîc *Abb. n. 5. Felin. n. 5.* qui tamen benè sublimitat, si causa in præsentia partis sufficienter cognita fuerit, licet postea sententia in absentia partis contumacis lata sit, quod tamen jus facere debet. Ratio est, quia is, qui in toto causæ processu præsens fuit, ad sententiam autem non venit, non censetur verus contumax, saltem sententia adversùs eum non fertur propter contumaciam, sed ob malam causam, sicuti colligitur ex *l. vlt. vbi Bald. & gl. C. de contrario judicio tutelæ.*

Excipiendum 3. Si sit sententia interlocutoria tantùm *l. 3. C. de legibus. juncta gloss. verb. præiudicantibus* quæ tamen sublimitat, nisi interlocutoria corpori juris inserta sit, tunc enim pro lege habetur. Alia sublimitatio insinuatur in *gl. metum. 9. §. Sed quod prætor. verb. colligitur. ff. Quòd metûs causa.* si Princeps interloquendo jus exponat, declaratio hæc vim legis habet.

Excipiend. IV. Si sententia etiam definitiua à Principe lata sit contra jus commune, aduersùs jus alterius partis; non enim censetur Princeps ita pronuntiâsse ad legem vniuersim tollendam, sed in speciali hoc negotio & causa jurilitigatoris derogâsse, quod solius Principis est, jus vni auferre & alteri dare, sicuti docent DD. in Clement. *quia contingit. de Religios. domib.* & monet *Abb. hîc. n. 4.*

Quæritur de inferioris Iudicis sententia judiciali num pro similium causarum decisione in eodem foro regula ac veluti lex quædam esse debeat.

4. Resp. Eius sententiam non esse instar legis communis habendam, cùm sit particularis declaratio restricta ad causam & personas, inter quas actum est, seu Iudicii processus institutus, juxta ea quæ docui *l. 1. tract. 4. c. 18. not. 2.* Si tamen in similibus causis aliquoties, videlicet quater aut sæpiùs ita judicatum sit in aliquo tribunali, oriri inde censetur jus consuetudinarium in hoc foro, qui stylus fori, seu stylus Curiæ appellatur, & ita colligitur ex *l. Si de. 37. ff. de legibus.* & tradit *Abbas. hîc n. 3.* veruntamen si v. g. Dux imperii velit assessores suos secundùm jura communia judicare, illi autem per imperiam aliter sæpè judicent, non tam facilè introducetur stylus fori seu jus consuetudinarium propter defectum consensûs in Duce & malam plerumque fidem judicantium.

CAPITVLVM XX.

Inter.

Paraphrasis.

In Monasterio S. Leodii, Monachi elegerunt Abbatem, quam electionem oppugnârunt Monachi S. Annæ, dicentes, sibi jus circa Abbatis electionem competere; hæc causa à Pontifice commissa est Iudicibus, coram quibus lis à partibus contestata & in causâ processum fuit, cùm verò Monachi S. Annæ alios Iudices impetrârunt, quòd priores ipsis suspecti essent, sed Iudices priores considerantes exceptiones suspicionis friuolas esse, & literas secundas non esse reuocatorias priorum, processerunt in causa, & non obstante, quòd Monachi S. Annæ appellârunt, confirmârunt electum Abbatem, hæc res cùm ad Innoc. III. delata fuisset, respondit is, quia prima commissio per secundas literas revocata non fuit, & suspicionis causæ friuolæ sint, atque obiectæ post litis contestationem, cùm tamen tanquam dilatorias exceptiones antea obiicere oportuisset, quandoquidem partes coram Iudicibus delegatis judicium subeundo exceptionibus dilatoriis renuntiare censentur. Accedit quòd in secundis literis neque de Sedis Apostolicæ priuilegiis Monasterio S. Leodii concessis, neque de processu priorum Iudicum quidquam dictum fuerit, quæ tamen si ab impetrantibus fuissent expressa, literas secundas non obtinuissent, neque his obstare debet sententia, quæ pro Monasterio S. Annæ antea lata erat, quæ sanè dictis Iudicibus exhibita non fuit, & si exhibita fuisset ita comparata, videlicet infirma erat, vt eâ postpositâ, contra ipsam decreuissent; vel si dicatur aliter Iudices videlicet pro sententia pronuntiaturos fuisse, si exhibita esset,

esset, tum sibi ipsis imputent Monachi, quód non exhibuerunt; nam sub nouorum instrumentorum prætextu lites decisæ resuscitari non debent. Ob has itaque causas Papa priorum Iudicum factum ratum & firmum esse respondit, eorúmque sententiam confirmans, electo Abbati benedictionem saluo jure Diœcesani impartitur.

SVMMARIVM.

1. *Vnum Monasterium subinde ex jure speciali habet jus electionis activæ, & passiuæ respectu alterius Monasterii.*
2. *Exceptio recusatoria judicis suspecti ante litis contestationem more aliarum dilatoriarum exceptionum, ad quas pertinet, & quidem etiam ante has alias omnes proponenda est.*
3. *Limitatur prædicta doctrina.*
4. *Impetraturus rescriptum litis ad judices delegatos à Papa, mentionem facere debet processûs instituti ac pendentis coram alio judice. Nisi in Rescripto contineatur clausula derogatoria* non obstante processu.
5. *Sententia lata prætextu priuilegii postea exhibendi, retractari non debet.*

1 NOT. I. Vnum Monasterium quandoque jus habet electionis actiuæ erga alterum monasterium sibi subiectum; idémque dicendum de electione passiua, ex jure speciali Monasterio superiori competere eam posse, vt videlicet ex ipso aliquis Abbas, aut Prior eligi debeat, *c. Cùm dilectus. 8. de consuetudine. c. Abbate 25. de verb. signif.*

2 Not. II. Recusatio Iudicis tanquam suspecti pertinet ad dilatorias exceptiones, quæ ante litis contestationem proponendæ sunt, imò exceptio recusatoria Iudicis ante alias dilatorias proponi debet, vti *gl. hîc not. verb. subeundo.* & legi hîc potest Innoc. Ratio est in text. Quia super aliis dilatoriis subeundo judicium & processum Iudicis, exceptioni recusationis propter suspicionem pars renuntiare videtur. *argum. c. Insinuante. 25. de officio delegati.*

3 Limitandum est 1. Quòd recusatio Iudicis, per quam jurisdictio ipsi denegatur, naturaliter antecedat exceptionem suspicionis, quia frustra obiicitur, eum suspectum esse, si jurisdictione præditus non est, prout *Joann. Andr. hîc notat. n. 12.*

2. Nisi quis super alia dilatoria v.g. actorem esse excommunicatum, Iudicis cognitionem subeat cum protestatione, vt salua maneat exceptio recusationis propter suspicionem.

3. Nisi causa suspicionis postea superueniat, vel postea cognoscatur, vt sumitur ex *cit. c. Insinuante.*

Notand. III. Si à summo Pontifice re- 4
scriptum litis impetretur ad Iudices delegatos, faciēda est mentio processûs instituti ac pendentis coram alio Iudice delegato, vel ordinario. Ratio est, quia Princeps non facilè judicium coram vno Iudice ceptum auocat ad alium Iudicem. *argum. l. 30. ff. de judiciis.* vbi ceptum est semel judicium, ibi & finiri debet, & docet *gl. in c. Vt debitus. 59. verb. si dicat de appellationibus.*

Excipe. Nisi in rescripto contineatur clausula derogatoria *non obstante processu*, vti limitat *Alexand. de Nauo. hîc. n. 8.*

Notand. IV. Sententia lata prætextu 5
priuilegi, i postea exhibendi retractari non debet. Ita etiam habetur in *c. seq.* & docui *l. 3. tr. 6. de just. c. 2. n. 9.*

CAPITVLVM XXI.

Suborta.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Episcopum Meldensem & Monasterium Attrebatēse, super subiectione eius, partibus coram Pontifice constitutis, Procurator Episcopi petiit ipsum restitui in quasi possessionem obedientiæ, & cùm per confessionem Procuratoris Monasterii constaret, quòd Episcopus olim fuerit in possessione, Innoc. III. judicauit illum restituendum fore, quia verò Monasterii Procurator priuilegium Innoc. II. exhibuit, in quo plena libertas Monasterii expressa erat,

ideò Pontifex causam Sueſſionenſi Epiſcopo & aliis quibuſdam delegauit, hâc formâ, vt, ſi Epiſcopus in quaſi poſſeſſionem obedientiæ reſtitutus rationabile aliquid contra dictum priuilegium non attulerit & probârit, ſilentium ipſi ſuper Monaſterii ſubiectione indicant. Porrò Iudices iſti cauſam examinatam & inſtructam Pontifici remiſerunt, qui ex actis intellexit, quòd Epiſcopus efficaciores rationes contra Monaſterium haberet, quia ab Alexand. III. Pontifice pro ipſo contra Monaſterium latam ſententiam eſſe oſtenſum eſt, ea propter ſubiectionem & obedientiam eidem adiudicauit, vt videlicet ſuper Monaſterio tanquam Diœceſanus poteſtatem haberet, ita tamen, vt per hoc Sedi Apoſtolicæ nullum præiudicium generetur, quo minùs, ſi voluerit, jus ſuum proſequatur. Quòd ſi quis obiicere velit Alexandri III. ſententiam repugnare priuilegio Innocentii II. hanc obiectionem reiicit Innoc. III. vel enim dictum Innoc. II. priuilegium exhibitum fuit in judicio coram Alexandro Papa, vel non exhibitum fuit; ſi primum, illud reprobâſſe Alexander cenſendus eſt; ſi poſterius, ſententia lata ab eo prætextu priuilegii poſtea reperti, retractanda non eſt.

SVMMARIVM.

1. *Confeſſio Procuratoris in judicio nocet Eccleſiæ, debet tamen is eſſe conſtitutus à Prælato & Capitulo, ſi cauſa Monaſterii communis ſit.*
2. *Ad recuperandam obedientiæ poſſeſſionem, actori ſatis eſt oſtendere, ſe olim in poſſeſſione fuiſſe, nunc autem obedientiam ſibi negari, adeóque ſpoliari.*
3. *Subditi recuſantes obedientiam ei, qui in poſſeſſione juriſdictionis & obedientiæ extitit, tanquam illi ſubditi non ſint, cenſentur eum ſpoliare.*
4. *Spoliatus ante omnia reſtitui debet, reſeruatâ tamen quæſtione proprietatis.*
5. *Sententia lata pro Epiſcopo contra Eccleſiam in cauſa exemptionis, ea non præiudicat Sedi Romanæ Eccleſiæ.*
6. *Princeps ſententiam ferens contrariam priuilegio exhibito in judicio, cenſetur illud reprobare, aut aliâ ratione pro infirmo habere.*
7. *Sententia lata contra Eccleſiam non retractatur ob priuilegium, inſtrumentum, vel aliam probationem poſtea repertam, ſed ſuccurri debet per reſtitutionem in integrum Eccleſiæ, imò cuilibet etiam priuato in ſimili caſu.*

NOt. I. Confeſſio Procuratoris in judicio nocet Eccleſiæ. ita *Gl. magna hîc.* & dixi de hoc *in c. 1. Vt lite non conteſtata &c.* opus tamen eſt Procuratorem à Prælato & Capitulo ſimul conſtitutum eſſe, ſi cauſa Monaſterij communis ſit. *argum. c. 2. de teſtibus. in 6. vbi gl. verb. Conventum*, ait, quòd confeſſio ſolius Prælati non nocet Eccleſiæ, ergo multò minùs confeſſio Procuratoris conſtituti à ſolo Prælato nocebit. ita *Abb. hîc. n. 1.* 1

Not. II. Qui agit ad recuperandam poſſeſſionem obedientiæ ſatisfacit, ſi oſtendit ſe olim in poſſeſſione fuiſſe, nunc autem perſonas ſibi obedientiam denegare, adeóque ſpoliare. ita *Abb. hîc. n. 2.* & videri poteſt *Innoc. hîc.* 2

Ratio eſt: nam qui olim poſſedit, cenſetur continuâſſe poſſeſſionem, donec contrarium oſtendatur, *cap. Olim. 17. de reſtit. ſpoliator.* Idque obſeruandum monet hîc *Alexand. n. 4.* quod ſatis eſt ſpoliato ſi probet ſe poſſediſſe ante ſpoliationem; quia præſumitur poſſeſſio continuata vſque ad ſpoliationem ſubſecutam. Quia qui ſemel poſſedit, ſemper cenſetur poſſediſſe, niſi contrarium oſtendatur. *l. Sine. 16. iunct gloſſ. marginali noua. lit. H. C. de probationibus.*

Not. III. Hoc ipſo, quòd ſubditi ei, qui in poſſeſſione juriſdictionis & obedientiæ extitit, obedire renuunt, tanquam ſubiecti ipſi non ſint, cenſentur eum ſpoliare. Ita *Innoc. hîc*, & videri poſſunt, quæ dixi *in c. Auditis. 13. Not. 4. de præſcript.* 3

Not. IV. Spoliatus ante omnia reſtitui debet, reſeruatâ tamen ei quæſtione proprietatis, *cap. 1. de reſtit. ſpoliat. iunct. gl. verb. contentionem.* & docui ſæpiùs *in eodem tit.* 4

Not.

Not. V. Si sententia lata sit pro Episco-
5 po contra Ecclesiam in causa exemptionis seu immediatæ subiectionis erga Sedem Apostolicam, ea non præiudicat ipsi Sedi Romanæ; quia inter alios acta aliis præiudicare non debent. *tit. eod. res inter alios acta.*

Not. VI. Si Princeps sententiam ferat
6 contrariam priuilegio exhibito in judicio, censetur illud reprobare seu pro obreptitio aut alia ratione infirmo habere, alioquin enim non solet in sententiis ferendis alicuius juri derogare.

Nec obstat, tametsi tale sit priuilegium, quod Papa arbitratu suo auferre posset, quia non præsumitur auferre, nisi sufficienter exprimatur, quandoquidem decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. *Reg. 16. in 6.* At verò inferioris Iudicis sententia lata contra priuilegium à Papa concessum pro irrita haberi debet. *argum. c. Cùm venissent. 12. de judiciis*, & docet hîc *Alex. num. 12.*

Not. VII. Sententia lata contra Eccle-
7 siam, non retractatur propter priuilegium aliúdve instrumentum, aut probationem postea repertam, veruntamen per restitutionem in integrum succurri debet Ecclesiæ non minùs, quàm Reipublicæ, iuxta. *L. Imperatoris. 25. de re jud.* vbi videri potest *Bart. & gloss. verb. causa*; imò & priuatus quisque propter noviter exhibita instrumẽta ex causa generali restitui debet, si ostenderit antea se exhibere non potuisse, secundùm *Innoc. in cap. Vtrũ. n. 2. de testibus.* similitérque si dolo Adversarij factum fuit, quo minùs exhiberentur, sicuti ibidem explicat *Alex. n. 26.*

CAPITVLVM XXII.

Cùm I. & A.

Paraphrasis.

Duo Canonici S. Dionysij Remens. ex voluntate & jussu quorundam Con-Canonicorum Abbatem summo Pontifici denuntiârunt, super bonorum dilapidatione, periurio, simonia & aliis quibusdam criminibus, de quibus infamatus erat, idcirco Inn. III. Episcopo Cathalanensi & aliis à se delegatis mandauit, vt ad Ecclesiam illam personaliter accedentes, tam in capite, quàm in membris corrigenda corrigerent, & statuenda statuerent. Porrò Iudices isti post recepta Abbatis & Canonicorum juramenta, Abbatem ab administratione eius Ecclesiæ per sententiam remouerunt, membrorum correctione dilatâ, quòd eam tunc perficere non possent; quamobrem Procurator Abbatis à sententia illa Iudicum appellauit, petens, vt ea rescindatur, partim quia lite non contestatâ lata, partim quia conspiratorum contra ipsum juramenta receperunt, & depositionibus coram partibus non publicatis, nec ostensis sententiam pronuntiârunt. His intellectis respondit Innoc. III. si Iudices cognouerint, (qui postea delegati sunt) quod & Abbas probare volebat, conspiratores fuisse, quorum juramenta recepta sunt, corúmque testimonia priores Iudices in sententia ferenda secutos fuisse, quia alij testes non erant, tunc illorum processum irritantes, ipsi secundùm formam priorũ literarum procedant; sin autem conspiratores fuisse, ostensum non fuerit, aut tametsi conspiratores fuerint, tamen nihil deposuerint super ijs causis, ob quas Abbas depositus est, vel denique licet deposuerint aliqua, tamen ea etiam per alios testes sufficienter probata sint, tunc Iudicum illorum processum confirment, etsi enim conspiratores ad testimonium ferendum contra Abbatem admitti non debuerint, tamen ipsorum juramenta de veritate dicenda super statu domûs seu Collegij eius recipi potuerunt, vt ex eorum dictis alia cognoscerentur, quæ ad Abbatem non pertinebant, præsertim cùm eo tempore nondum probatum fuerit, eos conspiratores fuisse.

Svmmarivm.

1. *Prælatus Canonicorum Regularium quandoque fuit appellatus Abbas.*

2. Ca-

2. *Canonicus Regularis & secularis, vti & Monachus potest agere contra Prælatum infamatum de dilapidatione, vel aliis scandalosis criminibus.*

3. *Si Prælatus de prædictis criminibus accusetur, maximè si sine sociis committi non soleant, inquisitio fieri debet super Prælato & Conuentu, exacto ab vtroque juramento de veritate dicenda.*

4. *Conspirantes illicitè in aliquem, recipi contra eum in testes non debent.*

5. *Inquisitor à Papa constitutus ad inquirendum, & corrigendum, potest procedere ad priuationem, seu dispositionem.*

6. *Publicatio attestationum non est de judiciarij processûs substantia, sed de necessitate præcepti ad illum requiritur.*

7. *Judice procedente ex officio per modum inquisitionis, non est opus litis contestatione.*

8. *In speciali inquisitione, inquisito negante crimen, fit litis contestatio.*

9. *Sententia judicis non infirmatur ex probata etiam coniuratione, aut falsitate testium, nisi quoque probatum fuerit judicem ex eorum attestationibus sententiam tulisse.*

10. *Conspirator aduersùs Prælatum, vel eius inimicus, contra ipsum testari non potest, potest tamen examinari super aliis personis aut rebus ad Prælatum propriè non pertinentibus.*

1 NOt. I. Prælatus Canonicorum Regularium quanquam appellatus fuit *Abbas. In cap. Cùm in Ecclesiis. 10. de maioritate* dicitur Prior; vsitatiùs tamen Præpositus appellari solet, sicuti ex Regulis S. Augustini constat.

2 Not. II. Canonicus Regularis & Sæcularis sicut & Monachus agere potest contra Prælatum infamatum de dilapidatione aliisque criminibus cum scandalo junctis, petendo, vt tanquam indignus amoueatur. *c. Olim. 26. de appellationibus*, & videri potest, quod docui *l. 4. tr. 5. c. 11. n. 1.* & potest denũtiationẽ hanc facere tam suo nomine, quàm vt Procurator sociorum seu fratrum, sicut *Innoc. hic notat, & Ioan. Andr. n. 2.* & sumitur ex *Clemen. Religiosus. vbi gl. id notat verb. consorte. de Procurat.* & locum habet quoque in Clericis sęcularibus. *c. Licet. 14. l. 24. c. Venions. 15. de accusationibus.*

Not. III. Si Prælatus accusetur de dila- 3
pidatione vel criminibus scandalosis, præsertim si talia sint, vt sine sociis committi non soleant, tunc inquisitio fieri debet non tantùm super ipso Prælato, sed etiam membris seu conventu, exacto ab omnibus de veritate dicenda juramento, vt hîc, *& in cit. cap. Olim.*

Rationem dat Alexand. hîc, quia si caput est dolens, cætera membra languent, & qualis est Sacerdos, talis & populus, qualis Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea.

Not. IV. Qui contra aliquem conspirâ- 4
runt, in testes aduersùs ipsum recipi non debent, cùm sint inimici eius. *cit. loco. 31. & c. Per tuas. 32. vbi gloss. verb. conspirationes de simonia*; id tamen intelligitur de conspiratione illicita.

Not. V. Inquisitor à Papa constitutus 5
ad inquirendum & corrigendum, potest procedere ad priuationem seu depositionẽ, vti colligitur ex hoc cap. *& ex c. Dilectus. 26. de rescriptis.* & notat hîc *Ioan. Andr. n. 5.* & alij, quando absolutè dicunt, quòd is, cui committitur correctio, beneficio priuare potest.

Not. VI. Publicatio attestationum non 6
est de judiciarii processûs substantia, licet ex præcepti necessitate requiratur, quemadmodum si Iudex testium depositiones publicare intermittat, pars litigans petere potest, vt publicentur, & Iudice recusante, appellare, ita indicat *gloss. hic verb. nec ostensis. Bart. in l. prolatam. n. 5. C. de sententiis*, vbi ait *contra Gloss. ibidem*, si testibus non scriptis, vel non publicatis sententia lata sit, id esse contra jus litigatoris, non contra substantialem ordinem judicii, idem tradit *Ioan. And. hîc. n. 8. Abb. n. 11. gloss. in c. Timor. verb. Judiciis. de hæret. in 6.*

Not. VII. Quando Iudex procedit ex 7
officio per modum inquisitionis, opus non est litis contestatione, tametsi aliquis sit, qui crimen denuntiauit, cùm & is postea in testem assumi possit, consequenter non sit

pro-

propriè accusator aut actor, quocum lis contestanda sit. Ita colligitur ex text. & notat *Gloss. marg.* hic, quòd in generali inquisitione non fit litis contestatio, in speciali autem inquisitione, vocatur is, contra quem inquiritur, qui si neget crimen, de quo infamatus est, hoc ipso lis contestata censetur; sin autem se contumaciter absenter, procedit contra eum ad testium receptionem. *c. vlt. §. sunt & alij. vt lite non contestata, iuncta gloss. verb. inquisitio.*

Not. VIII. Non obstat processui & sententiæ Iudicis, quòd inhabilium testium dicta recepta fuerunt, si Iudex ex eorum depositionibus motus non fuit, aut etiam absque eorum dictis seu depositionibus alias sufficientes probationes habuit, ex quibus sententiam justè ferre potuit. Ita sumitur ex text. Et ratio dari debet ex *Reg. 37. in 6.* quia vtile per inutile vitiari non debet, quemadmodum admonet *gl. hic*, quòd ad sententiã infirmandam non sufficiat probare coniurationem aut falsitatem testium, nisi etiam probatum fuerit, Iudicem ex eorum attestationibus sententiam tulisse. *l. 3. Cod. si ex falsis instrumentis.*

Not. IX. Conspirator adversùs Prælatũ vel inimicus eius licet sit inhabilis ad testificandũ adversùs ipsum, potest tamen examinari super aliis personis aut rebus ad Prælatum propriè non pertinentibus, quod maximè habet locum in inquisitione generali, aut cùm agitur duntaxat ad correctionem aut pœnitentiam, item, si alij magis idonei testes haberi non possint, ita tamen vt si testes illi, qui examinantur, criminosi sint, minor ipsis fides habeatur, vide *gloss. final. hic. Abbat. n. 22. Alex. n. 36.*

CAPITVLVM XXIII.

Cùm Te.

PARAPHRASIS.

In contentione quadam verborum H. de Castro Guarti dixit Bartholomæo, equum eius non maioris esse valoris, quàm capillos ipsius; ea propter ab eodem Bartholomæo actione iniuriarum conventus fuit, tunc Iudices ipsum in 10. solidos condemnẫrunt. H. veritus, ne ex hac sententia infamiam contraxisset, beneficium restitutionis ad famam à Sede Apostolica petiuit; tum Papa Innoc. III. perpendens, quòd nulla, aut exigua ipsi Bartholomæo facta esset iniuria, vult vt H. ob prædictam sententiam infamiâ non notetur.

SVMMARIVM.

1. *Damnatus in actione iniuriarum infamis est, licet sit iniuria parua.*
2. *Oppositum docet Glossa, dum pro modico negat actionem iniuriarum dari.*
3. *Papa ciuilem infamiam seu pristinæ famæ restituere non potest laicum iurisdictioni suæ temporali non subditum. Nisi fortè ei necessarius sit in Clericatu.*
4. *Cautela pro eo, qui ob iniuria vel furti crimen ad judicium vocatur, vt infamiam vitet, quod fit mittendo procuratorem, si ciuiliter agatur, non item si criminaliter.*
5. *Resoluitur quæstio, ad quem pertineat, notatum infamiâ in integrum restituere.*

NOtand. vnicum. Qui actione iniuriarũ damnatus est, infamiam juris contrahit *l. Athletas. 4. §. vlt. ff. de his, qui notantur infamiâ*, & docui *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 1.* Idque extendi debet, tametsi parua fuerit iniuria, quia ipsamet sententia de tali crimine ciuiliter infamat, sicut ex hoc text. colligitur, & docet *Innoc. in principio hîc. Ioan. Andr. n. 5. Abb. n. 6.* cùm enim à Pontifice postulatum esset, vt condemnatum famæ restitueret, ipse non respondit, restitutione nulla opus esse, sed restituit dicendo, nolle se, vt infamiâ notatus sit, & pro ratione, quòd libenter ac facilè restitutionem faciat, eam affert, quia nulla, aut minima iniuria erat. Cæterùm, si constaret, iniuriam nullam irrogatam fuisse, tum irrita esset sententia Iudicis, & consequenter infamiæ effectum non produceret. Confirmatur hæc doctrina ex eo, quia etiam de modico seu minimo furto condemnatus juris infamiam contrahit. *c. vlt. causa. 24. q. 6. & §. Gallinarũ. Institut. de rerum diuisione.* Contrarium tamen docet hîc *Glossa verb.*

minima, quòd pro modico non datur actio iniuriarum, & *Durand. in speculo p. 3. tit. de in integrum restitut. §. 5. n. 7.* vbi ait: Papam hîc declarâsse nullam aut minimam fuisse iniuriam, ideóque infamiam non contractam, sed retentâ communi sententiâ: Dico Papam considerâsse, aut nullam fuisse aut minimam, & ideò optimè respondisse, nolle se, vt H. infamiâ notatus sit, quia si nulla fuit iniuria, sententia Iudicis irrita est, sin aliqua, sed minima seu modica, tum facilem restitutionem condemnatus mereri debet.

3 Exinde colligitur istum A. temporali iurisdictioni Pontif. subiectum fuisse, alioquin ciuilem infamiam ab ipso tollere, seu pristinæ eum famæ restituere non potuisset, sicuti docet *gloss. recepta. hîc. verb. volumus. Gratian. sup cap. Euphemium. 7. causa. 2. q. 3.* Cùm enim talis infamia per ciuilem potestatem irrogata sit, per eandem tolli debet, sicuti *gloss. monet in citato cap. Euphemium. ibid. Archidiacon. n. 4.* quòd nec Papa restituere potest Laïcum non subditum Iurisdictioni suæ nisi fortè ei necessarius sit in Clericatu, prout etiam notaui *in cit. c. 4. n. 3.*

4 Porrò *Gl. hîc, verb. infamia.* cautelam tradit, si quis ob iniuriæ aut furti crimen in iudicium vocatus, infamiam vitare velit, vt Procuratorem mittat. *arg. l. furti. 6. §. Si quis alieno. ff. de his, qui notantur infamiâ.* vbi dicitur: Si Procurator in actione furti condemnetur, neque ipsum Procuratorem, cùm alieno nomine condemnatus sit, neq; principalem infamiâ notari. vbi *gl. verb. Procurator.* monet, id verum esse, si ciuiliter actum sit de furto, non item, si criminaliter, quia in iudicio criminali ordinariè non admittitur procurator, aut si admittitur, condemnationis sententiâ aduersùs eum concipitur, qui Procuratorem misit. *l. vlt. C. De iniuriis.*

5 Disputant hîc Canonistæ, ad quem pertineat, iuris infamiâ notatum in integrum restituere, & respondent; Quòd ad Principem pertineat, qui in ordine ad spiritualia est summus Pontifex; in ordine verò ad ciuilia & erga proprios subditos, est Imperator, Rex, aut Respub. libera, nullúmque superiorem agnoscens. ità etiam docet *Bart. in l. 1. §. de qua. ff. de postulando.* vbi tamen addit 1. Etiam Cardinalium Collegium famæ restituere posse in ordine ad spiritualia, quod etiam sentit *Felin. hîc. n. 11. Imol. n. 8.* Sed contrarium rectiùs docet *Abb. hîc. n. 12.* quia Cardinales absque Papæ commissione non exercent vllam iurisdictionem, præterquam in Ecclesiis suorum titulorum, sed neque mortuo Papa exercent aliquam iurisdictionem, quę ad sedem Pontificiam spectat. *Clemen. ne Romani. de Electione.* & docui *l. 1. tr. 4. c. 7. §. 7.*

Addit 2. Bartolus, si infamia irrogata sit per statutum singulare. v. g. alicuius ciuitatis, tum etiam inferiorem Principem. v. g. Rectores ciuitatis famæ restituere posse, cùm nihil tam naturale sit, quàm vt eâdem potestate, quâ res colligata est, etiam dissolui queat, *Reg. 35. ff.* idque notat etiam *Abb. hîc. n. 23.*

CAPITVLVM XXIV.

Ad probandum.

Paraphrasis.

Cùm in Monasterio Monialium Hesiensi, vacante Sede, duæ in discordia electæ essent Abbatissæ, Custos, & alia Monialis; Papa causam hanc quibusdam delegauit, eâ formâ, vt examinatis electionibus eam confirmarent, cuius electio Canonica videretur. Judices illi delegati Custodis electionem per sententiam definitiuam approbârunt, à qua altera electa appellauit, seu potiùs per viam nullitatis causam ad Romanam Sedem deduxit, asserens: quendam ex Iudicibus tempore latæ sententiæ fuisse publico excommunicationis vinculo irretitum; Quapropter Innoc. III. causam aliis quibusdam Iudicibus committit, mandans eis, vt de valore sententiæ priorum Iudicum cognoscant, ita vt, si intelligant eam vel ex dicto capite excommunicationis in vno delegatorum Iudicum (prout etiam Metropolitanus testatus fuit) existentis, vel ex alia causa invalidam, aut infirmandam esse, tunc eandem

eandem infirment, & de Custodis electione iterum cognoscant, alioquin verò priorum Iudicum sententiam confirment.

SVMMARIVM.

1. *Gesta à judice notoriè excommunicato irrita sunt.*
2. *Irrita est sententia lata à pluribus coiudicibus quorum jurisdictione priuatus est, vel saltem impeditam habet jurisdictionem.*
3. *Cassatâ confirmatione, non ideò invalida censenda electio; hæc tamen invalidâ, etiam invalida est confirmatio.*
4. *Propter judicis excommunicationem, antecedentia judicii acta irrita non sunt, nisi causa irritandi acta efficiat, vel sententia lata fuerit die festo.*

1 NOT. I. Gesta à Iudice excommunicato irrita sunt, si excommunicatio eius publicè nota sit, ex quo per sensum contrarium valitura acta, si excommunicatio eius occulta sit. *arg. l. Barbarius. 3. ff. de off. Prætorum*, & habet id etiam locum in Iudice delegato, sicuti ex hoc cap. colligitur. & docui *l. 1. tr. 4. c. 22.* videri potest *Felin. hîc.*

2 Not. II. Irrita est sententia lata à duobus vel tribus tanquam Coiudicibus, quorum vnus Iurisdictione priuatus est, aut eam impeditam habet, vt hîc & *in c. Cùm super. 23. de off. delegati.* Ratio est, quia omnes judicare jussi sunt. *c. penult. junct. gl. verb. delegatorum. eodem tit. de off. delegati.* Aut saltem si clausula adiecta fuit, *si non omnes* &c. voluerunt omnes judicare, quod facere non potuerunt, sicuti explicaui *in cit. c. Cùm super.*

3 Not. III. Cassatâ confirmatione, non ideò etiam electio censeri debet irrita. *c. Si confirmationem. 39. de electione in 6.* Contra verò si electio irrita sit, non potest valere confirmatio, quia non confirmatur, quod non est, sicuti dixi *cap. Cùm inter. 13. h. tit.*

Quærunt, si sententia irrita sit. v. g. propter Judicis excommunicationem, num etiam antecedentia judicii acta corruere debeant. Resp. Si causa *irritandi* acta non afficiat, acta non debent censeri irrita. v. g. si excommunicatio post acta ante latam sententiam contracta sit à Judice, vel si sententia lata fuerit die festo, prout notauit Bart. communiter receptus *in l. Si expressim. n. 1. ff. de appellationibus. Abb. hîc. n. 6.*

CAPITVLVM XXV.

Quamuis.

PARAPHRASIS.

Ordinariè res inter alios judicata, aliis nocere non debet, licet excipi debet 1. Si Titius, cui principaliter actio, vel defensio competebat, passus est alium agere, tunc res judicata ipsi obest. 2. Si Titius passus est eum, à quo causam habet, in judicio agere, sententia contra eum lata etiam Titio præiudicium generat.

SVMMARIVM.

1. *Ampliatur Regula, quòd res inter alios acta, aliis nocere non debeat.*
2. *Limitatur aliquot limitationibus eadem Regula.*
3. *Adduntur exceptiones Casuum, in quibus prædicta Regula locum non habet.*

HAbemus ex hoc Capitulo vnam Regulam, & duas exceptiones notandas, regula sumpta *ex tit. Cod. quibus res judicata non nocet*, & ampliari debet. 1. Quòd res judicata alteri non nocet, tametsi alius causam eius egit, tanquam persona coniuncta, licet absque mandato, iuxta *l. 1. C. eod. tit.* vbi habetur, quòd sententia lata contra personam coniunctam absque mandato agendi, aut defendendi causam tuam, tibi non nocet, nisi postea ratum habueris, quod actum fuit.

Ampliatur 2. Quòd nec probationes in judicio factæ contra vnum, alteri, vel in ordine ad alteram personam præiudicare debent. *c. Inter. 6. verb. nec attestationes. de fide instrument.* Similiter nec confessio in judicio facta nocet confitenti erga aliam personam, quâcum actum non est. *l. vlt. ff. de interrogatoriis actionibus*, vbi habetur, quòd

responsio facta in judicio non præiudicat Respondenti, nisi interrogantis respectu.

Ampliatur 3. Quòd neque vice versa sententia pro vno lata, alteri, vel ipsi, pro quo lata est adversùs alterum prosit, quocum in judicio actum non est. *l. 2. C. quibus res judicata,* vbi dicitur, res inter alios judicatæ, neque emolumentum afferre debent his, qui in judicio non interfuerunt.

Rationem horum reddere debemus, quia partes litigantes, quasi contrahunt inter se in ordine ad hunc Iudicem; ergo sicuti contractus eos tantùm obligat, qui in eum consenserunt, non alios, ita etiam ex illo quasi contractu litigantes tantùm, non alij obligationem acquirere debent.

Limitari debet Regula 1. Tametsi alteri præter litigantes sententia aliáque judicii acta plenum præiudicium non afferant, tamen præsumptionem gignere possunt contra alterum. *argum. l. Si duo 13.* vbi id notat *Bart. & gl. verb. habiturum. ff. de jureiurand.* Ex quo colligit *Alexand. hic. n. 3.* Quòd sententia lata contra vnum. v. g. adulterum, vel simoniacum, nocet alteri consorti quoad inducendam infamiam facti, ita vt possit ei indici purgatio Canonica. *c. Significâsti. 5. juncta gloss. verb. præfata. de adulteriis.*

Limitari debet 2. Si ij, quorum interest, in judicium legitimè vocati non advenerint, præiudicatur ijs, sicuti tradit *Alexand. hic. n. 60. & 63.* vbi ait: bonam hanc esse cautelã vt actor faciat eos, quorum interest, citari specialiter, aut per edictum generale, vt sententia definitiua ijs obsit, dummodo citatio ad ipsos pervenerit, aut per ipsos steterit, quominùs perveniret.

Exceptio 1. in hoc consistit, si aliquis, ad quem principaliter actio, aut defensio causæ pertinet, alterum agere permisit, tunc sententia ei nocet *l. penult. ff. hoc tit.* Ratio est quia is, ad quem principaliter causa pertinet, potest remouere litigantem à judicio, & se in locum eius substituere, consequenter si tacet, consentire videtur, juxta *Reg.* quòd tacens consentire censetur, si ad ipsum, si consentire nolit, pertineat prohibere. Exemplum affertur in *cit. l. penult.* si tibi pro debito fundus oppignoratus sit, de cuius dominio tertius litigare velit; ad debitorem tuum 1. loco pertinet causam agere, aut defendere; quia eius principaliter interest, quandoquidem si fundus euictus sit, tibi vel soluere, vel aliud pignus contrariâ pignoratitiâ actione potest cogi. *l. tutor. 16. §. contrariam. ff. de pign. actione.*

Quare si in tali casu debitor patiatur creditorem in judicio litigare, non præmissâ protestatione, id ipsi nocebit. Neque obstat his, quòd Bartolus obiicit, Creditorem posse agere hypothecaria actione aduersùs tertium possessorem, etiam prohibente debitore, quandoquidem etiam contra ipsum debitorem agere potest. *l. Cùm notissimi. 7. C. de præscriptione. 30. annorum.* Respondetur enim, quòd nihilominus debitor, quatenus in tali judicio de dominio rei disputatur, se ingerere possit, causam suam (quippe cuius principaliter interest, & qui de jure suo optimè omnium scire ac docere potest) defensurus, sicuti Butrius & *Abbas hic docent. n. 9.*

Exceptio 2. Talis est, si alterum, à quo causam habes, passus es in judicio agere, aut defendere, sententia contra eum lata, tibi nocet. *cit. l. penult. ff. de re judicat.* Exempla sunt, si vxor, vel socer in judicio agere vel causam defendere permittantur circa res dotales, sententia contra eos lata præiudicat marito, quia causam ab iis habet, similiter si Emptor permittat venditorem causam agere, aut defendere, circa rem venditam, quippe à quo ipse Emptor causam habet, seu jus accipere debuit, si quod illi competebat, quandoquidem si venditor Dominus rei non fuit, neque emptor esse potest, eadémque ratio est, si debitor contendat de dominio rei oppignorato & succumbat, nocebit id creditori, cùm causam pignoris habeat à debitore.

Requiritur tamen vt is, qui ab altero causam habet, sciuerit causam agi, & passus sit, sicuti *Bart. monet in cit. l. Et videri potest Innoc. hîc. colum. 2.*

Simili ratione si agatur de inualiditate præsentationis, Electionis, vel collationis, & sen-

& sententia feratur contra præsentatorem, electorem, collatorem sciente & patiente præsentato, electo, aut prouiso, præiudicat ipsi, quippe qui causam & jus habet à præsentatore, electore, collatore. Sed alia ratio est quoad pœnam, si videlicet ordinator vel collator per sententiam punitus sit, quia Simoniacum, vel adulterum Clericum ordinârit, aut inuestierit, sententia non præiudicat ordinato, aut prouiso, quoad plenum præiudicium, præterquam si crimen Simoniæ interutrumque commissum declaratum sit notorium, tùm propter connexionem Iudex ex officio alterum quoque punire potest, teste *Alexand. hîc. n. 10.* & constat ex *c. Ad nostram. 71. de jureiurando.*

His adde, quòd etiam vice versa si controuersia nota sit electo, aut prouiso, quòd electionem, aut collationem legitimè non acceperit, videlicet non ab habente potestatem, nocet id electori, aut collatori scienti & patienti causam agi, vti colligitur ex *cit. l. penult. juncta gl. nouâ marg.* vbi dicitur: si contra libertum seu à me manumissum sententia de statu feratur, quòd videlicet alterius seruus sit, id obesse mihi scienti & patienti causam hanc agi, & ita docent Canonistæ hîc & *gl. in c. 3. dist. 81.* præiudicat ordinatori sententia lata contra ordinatum, quando præsens est & scit causam agi: cùm enim quasi sua causa agi videatur (eius enim principaliter interest) & tacet, nec defendit causam, sibi præiudicat. juxta primam traditæ regulæ exceptionem.

Veruntamen hæc ipsa doctrina limitanda est, vt intelligatur, quatenus causam & jus accepit prouisus à collatore, vt si circa illud ipsum, quatenus ab eo proficisci potuit judicetur pro aut contra prouisum, id etiam prosit, aut obsit collatori, sicut colligitur ex *c. Cùm olim. 7. de causa possessionis.* Et notat hîc *Alex. n. 12.* nam prouisus ideò jus suum consequitur, quia collator fuit in possessione juris conferendi, tametsi fortasse jus istud secundùm proprietatem non habuerit, consequenter si pro, aut contra prouisum sententia lata sit, prodesse, aut obesse debet collatori in possessorio, saluâ interim quæstione proprietatis, sicuti constat ex *cit. c. Cùm olim.* & monet *Abbas. hîc. n. 23.* Quamuis secundùm hanc eius cap. explicationem quæ valdè conformis est, non apparet ratio, cur Pontifex hîc alleget axioma, res inter alios acta &c.

Aliæ exceptiones à Regula, seu casus, in quibus res judicata alteri absenti & non contendenti prodest, aut obest, videri possunt in *gloss. hîc. verb. res inter alios*; & apud *Abbat. & Alexand. hoc loco.*

CAPITVLVM XXVI.

Duobus.

Paraphrasis.

Si duo Iudices diuersas sententias proferunt, distinguendum, num sint ordinarii, delegati, an arbitri; si ordinarii sint, valet sententia prolata pro reo, non pro actore, exceptis causis fauorabilibus, matrimonii, libertatis, dotis, testamenti. Si delegati judices, sententia pendet ex arbitrio delegantis. Si denique tanquam arbitri, seu ex compromisso, neutra sententia vigorem habet.

Svmmarivm.

1. *Si duo judices Ordinarij, pari potestate in solidum præditi, sententiam dicant diuersum, præualet illa, quæ lata est pro Reo.*
2. *Ampliatur hæc doctrina ad plures eiusmodi judices, v. g. si quatuor vel sex illorum æquali numero in sententia discordent.*
3. *Ampliatur etiam ad probationes, vt si hæ plures sint ex vtraque parte, pro Reo sententia sit ferenda absolutoria.*
4. *Excipitur tamen ab hac generali doctrina: nisi causa fauorabilis sit, v. g. dotis, de testamenti & matrimonij valore, vel quæcunque alia.*
5. *Et quidem in causa valoris matrimonii indubitatè hoc verum est, si impedimentum prætensum ex jure positiuo existat, non item tamen, si ex jure naturali, aut diuino juxta Abbatem & Felinum.*
6. *Oppositum sentit author.*

7. *In casu quo vterque coniux malâ fide matrimonium contraxit, & post diligentem veritatis inquisitionem, dubium deponere non possunt, an & quomodo licitum ipsis sit coniugio vti?*
8. *Si duo judices delegati discordes sint in sententiis, causa instructa mitti debet ad delegantem.*
9. *Si arbitri, vel arbitratores; nulla earum valet, nisi compromissum sit adiectâ clausula, vt vnius sententia separatim lata valere possit, tum idem seruandum, quod de ordinariis judicibus cautum est.*

1 QUod ad primum horum attinet, exemplum dari potest in duobus Episcopis, Vicariis generalibus, aut duobus Ciuitatis Consulibus, actualem jurisdictionem in solidum habentibus, si diuersas sententias in aliqua causa ferant, eius præualebit, quæ pro reo lata est: nam fauorabiliores Rei, quàm actores habentur, *Regul. 125. ff. Et promptiora jura ad absoluendum, quàm ad condemnandum. c. 3. de probationibus.*

2 Ampliari debet 1. Si 4. vel 6. Iudices pari potestate in solidum præditi sententiam dicant, duo vel tres pro actore, alii verò duo aut tres pro reo, horum sententiam præualituram. *l. Junia. l. 24. ff. de manumissionibus.*

3 Ampliari debet 2. Quod hîc dicitur de sententia, idem sentiendum est de probationibus, vt si pares ex vtraque parte videantur, pro reo sententia absolutoria ferenda sit.

4 Exceptio verò à regula est, nisi causa fauorabilis ex parte actoris sit, videlicet, si quis agat pro matrimonii valore, pro dote, pro libertate, pro valore testamenti. Et quod hîc dicitur de sententia, idem censeri debet de probationibus, videlicet testibus, nam dispari numero ac qualitate pro vtraque parte productis, hoc casu pronuntiandum esse pro libertate, habetur expressè in *cit. l. Junia.*

Amplia Exceptionem, quòd similiter locum habere debet in aliis fauorabilibus causis, quæ hîc numeratæ non sunt, nam 4. casus afferri videtur loco exempli, quæ autē loco exempli afferuntur, traditam doctrinam non restringunt, sed ostendunt, quòd etiam in aliis similibus locum habere debeat, *arg. c. 1. ne Clerici. vel Monachi.* Quare *gl. in l. 1. verb. judicati. C. de condict. indebiti. Abbas. hîc. n. 17.* aiunt, quòd casus excepti à regula extenduntur ad casus similes, *arg. c. Cùm dilecta. 4. de confirmatione vtili.* & docui *l. 1. §. 4. c. 18. n. 9. §. Cæterùm.*

Vnum hîc admonendi sumus, quod dictum est, causam fauorabilem censeri, quæ pro matrimonii valore est, id indubitatè verum esse, si impedimentum, quod prætenditur, ex jure positiuo existat. *l. licet. 47. de testibus.* sin autem ex jure naturali, aut diuino, vt si disputetur, num impotentia coniugis subsit, aut consanguinitas, vel affinitas in 1. gradu. *hoc casu. capit.* huius doctrinam locū non habere tradit *Abbas. in cit. c. Licet enim. 5.* & inclinat *Felin. hîc. col. 2.* existimantes, si probationes pares sint, & res post omnimodam examinationem verè dubia maneat, pro reo pronuntiandum esse, quia cùm ex vtraque parte periculum violandi juris diuini, cuius maximus fauor esse debet, hoc loco vrgeat, vnus fauor alterum debilitat, ideóque jus ordinarium seruandum est, videlicet si partium jura dubia sint, pro reo pronuntiandum esse. 5

Sed arbitror contrarium esse dicendum, quia cùm jura non distinguant, neque nos distinguere debemus. 6

Accedit quòd post matrimonium, maximè si in facie Ecclesiæ celebratum sit, jus est acquisitum contrahenti, quo priuari ipse non debet in causa dubia. Quemadmodum etiam in conscientiæ foro, stante tali dubio, coniugij debitum exigi potest à coniuge, dummodò dubium valoris postea superuenerit, adeóque bona fide matrimonium contractum sit à coniuge debitum petente.

Sed quid si vterque Coniunx mala fide, videlicet cum dubio intercedentis impedimenti matrimonium contraxit, & post diligentem veritatis inquisitionem, dubium deponere non possint, licitúmne est ipsis coniugio vti? Dicendum, si vtrinque sint probabiles rationes, res incerta ac dubia tam in externo, quàm in interno foro dubium 7

bium practicè deponi posse, ex eo principio, quòd in causa dubia pro matrimonii valore præsumendum sit, licet hoc casu fauorem non mereantur contrahentes, cùm bonæ fidei possessores non sint; ipsum tamen matrimonium, si in facie Ecclesiæ contractum sit, talem fauorem mereri debet; quæ videtur esse doctrina *Henriquez l. 11. c. 11. n. 5. in fine*; licet aliter discurrat *Sanch. l. 2. de matrim. disp. 42.*

§ Quod ad alterum attinet, si duo Iudices delegati discordes sint, seu diuersam sententiam ferant, vnus pro actore, alter pro reo, tunc causa instructa remitti debet ad superiorem, seu delegantem. *c. Per hoc. 17. de hæret. in 6.* qui vnam earum, quæ iusta ipsi videbitur, confirmabit, sicuti expressius habetur *in l. 28. ff. de rejud.* duo Iudices dati diuersas sententias dederunt, Modestinus respondit, vtramque sententiam in pendenti esse, donec competens Iudex vnam earum confirmauit. videri potest *gl. in authentica*, vt Iudices non expectent *coll. 9. v. sententiam.*

Ex his colligit *Abb. hîc. n. 4.* Si duo officiales Collegæ sint ordinaria potestate præditi, tum valere sententiam, quæ ab vno lata est pro reo, præterquam si causa fauorabilis sit. Sin autem sint delegati, tum in delegantis arbitrio est, num vnam earum sententiarum approbare velit, cùm etiam possit causam alij denuo cognoscendam committere, quandoquidem sententia ab vno absque altero lata irrita est, *iuxta c. Causam. 16. & c. penult. de off. deleg.*

At verò in aliis rebus ordinandis, si duo Domini, ordinariam potestatem seu iurisdictionem pro indiviso possidentes non consentiant, tunc superior providere deberet, vt alternis temporibus. v. g. annis potestatem exerceant, secundùm *Gloss. c. licet. 5. verb. conuenit. causa. 16. q. 3.*

Quod ad tertium attinet, si arbitri aut arbitratores in sententia discordent, seu diuersas sententias proferant, nulla earum valet. Excipe nisi compromissum sit, adiectâ clausulâ, vt vnius sententia separatim lata valere possit, iuxta *l. Non distinguemus. 32. §. Cùm in plures. ff. de arbit.* Nam hoc casu idem seruari debet, quod de ordinariis Iudicibus, supra dictum est, sicuti *Alex. hîc notat n. 12.*

EIVSDEM TITVLI IN VI.

CAPITVLVM I.

Cùm æterni.

Paraphrasis.

Si Judex Ecclesiasticus ordinarius vel delegatus in grauamen alterius litigantium partis aliquid contra justitiam & propriâ conscientiam egerit ex fauore, aut per sortes, videlicet pecuniâ corruptus, præter alias pœnas per annum ab officij executione suspensus manet, & ad litis æstimationem parti, quam læsit condemnandus; quòd si suspensione durante temerè se diuinis ingesserit, irregularitatem iuxta Canon. sanctiones contrahat, à qua eum liberare nemo poterit præter Rom. Pontificem, aliis quoque constitutionibus, quibus Judici malè judicanti pœnæ infliguntur, in suo vigore permanentibus.

Svmmarivm.

1. *Constitutio hæc noua & pœnalis ideóq; strictæ interpretationis fertur contra judicem Ecclesiasticum ordinarium (non autem Episcopum) & delegatum.*
2. *Ad pœnam eius incurrendam requiritur, vt judex partem litigantem grauet, & vt id faciat iniustè & contra conscientiam.*
3. *Suspensio quæ fertur contra judicem Ecclesiasticum, intelligi debet ab officio simpliciter, hoc est, ab exercitio ordinis & jurisdictionis.*
4. *Judex malè judicans, litem suam facit, & si per dolum malè judicauit, etiam infamis efficitur.*
5. *In causa criminali confiscatis bonis in exilium mittendus est judex, qui dato vel promisso aliquo se corrumpi passus est.*
6. *Si per imprudentiam vel imperitiam malè judi-*

judicauit iudex, ex quasi delicto obligatur, & ad litis æstimationem parti læsæ pro ratione culpæ.

7. *Actio in factum, quâ conueniri potest iudex malè iudicans, non pendet ab appellatione: quâ etiam pendente, locus est huic actioni.*

8. *Prædicta de iudice locum etiam habent in tabellione malè conficiente instrumenta.*

9. *Pœnam suspensionis ab officio non incurrit iudex, si ob imperitiam malè iudicauit, putans tamen se rectè iudicare.*

1 CONstitutio hæc noua est & pœnalis, quamobrm strictam interpretationem meretur, vt vltra terminos verborum secundùm iuridicam eorum acceptionem non extendatur. Itaque fertur contra Iudicem Ecclesiasticum ordinarium & delegatum, sed non comprehenduntur Episcopi, iuxta *6. Quia. 4. de sent. excom. in 6.* vbi cautum est, quòd Episcopi nullam suspensionis aut interdicti sententiam incurrunt, nisi eorum expressa mentio fiat. Neque comprehenduntur arbitri & promissarij, nisi arbitri juris. *arg. l. Si quis. 29. C. de pact.* Quia in locum Iudicum succedunt, eorúmque arbitria ad formam judiciorum omnimodè redacta sunt, & ita notat hîc *Monach. n. 8. gl. verb. in judicio. Durand. in specul. l. 1. p. 1. de arb. §. 1. n. 6.* Neque locum habet constitutio in auditore & executore, sicut *Ioan. Monach. & gl. cit. loco. testantur.*

2 Denique tria requiruntur ad pœnam huius constitutionis incurrendam, videlicet vt Iudex partem litigantem grauet seu lædat, & vt id faciat iniustè & contra conscientiam; quia alterius partis fauorem, pecuniæ largitionem, aliámue odii, vel timoris affectionem præfert veritati ac justitiæ. vide *gl. hîc. verb. per sortes*, & quæ dicuntur in *l. filiusfamilias. de judiciis.*

3 Not. I. Si contra Iudicem Ecclesiasticum feratur suspensio ab officio, intelligi debet de officio simpliciter, vt ab exercitio ordinis, ac jurisdictionis (non item à beneficiis, teste *gl. hîc. verb. beneficiis*) suspensus sit, adeò, vt violando hanc censuram, irregularitatem quoque contrahat, conuenienter iis, quæ dixi. *l. 1. tract. 5. p. 3. num. 2. §. tametsi.* Alioquin si ab officio tantùm judicandi suspensus esset, non ideò prohiberetur officia diuina celebrare. Deinde si ita suspensus aduersus prohibitionem ipsi factam judicandi munus exerceret, irritum quidem esset, quòd ageret, irregularitatem tamen non contraheret, cùm ea non ob quamuis censuræ violationem decreta sit, sed tantùm si talem censuram violet, ratione cuius à celebratione, aut ordinis alicuius exercitio prohibitus, vti constat ex *toto tit. l. 5. decretal. de cler. excom. aut suspenso ministrante. & notat Suar. de censur. D. 42. s. 1. n. 1.*

Not. II. Si Iudex malè judicauerit, litem suam facit. i. e. contra ipsum agi potest actione in factum ad litis æstimationem. 4

Verùm distinguendum hîc est, vel enim per dolum malè judicauit, hoc casu infamis efficitur & æstimationem litis, i. e. quantum interest partis, iniustè contra ipsam judicatum fuisse, in solidum præstare cogitur. *l. filius fam. 13. ff. de jndiciis. & l. vlt. C. de pœna Iudicis qui malè judicauit.*

In causa autem criminali confiscatis bonis in exilium mittendus est Iudex, qui dato vel promisso aliquo se corrumpi passus est *authent.* nouo jure *C. eod. tit.* 5

Vel per imprudentiam aut imperitiam malè judicauit Iudex, credens tamen se rectè judicare, tunc non propriè ex delicto, sed quasi ex delicto obligatur, & ad litis æstimationem seu damnum & interesse parti læsæ præstandum condemnandus est non absolutè, sed prout considerata culpa videbitur ei, qui de hoc judicaturus est. *cit. l. filiusfamilias. l. Si quis. 5. §. Si Iudex. ff. de obligationibus & actionibus. l. vlt. ff. de variis cognitionibus. Instit. de obligationibus ex quasi delicto, principio,* & videri potest *Bart. in l. 2. n. 2. C. de pœna Iudicis.* 6

His addendum est 1. Quòd hæc actio in factum aduersùs Iudicem dolo aut per imperitiam malè judicantem non pendeat ab appellatione, quia tametsi appellationi renuntiatum sit, aut dies ad appellandum dati transierint, tamen contra judicem agi potest 7

sicuti

ficuti pluribus relatis docet *Gail. l. 1. obseru. 153. num. 2.* sed & pendente appellatione Iudicem actione ista conueniri posse, si malè judicauit, vel aliàs grauauit, v. g. probationes, vel defensiones non recipiendo, testatur *Bald. in l. Obseruare. §. Profitisci. q. 20. ff. de off. Proconsul.*

Adde 2. Quod dictum est de Iudice, id etiam locum habere in tabellione malè conficiente instrumenta, vt paribus modis conueniri possit, siue per dolum, siue per imperitiam egerit, *juxta l. vlt. C. de Magistratibus conueniendis.* & docet *Gl. Marg. Noua in cit. l. Filiusfamilias.*

Quæres. Vtrum pœnam huius Capituli, videlicet suspensionem ab officio incurrat Iudex, si ob imperitiam malè judicauit, existimans tamen se rectè judicare.

Responsio est negatiua, quia satis colligitur ex textu. *verb. Contra conscientiam. & verb. Per gratiam aut sortem. juncta l. cit. Filius fam.* vbi dolo malo id agi dicitur, quod à Iudice gratiâ, inimicitiâ, aut per sortes fit.

CAPITVLVM II.

Ad Apostolicæ.

Paraphrasis.

Honorius III. & post ipsum Gregor. IX. Fridericum II. Imperatorem, quòd Ecclesiæ jura & immunitates inuaderet ac violaret, excommunicârunt; post verò cùm ad succurrendum rebus Ecclesiæ idem Gregor. Concilium generale Episcoporum Romam conuocaret, adnauigantes Episcopi & Cardinales ex Hispaniis & Galliis in Genuensium triremibus capti fuerunt, & ad Fridericum adducti. Gregorius vitâ excessit, & cùm ampliùs anno Romana Sedes vacâsset, Innoc. IV. electus est, qui mox magnæ authoritatis nuntios ad Fridericum ablegauit, vt de pace cum ipso tractarent, ante omnia autem Cardinales, Episcopos & Clericos, quos captiuos detinebat, liberos dimitti juberet, postea admittendam esse satisfactionem, si quam offerret pro iniuriis & damnis Ecclesiæ illatis, sin autem negaret se Ecclesiam offendisse, sed magis iniuriam passum esse, tunc paratus erat Innoc. IV. conuocare Reges & Principes Ecclesiasticos & sæculares, qui de causa cognoscerent, ita, vt si Ecclesia Romana Imperatorem læsisse censeretur, tunc ipsi ex Consilio Synodi satisfaciendum, & sententiam, si quæ contra Imperatorem iniustè lata esset, reuocandam.

Præterea si Imperator ipsemet pro iniuriis & damnis à se illatis, facti pœnitens satisfactionem promittat, tum Innoc. quatenus cum honore suo & Ecclesiæ poterit, eam recipere, & pacem cum Imperatore & adhærentibus eius stabilire paratus erat.

Verùm cùm Fridericus huiusmodi monitis acquiescere nollet & pertinacè se præberet, Pontifex Concilium generale Lugdunum convocauit, eóque Imperatorem ad causam suam dicendam citauit, Imperator ipsemet non accessit, sed Procuratorem misit, ac Legatum, Thadæum nomine, Año Christi 1243. Qui licet eleganti sermone Imperatorem excusare conatus fuerit, tamen cùm excusationem sufficientem non esse ostensum fuisset, Innoc. IV. cum Imperio & Regno Siciliæ, quod ab Ecclesia in feudum tenebat, ex Concilii assensu priuauit, quatuor allatis causis. 1. Quia periurus esset, pacem juratam inter Ecclesiam & Imperium sæpius violando. 2. Quia Cardinales, Episcopos, & Clericos ad Concil. venientes sacrilegè capi curauit. 3. Quia de hæresi euidentibus argumentis suspectus esset. 4. Quia Clericos & Laicos in Sicilia affligat, eósq; Romanam Ecclesiam hostiliter impugnare compellat, sed & hoc annumerari posse, quòd pensionem annuam, quam ex Siciliæ Regno Ecclesiæ Romanæ in feudi recognitionem pendere debet, ampliùs nouem añis soluere prætermiserit, ea propter Pontifex omnes, qui juramento fidelitatis eidem Friderico II. obstricti sunt, in perpetuum

absoluit, prohibens insuper ne quisquam ei in posterum tanquam Imperatori, aut Regi pareat, in eos autem, qui veluti Imperatori, aut Regi consilium, auxilium vel fauorem præstiterint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam decernit.

Denique addit Papa, quòd Principes ij Germaniæ, ad quos Imperatoris electio spectat, Successorem depositio Friderico liberè eligere debeant; de Regno autem Siciliæ cum Cardinalium Concilio prouisurum se ait.

CAPITVLVM III.

Abbate.

Paraphrasis.

Lis erat inter Abbatem de Bonefacto & Hospitalarios S. Ioannis super loco de Rosellis, quem Abbas pro se & cum Conuentu agens in judicio, ad Monasterium jure dominii, aut quasi dominii vnà cum finib⁹ suis pertinere dicebat, ex Arragoniæ Regis donatione; ideòque petiit eum Monasterio adiudicari, & Hospitalarios inde amoueri, sed Hospitalarii litem contestantes dixerunt locum de Rosellis ad ipsos pertinere, quia Rex Arragoniæ Castrum Caruariæ cum finibus suis, intra quos locus ille erat, dudum donauerat Hospitalariis sub conditione, si à Saracenis infidelibus eriperetur, quamobrem cùm talis conditio justa & pia fuerit, & quidem impleta, quandoquidem successor Regis videlicet nepos eius Castrum & locum illum à Saracenis abstulit; stabilitâ autem intentione suâ postea refutant Hospitalarii allegationes Monasterii, videlicet quòd Abbas & Conuentus intentionem suam haud probârint; dicebant enim in libello, quòd locus de Rosellis Monasterio donatus fuisset à Rege, postea verò ostenderunt Regem donâsse Monasterio Populeti, à quo deinde Monasterio suo donatus fuerit; neque refert, quòd Rex Monasterio Populeti fecerit donationem sub modo seu grauamine, vt aliud Monasterium construeret, quia non ideò voluntas eius fuit, vt locus ille de Rosellis ad construendum Monasterium applicari deberet, sed vt Monasterium Populeti multis largitionibus cumulatum ex propriis redditibus Monasterium ædificaret. Sed neque ea donatio, quæ à Monasterio Populeti facta fuit Monasterio ipsi de Bonefacto eidem suffragari potest, eò quòd post litem contestatam inter Monasterium de Bonefacto & Hospitalarios, & post processum in causa, contigerit, quare apparet inde, quòd dictum Monasterium de Bonefacto jus ex tali donatione, si quid ei acquisitum est, in judicium non deduxerit, quippe cùm postea superuenerit, consequenter nec de eo jure sententia ferri potest, quandoquidem Iudex pronuntiat tantùm super petitis, seu contentis in libello.

Vicissim verò ex parte Monasterii de Bonefacto replicatum fuit donationem illam conditionalem subsistere non posse, quia Rex ille prior successorem suum obligare non potuerit quoad ea, quæ successor industriâ suâ acquisiuit, ita vt propria & ab hæreditariis bonis separata censerentur. Obstare etiam non debere, quòd obiectum fuit, donationem à Monasterio Populeti factam fuisse post litem in judicio contestatam & processum in causa, quia sicuti in Reo obseruari solet, ita etiam actori prodesse debet, si quid juris ipsi durante judicii processu ante sententiæ pronuntiationem superueniat.

Ad has replicationes Hospitalarii responderunt donationem à Rege olim factam fuisse nomine Regni, & ideò successorem nepotem eius donatoris obseruare eam & implere debuisse, donationem verò, quæ à Monasterio Populeti facta est Monasterio de Bonefacto, patrocinari ipsi non posse, quia si actor ex certa & speciali causa egit, & postea alia causa seu titulus ei superuenit, non potest videri novum hunc titulum in judicium adduxisse.

duxisse. Quare Iudex sententiam pronuntiaturus exactè considerare debet, num ex ea ipsa causa, quæ ab actore proposita est, initio ipsius fundata sit, nec ne. Secus esset, si actor egisset ex causa generali petendo rem sibi adiudicari, quia eius dominium aut quasi dominium ad ipsum pertineret, tunc enim Iudex sententiam laturus id solùm considerare debet, vtrùm de jure, seu dominio eius constet, adeò vt tametsi jus post litis contestationem superuenerit, ac proinde primitùs jus verum petendi non habuerit, tamen pro ipso sententia ferenda sit, sed neque multum prodesset Reo, si in eo judicio absolueretur, quia mox alio inchoato contra ipsum judicio condemnandus foret; Igitur manet discrimen hoc, quòd qui generaliter intentionem proponit de dominio sibi competente, obtinere possit, etsi dominium in ipso judicii processu ante sententiam superveniat, at verò agens ex causa seu titulo speciali obtinere non debeat, nisi intentionem suam, ex eo ipso titulo, quem expressit, demonstrârit.

Cùm itaque Monasterium de Bonefacto in petitione sua proposuerit donationem loci de Rosellis à Rege sibi factam fuisse, id autem postea non ostenderit, sed solùm docuerit de donatione facta ipsi à Monasterio Populeti, quæ tamen in petitione expressa non erat, & postea primùm euenit, nullum ex ea commodum Monasterium de Bonefacto reportare debet.

His ex vtraque parte propositis, Cardinalis huius causæ auditor diligenter perpendit, si ex causa speciali actum sit, videlicet ex donatione, aut venditione, quòd Iudex sententiam laturus animum suum informare debeat ex probationibus productis secundùm locum, tempus, aliásque circumstantias, vt appareat, num ex causa illa speciali, quam in petitione posuit actor, eius interfuerit, nec ne. Secus autem esse, si ex generali causa petitio facta fuerit, quia Dominus rei sit. Tametsi verò aliqui curiosi, qui subtilitatibus parùm vtilibus inhærent, aliter in hac ipsa causa (si actum sit titulo nullo expresso) discurrant, tamen vtilius est ob velociorem causæ expeditionem sequi id, quod dictum fuit, præsertim cùm nonnulla ob communem vtilitatem contra juris rigorem ex æquitate tolerari notum sit. Sed vt ad propositum redeamus, cùm, vt dictum est, Abbas & Conuentus de Bonefacto donationem sibi à Rege factam esse, quã causam specialiter proposuerant, minimè probârint, ideò auditor Hospitalarios ab eorundem petitione absoluit, quam sententiam Innoc. IV. ratam habuit, & Apostolicâ authoritate confirmauit.

Svmmarivm.

1. *Etiam in vendicatione rei corporalis libellus ita formari potest, vt quis dicat rem ad se pertinere jure dominii, vel quasi pertinere.*
2. *Agens rei vendicatione petit rem sibi adiudicari, & inde possessorem amoueri, vt sibi res restituatur.*
   Cautela pro eo, qui judicio petitorio experitur.
3. *Terra ab infidelibus possessa donari alicui potest, sub conditione si ipsis erepta fuerit.*
4. *Donatio facta sub conditione honesta, eâ impletâ purificatur & consistit.*
5. *Ecclesiæ aut Monasterio, quod nondũ fundatum aut extructum est, donatio fieri non potest. Potest tamen ei aliquid relinqui per modum legati, vel alterius mortis causâ facta dispositionis.*
6. *Si rex, episcopus, vel similis persona ratione dignitatis suæ donationem, aliamue dispositionem, vel pactionem legitimam faciat, ea obligatur successor, non vt ex propriis, sed bonis dignitatis soluat.*
7. *Renocare tamen donationem posset successor, si per eam notabiliter status regni laderetur.*
8. *Actor rei vendicatione agens, si certum titulum expressit, quem probare non potuit, reus absolui debet, etsi post litem contestatam*

nouus titulus acceſſerit, ex quo obtinere poſſet.

9. *Actor tamen alio judicio ex alia cauſa, vel titulo experiri poterit.*

10. *Et ſi poſt litem conteſtatam ſuperuenerit titulus nouus dominii, pro actore pronuntiandum erit juxta jus canonicum, non autem ciuile. Si quidem actor dominium, aut quaſi dominium abſolutè tanquam actionis realis propinquam cauſam in judicium deduxerit, & non aliam certam.*

1 NOtand. I. Etiam in vendicatione rei corporalis libellus ita formari poteſt, vt quis dicat rem ad ſe pertinere jure dominii, aut quaſi dominii, ſi videlicet actor ſuſpicetur jam eum, à quo cauſam habet, ſeu rem accepit, eius dominum fuiſſe, quia ſi cum bona fide & cum titulo colorato accepit, & huc vſque poſſedit, vſucapione nondum abſoluta, competit ei publiciana in rem actio aduersùs alium poſſeſſorem, qui Dominus non eſt. *l. vlt. ff. de publiciana in rem actione.* Videri poteſt *gloſſ. hîc verb. dominii, vel quaſi*, & quæ docui *l. 3. tract. 1. de juſt. c. 5. n. 1.*

2 Notand. II. Agens rei vendicatione duo petit, rem ſibi adiudicari tanquam Domino, & poſſeſſorem inde amoueri, vt ſibi res reſtituatur, quemadmodum in *l. Qui petitorio. 36. ff. de rei vendic.* conſilium datur ei, qui petitorio judicio experitur, vt curet ante omnia interrogari reum, num poſſideat vel dolo poſſidere deſierit, ita vt pro poſſeſſore jurisfictione habeatur. Videatur hîc Petrus Ancharanus poſt principium.

3 Notand. III. Terra ab infidelibus poſſeſſa donari alicui poteſt ſub conditione, ſi ipſis erepta fuerit, ſicuti enim jactum retis aliquis donare aut vendere alteri poteſt, ita & victoriæ ſpem. Adde ſi terra priùs Chriſtianorum erat, & poſtea ab infidelibus ipſis erepta, v.g. Hieroſolimitana; abſolutè donari poſſe ab eo, qui poteſtatem habet, ſicuti tradit *Bart. in l. Liber homo. ff. de captiuis. Ancharan. hîc. not. 7. Dominicus ſuper hoc cap. §. allegabatur.* idque propter jus poſtliminii, quia ſi res ab hoſtibus erepta denuò recuperetur, perinde eſſe ſolet, ac ſi nunquam capta fuiſſet, & ſemper in poteſtate ac dominio priſtini Domini permanſiſſet. *l. Id quod. 9. ff. de legatis. primò.*

Notand. IV. Donatio, quæ facta eſt ſub conditione honeſta, ea impleta purificatur & conſiſtit, ſicuti docui *l. 3. tract. de juſt. c. 4. n. 5.* 4

Notand. V. Eccleſiæ, aut Monaſterio, quod nondum fundatũ, aut extructum eſt, donatio fieri non poteſt, *arg. c. Ad audientiam. 5. de Eccleſ. ædif.* Quamuis ei per modum legati, alteriúſue mortis cauſâ factæ diſpoſitionis aliquid relinqui poſſit, juxta *c. 3. de teſtam.* & docet eleganter *Bart. in l. ſeruos. ff. de alimentis legat. Franc. hic §. allegabatur. n. 3.* quòd aliquis bona legare poſſit Monaſterio conſtruendo, imò etiam Monaſterium vel Eccleſiam ædificandam hæredem ſuum inſtituere. Ratio diſcriminis traditur in *gl. l. Illud. 19. verſu. ſed quid dicam C. de SS. Eccleſius.* quia donatio cùm ſpecies pacti ſit, requirit, vt pars altera donationem acceptet per ſe, vel per alterum, Eccleſia autem, quæ non eſt, acceptare non poteſt, at verò diſpoſitio legati non requirit legatarii acceptationem, quia hæres legatum exequetur; Quare, inquit, *Bart.* etiam inter viuos donari alicui poſſet v. g. prædium, impoſita ei obligatione, vt Eccleſiam exſtruat, & dotet, juxta doctrinam *gloſſ. in cit. c. Ad audientiam. verb. non poſſumus.* 5

Porrò quòd Eccleſia conſtruenda poſſit inſtitui hæres, inde oſtendi debet, quia ob benignam juris interpretationem teſtator in hoc caſu cenſetur animam ſuam hæredem inſtituere, executionem verò Epiſcopo loci, aliíſue à ſe nominatis executoribus committere.

Not. VI. Si Rex, Epiſcopus, vel ſimilis perſona ratione dignitatis ſuæ donationem, aliámue diſpoſitionem, aut pactionem legitimam faciat, eâ obligatur etiam ſucceſſor, non vt ex propriis ſoluat, ſed ex bonis eiuſdem dignitatis, ita *Ancharan hîc. q. 14. Franc. in §. pro parte autem. n. 2.* vbi admonet cum *Joann. Andr. hîc. n. 2.* quòd ſucceſſor ſiue nepos donatoris locum de Roſellis 6

lis acquisiuerit, tanquam Rex sub vexillis regni, & ideò donationem aui implere debuerit. Cæterùm si per donationem regni status notabiliter læderetur, successor eum reuocare posset, quâ de re dictum est in *c. Intellecto. 33. de jureiurand.*

7 Obiicies contra ista notanda: allegationes partis positæ in corpore Iuris non faciunt jus, sicut *gl. hîc* docet *verb. Judicio*, & *gloss. marginalis in l. vnica. C. quando non petentium &c.* quod ex verbis narratiuis facti non est licitum arguere, hæc autem quæ posuimus notanda, fundantur super partis narratione, ergo censeri non debent doctrinæ per jus approbatæ.

Resp. si narratio partis per compositorem, seu auctorem juris approbata videatur, tum vt juris doctrinam allegari posse, maximè si etiam communis DD. consensus accedat; id verò in proposito accidit; sicuti etiam *Franc. notauit. §. Sed ad hæc. in fine.*

8 Not. VII. Si actor rei vendicatione agens, certam causam, seu titulum expressit, quem probare non potuit, Reus absolui debet, tametsi post litem contestatam noua causa seu titulus dominii actori accesserit, ex quo obtinere posset. Ratio est quia Iudex sententiam ferre non potest, nisi super eo quod petitum & super quo lis contestata est.

Cùm itaque actor dominii jus non generatim in judicium deduxerit, sed quatenus sibi tunc competere aiebat ex particulari contractu, videlicet donationis factæ à Rege Arragoniæ; ideò si hanc suam intentionem non probauerit, Reus
9 absolui debet ab hoc judicio. Veruntamen actori non obstabit exceptio rei judicatæ, quo minùs alio judicio ex alia causa ac titulo siue is tempore litis contestatæ in priori judicio extiterit, siue postea supervenerit experiri possit, iuxta *l. Si mater. 11. §. denique, ff. de except. rei judicatæ.* Et notat hîc *Ioan. Monach. n. 13.* & docui *in c. 2. De libelli oblatione.*

10 Sin autem dominium, aut quasi dominium, tanquam causa propinqua actionis realis absolutè in judicium deductum fuit, non expressâ certâ causâ. v. g. peto mihi à Titio possessore ædes dari, quia Dominus earum sum, aut quasi Dominus; & post litis contestationem titulus novus dominij ipsi adveniat, distinguendum est inter jus ciuile & Canonicum, nam spectato jure ciuili, non potest judex pro actore secundùm eam causam seu titulum novum pronuntiare, quia non potest judicare, nisi secundùm id, quod in judicium deductum fuit, at verò causa, seu titulus postea superveniens non fuit in judicium deductus, nec lis super eo contestata, quia tunc non erat, ergo &c. idque sumitur ex *l. Non potest. 23. ff. de judiciis.* & videri potest *Bald.* hanc rem benè explicans *in l. 1. n. 7. C. de alienatione judicii:* at verò secundùm jus Canonicum (in quo æquitas magis, quàm juris subtilitas attenditur) sufficit, si titulus dominij postea supervenerit, saltem priusquam in causa conclusum sit, vt Iudex pro actore pronuntiare possit, sicuti hîc in text. dicitur: quia secundùm benignam interpretationem, vt liti expeditior finis imponatur, censetur omne id in judicium esse deductum per petitionem ex causâ generali, quidquid vel tunc erat, vel postea durante judicii processu futurum sit idoneum ad dominij translationem. Imò verò *Bart. in cit. l. Non potest*, existimat id etiam secundùm jus ciuile sentiendùm esse. *arg. l. Vltima C. de annali exceptione*, vbi dicitur: quòd is, qui libellum quendam formauit, omne jus, omnésque actiones suas in judicium deduxisse censetur, sed facilis est responsio, quòd omne id jus, omnésque actiones tunc competentes in judicium deducat, non autem orituras, quia actio non datur, nisi jure tunc subsistente, cùm sit petitio eius quod sibi debetur. Itaque nisi ad benignam Juris Canonici dispositionem confugiamus, non videtur hac doctrina defendi posse, quod etiam Pontifex indicauit, cùm dixit propter æquitatem ab exacti juris regulis quandóque discedi.

CAPITVLVM IV.

Cùm ab vno.

Paraphrasis.

Si vnus Judicum, aut arbitrorum præsentibus aliis judicibus, aut arbitris sententiam scriptam recitet, perinde censeri debet, ac si ab omnibus simul recitata esset, sed necesse est, vt, qui sententiam recitat, vtatur verbo numero plurali, Nos Judices, Nos Arbitri ita pronuntiamus, ita statuimus; licet secus sit in electione Prælati, siue per compromissum, siue per scrutinium fiat, ea enim (vt appareat esse vnicam & communem toti Capitulo) ab vno, vice omnium, id est, quasi vno Capituli ore, numero singulari proferri debet.

Svmmarivm.

1. *Duo ex tribus judicibus, vno absente, judicare non possunt: qui si adsit & contra sentiat, statur duorum sententiâ.*
2. *Ex pluribus judicibus vel arbitris sufficit, si vnus (aliis præsentibus & mandantibus) sententiam proferat, per verba tamen numeri pluralis.*
3. *In electionibus autem, promulgatio earum fieri potest per verbum numeri singularis, ob diuersam in iis rationem.*

1 ADverte quòd sermo sit de Judicibus delegatis, qui in hoc arbitris comparantur, quòd omnes judicare jussi sunt. *l. Sicut. 18. ff. de arbitr. l. 39. ff. de re judicat.* Duo ex tribus Judicibus vno absente judicare non possunt, quippe omnes judicare jussi sunt, sed si adsit & contra sentiat, statur duorum sententiâ. Consentit Authent. *vt Judices non exspectent, collatione 9. iuncta gl. verb. sententia.*

2 Exinde dubitatio orta fuit, num omnes, aut saltem pars maior, videlicet duo ex tribus concordantes, sententiam, & quidem ex scripto proferre debeant, an verò sufficiat si vnus eorum proferat. Ad hanc dubitationem respondet Pontifex, si vnus, vel plures, qui concordant, præsentes sint & mandent (vel saltem consentiant ac velint) vt vnus sententiam proferat, perinde esse ac si omnes proferant. *arg. l. 1. C. de errore advocator.* vbi habetur: quæ Advocatus parte præsente profert, quòd ab ipsa parte proferri videantur. Veruntamen vt appareat clarè sententiam, quam profert, non suam solius esse sed omnium, aut saltem maioris partis, quæ sufficere debet, ideò necesse est vt numero plurali vtatur.

Excipi debet nisi sint delegati Principis, quibus subdelegare concessum est, tunc enim vnus alteri Collegæ vices suas in pronuntiando committere potest, ita vt duplici jure sententiam proferat, videlicet vt delegatus, & vt subdelegatus, atque idcirco numero singulari vti possit, seu præsens sit is, seu absens, qui subdelegauit. Ita *gl. hic. verb. oportet. Ancharan. col. 1. Franc. n. 2.*

Porrò in electionibus diversa ratio est, si 3
quidem electio communis seu Capitularis sit nomine vnius corporis, Collegij, seu Capituli, quod saltem per maiorem partem eius repræsentatur, iuxta *l. Quod maior. 19. ff. ad municipalem*, & ideò ab vno fieri ac promulgari potest nomine eiusdem Capituli seu corporis per verbum numeri singularis. Ego meo & aliorum mihi consentientiũ nomine eligo Henricum, *iuxta cap. Sicut. 21. de elect. in 6.* At verò sententia à Iudicibus delegatis profertur non vt à Collegio, sed vt à singulis, prout docui *in cit. c. Sicut. in fine.*

CAPITVLVM V.

Et si.

Paraphrasis.

Sententia definitiua postquam scripta est ab ipso Iudice, non ab alio ex scripto recitari debet, alioquin non meretur nomen sententiæ, neque ab ea appellare opus est. Veruntamen Episcopo propter dignitatis suæ prærogatiuam honoris amplioris causa permittitur, vt sententiam à se ferendam, more personarum illustrium, per alium jubeat recitari. Vlteriùs si Iudex

senten-

sententiam scriptam partibus tradit, & non coram ipsis recitari faciat; Item si Iudice non sedente, sed stante sententia proferatur, irrita est.

SVMMARIVM.

1. *Sententia definitiua scribi, & ex scripto recitari seu proferri coram litigantibus debet.*
2. *Et hoc seruandum etiam in arbitrorum pronuntiatione seu laudo.*
3. *Afferuntur aliquot exceptiones.*
4. *Iudex per seipsum, non per alium sententiam proferre debet.*
5. *Limitatur prædicta doctrina.*
6. *Iudices sedendo iudicare debent, non stando aut eundo, alias sententia nulla est.*

Et hoc non tantùm intelligitur de sententia definitiua, sed etiam de cognitione causæ.

1 NOT. I. Sententia Judicis scribi debet, & ex scripto recitari seu proferri coram litigatoribus, *l. 2. & 3. C. de sententiis ex periculo recitandis*; idémque dicendum de arbitrorum pronuntiatione seu laudo, iuxta *l. 1. Cod. eod. tit. Arbitri nulla sententia est*, quam scriptam edidit litigatoribus, si non ipse re-
2 citauit. Intelligitur autem hoc de sententia definitiua non interlocutoria, hoc enim sine scripto referri potest, sed tunc à Notario redigenda est in scriptum, siue in acta processûs, sicut *Dominicus hîc notat, col. 2.*

3 Excipitur 1. Nisi sint causæ parui momenti, præsertim inter personas viles, quæ breuiter expediri solent, ac debent. *Authen. nisi breues. Cod. eod. tit.* Veruntamen non ideò quia causa summariè, & sine figura iudicii cognosci potest, v. g. Matrimonialis, aut beneficialis, *Clement. dispendiosam. de iudiciis*, sententia non ex scripto proferri potest, vt constat ex *Clement. sæpè § sententia, iuncta gloss. verb. in scriptis. De verborum signif.*

Excipitur 2. Quòd Episcopus inter Clericos suos in causa ciuili iudicans, sententiam sine scriptura ferre possit. *cap. Si quis cum Clerico. 45. c. 11. q. 1.* Id verò intelligunt aliqui locum duntaxat habere in causis minoribus, vti videre est apud *Anchar. hîc.*

Excipitur 3. Quòd in causa notoria Iudex sententiam ferre possit absque scripto, sicuti hîc *Franc. notat n. 6. limit. vlt.* propterea, quòd in notoriis ordo & solennitas juris non requirantur. *cap. Ad nostram. 21. de iureiur.*

Excipitur 4. Quòd sententia interlocutoria seu super incidente causa, verbo proferri possit à Iudice, *arg. l. 8. C. de sententia ex periculo*, vbi dicitur: quòd sententiæ definitiuæ ex scriptura recitari debent, ergo per sensum contrarium aliter sentiendum de interlocutoriis.

Excipitur 5. Quòd Princeps supremus cum eiusmodi solennitatibus juris positiui, adstrictus non sit, quin sententiam absque scripto ferre possit. vti *gl. hîc monet. verb. illustrium.*

Not. II. Judex sententiam per seipsum, 4
non per alium recitare debet, sicuti etiam habetur *in l. 23. C. de sententiis. ex periculo.*

Excip. 1. Quòd Judices illustres, seu in 5
dignitate excellente constituti per alium, cui id demandârunt, sententiam partibus ex scripto intimare possint. *cit. l. 2.*

Excipe 2. Quòd idem Episcopis concessum sit, vti in hoc c. habetur, ij enim propter dignitatis prærogatiuam illustribus personis æquiparantur, sicuti docet *Ancharan. hîc colum. 2. Archidiacon. in c. statutis. c. 2. q. 1.*

Excipitur 3. Quòd consuetudine introduci possit, vt Iudice præsente ac mandante, sententia ab alio ex scriptura proferatur, prout hîc Dominicus docet *colum. 2. Franc. n. 6.* vbi ait: quòd eiusmodi solennitates per consuetudinem tolli possint. *arg. cap. vltimi de consuetudine.*

Excipit 4. Hic Francus, quòd conseruatores recitationem sententiæ alteri mandare possint. *cap. vlt. §. vices: de officio delegati in 6.* Item inquisitores hæreticæ prauitatis. *c. Vt commissi. 12. de hæret. in 6.* Veruntamen his locis sermo est de actu jurisdictionali, seu parte jurisdictionis delegata, sicuti *gl. admonet. in cit. § vices.* At verò recitatio ex scriptura, præsente Iudice, nudum ministerium est, quod Iudex per alterum, tanquam per organum suum, exhibet.

Not.

6 Notand. III. Iudices ſedendo judicare debent, non ſtando, aut eundo, alioquin irrita eſt ſententia, & addit *gl. hîc. verb. Sedendo*, id non tantùm de ſententia definitiua accipiendum eſſe, ſed etiam de cognitione cauſæ, vti colligitur ex *authent.* vt ab illuſtribus. §. *Sancimus. coll. 5. & auth. de Iudicibus.* §. *Sedendo. coll. 6. l. 2.* §. *dies. ff. quis ordo in poſſeſſionibus ſeruetur.*

TITVLVS XXVIII.

DE ACCVSATIONIBVS RECVSATIONIBVS ET RELATIONIBVS.

POſtquam de Iudicis ſententia, eiúſque affectu & executione actum eſt, ſubiungitur de appellationibus, quia appellatio eſt remedium contra ſententiam, per quod effectus eius ſuſpenditur & impeditur, ſed quia cum appellatione conueniunt Iudicis recuſatio & relatio cauſæ ad ſuperiorem, cùm etiam per has juriſdictio Iudicis ſuſpendatur, ideò ſub eodem titulo de his tribus agitur.

SVMMARIVM.

1. *Appellare eſt ad Maiorem ſeu ſuperiorem tanquam judicem prouocare.*
2. *Appellatio eſt duplex judicialis, & extrajudicialis. Quid vtraque?*
3. *Recuſatio, eſt declinatio Judicis & juriſdictionis eius, eò quòd ex cauſa veriſimili ſuſpectus ſit.*
   Debet ea fieri intra dies viginti, poſt libellum oblatum, ante litis conteſtationem; niſi poſt eam cauſa ſuſpicionis de nouo emergat, aut cognoſcatur.
4. *Relatio eſt judicis in cauſa de jure dubitantis ad Principem miſſa conſultatio. Modus quo fieri ea debeat.*
5. *Juriſdictio interea huius judicis quieſcit, dum Princeps, vel eius ſucceſſor reſponſum dederit.*

1 APpellare aliud non eſt quàm ad maiorem ſeu ſuperiorem tanquam judicem prouocare, Duplex eſt appellatio, judicialis & extraiudicialis; judicialis appellatio definiri poteſt ex *Hoſtienſ. in Summ. hoc tit. n. 1.* juriſdictionis prioris Iudicis per inuocationem ſuperioris ritè factam ſuſpenſio.

2 Diuiditur in appellationem à ſententia definitiua & appellationem à ſententia interlocutoria ſeu quæſtionis incidentis, de qua ſermo eſt in *l. 2. ff. de appell.*

Extra judicialis autem appellatio, eſt prouocatio ad ſuperiorem ob extraiudiciale grauamen quod ab inferiore infertur, aut probabiliter inferendum timetur. Videri poteſt *Abb. in Rubr. huius tit. n. 1. & ſeqq.*

3 Recuſatio eſt declinatio Iudicis & Iuriſdictionis eius, eò quòd ex cauſa veriſimili ſuſpectus ſit *l. Apertiſſimi. 16. c. de judiciis. c. cauſam. 17. c. ſuſpicionis. 39. de off. delegati.* & d xi de ea in *D. de Iudice ordinario concl. 37. & ſequentibus.* Debet autem Iudicis recuſatio hæc intra dies 20. poſt libellum oblatum ante litis conteſtationem proponi. *auth. offeratur. C. de litis conteſtatione.* niſi cauſa ſuſpicionis poſt litem conteſtatam de nouo emergat, aut de nouo cognoſcatur.

His caſibus recuſationi locus eſt, quia quæ de nouo emergunt, nouo auxilio indigent. *arg. l. de ætate. 11.* §. *ex cauſa. ff. de interrogatorijs actionibus.* & notauit *gl. in cit. l. apertiſſimi. verb. recuſare.*

4 Relatio eſt Iudicis in cauſa de jure dubitantis ad principem miſſa conſultatio. Dicitur de jure dubitantis: nam ſi de facto dubitet, ipſemet inquirere debet, non autem ſuperiorem conſulere *l. eum quem. 79.* §. *judicibus.*

dicibus ff. de judiciis. & notauit *gl. in l. 1. verb. consulat. C. de relationibus.* debet autem causa plenè instructa & in breue compendium redacta vnà cum actis transmitti. *l. 3. iunct. gl. C. eod.* Et necesse est, vt relatio priùs partibus edatur, quàm transmittatur. Ita vt si vera & sufficiens non videatur, eam refutare, & appellare possint. *l. 1. & 2. C. eod Bald. in cit. l. 3. n. 2.*

5 Porrò si judex causam referendam esse decreuit, ex eo tempore jurisdictio ipsius quiescere debet, donec superior consultus, vel successor eius (consultatio enim ad superiorem dirigitur ratione dignitatis, quæ transit ad successorem) responsum dederit, vti colligitur ex *cit. l. 1.*

CAPITULUM I.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Prior & Canonici Gisebergenses ad Alexand. III. querelam attulerunt contra Eboracensem Archi-Episcopum Apostolicum Legatum, quòd post appellationem ab ipsis ad Papam interpositam, Priorem suspendit, Ecclesias eius interdixit, Canonicis excommunicationem denuntiauit, si Priori obedirent. Denique quòd post appellationem, Parochias quæ ad Prioris & Conuentûs collationem spectant, tanquam ad ipsum propter conferendi negligentiam deuolutæ sint, ipsemet contulit, ea propter Alexand. III. mandat delegatis Iudicibus, vt rei veritatem per testes idoneos, & famam sollicitè inquirant, & si ita rem se habere cognouerint, Ecclesiarum collationes ab Archi-Episcopo factas Apostolicâ authoritate reuocent, nisi Prior & Canonici collationes facere malitiosè distulissent.

Habetur hæc decretalis tom. 3. Concilior. in Concil. Lateranens. sub Alexand. III. p. 10. c. 1. vbi hæc verba annectuntur quæ hic omissa sunt: *prouisuri attentiùs, ne ita subtiliter, sicut à multis fieri solet hujusmodi actio intendatur, inquiratis, sed simpliciter & purè factum ipsum, & rei veritatem secundùm formam Canonum, & statuta Patrum inuestigetis.*

SVMMARIVM.

1. *Quæ post interpositam appellationem extrajudicialem & contra eam facta seu tentata sunt, omnia sunt reuocanda.*
2. *Etiam contra actum, quem quis posset dicere nullum, appellare quis potest ne fiat.*

ADvertendum quòd de 4. Capitibus quê- 1
rela proposita fuit Pontifici, ad quæ vna responsio dari potuit, videlicet; quæ post interpositam extraiudicialem appellationem, & contra eam facta seu tentata sunt, omnia reuocanda esse, *iuxt. c. Cùm nobis.* Vbi *Innoc. n. 2. h. tit. Abbas hîc. n. 4. Felin. n. 1.* ponunt discrimen inter appellationem judicialem, quòd acta post eam, si appellatio justa fuit, omnia rescindi debent, quippe cùm potestas jurisdictionis suspensa fuerat; & inter extrajudicialem appellationem, cuius acta non rescinduntur, seu quæ post eam acta sunt, nisi sint contra appellationem. Exemplum habes in *cit. cap. Cùm nobis. 19.* Si appellatum sit, ne fiat electio non Canonica & post Capitulares canonicè eligant, valet electio. Item si contra merum Prouisorem & Executorem Rescripti Apostolici appelletur, ne conferat præbendam non vacantem. Ipse verò postea omissa illa, vacantem præbendam conferat, valida est collatio, cùm non sit contraria appellationi.

Porrò circa vltimum punctum delatæ querelæ expressiùs respondet Alexand. III. vt collationes factæ ab Archiepiscopo reuocentur: nam præcipua inter partes lis erat circa collationem beneficiorum, quam Archiepiscopus facere aggressus est, prætendendo (vti suspicari licet) quòd Prior & Canonici per tempus semestre conferre ex negligentia distulerint contra *cap. Quia. 5. de conces. præbenda.* Et ideò collatio facta à Priore & Capitulo post semestre irrita sit, & collatio ad ipsum deuoluta, sed cùm Prior

& Capitulum justum impedimentum allegarent, & ideò à se institutos Vicarios defendendos esse dicerent, & ne contrà quid attentaretur, ad Sedem Apostolicam appellarent, nihilominus Archiepiscopus processit ad collationem adversùs appellationem & ideò Pontif. respondit, Collationes Archi-Episcopi revocandas esse, præterquam si inquisita veritate constiterit, quòd Prior & Conventus non justè impediti, sed malitiosè (vt v. g. redditus Parochiarum vacantiũ ipsimet perciperent;) conferre intermiserint.

2 Not. vnic. Etiam contra actum, quem quis posset dicere nullum, appellare quis potest, ne fiat. *arg. c. Dilecto. 63. h. tit.* & docet *hic Abb. n. 5.* v. g. ne Archiepiscopus conferat, cùm conferendi potestate careat, & hoc casu ostendendum est appellanti, collationem factam esse post appellationẽ, cùm hoc sit fundamentum suæ intentionis, videlicet vt acta post appellationem rescindantur, ita tamen, vt, si in probatione succumbat, seu appareat collationem priùs factam esse, nihilominus agere possit per viam nullitatis, vt collatio irrita declaretur tanquam facta à non habente potestatem. Conferunt huc, quæ docet *Bart. in l. Si expressim. n. 2. & 7. ff. hoc tit.*

CAPITULUM II.

Inter.

Paraphrasis.

Abbas S. Apollinaris interposuit appellationem ab Archiepiscopo Rhemensi super omni causa, quæ alioquin coram ipso moueri potest. Hanc appellationem Alex. III. admittendam non esse censet, sed Abbatem ita appellantem arguit. Doctrina huius Capituli intelligetur *infra in c. Consuluit. 18. hoc tit.*

CAPITVLVM III.

Ad nostram.

Paraphrasis.

Alexand. III. scribit ad Abbatem S. Petri, appellationis remedium non ideò inventum esse, vt Religioso ab ordinis sui obseruantia exorbitanti patrocinium nequitiæ adferat; quare non obstante, quòd aliquis suorum subditorum appellârit, nihilominus Abbatem juxta regulæ præscriptum & Ordinis institutionem corrigere & emendare debere.

Svmmarivm.

1. *Appellatio instituta est pro iniustè grauatis, ideóque in innocentiæ subsidium, non malitiæ patrocinium adhibenda.*
2. *Correctio Religiosi secundùm Ordinis Regulam pertinet ad solum Prælatum Regularem, Conuentu non requisito.*
3. *Episcopus tamen erga non exemptos potest supplere negligentiam Prælati.*
4. *A correctione Regularis Disciplinæ non admittitur appellatio.*
5. *Nisi Prælatus aut Visitator procedendo per modum paternæ correctionis ac pœnitentiæ in corrigendo modum excedat, & tunc appellatio deuolutiuum, non suspensiuum effectum parit.*
6. *Si alteruter horum in forma judicii procedit, ante sententiam definitiuam appellatio (præsertim in causis visitationis & correctionis) non est recipienda.*
7. *Limitatur; nisi grauamen inferatur, quod per appellationem à sententia definitiua reparari non potest.*
   Post sententiam definitiuam recipitur appellatio, quæ tamen etiam in hoc casu tantum parit effectum deuotiuum.
8. *Regula canonica est: Appellatio in causa correctionis propter disciplinam regularem, vel Ecclesiasticam seruandam, admittenda non est, nisi modus excedatur.*
9. *Neque contra vtramque illarum audiendi Clerici, vel Religiosi obijcientes præscriptionem.*

NOt. I. Ex fine, ob quem res instituta est, colligendum, num eius vsus permissus sit nec ne, quare cùm appellatio pro injustè grauatis, ideóque in innocentiæ subsidium inuenta & instituta sit, non debet in patro- 1

patrocinium iniquitatis ac malitiæ deseruire. *c. Cum speciali. §. Porrò. hoc tit.*

2 Not. II. Correctio Religiosi secundùm ordinis regulam pertinet ad solum Prælatum Regularem, Conuentu non requisito. ita colligitur ex hoc tituli huius cap. Quando nulla cõventûs mentio fit, & notat *Abb. n. 2. Capra. n. 7.* Verùm Episcopus Clericos suos corrigere non debet non adhibito Capituli consilio, *c. Episcopus. 6. causa 15. q. 7.* Præterquam si maiorem & independentem à Capitulo corrigendi potestatem præscripserit. *c. 3. de consuet.* & monet hîc *Abb. & Tolosanus de appellationibus. l. 2.*

3 *c. 10. n. 9.* His adde, tametti potestas corrigendi Religiosos, sit in regulari Prælato, tamen Episcopum erga non exemptos, supplere posse negligentiam Prælati. *c. Quanto. 7. c. irrefragabili. 13. de off. Ordinarij.* Quare dici solet, quòd correctio Monachi secundùm Regulam primo loco pertinet ad Abbatem.

4 Not. III. A correctione, quæ regularis disciplinæ causa fit, non admittitur appellatio. *c. Reprehensibilis. 26. de off. Ordinarij.* Idémque sentiendum de Clericis sæcularibus, quòd contra disciplinam Ecclesiasticam in visitationibus appellare non debent. *cit. c. Reprehensibili. c. Licet. 12. de off. Ordinarij.* & in *Trid. Sess. 13. c. 1. de reformat. & Sess. 22. de reform.* simili ratione apud Romanos à Censorum correctione seu censura prouocari non poterat, cùm ea nec infamiam aliquam irrogaret, sicuti *ex Cicer. pro Cluent.* testatur *Tolos. cit. c. 10. n. 5.*

5 Excipe, nisi Prælatus aut Visitator in corrigendo modum excedat contra *c. Irrefragabili. cit.* hoc enim casu appellatio admitti debet. *cit. c. Licet. & c. De priore. 31. hoc tit.* cùm Prælatus potestate sua abutatur non minùs, quàm executor, si limites commissionis excedat. *c. Quod ad. 15. de sent. & re jud.*

Pro maiori huius rei intellectu distingue: vel Prælatus, aut Visitator procedit in forma judicii, vel per modum paternæ correctionis ac pœnitentiæ. Hoc casu posteriore non potest appellari, nisi modum excedat, v.g. si ob leuissimam causam subditum torqueat, in carcere detineat, hoc casu aiunt *Bald. & Alexand. de Næuo. hîc n. 5.* quòd Monachus ex Monasterio conquerêdi causâ fugere possit, veruntamen in hoc ipso casu appellatio non parit effectum suspensivũ, sed tantùm devolutivum, ideóque non obstante appellatione Prælatus aut Visitator cognoscere potest de prætenso correctionis excessu, iuxta *Trident. sess. 24. c. 10. de reform.* & annotauit *Barbosa de off. Episcopi. p.* 6
3. alleg. 72. n. 32. In priore autem casu refert, num sententia definitiua lata sit, nec ne, nam ante sentẽtiam definitiuam appellatio, præsertim in causis visitationis & correctionis recipi non debet, *cit. sess. 13. c. 1.*

Limita, nisi grauamen inferatur, quod per 7
appellationem à sententia definitiua reparari non potest. v.g. incarceratio vel excommunicatio, sicuti docet *Nauarr. consil. 2. de appel. edit. 2.* Post sententiam definitiuam appellari potest, ita tamen vt non pariat effectum suspensivum executionis, siue vt nihilominus sententia executioni mandari queat, vti colligitur ex *Trid. sess. 22. c. 1. de reform. & sess. 24. c. 10.* Et tradit *Barbosa loc. cit. Paulus Piasec. in praxi p. 2. c. 3. a. 8. num. 6.* nam Regula Canon. est, quòd appellatio in causa correctionis propter disciplinam Regularem vel Ecclesiasticam seruandam admittenda non sit, nisi modus excedatur *cit. cap. Licet. & cit. cap. De priore. h. t.* Quòd autem modus excedatur, id non præsumitur, ideóque allegari debet & coram Iudice appellationis probari.

His addendum, quòd contra disciplinam & correctionem Ecclesiasticam Clerici non audiantur obijcientes præscriptionem, sicuti Abbas hîc monet in fine Capituli; multo minùs Religiosi audiendi sunt, si præscripsisse se velint adversùs disciplinam Regularem, cùm jugum obedientiæ, & Regulæ, quam professi sunt, abiicere nunquam possint.

* * *

CAPITVLVM IV.

Personas.

PARAPHRASIS.

Si appellans ad Pontificem prosequendæ appellationi terminum nimis longum præfigat, Iudex ipsi tempus assignare debet, intra quod commodè ad Pontificem venire possit; sin is ad diem præfinitam accedere negligat, Iudex eum compellet, vt se judicio submittat; quòd si verò aliquis conuenientem terminum appellationi suæ præfixerit, sed intra eum terminum causam prosecutus non fuerit, Iudex similiter potest illum cogere, vt sententiæ suæ absq; contradictione, nullâque concessâ appellatione obtemperet.

SVMMARIVM.

1. *Fatalia appellationis interponendæ, sunt quatuor. Primum est decem dierum, quod tempus incipit à momento latæ sententiæ, & cognitæ parti.*
2. *Fatale secundum est 30. dierum, pro Apostolis petendis, & impetrandis, quos si intra tempus hoc appellans non petiuerit, censetur renuntiâsse appellationi.*
3. *Tertium est tempus illud, quod à judice, à quo appellatur, determinatur appellanti pro Apostolis præsentandis judici ad quẽ, intra quod tempus si non præsententur, appellatio deserta censetur.*
4. *Est autem hoc tempus insinuandæ appellationis sex mensium, & ita à jure definitum, vt ab homine, scilicet à judice, aliter determinari possit.*
5. *Fatale quartum est tempus prosequendæ & finiendæ appellationis. & hoc est annus, & ex causa justa biennium.*
6. *Pauperi fatalia appellationis interponendæ, aut prosequendæ, aut finiendæ non currunt.*
7. *Appellans, terminum appellationi prosequendæ præstitutum, breuiare potest, vti & judex.*

ADverte, quòd appellationis fatalia (id est, tempora, quibus elapsis facultas, quæ appellandi causâ concessa est, intercidit) quatuor potissimum numerantur. 1. fatale appellationis interponendæ est, 10. dierum *auth. hodiè. C. de appellat.* & incipit hoc tempus à momento latæ sententiæ, ideóque dicunt tempus currere de momento in momentum, vti notat *gloss. in Clem. 3. verb à die. hoc tit. Gail. l. 1. obs. 139. n. 5.* vbi admonet Notarios, vt non tantùm diem, sed etiam horam interpositæ appellationis exactè notent. Veruntamen terminus à quo videlicet latæ sententiæ intelligi debet, postquam ea parti litiganti cognita est. *cap. Conteſtationi. 8. h. tit. in 6.* Quare dicunt DD. quòd tempus interponendæ appellationis vtile sit in principio, sed in progressu continuum.

Cæterùm à grauamine extraiudiciali habente tractum successivum, vt si aliquis per mensem integrum in carcere contineatur, hoc toto tempore appellare potest, tanquã à præsente seu adhuc durante grauamine, sicut notauit *Franc. in cap. Ex parte. 47. col. 3. hoc tit.*

Alterum tempus seu fatale est 30. dierum 2
pro Apostolis seu literis dimissoriis à Iudice à quo petendis & impetrandis. *l. Præses, 5 l. Iudicibus. 24. C. de appellationibus. c. Abeo. 6 eod. tit. in 6.* alioquin si appellans intra id tempus Apostolos non petiuerit, appellationi renuntiâsse censetur *cit. c. Abeo.* vbi id explicabitur.

Tertium fatale est, quod à Iudice, à quo 3
appellatur, appellanti determinatur, vt Apostolos sibi datos præsentet Iudici, ad quem, ita, vt si intra tempus tale (quod introducendæ appellationis vocant) non præsentârit, appellatio deserta censeatur, vti hîc *& c. seq.* habetur. *& in cit. l. Præses.* videri potest *Guido Papa decisione 136.* Est autem hoc tempus, intra quod Apostoli præsentari & appellatio insinuari debent, 6. mensium, *l. 2. C. de temporibus appell. & Ordinatione Cameræ Spirens. p. 2. tit. 30. §. 1. & 5.*

Verùm hoc tempus non ita in jure defi- 4
nitum est, vt non etiam ab homine videlicet à Iudice secundùm causæ qualitatem & locorum circumstantias determinari possit, adeò vt si Iudex determinârit tempus, siue

intra

intra quod appellans arripere iter debeat. *cap. Peruenit. 28. hoc tit.* siue etiam Apostolos præsentare, seu Iudici, ad quem se sistere debeat, vt *hîc iunct. gl. verb. Tu ei diem.* & appellans non paruerit, appellatio deserta censeatur. Et ita apparet quòd terminus statutus ab homine imitetur terminum statutum à jure.

5 Quartum fatale ad prosequendam & finiendam appellationem, vtroque jure est annus, & ex causa justa biennium. *auth. ei qui. C de temporibus appel. cit. Clement. sicut & c. seq.* vbi de hoc dicetur.

6 Veruntamen pauperi propter impotentiam fatalia appellationis interponendæ aut prosequendæ aut definiendæ non currunt, vti videre licet apud *Gail. l. 1 obser. 142. Bald. in l. 2. § si quis in judicio n. 4. ff. si quis cautionibus.* nam impedito non currit tempus. *c. Quia. 5. de conces. præbenda.* & mora non debet esse detrimento, si culpabilis non est. *l. Quod to. 5. ff. si certum petetur*, sed decem dierum spatium ad appellationis vocem insinuandam Iudici à quo, currit etiam pauperi, si tamen in scriptis appellandum, ideóque aliquid expendendum, tum probata inopia coram Iudice à quo, appellatio pauperis etiam post decendium ipso jure, & non petita in integrum restitutione videtur esse admittenda, teste *Gail. loco cit. & Guidone. decis. 436.*

7 Not. vn. Licet legibus certus terminus constitutus sit appellationi prosequendæ, tamen appellans eum breuiare potest, similiter & Iudex, dummodò consideratis circumstantiis tempus congruum definiatur, sicuti habetur *in cap. seq.* & docet, hîc *Abb. n. 3. Franc. col. 4.*

CAPITVLVM V.

Cùm sit.

Paraphrasis.

Siue ante siue post sententiam definitiuam appelletur, annus conceditur, vel ex causa necessaria & euidente, bienium ad appellationem prosequendam & finiendam; Iudex tamen à quo, considerata locorum distantia, causæ, & personarum qualitate, tempus breuius definire potest, quòd si appellans intra hoc tempus causam prosecutus non fuerit, sententia priùs lata in rem judicatam transibit, ita vt postea in ead. causa non audiatur, qui appellauit; sin autem aliquis à grauamine ante litis ingressum appellârit, appellatio recipietur, quia sacri Canones etiam extrajudicialem appellationem permittunt, quamuis hæc prouocatio potiùs quàm appellatio dicatur. Si denique aliquis in judicio ante sententiam definitiuam appellauit, is debet stare sententiæ eius Iudicis, ad quem appellauit.

Svmmarivm.

1. *Numeratur tempus deputatum, in appellatione judiciali à die interpositæ appellationis; in extra judiciali à die illati grauaminis.*
2. *Impedito agere, seu appellationem prosequi, non currit tempus.*
3. *Sublato tamen impedimento, & tempore prosequendæ & finiendæ appellationis finito, prioris judicis jurisdictio processum suum habet.*
4. *Tempus definitum à judice succedit in tempus definitum à lege, ita vt eosdem effectus, quatenus id fieri potest, operetur.*
5. *Annus concessus pro appellatione à grauamine extraiudiciali à judice breuiari & prorogari potest, quo tamen etiam finito, adhuc grauatus audiendus non per modum appellationis, sed simplicis querelæ.*
6. *In quo differat appellatio extraiudicialis à judiciali.*
7. *Extraiudicialis appellatio propriè appellatio non est, sed prouocatio à judice inferiore ad superiorem.*

NOt. I. Appellationi tum judiciali, tùm extraiudiciali prosequendæ & finiendæ annus est deputatus, & ex causa biennium vt hîc, & *Clement. sicut. eodem titulo.* numeratur annus in appellatione judiciali à die interpositæ appellationis, in extraiudiciali verò à die illati grauaminis. I

2 Veruntamen impedito agere seu appellationem prosequi, non currit tempus *cit. Clem. sicut.* juncta *gl.*

3 Corollarium. Si tempus prosequendæ & finiendæ appellationis, semoto justo impedimento, finitum sit, perinde censetur, ac si appellatum non sit, ideóque prioris Iudicis jurisdictio processum suum habet, vti *gl. notat. in l. eos. 6. verb. vel injustam. C. de appellationibus.*

4 Not. II. Tempus definitum à Iudice succedit in tempus definitum à lege, ita vt eosdem effectus, quatenus id fieri potest, operetur, teste *Innoc. c. Exratione. 2. h. t.* Dico quatenus fieri potest, quia vt *gl. hîc monet. verb. Decisius. Abb. n. 17. ex c. Ex insinuatione. 50. h. t.* Iudex à quo, non potest terminum definire, intra quem causa appellationis finiri, debeat: nam hac ratione immiscere se jurisdictioni Iudicis ad quem, sed tempus designare potest, intra quod appellans iter arripere, vel Iudici appellationis se sistere debeat, quòd si id fecerit, annum deinde habebit, vel ex causa necessaria & coram Iudice ad quem probata biennium, sin autem iter non arripuerit, vel Iudici se non præsentârit, tum sententia ante lata executioni mandari potest.

5 Not. III. Ei, qui à grauamine extraiudiciali appellauit, conceditur etiam annus *cit. Clem. Sicut.* Verùm hoc tempus à Iudice breuiari, & ex causa necessitatis prorogari potest. Porrò si tempus istud finitum sit, nihilominus audiendus est super jure suo, is qui se grauatum ait, non quidem per modum appellationis, cùm ea deserta censeatur, sed per modum simplicis querelæ seu juris communis remedium, *c. Concertationi. 8. h. tit. in 6.*

Quare in hoc differt extraiudicialis appellatio à judiciali, quòd in hac appellans post desertam appellationem non audiatur amplius, super sententia seu interlocutoria seu definitiua, contra quam appellauit, adeò vt etiam non citato ipso executioni mandari possit, quia frustra aliquis citatur, si audiri non debeat, vti hîc docet *Abb. n. 7. Alex. n. 12.*

6 Not. IV. Extraiudicialis appellatio non est propriè dicta appellatio: nam appellatio strictè sumpta supponit judicium ceptum esse, cùm sit prouocatio à Iudice inferiore ad superiorem, at verò extraiudicialis appellatio facit inchoari causam seu litem, quando à grauamine prouocatur ad superiorem tanquam Iudicem. Quare nomine appellationis in materia odiosa non comprehenditur extra judicialis prouocatio, teste *Alexand. hic n. 13.*

§. Præterea.

Paraphrasis.

Si raptor, vel rei alienæ violentùs detentor contra sententiam appellet, in foro Ecclesiastico, recipitur eius appellatio, præterquam si manifestus criminosus. v. g. raptor aut fornicator existat, sicuti ille, quem Apostolus absentem & non citatum excommunicauit.

Svmmarivm.

1. *Etiam in causis criminalibus appellatio conceditur, quæ tamen in Romani imperii tribunalibus non admittitur.*
2. *In causa notoria appellatio non recipitur, neque, si notorium sit, Reo nullam defensionem competere, citatione opus est, nisi ad audiendam sententiam.*

Not. I. Etiam in causis criminalibus 1
appellatio conceditur, ita vt ea pendente executioni mandari non debeat sententia, tametsi vltimi supplicii sit, vt docet *Bart. in l. Qui vltimo. ff. de pœnis.* Sed alibi monui in Romani Imperii tribunalibus, appellationes in causis criminalibus non admitti.

Not. II. In causa notoria appellatio non 2
recipitur, sed eâ non obstante sententia executioni mandari potest, adde si notorium etiam sit, reo nullam defensionem competere posse, quòd nec citatione opus ad eum finem, vt defensio eius exaudiatur, *c. Cùm olim. 12. de sent. & re jud.* Et tradit *Abb. Franc.* & alii hîc, nihilominus citatio fieri solet saltem ad audiendam sententiam, sicuti *Alex. hic monet, n. 20.*

Ob-

Obiicitur, excommunicatio ab homine fieri non potest nisi præcedente monitione, *c. Cùm desideres. 26. h. tit.* quia requirit contumaciam, quæ non apparet, nisi monitio seu requisitio antecesserit, ergo non est verum, quòd Apostolus 1. ad Corinth. 5. excommunicârit Corinthium absentem non requisitum.

Respondet cùm *gl. hîc verb. irrequisitũ.* Innocentius & alii, existimandũ esse, quòd Apostolus priùs admonuerit hominẽ per se, vel per alios, & cùm contumacẽ atq; incorrigibilem intelligeret, ipsum excommunicârit, quare per vocem *irrequisitum* intelligi debet, quòd citatus non fuerit, vt audiretur.

Verùm secundùm praxin fori Canonici, quantumuis aliquis in delicto perseuerans contumax & incorrigibilis videatur, admoneri priùs debet cum comminatione censuræ, atque etiam citari, vt appareat eius præsens contumacia, ob quam excommunicatione, aliáue censurâ dignus sit, sicuti *Abb. hîc monet. 32. Suar. de censur. D. 3. S. 10. n. 8.* vide quæ docui *l. 1. tract. 5. p. 1. c. 3. n. 6.*

CAPITVLVM VI.

Adhæc.

PARAPHRASIS.

Si is, qui à Iudice in aliqua causa appellauit, pendente appellatione ad eundem in alia causa trahatur, quia v. g. crimen commisit, poterit eum Iudicem tanquam suspectum recusare, alioquin stare debet judicio eius, præsertim si Ordinarius eius Iudex sit.

SVMMARIVM.

1. *Appellatio suspendit jurisdictionem judicis in ea causa, in qua appellatum, non in alia disparata.*
2. *Index super pluribus causis delegatus, si in vna appelletur contra ipsum, vel ab ipso, potest in aliis procedere.*
3. *Si judex Ordinarius vel delegatus à quo in vna causa appellatum est, in alia diuersa procedere velit contra appellantem, potest recusari tanquam suspectus.*
4. *Recusans autem judicem, non tantùm allegare & probare debet, se ab eo in alia causa appellâsse, sed etiam probare, se ab eodem grauatum, & quidem iniustè, siue ex intentione.*

Argumentum sufficiens malæ huius intentionis est grauamen illatum, si id secundum se iniquum sit.

NOt. I. Appellatio suspendit jurisdictionem Iudicis, in ea tamen causa, in qua appellatum est, non autem in aliis disparatis. *c. Proposuit. 24. hoc tit.* nam causa producit effectum limitatum, sibíque proportionatum, cùm itaque appellatio fiat propter grauamen in hac causa illatum, ideò parit effectum suspensiuum jurisdictionis, quoad hanc tantùm causam, & quæ ipsi connexa sunt, qua de re vide *Rotam Roman. in nouis decision. bus. de appell. decis. 31.* 1

Not. II. Si Iudex super pluribus causis delegatus sit & in vna appelletur contra, vel ab ipso, hoc non obstante procedere potest in aliis, ita colligitur ex hoc *cap. verb. maximè*, quæ suapte naturâ est particula implicatiua, non exclusiua, secundum *gl. receptam in c. Ad abolendam 16. verb. maximè de filiis Presbyterorum.* 2

Not. III. Si Iudex ordinarius, aut delegatus, à quo in vna causa appellatum est, in alia diuersa procedere velit contra appellantem, potest recusari tanquam suspectus. 3

Verùm hoc casu, qui Iudicem recusat, non tantùm allegare & probare debet, se ab ipso in alia causa appellâsse, sed etiam probare (videlicet coram arbitris communi consensu electis *c. Cum speciali. 61. h. tit.*) se à Iudice grauatum esse, vt hîc docet *Ioann. Andr. n. 4. in fine.* & quidem iniustè siue ex intentione, non tantùm materialiter & præter intentionem; Verùm benè monet *Abb. n. 3. trans. q. 2. contr. Bart. in l. Vnica. ff. Apud eum, à quo appellatur* &c. Cùm animus & intentio probari non possit, nisi ex coniecturis, hoc esse sufficiens argumentum malæ intentionis & affectionis, quòd grauamen 4

secun-

secundùm, se iniquum sit, quandoquidem in malefactis præsumitur mala intentio. *c. 1. de præsumpt.* Nisi præsumptio ista contrariis præsumptionibus infringatur. *arg. l. Si non conuitii. 5. de iniuriis.* vbi probatio ei incumbit, qui aliquid iniuriosum se, non conuitii causâ dixisse ait.

CAPITVLVM VII.

Si duobus.

PARAPHRASIS.

Titius & Caius litigabant coram Episcopo v. g. suo; vterque appellauit, Titius ad Papam, Caius verò ad mediatum, videlicet Archiepiscopum, nullam mentionem faciens de appellatione à Titio interposita; quare Archiepiscopus Titium citauit, qui si non compareat per se, vel Procuratorem, vel aliàs contumax extiterit, valet excommunicatio in ipsum promulgata, dummodò Iudex seu Archiepiscopus nesciuerit ad Pontificem appellatum fuisse.

SVMMARIVM.

1. *Si vterque litigantium à judice appellent ad diuersos judices, minorem & maiorem, ad minoris citationem (si is nesciat ad maiorem esse appellatum) appellans ad maiorem comparere tenetur, & si non compareat, valide vt contumax excommunicabitur.*
2. *Citatus à judice, qui habet jurisdictionem in personam & causam, nisi accidens interuenerit, non comparens in contumacia constituitur.*
   Nisi notorium sit, exceptionem hanc declinatoriam competere citato.
3. *Clericus citatus à judice seculari, creditus ab eo esse laicus, licet non compareat, nec exceptionem opponat Clericatûs, non constituitur in contumacia.*

1 NOtand. vnicum. Si vterq; litigantium à sententia Iudicis, quatenus ea ipsis contraria est (prout dixi *in c. Significarent. in fi. de except.*) appellent ad diuersos Iudices minorem & maiorem, distingui debet, num Iudex minor sciat appellatum esse ad tribunal maius; hoc casu procedere non potest, quia maioris Iudicis potestas absorbet inferiorem, *Argum. l. Contra. 54. §. Is verò. ff. de re jud.* an verò nesciat; tunc si citet alteram partem, eáq; nihil excipiendo non compareat, tanquam contumax validè excommunicabitur.

Corollarium. Si Iudex, qui haberet Iurisdictionem in personam & causam hanc, nisi accidens interueniret, citet, & citatus non compareat, in contumacia constituitur. *l. 2. ff. Si quis in jus vocatus non jerit.* 2

Exemplum est: Si Clericus dicatur hominem occidisse, ideóque citetur ab Episcopo suo, comparere debet, & allegare, quòd in loco diœcesis exempto occiderit, ne alioquin potestatem ordinariam contemnere videatur.

Excipe nisi notorium sit, exceptionem hanc declinatoriam competere citato, quia frustra allegatio eius requiritur, quod notorium est, & ita docet *Gl. hîc verb. Nisi cognouerit. Alex. n. 27. Franc super cit. Gl.* vbi similiter aiunt ex communi doctrina, quòd Religiosi exempti, si citentur ab Ordinario, non tenentur allegare priuilegium exemptionis, si notorium sit.

Alia ratio est, si Iudex sæcularis citet Clericum, quem probabiliter putat esse laicum, Clericus verò non compareat, nec exceptionem Clericatûs opponat, hoc enim casu non constituitur in contumacia, propterea quòd in Iudice nullum sit fundamentum jurisdictionis erga hanc personam, & ideò citatio eius, cùm ipso jure nulla sit, nullum contumaciæ effectum producere possit, sicuti ex *Ioann. Andr. in c. Scienti. de Reg. jur. in 6. notat Franc. citato loco.*

§. Denique.

Si quis à Iudice sæculari ante vel post definitiuam sententiam ad Sedem Romanam appellârit, distinguendum est: num tribûnal à quo, sub temporali jurisdictione Pontificis contineatur, hoc casu procedit appellatio, an verò extra jurisdictio-

dictionem Papæ temporalem existat, hoc casu secundùm consuetudinem valere potest, sed spectato communi jure non valet.

SVMMARIVM.

4. *A sæculari judice, qui non est de temporali jurisdictione Ecclesiæ, de jure communi ad Papam non appellatur, licet appellatio hæc secundùm consuetudinem valere possit.*
5. *Ordinariè & directè Papa non se immiscet causis sæcularibus & judiciis extra terras Ecclesiæ suæ, seu Patrimonij S. Petri.*

4 NOt. 1. Valida est consuetudo, vt à Iudice laico appelletur ad Ecclesiasticũ. *Arg. c. Si Clericus. 5. & c. Licet. 10. de foro competente*, sed vice versâ non valet consuetudo, vt ab Ecclesiastico Iudice appelletur ad sæcularem, quia maius & dignius est tribunal Ecclesiasticum, quàm sæculare; appellatio autem necessariò fit à minore ad maius tribunal.

Not. 2. Ordinariè & directè Summus Pontifex non immiscet se sæcularibus causis & judiciis extra terras Ecclesiæ suæ, quæ dicuntur esse patrimonii S. Petri. sicut docui *in c. Nouit. 13. Not. 1. de judiciis.*

CAPITVLVM VIII.

Ex ratione.

PARAPHRASIS.

Tametsi annus & ex causa justa biennium prosequendæ & finiendæ appellationi jure definitum sit, tamen si aliquis propter impotentiam intra hoc tempus appellationem prosequi intermisit, etiam postea audiri debet, & justitia ipsi contra priorem Iudicem administrari.

SVMMARIVM.

1. *Impedito agere, non currit tempus seu fatale prosequendæ appellationis, ita vt etiam post biennij lapsum appellans audiri debeat, saltem per beneficium restitutionis in integrum, si ex proprio facto impeditus fuerit.*

NOtand. vnicum. Impedito agere, non currit tempus seu fatale prosequendæ appellationis, vt si viæ hostibus infestæ sint, quominus ad Iudicem appellationis accedatur, vel si Iudex noluerit, vel non potuerit causam audire, & cognoscere, tali casu ipso jure illæsus seruari debet, ita vt etiam post bienii lapsum audiatur appellans, sicuti *Gl. hîc tradit. verb. Impotentiam. Arg. Cap. ex insinuatione. 50. h. tit.* vbi *Gl. magna* ait, quòd impedimentum Iudicis non nocet causæ, nec partibus præiudicat; sin autem appellans ex proprio facto impeditus fuit, v. g. propter inopiam, aut quia ipse, vel Procurator eius in via captus est, saltem per restitutionem in integrum ipsi subueniendum est, quia id generale est: *quod si per me non stat, mihi imputari non debet*, ait *Gl. finalis hîc.*

CAPITVLVM IX.

Meminimus.

PARAPHRASIS.

Si Iudici causa aliqua à Pontifice commissa sit adiunctâ clausulâ *remota appellatione*, & pars, postquam citatione præventa fuit, iter arripuit ad Sedem Apostolicam, Iudex delegatus nihilominus procedat, secus est si ante citationem iter arripuit.

SVMMARIVM.

1. *Si Reus post legitimam citationem verbo vel facto appellauerit à judice delegato, cui causa commissa erat remotâ appellatione, delegatus in causa procedet, non item si ante citationem appellâsset.*

NOT. vnic. Per citationem legitimam reus præventus censetur, quo minùs postea appellare possit, seu verbo, seu facto, v. g. iter arripiendo ad superiorem, si is causam commiserat remotâ appellatione, sin autem pars nunquam per citationem præventa, ad sedem Apostolicam personaliter iter arripuit, bona fide & sine fraude, interea secura esse debet, vt nihil contra eam

moueri possit, ratio dari debet secundùm *Hostiens. Alex. & alios hîc.* quia tales itinerantes sunt sub protectione sedis Apostolicæ, *c. 1. de Cler. peregrinant.*

CAPITVLVM X.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Si super incidente quæstione. v. g. exceptione aliqua appelletur, Iudex à quo supersedere etiam debet causâ principali, si ea absque incidente definiri non possit.

SVMMARIVM.

Si super articulo incidente, seu interlocutoria appellatum sit, acta etiam super causa principali sunt rescindenda, si causa connexa sint; non item si articulus causæ principali connexus non sit.

1. ADverte quòd exceptio & quæstio incidens interdum sit connexa causæ principali, quando hæc, incidente non discussâ, definiri non potest, vt si in petitorio Iudicio aut matrimonij obijciatur Iudicem non esse competentem, vel excommunicatum, vel opponatur impedimentum consanguinitatis; interdũ verò exceptio aut quæstio incidens non est connexa causæ principali; quia, eâ etiam non discussâ, decidi potest. v. g. vtrùm pars litigans propter contumaciam in expensas condemnanda sit.

Quæritur itaque, si Iudex appellationi non deferens, eâ non obstante procedat, vtrũ postea justificata appellatione omnia acta rescindi debeãt, etiam causæ principalis, tametsi tantùm fuerit appellatum super interlocutoria. Respondet Pontifex hîc, si super articulo incidente seu interlocutoria sententia appellatum sit, acta etiam super causa principali rescindenda esse, si causæ connexæ sint; non autem esse rescindenda, si articulus ille connexus non sit causæ principali. Ita *Franc. hîc explicat.* §. sed adverte *Alexand. n. 22. & 27. contra Gloss. hîc. verb. terminari. Abb. n. 8.*

§. Si autem.

Si pars litigans, antequam sententia proferatur, in appellationem prorumpat, quia rescriptum sit subreptitium ob falsitatis suggestionem, sententia differri non debet.

SVMMARIVM.

1. *Non obstante appellatione ex causa obreptionis interpositæ, judex ad ferendam sententiam procedere debet.*

NOT. vnicum: Si pars litigans appellet quiâ exceptio dilatoria, quæ post litis contestationem opponitur, non recipitur, Iudex appellatione non obstante, sententiam ferre debet. Pro intellectu,

Adverte quòd exceptio Obreptionis per suggestionem falsi, aut taciturnitatem veri dilatoria sit, ideóque ante litis contestationem proferenda. *c. Inter 20. de sent. & re jud.* At verò exceptio falsa, v. g. rescriptum aut instrumentum esse suppositititium, etiam post litem contestatam, imò post latam sententiam opponi potest. *c. Cùm venerabilis. 6. de except.*

CAPITVLVM XI.

De Appellationibus.

PARAPHRASIS.

In causis minimis ac levibus æquè recipienda est appellatio, vti in magnis.

SVMMARIVM.

1. *Ratio redditur, cur liceat in magnis & paruis causis appellare.*
2. *Extraordinaria juris remedia quæ speciali favore conceduntur in causa modica locum non habent; habent autem ordinaria.*
3. *Jure municipali statui potest, ne appelletur in causis modicis.*

RAtio dari debet, Quia appellationis remedium conceditur propter iniustitiã, aut imperitiam Iudicis, ex qua aliquis gravatur.

vatur. *l. 1. ff. de appell.* atqui in modica etiam causa, iniustitia & grauamen accedere potest, quamobrem etiam furti actio datur de modica quantitate, cùm etiam in re modica ratio furti consistere possit, iuxta ea, quæ dixi in *cap. Cùm te. 23. de sent. & rejud.* & habet resolutio huius Cap. non tantùm locum secundùm jus Canonicum, sed etiam jus ciuile, sicuti constat ex *lege Et in maioribus. 20. Cod. de appellat.* & tradit *gl. in l. Qui restituere. 68. ff. de rei vendicatione*, quòd in quacunque causa appellare licitum sit, nisi specialiter prohibitum reperiatur.

Obiicitur. Quòd minimorum ratio habenda non sit. *l. Si quis affirmauit 9. §. meritò. & l. seq. ff. de dolo:* vbi dicitur, quòd actio de dolo non datur ob causam modicam.

2 Resp. Ex doctrina *Bartoli in l. Si proprietarius 22. ff. de damno.* quòd extraordinaria remedia, quæ speciali jure ac fauore conceduntur, in causa modica locum non habent, tales sunt restitutiones in integrum, quæ Prætoris æquitate aduersùs jus ciuile strictum, seu merum conceduntur minoribus natu, Ecclesiis, metum passis, dolo circumuentis; in his, inquam, non curatur de minimis, juxta *l. Scio 4. ff. de in integrum restitutione.* vbi *Bart.* ait: quòd in his, quæ contra jus commune conceduntur, de minimis non curatur & consentit. *l. Res bona. 54. de contr. emptione.* At verò ordinaria juris remedia etiam in modicis locum habent, juxta *l. 1. §. Illud. ff. de coniungend. cum emancipato liberis eius*, & *l. Quamuis. 13. ff. Vt in possessionem legatorum.*

3 Aduertendum tamen est, quòd jure municipali constitui possit, vt ob minimam quantitatem. v. g. duorum florenorum appellatio non concedatur, quo litium aliquis modus sit, & non nimis multiplicentur, Quia hoc maius malum videri potest propter quod vitandum minus; videlicet exiguum damnũ rei familiaris sustinendum sit, quamobrem Tutor & multò magis Prælatus Ecclesiæ excusatur, & quandoque laudandus est, si propter rem exiguam appellare intermittat. *arg. c. vnic. de Synd.* Quemadmodum etiam excusatur & laudatur, si recuperare negligat rem, ob cuius recuperationem maiores sumptus faciendi essent, quàm ea valeat, sicuti *Abbas. hic, num. n. 5.*

CAPITVLVM XII.

Super eò.

PARAPHRASIS.

Spectato jure Canonico non tantùm appellatio permittitur post latam sententiam definitiuam, sed etiam ante eam, si quis se grauari existimat, secus tamen est secundùm jus ciuile.

SVMMARIVM.

1. *Jure Cæsareo non conceditur appellatio à sententia interlocutoria. Excipe nisi ea vim definitiua habeat, aut quam alia definitiua secutura non sit, vel contineat grauamen, quod per definitiuam reparari non potest.*
2. *Jure Canonico à quouis grauamine judiciali appellare concessum est.*
3. *Rescriptum quoad vim comprehensiuam, etiam quoad habilitatem vel inhabilitatem impetrantis considerari debet secundùm tempus datæ; quoad personam verò delegati, vel executoris, secundùm tempus præsentationis.*
4. *Collatio jurisdictionis & potestatis in delegato, & executore, non habet vim suam, donec ea vtrique præsentata sit.*
5. *Idem est de reuocatione concessæ talis jurisdictionis.*
6. *Resoluitur quæstio, quomodo computandi sint termini temporis, quod alicui rei agendæ definitur.*

NOT. Vnic. Secundùm jus Cæsareum non conceditur appellatio à sententia interlocutoria, seu quæ est de incidente quæstione *l. penult. C. Quorum appellationes non recipiuntur.* Vbi *Bart.* excipit, nisi talis sit interlocutoria, quæ vim definitiuæ habeat, aut quam alia definitiua secutura non sit, vt si Iudex pronuntiet, se incompetentẽ esse, vel si interlocutoria contineat grauamen, quod

per definitiuam reparari non potest. v.g. aliquem esse incarcerandum, torquendum *l. 2. ff. de appell.* & videri potest *Gail. l. 1. Obseru. 129. Abb. hîc. n. 3.* at verò secundùm jus Canonicum quod in Ecclesiastico foro seruatur, à quouis grauamine judiciali appellare concessum est, vt hîc dicitur & in *c. Nonita, 18. causa. 2. q. 6.*

§. In Causis.

IN Ecclesiasticis causis si appellationis remedium non concedatur, neque Iudicis recusationi locus est. Sed obstat huic §. *cap. postremo. 37. hoc. tit.* & plures casus *Franc. hîc recenset verb. sicut.* in quibus appellare prohibitus Iudicem recusare potest, quare vt jura juribus consentiant, dicendum est cum *gl. hîc. verb sicut, Alexand. Franc.* & aliis, sensum §. esse, quòd sicuti appellatio siue justa causa non recipitur, ita nec recusatio Iudicis.

§. Si autem.

SI causa Iudici delegato commissa sit, vt eam intra certum tempus definiat, spatium temporis à die præsentationis, seu receptionis literarum numerari debet.

1 Hæc est admodùm notanda Regula, quam refert *gl. in c. de causis. 4. de officio delegati,* & docet *Franc. hîc. not. 4.* quòd licet rescriptum quoad vim comprehensiuam, seu ea, quæ in rescripto continentur, etiã quoad habilitatem vel inhabilitatẽ impetrãtis considerari debeat secundùm tempus datæ *c. Si eo tempore. de rescriptis in 6.* vt si eo tempore Clericus non sis, aut legitimam ætatem non habeas, quo literæ impetratæ seu datæ sunt ad conferendum sibi beneficium rescriptum irritum censeatur, tamen quod attinet ad personam delegati, aut executoris, considerari debet in rescripto tempus præsentationis, quia ex tunc & non ante jurisdictio, aut potestas ipsi collata censetur, teste *Ioan. Andr. n. 3.* cùm ea acquiri non possit, nisi scienti, imò etiam acceptanti per legitimam
4 præsentationem. Quamobrem in impetrantis potestate est, postquam literas ad Judicem delegatum impetrauit, num & quo tempore (saltem intra annum) eas præsentare velit, an non præsentare, sed lacerare, vti docent *DD. cum Innoc. in cap. Ex conquestione. n. 2. de spoliat.* At verò post præsentationem literarum aduersario volente cogi potest impetrans ad litigandum, quia ex eo tempore rescriptum commune est partis vtriusque, teste Innoc. ibidẽ, vbi etiam admonet: idem esse sentiẽdum de priuilegio quod. v.g. impetrauit solum Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ, vt vnà cum Episcopis suffraganeis possit eligere Metropolitanum, antequam eo Capitulum vtitur, aut suffraganeis præsentat, posse illi priuilegio renuntiare juxta *l. Si quis. 29.* (*de pactis.* sed post vsum, aut post præsentationem non posse renuntiare cum aliorum præiudicio.

Addit verò *Franc. citato loco.* Idem simili ratione dicendum esse de jurisdictione delegato vel executori auferenda, quòd videlicet reuocatio jurisdictionis, vel potestatis 5
non censeatur vim suam habere, donec ea delegato Iudici vel executori præsentata sit, adeò vt tametsi post datas secundas literas reuocatorias prioris rescripti, aut commissionis, commissarius, antequam eas receperit, secundùm priores literas procedat, acta valida censeri debean, vti colligitur ex *c. audita 4. de restit. spoliat.* Et quòd eadem doctrina locum habeat in reuocatione priuilegiorum, docui *l. 1. tract. 4. c. 23. in fine.*

Sed quæstio est, quomodo computandi sint termini temporis, quod alicui rei agendæ definitur.

Resp. Ante omnia attendendum esse ad mentem definientis, eique inhærendum; in dubio autem docent DD. apud *Ioan. Andr. 6 hîc in fine cap. Franc. circa gl. 2.* quòd tempus definitum censetur currere de momento in momentum. v. g. intra 30. dies negotium expediatur, intra 10. dies appellatio fiat, hoc casu etiam eius diei tempus restans, in qua. v. g. literæ præsentatæ, vel sententia lata est, numerari debet.

Excipe. Nisi vsurpetur præpositio, à v.g. intra 30. dies à die receptionis literarum computandos, tunc computari non debet ea dies,

ea dies,in qua literæ præsentantur, cùm particula A. exclusiua sit secundùm *gl. receptã. in c. Statutum. 3. verb. numerandum. de prabendis. in 6.*

Quod verò attinet ad voculam, vsque, sitne exclusiua an inclusiua appositi termini. v.g. vsque ad Kalend. Novemb. Dicendum, si ex adiunctis verbis, aut circùmstantiis, vel ex jurium dispositione certum aliquid colligi non possit, tunc in dilationibus gratiosis & aliis favorabilibus dispositionibus accipiendum esse inclusiuè, vt etiam Calendæ comprehendantur, at verò in materia pœnali, vel alia ratione odiosa accipiendam esse exclusiuè. v.g. maneat in carcere vsque ad Calendas, tunc ad initium Calendarum liber esse debet. ita docet *Bald. in auth. hoc amplius. n. 24. C. de fideicommiss. Bertachin. in repert. Juris vtriusque.*

Veruntamen si dicatur, maneat in carcere vsque ad 6. dies, videtur etiam dies 6. cõprehendi secundùm *gloss. in auth. de tempore non soluta pecunia. coll. 8. c. 2. verb. vsque ad 10. annos.*

CAPITULUM XIII.

Pervenit.

Paraphrasis.

Clerici querebantur coram Episcopo se vulneratos, aut percussos esse à Diœcesanis, hi autem cùm super ea causa citarentur, ad Papam appellârunt, hoc casu ait Alexand. III. quòd Episcopus si delictum notorium sit, eos per censuram Ecclesiasticam compellere debeat, vt intra tempus conveniens, appellationem prosequantur; sin autem notorius excessus sit, non obstante ipsorum appellatione, excommunicatos denuntiet, & à fidelibus evitari curet, donec iniuriam passis satisfaciant, & cum literis Episcopi Apostolico conspectui se præsentent.

Svmmarivm.

8. *Judex deferens appellationi terminum præfigere potest etiam cum censura, intra quem prosequatur appellationem, vel coram judice à quo, respondeat.*
2. *Diœcesanum percursorem Clerici Ordinarius potest denuntiare excommunicatũ, & omnibus prohibere communicationem cum illo, etiam sub censura maioris excommunicationis, donec satisfaciat, & absoluatur.*
3. *Citari tamen prius debet, etiamsi foret excessus notorius.*
4. *Citato nullam defensionem, vel exceptionem afferente in casu excessûs notorij sine declaratione statim ad executionem procedi potest.*
5. *Etiam Papa vel Delegatus, aut eius Legatus non absoluit ab excommunicatione Pontificia, nisi præuiâ factâ satisfactione parti læsæ, saltem per transactionem, aut cautionem.*

NOt. I. Si Iudex deferat appellationi, tunc terminum præfigere potest etiam cum censura, quam appellans incurrere debeat sub alternatione, nisi vel intra terminum finitum prosequatur appellationem, vel coram Iudice à quo respondeat, ita *gl. hîc. verb. compellans.* 1

Not. II. Si quispiam Diœcesanus laicus, vel Clericus, Clericum percusserit, ordinarius loci potest illum denuntiare excommunicatum, & omnibus prohibere, ne ipsi communicent, antequam satisfaciat, & absoluatur. Aiunt verò hîc *Alb. n. 4. Franc. n. 5. Alexand. n. 7.* quòd talis prohibitio in casu, quo aliquis jure ipso excommunicationem contraxit, fieri possit sub censura excommunicationis maioris, à quibuscunque contrahenda, si cum excommunicato denuntiato communicârint præterquam in casibus jure exceptis: nam indultum à jure beneficium inferior auferre non potest. Verumtamen priusquam Iudex denuntiationem faciat, excommunicatum citare debet, vt in præsentia eius adductis testibus, atque auditis, si quas afferre velit, defensionibus, declaretur excommunicatus & postea si expedire videatur, denuntietur. Interdum verò ob scandalum vitandum publica denuntiatio 2

tiatio intermitti debet, si v.g. illustris persona sit, quæ absolutionem petere & obtinere parata sit.

Sed etsi excessus notorius esse videatur, ideóque judiciali examine atque sententiâ opus non esse, sed solùm executione, si condemnatio seu pœna per legem statuta sit, expedit tamen & sæpe necessarium est, delinquentem citari, vt intelligat excessum notorium esse, ideóque statim ad executionem & denuntiationem veniri posse, juxta *Clem. 2. in fin. junct. Gl. verb. Publicare. de pœnis*: nam citatus negare poterit excessum notorium esse, & contra hanc ipsam notorietatis declarationem appellare: quare aiunt *Abb. hic, n. 6. Alex. n. 13.* Tametsi à pœna ipso jure lata appellari non possit, *c. Quia nos. hoc tit.* & notauit *Gl. in c. Cupientes. 16. §. Quòd si. verb. Exspectati. de elect. in 6.* tamen appellari potest à declaratione, quippe quæ non juris est, sed hominis seu Iudicis, quòd incideris in pœnam lege decretam. At verò, si reus citatus nullam defensionem, exceptionémve opponat, & factum notorium sit, tunc declaratione opus non est, sed statim ad executionem procedi potest, vti colligitur ex *c. 3. §. Quòd si fortè. de off. ordinar.* & docet *Dominus in c. Cùm secundùm. §. Confiscationis Not. 3. de haret. in 6.*

5 Not. III. Etiam Summus Pontifex, vel delegatus, aut legatus eius non absoluit ab excommunicatione Pontificia, nisi priùs satisfactum sit parti læsæ, saltem per transactionem, aut cautionem. Ita sumitur ex hoc *c. & c. Parochianos. 9. de sent. excommunicationis.*

CAPITVLVM XIV.

Consuluit &c.

Paraphrasis.

Si manifestum seu notorium sit, quòd Titius vxorem Caij detineat, aut in Clericum manus violentas iniecerit, appellationi eius deferendum non est; Verùntamen quia multa dicuntur notoria, quæ non sunt, ideò cauendum est Iudici, ne quod pro dubio habendum est, ipse notorium esse censeat.

Svmmarivm.

1. *Si crimen notorium sit, conceditur appellatio à pœna, qua à judice decreta est, si eamodum excedat.*
2. *Judex diligenter inuestigare debet, num crimen notorium sit, alias procedere non potest ad declarationem, vel denuntiationem.*

Not. I. Si crimen notorium sit, non conceditur appellatio. Intellige si Iudex procedat secundùm pœnam à jure decretam, si autem pœna decreta non sit, ipse decernendo pœnam, modum excedere potest & grauare, ita vt appellationi locus sit.

Not. II. Iudex diligenter inuestigare debet num factum. v. g. Clerici percussio, notorium sit, vt nulla excusatione defendi possit. v. g. à censura contractum; alioquin enim procedere non potest ad declarationem aut denuntiationem, quia fieri potest, vt Laicus Clericum percusserit causâ defensionis, vel in ebrietate, ita vt mortaliter non peccârit.

§. Si Iudex.

Appellationi deferat terminum temporis præfigit, intra quem eam prosequi debeat (seu iter arripiendo seu Apostolos præsentando) aut si prosecutus non sit, denuò se sistat Iudici à quo. de hac re dictum est *c. precedente. & c. 5. h. tit.*

CAPITVLVM XV.

Suggestum.

Paraphrasis.

Titius extraiudicialiter appellauit ad Papam v.g. ne in electione procedatur, Canonici autem tametsi scirent appellatum esse, non venerunt Romam, nec Procuratorem miserunt (cùm ad id nõ tenerentur) sicuti *Abb. hic monet. n. 1.* cùm autẽ intellexissent Titium literas impetrâsse ad Iudicem delegatum, ipsi appellant, & iter arripiunt Romam versùs, Hoc

casu

casu si Iudex delegatus intelligat per fraudem, aut ex malitia id eos egisse, vt Titii diligentiam irritam redderent, appellationi eorum deferre non debet, sed ea non obstante causam definire, tametsi enim aliàs responsum sit in *c. Meminimus. 9. c. Ad hæc. 38. h. tit.* quòd delegatus si ante citationem appelletur, ne in causa procedat, supersedere debeat, id tamen cùm ad grauamen oppressorum amouendum fuerit constitutum, non debet ad iustitiæ depressionem conuerti.

SVMMARIVM.

1. *Causa ob quas remedium appellationis introductum est.*
2. *Ratio legis siue in ea expressa sit, siue prudenter subintellecta, limitat vel ampliat verba legis.*
3. *Quod ob certum finem constitutum est, non debet inseruire ad effectum contrarium.*

1 NOt. I. Causæ, ob quas remedium appellationis introductum est, hæ sunt: vt grauamen oppressorum remoueatur, vt iniustitia aut imperitia Iudicum corrigatur. Denique, ait *Abb. hîc. n. 3.* vt ex propria ignorantia, aut negligentia læsus jus suum consequi possit: nam quæ non probata, nec allegata sunt in prima instantia judicii, ea allegari, aut probari possunt in 2. seu coram Iudice appellationis *l. per hanc. 4. c. de temporibus appell. c. Cùm Joann. de fide instrumentorum.* quare accidere potest, vt tametsi sententia formaliter justa sit, & Iudex rectè processerit, tamen ea propter nouas allegationes rescindi debeat.

2 Not. II. Non tantùm si ratio legi adiecta sit, ea limitat vel ampliat verba legis, sed etiam si nulla sit causa expressa, appareat tamen vna seu adæquata legis ratio ex jure naturali, tum ad limites eiusdem rationis restringenda & interdum amplianda est lex, ita *Abb. h. n. 2. Franc. not. 1. Alex. n. 3. ex Bald. in l. Non dubium. C. de legibus.* nam ratio, siue ea in lege expressa sit, siue prudenter sub intellecta, est veluti anima seu directrix legis: prout docui *l. 1. tract. 4. c. 18. n. 4.*

3 Not. III. Quod lege constitutum est ob certum finem, non debet ad effectum contrarium inseruire. Ita *gl. hîc. verb. remouendum.* Hac ratione dicitur in *c. Licet. 6. dist. 45.* quod prouisum est ad concordiam, non debet tendere ad noxam, & in *l. vlt. C. de vsucapione pro emptore.* quòd pupillus juris fauorem sibi concessum ad iniquum compendium trahere non debet, & similiter in *c. Quòd nonnullis. 25. de priuilegiis.* quòd priuilegium juris ad iniquum dispendium tendere non debet. *in c. Nonnulli. 28. de rescript. juncta gl. verb. juris obseruantia.* quòd inde iniuriæ oriri non debent, vnde jura nascuntur.

CAPITVLVM XVI.

Ad præsentiam.

PARAPHRASIS.

R. Presbyter à sententia Eboracensis Archi-Episcopi appellauit ad Papam, eo tamen non obstante, Archi-Episcopus illum excommunicauit; ea propter R. questus est apud Alexand. III. qui causam Iudicibus delegauit: hi dictum R. tametsi de jure excommunicatus non esset, tamen absolui curârunt: hic verò Papa rescribit Archi-Episcopo, quòd dicto R. quæstionem mouere non debeat, quia diuina celebrârit in excommunicatione ipsi illata post appellationem interpositam, sed ad eum statum omnia reducat, in quo erant tempore emissæ appellationis.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatio lata à judice post legitimam appellationem irrita est.*
2. *Celebrans post excommunicationem vel suspensionem ab officio, quæ ipso jure irrita est, non debet censeri irregularis. Potest tamen talis absolutionem petere ad cautelam.*
3. *Cautela in tali casu pro Ordinario.*
4. *Judex delegatus potest absoluere excommunicatum ad cautelam, vt possit in judicio contendere.*

Not.

1 NOt. I. Excommunicatio lata à Iudice post appellationem legitimã, irrita est. *c. Pertuas. 40. §. Nosigitur. de sent. excommunicat.* nam qui appellat legitimè, contumax censeri non potest, consequenter nec excommunicari, si tamen Iudex ad quem appellationem friuolam fuisse judicârit, tunc excommunicatio lata post appellationem, cui Iudex, à quo non detulit, valida reputabitur, quia vt *Abb.* ait in *c. Pastor. 53. §. Verum. n. 14. h. tit. Sayr. in Thesaur. l. 1. c. 6. n. 27.* appellatio friuola non suspendit jurisdictionem Iudicis.

2 Not. II. Si quis celebret post excommunicationem aut suspensionem ab officio, quæ ipso jure irrita est, non debet censeri irregularis; nihilominus talis, si velit, potest absolutionem petere ad cautelam; Adde quod hîc obseruat *Alexand. n. 12.* Tametsi is, qui absolutè petit se absolui, fateatur se ligatum, *c. Venerabilem. 33. de electione.* secus tamen esse dicendum de eo, qui se petit absolui ad cautelam.

3 Corollarium. Ordinarius efficaciùs procedere poterit contra delinquẽtem, si commisso crimini reperiat censuram ipso jure decretam, tunc enim citato & audito reo declarare potest eum censura ligatum, ideóque prohibere illi, ne celebret, donec absolvatur: nam tametsi reus à sententia hac declaratoria appellet, tamen reuera irregularis censebitur, si postea judicatum fuerit, bene declaratum, & non rectè appellatum fuisse, quia appellatio interposita non potest suspendere sententiam seu pœnam à jure inflictam, vt supra dixi *in c. Peruenit. 53. h. tit.*

4 Not. III. Judex delegatus potest absolvere excommunicatum ad cautelam, vt possit in judicio contendere, ita *Abb. hîc Franc. & alij argumento. c. Prudentiam. 21. de off. delegati.* Vbi dicitur: quòd is, cui causa principalis commissa est, etiam in accessoriis jurisdictionem exercere possit.

CAPITVLVM XVII.

Cùm teneamur.

Paraphrasis.

Archiepiscopus Cantuarien. quæsiuit ex Alexand. III. si quispiam à sua sententia appellauit ad Pontificem & postea eiusdem appellantis possessio. v. g. ædium, circa quas Controuersia versatur, turbata sit ab aliquo, num sejunctâ causâ appellationis, turbatam possessionem reformare liceat Archiepiscopo.

Respondet Papa, id ipsi licere seruato ordine judiciario, si talis ad ipsum querela deferatur.

Svmmarivm.

1. *Judex à quo in judicio possessorio appellatum est, pendente appellatione cognoscere potest de querela infestata possessionis.*
2. *Possessor condemnatus ad possessionem Actori tradendam, si à sententia appellauit, & pendente appellatione spoliatur aut turbatur, agere potest interdicto recuperandæ vel retinendæ possessionis apud judicem à quo.*
3. *Judex à quo inhibere potest partibus, ne quid lite pendente immutent, & malè attentata ab illis, vel à se reuocare.*

NOt. vnic. Judex à quo (in judicio possessorio) appellatum est, pendente appellatione cognoscere potest, de querela infestatæ possessionis. 1

In primis adverte, quòd pendente appellatione nil debet immutari, consequenter is, qui antea in possessione erat, eâ vti possit, ac fructus, pendente appellationis causâ, percipere, sicuti priùs secundùm *Gl. in c. Sape. 44. verb. rata. h. t.* vbi ait: quòd Prælatus ab Episcopo depositus per sententiam, si ab ea appellauit, interim jurisdictionem exercere possit. v. g. subditum excommunicare, quia condemnatus, pendente appellatione, non censetur condemnatus. *l. 2. §. vlt. ff. de pœn.* Si tamen in tali casu suspicio subsit, ne redditus Ecclesiæ, aut res, de qua lis est, interim dilapidetur, tunc sequestratio imperari potest. *l. Imperatores. 21. in fine. ff. de appel.* & notauit *Gail. l. 1. obseru. 148. n. 2.* ne alioquin judicium illusorium fiat, & excommunicatio sententiæ impediatur.

Hinc itaque existit, quòd possessor condem- 1

demnatus ad possessionem Actori tradendam, si à sententia appellauit & pendente appellatione spoliatur, aut turbatur, quòd agere possit interdicto recuperandæ, aut retinendæ possessionis. Sed nunquid agere potest apud Iudicem, à quo? hæc est quæstio huius Capituli.

Ad quam Pontifex respondet affirmatiuè. Sed causam responsionis non adfert, putamus hanc esse, quia pendente appellatione iurisdictio Iudicis tum ordinarij, tum delegati quoad istam causam non est omnino extincta, sed suspensa, quare Iudex à quo præfigit terminum appellanti. *c. Consuluit. 14. h. t.* & Ordinarius appellanti in causa matrimonij sub censura prohibet, ne alteri nubat, *c. 2. De matrim. contracto.* Ratio huius est, quia pendẽte appellatione nihil mũtari debet. *l. 1. ff. inhil nouari &c.* & hoc ipsum providere, pertinet ad Iudicem à quo, vt videlicet appellationis liberior via & exitus permaneat, si in eodem statu conquiescant, donec causa appellationis decisa sit, vti hîc notat *Abb. & Alex. n. 9. Franc. not. 2.* vbi addunt, quòd inhibitio, quæ fit à lege aut Iudice ad quem, ne Iudex à quo, pendente appellatione aliquid attentet, intelligi debeat de ijs tantùm, quæ appellationis causam eiúsq; liberum cursum impediunt, non autem quæ adiuuant seu ad faciliorem eius exitum tendunt, dummodò se ipsi causæ appellationis secundùm se non immisceat.

3 Corollarium. Iudex à quo, tum Ordinarius tum delegatus inhibere potest partibus, ne quidpiam attentent seu immutent appellatione pendente, atque super attentatis ordine judiciario summariè cognoscere, & quæ malè attentata sunt, seu mutata revocare, secundùm *Gl. in Clem. 2. verb. cum lite, tit. vt lite pendente &c.*

Adde quòd etiam Iudex, si quæ pendente appellatione mutauit vel attentauit, ea revocare possit, vt hîc notat *Franc. prope finem.*

CAPITVLVM XVIII.

Consuluit.

PARAPHRASIS.

Si quis generaliter appellet super omni gravamine, quod sibi inferri posset, non valet appellatio; secus si generaliter appellet super omni grauamine, quòd in certa causa inferendum esse timet.

SVMMARIVM.

1. *Grauatus in vno articulo, potest generaliter appellare à quocunque grauamine sibi in hac causa inferendo.*
2. *Quem effectum habeat talis appellatio.*

NOT. vnicum. Qui in vno articulo. v.g. super dilationibus aut super expensis grauatur, potest generaliter appellare à quocunque grauamine ipsi in hac causa inferendo, ita vt tota ad superiorem devoluatur. Talis autem appellatio id efficit, vt 2
tametsi Iudex à quo ipsi non deferat, tamen iurisdictio eius adeò suspensa censeatur, quoad totam causam, vt justificata appellatione, omnia acta & attentata circa eandem causam, etsi articuli separati sint, seu non connexi, rescindi debeant, sicuti hîc docet *Alexand. in princip.* & videri possunt, quæ dixi *in cap. Super eo. 10. hoc tit.*

CAPITVLVM XIX.

Cùm parati &c.

PARAPHRASIS.

Zamorensis electus Episcopus petitiones quasdam Alex. III. proposuit, quas cùm Papa recipere vellet, Cardinalis Legatus Apostolicæ Sedis obiecit, eundem electum, cùm à Sede ad Synodum vocatus accedere contempsisset, se excommunicâsse, ipsum autem excommunicatum in Episcopum se consecrari curâsse. Verùm Canonicus quidam excusauit Episcopũ, testando, quòd eo tempore in legatione Regis fuisset, & impeditus, quo minùs accederet; Cardinalis cõtra allegauit, quòd Nuntius suus eum in Salamitana Ecclesia, non in Regis legatione repererit. Vlteriùs proposuit Episcopus, quòd ante latam excommunicationem appellârit ad Pontificem, sed Alexand. III. respondet

hîc, quòd, non obstante appellatione, Episcopus ad Legatum Cardinalem venire debuisset post citationem, quare mandat eidem Episcopo, vt ad Sedem Apostolicam accedens, innocentiam suam, si possit, melius demonstret.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatus repelli potest etiam ab extraiudicialibus petitionibus, & quilibet se ei opponere potest, licet aliàs ipsius non interfit.*
2. *Grauatus à Superiore potest etiam in absentia eius, vocatis honestis viris appellare, si quidem accedere nec per se, nec per Procuratorem possit.*
3. *Si duo Superiores sibi subiectum citent, vtri eorum se sistere debeat subditus.*
4. *Nuntio publico & jurato citanti fides habenda etiam sine literis & testimonio.*
5. *Limitatur praedicta doctrina.*
6. *Extra judicium si citatus citanti nuntio respondeat se non compariturum, per hoc non constituitur contumax. secus est, si id fiat in judicio.*

1 NOT. I. Excommunicatus repelli potest etiam ab extraiudicialibus petitionibus, vt si priuilegium, vel indulgentiam petat. *cap. 2. junct. Gl. verb. communibus. de exceptionibus in 6.* & quilibet seu extraiudiciũ seu intra judicium agenti aut quidpiam petenti in commodum suum, opponere se potest, obijciendo excommunicationem, tametsi alioquin ipsius non interfit: nam Regula illa, quòd opponens in judicio non audiatur, si eius non interfit. *l. Sin autem. 27. §. si homo. ff. de rei vendicatione. c. Cùm inter 16. de elect.* locum non habet, si Iudex ex officio, etiam adversario, vel eius, cuius interest, non petente, supplere possit vel debeat. v. g. excommunicatum repellendo, tunc quilibet eum adiuvare, seu ad officium eius excitare potest, sicuti hîc notat *Abb. n. 2.*

2 Not. II. Qui à Superiore grauatur, potest etiam in absentia eius vocatis viris honestis appellare. Ita vt gesta post appellationem, v. g. excommunicatio lata vigorem non habeat, sicuti tradit hîc *Abb. n. 16.* sed intelligi id debet, si pars impedita sit, quo minùs ad superiorem venire possit, alioquin verò accedere debet, per se vel per Procuratorem, & grauaminis causam afferre. v. g. in proposito casu se justè impeditum esse, quo minùs ad Synodum venire possit, & si non audiatur, sed excommunicatio inferenda proponatur, coram appellare. ita colligitur ex text. & tradit *glossa finalis hîc.*

Occasione Textûs, Quæritur 1. Num sit justa excusatio, si Episcopus ab Archiepiscopo, vel Decanus ab Episcopo suo citetur, & citatus dicat, se à Principe sæculari, à quo regalia obtinet vocatum, vel occupatum esse.

Respondeo ex doctrina *Gl. hîc. verb. In legatione innocentia. & Host. hîc. Abb. n. 7.* Si 3
duo Superiores sibi subiectum citent seu aduocent, isque ad vtrumque per se vel per alium, vti oporteret, venire non possit, tunc plura consideranda esse: videlicet, erga quem priorem obligationem contraxerit, & quis prior vocârit, seu præoccupârit. Item vter eorum dignior sit, & maiore causa seu necessitate vocandi innitatur. Ex quibus apparet, quòd absolutè loquendo Papæ potiùs Episcopus, quàm Regi, aut Cæsari vocanti se sistere debeat, propter prærogatiuam Sedis Apostolicæ, & quia juramentum atque obligatio, quâ Prælatus Pontifici obstringitur, priùs edita ac firmior est, quàm juramentum fidelitatis præstitum Principi sæculari, & ideò istud intelligi debet saluo jure & prærogatiua Sedis Apostolicæ, qua simili ratione, ait *Bald. in specul. l. 4 p. 3. tit. de feud. §. 2. q. 12.* Quòd Vasallus habens duos Dominos non subordinatos, si ab vtroque ad bellum vocetur, & vtrique succurrere non possit, cum potiùs juvare debet, à quo priùs feudum accepit: Quemadmodum & Canonicus à duobus Episcopis vocatus coram eo comparere potiùs debet, à quo beneficium priùs accepit, quia obligatio posteriùs præstita intelligitur saluo jure prioris, teste *Alexand. hîc. num. 36.*

Considerandum quoque est, quisnam priùs

priùs citauerit, si enim citatio seu vocatio Principis præcessit, & personam præoccupauit, tum fortiùs constringit. *Arg. c. Si Episcopus.13. dist.18.* nisi Summ. Pontifex vocet, & causam habeat (quod & in dubio præsumitur, si res ipsi cognita sit) abstrahendi ab obsequio Principis, at verò, si justa causa seu necessitas non adsit, non potest Papa vocare personam Ecclesiasticam à seruitio debito, v. g. Regi aut Imperatori, ratione præstiti juramenti ac fidelitatis, sicuti docet *Abb. hic. n.9. Alex. n.76. argumento Clement. Past. de re jud. c. Nouit. 13. De iud.* & videri potest *Innoc. in c. Inquisition. n.3. & 4. de sent. excom.*

4 Quæritur 2. An nuntio citanti vel referenti credendum sit sine aliis literis aut testimonio?

R. Ex doctrina *Barth. in l. Palatin. C. de locatione feudorum. l.10. Alex. hic.45.* quòd nuntio publico & jurato citanti fides habenda sit etiam sine literis.

5 Excipe 1. Nisi consuetum sit, vt literæ citatoriæ nuntio dentur, & sine iis citatio non fiat.

2. Nisi citatio fiat extra territorium citantis, cùm in eo loco nuntius non habeatur pro publico officiali.

3. Nisi velit citare realiter siue per capturam, tunc fides ei habenda non est, nisi literis ostensis. *Arg. l. Prohibitum. 5. C. de jure fisci. l. 10.*

R. 2. Nuntio affirmanti se citâsse, si publicus & juratus sit, potiùs credendum est, quàm parti neganti, vti colligitur ex *hoc c.* & tradit *Gl. verb. Suus Nuntius.* Idq; propter publicum, quod gerit officium.

Excipe 1. Nisi præsumptio sit contra, quia est persona vilis, & pars, quæ neget se citatam, est in dignitate constituta.

Excipe 2. Nisi aliquid nuntius asserat, quòd sit extra officium ipsi commissum; ut si Iudici referat, se à citato verberatum, aut verbis malè acceptum fuisse. vti notat *Menoch. in arbit. Cas. 112. num. 12.* qui tamen bene monet etiam in his Iudicis arbitrium interponendum, vt consideratis circumstantiis definiat, num fides adhibenda nuntio sit, nec ne; siquidem ea quoque, quæ diximus quodammodò ad Nuntij officium spectant, sicuti si referat, citatum respondisse, se nolle venire. Quandoquidem nuntius publicus non ad id solum constitutus videtur, vt citationem faciat, sed etiam vt Iudici responsum ferat, quid in causa citationis gestum sit.

Veruntamen per eiusmodi actum, aut 6
sermonem extra judicium prolatum, quod comparere nolit, non constituitur aliquis contumax. secundùm *Gl. Receptam. in c. Venerabilibus. 7. §. Porrò. verb. In judicio. de sent. excomm. in 6.* partim quia assertio nuntij non facit plenam fidem seu probationem, partim quia talis sermo ex calore iracundiæ profectus, obesse non debet, nisi in eo perseueretur, sicut *Gl. in c. Ex literis. 5. verb. Admonita. de diuortiis*, docet *de confess. extraiudiciali.* quæ ex iracundia fit, quòd non præiudicet, si autem in judicio quis dicat se non pariturum, tum contumacia eius notoria reputatur, *cit. §. Porrò.*

CAPITVLVM XX.

Ad hæc.

Paraphrasis.

Titius excommunicatus priusquam absolveretur, jurare debuit, quòd mandatis Ecclesiæ stare vellet, postea verò nihilominus appellauit, hoc casu cogendus est, vt vel juramentum seruet parendo Ecclesiæ mandatis, vel intra dies 40. iter arripiat ad prosequendam appellationem.

Svmmarivm.

1. *Jurans se pariturum mandatis Ecclesiæ, non obstante juramento, à sententia & præcepto, quo se iniustè grauari putat, appellare potest.*
2. *Et id quidem verum est, licet jurârit se staturum sententiæ, quomodocunque aut qualitercunque prolata sit.*

NOtand. vnic. Qui jurâuit se pariturum mandatis Ecclesiæ, eo non obstante à

sententia & præcepto, quo se iniustè gravari putat, appellare potest, sicuti ei communi iure concessum. Ita etiam docet *gl. in cap. Quòd bene. causa. 6. q. 4.* quòd is, qui jurauit se pariturum Iudicis sententiæ, nihilominus possit appellare. Ratio est, quia juramentum præstitum circa materiam juris & justitiæ interpretandum est secundùm limites juris aut justitiæ, vt si sensus sit se pariturum sententiæ aut mandatis, si justa sint, vel quatenus jura exigunt, sicuti latiùs dixi. *l. 4. tr. 3. c. 9. n. 2.*

2 Adde, id verum etiam esse, tametsi aliquis jurârit, se staturum sententiæ, quomodocunque aut qualitercunque prolata sit, secundùm doctrinam *Petri Anchar. Dominici, & Franci. in c. 2. de prabendis in 6.* quòd verba generalia etsi dicto modo geminata sint, nunquam inducât specialem expressionem, vbi ea requiritur; at verò appellationi non censeri renuntiatum, nisi id specialiter exprimatur, docent *DD. communiter ex l. vlt. §. vlt. C. de temporibus appellationum.* Quamvis contrarium huius sentiat *Alexand. hic. n. 11. post Bald. in l, Tale pactum. §. qui procurauit. ff. de pact.*

CAPITVLVM XXI.

Quæstioni.

PARAPHRASIS.

Titius ob Clerici percussionem, vel quòd alienam vxorem detineret, excommunicationē Iuris, aut hominis incurrit, postea cùm absoluendus esset, jurauit se mandatis Ecclesiæ pariturum, sed priusquam mandatum acciperet, vel post acceptum mandatum, subterfugij causâ appellauit, quæsitum est, num appellationi eius esset deferendum.

Resp. Alexand. III. Non esse appellationi deferendum, quæ juramento eius præiudicet, sed in eandem, à qua absolutus erat, excommunicationem reducendum, neque iterum absoluendum, donec mandatum susceperit, & illud, quatenus ipsi possibile est, executus fuerit.

SVMMARIVM.

1. *Referuntur duæ causæ, ob quas ante absolutionem ab excommunicatione exigi soleat & debeat juramentum de parendo Ecclesiæ mandatis.*
2. *Appellationi contrariæ, præstito priùs juramento de parendo Ecclesiæ mandatis, non est deferendum.*
3. *Post hoc juramentum absolutus ab excommunicatione, si parere postea recusat, non reincidit ipso jure in excommunicationem, sed per sententiam, si contumax sit, in eam reducendus est.*
4. *Reincidit etiam ipso jure, si reincidentia jure decreta sit.*
5. *Post absolutionem contumax in parendo, vel satisfaciendo, ideóque iterum excommunicatus, absolutionem difficiliùs obtinere debet.*

NOT. I. Ante absolutionem ab excommunicatione secundùm consuetudinem Ecclesiarum exigi debet juramentum parendi Ecclesiæ mandatis. *c. Cùm desideras. 13. de sent. excommunicationis,* idque ob duas causas. 1. est, si crimen, ob quod excommunicatio contracta est, secundùm se enorme, aut valdè pernicioſum sit, tũ exigitur juramentum, vel in foro conscientiæ simplex permissio, aut fidei suæ interpositio, quòd reus inposterum à tali crimine abstinere velit. Sicut docui *lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 8.* 1

Altera est, si criminis effectus & obligationes nondum omninò sublatæ sint, interdum absoluitur reus præstito priùs in externo foro juramento, quod mandatum Ecclesiæ seu Iudicis Ecclesiastici super ea causa suscipere & supplere velit, v. g. sistere se Iudici & respondere ad interrogata, si ob contumaciam excommunicatus fuit, vt hîc apparet.

Not. II. Appellationi, quæ est contraria juramento priùs præstito, de parendo mandatis Ecclesiæ, deferendum non est, & hoc est discrimen inter huius & præcedentis Capituli decisionem, nam ex priori admittitur appellatio à grauamine sententiæ iniustæ, cùm ea appellatio non sit contra juramen- 2

ramentum, quippe quòd solum se extendebat ad sententias & mandata justa, at verò in casu huius Capituli appellatio repugnat juramento, si videlicet absolutus appellet, priusquam audiat mandatum, vel si contra mandatum impositum friuolè & subterfugij causâ appellet, cùm enim appellatio inventa sit vt subsidium innocentiæ, ideò fieri non debet præsidium periurij & iniquitatis, iuxta capitulum sequens.

3 Not. III. Si quis jurârit se paritúrum mandatis Ecclesiæ, & ideò absolutus fuerit, postea verò parére recusét, non recidit ipso jure in excommunicationem priorem, sed à Iudice, si contumax esse videatur, in eandem excommunicationem per sententiam reducendus est.

4 Excipe nisi talis reincidentia ipso jure decreta sit, vt in *c. Eos. 22. de sent. excomm. in 6.* Et notat *Franc. hîc n. 3.*

5 Not. IV. Qui post absolutionem contumax est in parendo vel satisfaciendo, ac proinde iterum excommunicatur, is absolutionem difficiliùs obtinere debet: non enim satis est, hoc casu ipsum permittere aut jurare, vel simplicem cautionem afferre, quòd Ecclesiæ parere vel satisfacere velit, cùm sit præsumptio contra ipsum propter præcedentem prævaricationem & periuriũ, vel fidei violationem, quare exigitur, vt priùs mandatum Ecclesiæ recipiat, & secundùm possibilitatem exequatur, quàm absoluatur, ita hîc & in *cap. Significauit. C. de off. ordin.* & notat hîc *Alex. & Fran. n. 4. aliiq; communiter.*

CAPITVLVM XXII.

Præterea.

Paraphrasis.

Caius Clericus super aliqua causa ad judicium tractus ab Episcopo suo, appellauit ad Sedem Apostolicam, & postea grauia commisit scelera, cúmque super his coram eodem Ordinario suo conueniretur, exceptione appellationis se tueri volebat. Ad hoc Respondit Alexand. III. quòd eum appellatio in sua iniquitate tueri non debeat, quominus excessus eius per canonicam censuram puniri debeant.

Paraphrasis.

1. *Appellatio non suspendit jurisdictionem judicis, nisi in causa, super qua interposita est, licet delicta non sint grauia & enormia, sintque commissa etiam ante appellationem & non tantùm post eam.*

Not. Vnic. Appellatio non suspendit jurisdictionem Iudicis à quo, nisi in causa super qua interposita est, Consentit, Capitulum *Super. 10. cap. Cùm teneamur. 17. hoc tit.* Porrò hîc sermo est de grauibus criminibus & commissis post appellationem, quia casus iste propositus erat Pontifici. Ratio autem, quæ datur in Responsione, quia appellatio non debeat aliquem defendere in sua iniquitate, ita vt puniri non debeat, hæc, inquam, ratio locum etiam habet si delicta grauia seu enormia non sint & commissa ante appellationem, vt nihilominus ab ea quispiam accusari aut puniri possit, vti dicetur in *c. 24. h.t.*

CAPITVLVM XXIII.

Constitutis.

Paraphrasis.

Vacante Ecclesia Torcellana cùm Canonici ad Episcopi electionem conuenissent, Archi-Diaconus nominauit C. contra quem mox obiectum, quòd esset excommunicatus, & ideò appellatum, ne eligeretur: eo non obstante, Archi-Diaconus & pauci quidam alii eundem C. eligere perrexerunt, & ne contrà aliquid attentaretur, ad sedem Romanam appellârunt. Nihilominus verò Primicerius cum Canonicis, & Plebanus cum assensu Cleri, vel maioris & sanioris eius partis I. elegerunt in Episcopum. Hæc Controuersia cùm Alexandro. III. per Abbatem S. Felicis & Presbyt. R. proposita fuisset; Respondit ipse, si Archi-Diaconus, vti

narratur, priùs factæ appellationi non detulit, non obstante appellatione, eiusdem electionem postea factam ex maioris partis consensu, de I. Apostolicâ authoritate confirmandam esse.

SVMMARIVM.

1. *Abbas in alia quàm Monasterii causa, potest esse procurator.*
2. *Et hoc verum est, si non vertatur in ea causa vtilitas Monasterii. sufficit Ecclesiastica grauis, vel publica.*
3. *Quin opinio est non paucorum, quod aduocati & Procuratoris munus Clericis & Religiosis vniuersim, & ex officio seu ordinariè tantùm prohibitum sit, non item in vna aliqua causa etiam ciuili, & coram judice ciuili. Contrarium tamen, sacris Canonibus conformius est.*
4. *Non teneris deferre appellationi eius, qui in eâdem causa noluit deferre tuæ.*
5. *Electio, quæ ipso jure nulla est, non impedit, quin alia canonica electio fiat.*

1 NOt. I. Abbas in aliorum causa ad Monasterium eius per se ac principaliter non pertinente potest esse Procurator. Ita tradit *gl. c. de præsentium. 20. causa. 16. q. 1. Franc. hîc Alexand. in princip.* vbi aiunt: quòd Abbas aut Præpositus sine licentia Conuentûs possit esse Aduocatus, Procurator, negotiorum gestor, arbiter, & Iudex, quia ipse non pendet à Monachis, sicuti Monachi ab ipso.

2 Sed nunquid requiritur, vt vtilitas Monasterii vertatur in causa, in qua Abbas Procuratotis, vel Aduocati munere fungitur in judicio? videtur affirmandum, ex *c. 2. de postulando & c. Monachi. causa. 16. q. 1.* vbi duo requiruntur, vt Religiosus Procurator vel Aduocatus in judicio esse possit, videlicet vtilitas Monasterii & consensus Abbatis, tametsi ergo Abbas vt Procurator vel Aduocatus esse possit, alio consensu non indigeat, tamen altera conditio, quæ est de Monasterii vtilitate etiam in ipso exigitur, & ita docet *Sanch. l. 6. Mor. c. 13. n. 18.*

Nihilominus probabiliter dicitur *argumento huius text.* quòd *Abbas, id est,* Ordinis Prælatus in causa Ecclesiastica, si grauis sit, seu pertinens ad publicam vtilitatem. v. g. elect. Episcopi, spectato communi jure possit esse Aduocatus vel Procurator in judicio Ecclesiastico, sicuti hîc docet *Abb. not. 1.*

Imò non pauci existimant, vt *Innoc. in c. vnico. de obligat. ad ratiocinia. Felin. in c. 1.* 3
n. 12. de sent. & rejud. Alex. hîc. n. 5. Franc. not. 1. Quando Clericis & Religiosis prohibetur Procuratoris vel Aduocati munus, id intelligendum esse, quòd vniuersim & ex officio seu ordinariè aduocare vel postulare non possint, quamuis possint in vna aliqua causa etiam ciuili & coram Iudice Ciuili tale munus obire, contrarium tamen huius sacris Canonibus conformius est teste Syluestro. *verb. aduocatus. q. 7. Tabiena. n. 8.* & docui *l. 4. tr. 5. c. 11. n. 1.*

Not. II. Non cogeris deferre appellationi eius, qui in eadem causa seu negotio noluit deferre appellationi tuæ. Habetur clariùs in *c. An sit. 42. hoc tit.* 4

Not. III. Electio, quæ ipsò jure nulla est, impedire nõ potest, quin alia Canonica electio fiat; quod enim nullum est, id nullũ effectum parit, juxta *Regul. 52. in 6.* non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, vbi videri potest *Dynus* & *Alex. hîc. n. 11.* quapropter *Bald. in l. Non dubium. C. de legibus.* ait: si statuto impositum sit tributum. v. g. emptionis contractui, intelligendum esse de contractu valido tantùm. Era tautem electio irrita ex tribus causis. videlicet, quia facta est à minore parte capituli; & de excommunicato; contra appellationem extraiudicialem, ita *gl. hîc verb. non obstante.* 5

CAPITULUM XXIV.

Proposuit.

PARAPHRASIS.

Tametsi is, qui à Iudice appellat super vna causa, in aliis causis coram eodem respondere teneatur, tamen Iudex cùm sit appellanti suspectus, non debet eum cogere,

gere, si respondere recuset, præterquam de crimine graui & manifesto, ob quod ipso facto damnatus videatur.

NOt. I. Appellatio non suspendit, jurisdictionem Iudicis nisi in causa, in qua appellatur, potest tamen in alia causa recusari Iudex vt suspectus, si suspicio allegetur & coram arbitris probetur, quia videlicet in priori causa grauârit & ideò periculum sit, quia etiam in hac grauabit. *c. Ad hæc. 6. h. t.*

Not. II. Sicuti in facto notorio non conceditur appellatio, ita nec Iudicis recusatio, verùm exceptio Iudicis incompetentis, etiam in causa delicti notorii admitti debet, sicut *Franc. hîc* docet *n. 5.* & vide quæ dixi in *c. Peruenit. 13. hoc tit.*

CAPITVLVM XXV.

Quâ fronte.

PARAPHRASIS.

In primis Alex. III. reprehendit Archi-Episcopum Cantuarienſ. quòd juris ordinem peruertens, non in Ecclesia, sicut honestum & Canonicum est, nec in palatio, aut Camera sua, sed in Regis Camera contra juris præscriptum & officii Pontificalis dignitatẽ, Episcoporum electiones confirmat, nihilominus respondet ipsi ad interrogationem: quòd si quis ob contumaciam, aliámue causam excommunicationis vel interdicti vinculo obstrictus sit, offerat verò se ad parendum justis Ecclesiæ mandatis, Iudex eum, ne in excommunicatione decedat, absoluere poterit, tametsi Aduersarius contradicat, & ne id fiat, appellet, ab illo tamen priusquam absoluatur, sufficiens cautio recipi debet, vt vel in præsentia Papæ (si is, contra quem appellatur, consensum dederit) vel coram Iudice, cui is causam delegârit, juris æquitati se submittere & parere velit. Idem quoque dicendum in casu, si quis se irrationabiliter excommunicatum aut interdicto subiectum esse dicat, sed nihilominus promittat & caueat de parẽdo juri, quòd absolui debeat â superiore. v. g. Archi Episcopo, tametsi Episcopus. v. g. qui excommunicauit, reluctetur & appellet.

SVMMARIVM.

1. *Confirmatio Prælati fieri potest in Ecclesia, vel palatio aut Camera confirmantis Ecclesiastici superioris; non autem in curia, vel palatio Principis secularis, quamuis si hîc fieret, confirmatio vel electio non foret irrita, sed irritari posset.*
2. *Processus judicii secularis in Ecclesia institutus irritus est, non autem causa Ecclesiastica.*
3. *Excommunicatio ab homine interdum infligitur ob solam contumaciam, interdum verò ob crimen, in quo contumaciter perseuerat.*
4. *Excommunicato appellante ad Sedem Apostolicam, appellatione non obstante, potest à judice peti absolutio, & debet ab eo conferri, contradicente etiam aduersario, salua interim causa appellationis, & præstita priùs cautione.*
5. *Si excommunicatus vel interdictus à Prælato inferiore v. g. Episcopo ex officio procedente, querelam deferat ad Superiorem tanquam grauatus, absolui is debet, præstitâ cautione, non obstante contradictione Episcopi, & appellatione eius ad Pontificem.*

NOt. I. Confirmatio Prælati fieri potest in Ecclesia vel Palatio aut Camera confirmantis Ecclesiastici superioris, non autem in Curia aut Palatio Principis sæcularis, idémque eâdem ratione intelligi debet de aliis causis Ecclesiasticis.

Rectè tamen monet hîc Innoc. quòd electio aut confirmatio Prælati contra juris ordinem facta in domo Principis sæcularis, ex hoc tantùm cap. non sit irrita, cùm id jure expressum non sit, quamuis irritari possit tanquam contra Canones facta, sicuti de electione dixi in *D. de Prælatis Ecclesiasticis. q. 33. argum. c. Quanquam. 18. de elect. in 6.*

Porrò, licet confirmatio Prælati in Ecclesia rectè fiat, si tamen appareat contradictor,

ctor, ita vt judiciaria lis agitanda sit, decet magis, vt in confirmatoris Palatio, aut Consistorio contendatur, non in Ecclesia, quæ domus orationis est, non jurgiorum, vt hîc notauit *Alex. n. 4.* Nec obstat *c. vlt. 2. q. 2.* nam puto *gl.* esse deceptam ibi, cùm nomine Ecclesiæ intelligit locum sacrum: nam ex sequentibus verbis *vbi testes essent singulorum*, satis colligitur, sermonem esse de
2 Congregatione fidelium. Hoc tamen discrimen est, quòd Iudicii sæcularis processus in Ecclesia institutus irritus sit, non autem processus causæ Ecclesiasticæ. *c. 2. junctа gl. verb. processus de immunit. Eccles. in 6.*

3 Not. II. Excommunicatio ab homine seu Iudice interdum infligitur ob solam contumaciam, quia v. g. citatus comparere non vult, interdum verò ob crimen, in quo contumaciter perseuerat. v. g. Clericus concubinam dimittere recusans. Ita *Alex. hîc. n. 30.* & videri potest. *gl. in c. duo sunt. 10. dist. 96. verb. videbatur.* vbi eleganter ait: tametsi parua culpa non sit sufficiens causa excommunicationis, si tamen accedat contumacia, sufficientem adesse causam; quælibet contumacia, inquit, digna est excommunicatione, imò tantò maior videtur esse contumacia, quanto ex re minore consurgit.

4 Not. III. Si excommunicatus appellârit ad Sedem Apostolicam, & Judex detulerit appellationi, hoc non obstante ab eod. Iudice peti potest absolutio, salua appellationis causa, eámque absolutionem præstita priùs cautione (sicut in textu dicitur) Iudex conferre debet, tametsi Aduersarius contradicat. Ita explicat hîc *Innoc. Joan. Andr. n. 3. Imol. n. 4.* Ratio est, partim, quia ex vna parte per hanc absolutionem cursus appellationis nequaquam impeditur, sicuti docent DD. in *c. Quæstion. 11.* vbi *Alex. n. 16. hoc tit.* partim, quia necessitas excommunicati id postulat, ne, priusquam appellationis causam prosequatur, in excommunicatione decedat, idémque sentiendum est de personalis interdicti censura, cùm etiam ea mortuum priuet sacræ sepulturæ beneficio, vti docui *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2.* non item suspensio; quare si quis à suspensionis illatâ censurâ tanquam grauatus appellat, absolutionem non à Iudice à quo, sed à Iudice ad quem petere debet. videri potest *Suar. de censur. 29. S. 2. n. 3.*

Not. IV. Si excommunicatus vel interdictus à Prælato inferiore. v. g. Episcopo ex officio procedente, querelam deferat ad superiorem, videlicet Archi-Episcopum, tanquam grauatus, absolui is debet præstita cautione de parendo juri, non obstante, quòd Episcopus contradicat & ad Pontificem appellet. Ita *Imol. hîc. n. 6.* & dicetur *inf. in 6. Ex p. 23. de sent. excommunicat.* §

CAPITVLVM XXVI.

Reprehensibilis.

PARAPHRASIS.

Alex. III. in Generali Lateranensi Concilio c. 6. prohibuit, ne Ecclesiarum Prælati in subditos suos suspensionis aut excommunicationis sententiam proferant, non præcedente Canonica monitione, nisi talis culpa sit, quæ ipso jure censuram huiusmodi annexam habeat. Præterea, ne subditi contra disciplinam Ecclesiasticam appellent, sin autem aliquis ex causa rationabili appellârit, tum Iudex à quo competentem ei terminum temporis assignet, intra quem, si appellationem neglexerit, Prælatus à quo appellatum, resumat jurisdictionem. Deinde si intra terminum veniente eo, contra quem appellatū est, is, qui appellauit in quocunq; negotio, non aduenerit, condemnandus est, ad compensationem expensarum factarū ab aduersario, dummodò quid proprium habeat, vt vel hac ratione compescatur ab appellatione temeraria; potissimùm verò Religiosis vetatur, ne, si ob excessum aliquem corrigendi sint, contra Regularem disciplinam Prælati & Capituli appellare præsumant, sed humiliter ac deuotè sibi salutarem pœnam suscipiant.

SVM-

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatio ab homine nunquam alicui infligi potest, nisi præcedente admonitione Canonica.*
2. *Vt nec alia cēsura quæuis, cùm omnis censura contumaciā supponat, suspensio tamen & interdictum interdum vt pura pœna infligitur, quæ sine monitione esse potest.*
3. *Appellans si intra terminum definitum appellationem non sit prosecutus, judex à quo reassumit jurisdictionem; appellans ad expensas condemnatus, jure Cæsareo judicis arbitrio punitur.*

1 NOt. I. Excommunicatio ab homine seu Iudice nunquam alicui infligi potest nisi præcedente monitione canonica, ita vt non obtemperans contumax appareat. *cap. Romana. 5. §. sed nec. de sent. excom. in 6.* Aliter dici potest, quòd excommunicatio nunquam inferatur ob culpam merè præteritam, tametsi grauissima sit: nam si reus contumax non sit, sed Ecclesiæ mandatis deinceps parere paratus, excommunicari non potest, imò si in tali casu excommunicationem contraxisset, & satisfactionem emendationémque sponderet, absolui deberet iuxta *cap. præcedens.*

Ratio est: quia excommunicatio non est mera pœna siue vindicta, sed pœna salutaris & medicinalis, quare cùm spiritualibus magnis commodis priuet, inferri non debet, nisi perversis & contumacibus; sed & auferri contracta debet, quamprimùm aliquis cōtumaciam & cordis duritiam deposuerit, vide quæ docui *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. ass. 1.*

Quæres, Num hæc doctrina etiam de suspensione & interdicto accipi debeat, & quidem *in cit. c. Rom.* tantùm excommunicationis mentio fit, in hoc autem cap. etiam suspensionis, sed non interdicti.

2 Resp. Cum *Innoc. in c. 1. de excess. Prælat. n. 1. Abb. hîc n. 3. Suar. disp. 3. s. 10. n. 2.* traditam doctrinam locum habere in omni censura, cùm omnis censura propriè dicta contumaciam supponat, sicuti docui in *cit. c. 5. n. 3.* Discrimen autem hoc est inter excommunicationem & alias duas Canonicas pœnas; quia omnis excommunicatio est propriè censura, ideóque contumaciam requirit, quæ sine monitione non est; at verò suspensio ad aliquod tempus interdum Clerico infligitur ob culpam merè præteritam atque emendationem & satisfactionem promittenti, ita vt puræ pœnę rationem habeat, sicuti colligitur ex *cap. Tam literis. 23. in fin. de testibus. & c. 2. de Cler. excom* & docui *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 3. ass. 3.* sed & interdictum personale fieri posse ob culpam merè præteritam, seu vt puram pœnam, testatur *Alexand. hîc, n. 7. Suar. in fine disp. 32. de Censur.*

Not. II. Si appellans intra terminum 3 definitum appellationem non prosecutus sit, Iudex à quo, reassumit jurisdictionem *cap. Cùm sit. 5. h. tit.* & appellans ad expensas & interesse aduersario præstandum condemnatur. Aliâ tamen pœnâ non afficitur, licet aliter statutum sit secundùm jus Cæsareum, videlicet vt Iudicis arbitrio puniatur. *l. Eos 6 §. ne temerè. C. de appell.*

Cætera, quæ hîc dicuntur de non appellando à disciplina Ecclesiastica maximè regulari, leges, *in c. 3. h. tit.*

CAPITVLVM XXVII.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Si pars litigans appellauerit, Iudex à quo præcipere ipsi potest, vt intra terminum ipsi præfixum, prosequatur appellationem aut ad Iudicem suum redeat; quòd si verò pars altera judicem suspectum habuerit, tunc compelli potest, vt arbitrum sibi eligat, qui de suspicionis causa, legitimáne sit, diiudicet, de hoc posteriore dicetur. *cap. 61. h. tit.*

SVMMARIVM.

1. *Judex à quo, non tenetur appellanti terminum prosequendæ appellationis definire, sed potest, si velit causam relinquere in dispositione juris communis.*
2. *Debet autem definire, si pars litigans temerè & frustratoriè appellaret,*

1 NOt.vnic. Judex à quo, non est obligatus vt definiat appellanti terminum prosequendæ appellationis, sed potest si malit in dispositione juris communis causam relinquere secundùm ea, quæ dixi in *c.4.h.tit.* Ita docet *Hostiens. Abbas, Alex. & alij*, & sumitur ex hoc *cap.verb.fas est*; quod facultatem significat, non necessitatem & obligationem, quandoquidem non quidquid Iudicis potestati permittitur, id subiicitur juris necessitati. *l.44.ff. de jud.* si tamen pars litigans temerè & frustratoriè appellare videatur, tunc malè ageret Iudex, si terminum non definiret. *arg c.seq.* nam aliqui appella-
3 re possunt solùm, vt lites & mandata Superiorum per annum vel biennium protrahant, talibus autem hominum malitiis indulgendum non est. *cap. Plerumque. 17. de præscript.*

CAPITVLVM XXVIII.

Pervenit.

Paraphrasis.

G. Ecclesiæ Salabriensis Canonicus cùm ab Episcopo suo ad residentiam admonitus fuisset, in appellationem prorupit, hoc cognito Alex.III. mandat eidem Episcopo, quandoquidem suspicio est, Canonicum frustratoriæ dilationis causâ appellâsse, vt eum jubeat vel residere, vel intra terminum ipsi præfiniendum iter Romam versùs arripere, tunc verò Vicarium ei constituat in Ecclesia, cui de beneficiorum redditibus congruam sustentationem designet, quòd si dictus Ge. alterum horum adimplere neglexerit, præbendâ suâ eum priuet, & alteri personæ idoneæ conferat.

NOt. I. Si suspicio sit, quòd appellatio fiat litis tantùm protrahendæ causæ terminus à Iudice definiendus est appellanti, intra quem causam appellationis prosequi debeat, dixi de hoc in præcedente cap.

Not. II. Si beneficiatus ex justa causa absit, Vicarius interim congrua ei portione assignata constitui debet, si tale sit beneficium, vt residentiam postulet; alioquin beneficiarius priuari posset. de hac re dicetur in *cap. Extirpandæ. 30. §. si verò. de præbend. & in tit. de Cler. non residentibus.*

CAPITVLVM XXIX.

Consuluit.

Paraphrasis.

Episcopus Ordinarius prohibere voluit, ne Iudæi Christianos vt mancipia tenerent, sed quia Rex Galliæ pro Iudæis se opposuit, & appellare voluit, quæsitum est, num tali appellationi sit deferendum? Resp. Alex. III. propter eiusmodi appellationem à Sacrorum Canonum institutis discedendum non esse.

Simile huic est, quod idem *Alexand. in Conc. Lat. p.20.c.4* scripsit in hæc verba: Cùm sacris Canonibus cautum sit, ne Iudæi Christiana mancipia habeant, præcipimus quatenus sublato appellationis subsidio anathematis interminatione jubeas publicè, ne quis Christianorum alicuius Iudæi mancipium efficiatur.

Svmmarivm.

1. *Appellatio, ne id fiat, quod expressa lege, aut Canone fieri præcipitur.*
2. *Ecclesiastico judici competit indirecta jurisdictio erga Iudæos aliósque infideles, ne quid ab iis fiat, quod Ecclesiæ fidelium noxium aut indecorum sit.*

NOt. I. Non est recipienda appellatio 1
ne id fiat, quod aperta lege aut Canone fieri præcipitur, cùm sit friuola & irrationabilis appellatio, atque inobedientiæ præsidium foret, si ei deferretur.

Not. II. Ecclesiasticus Iudex jurisdi- 2
ctionem exercet erga Iudæos aliósque infideles indirectè, ne quid ab iis fiat, quod Ecclesiæ fidelium noxium aut indecorum sit, quâ de re dicetur *in lib. 5. tit. de Iudæis*, & docui *l. 2. tr. 1. cap. vlt. in fine.*

CAPI-

CAPITVLVM XXX.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Pontifex Iudici delegato causam commisit, vt in ea procedat remota appellatione, hoc casu, si pars nuntium destinauit ad Sedem Apostolicam super eâdem causa, antequam Apostolicæ delegationis notitiam accepit, vel per citationem præuenta est, Iudex delegatus procedere non potest; sin autem post factam citationem nuntius destinatus est, Iudex nihilominus procedere debet.

Decisio huius Capituli reuocata est ab Innoc. III. in Concil. Generali. *c. Vt debitus. 59. h. tit.*

CAPITULUM XXXI.

De priore.

PARAPHRASIS.

Lis erat inter Priorem & N. Regularem Canonicum. Ille querebatur contra eiusdem N. & aliorum insolentiam, quòd à correctione Regulari, quam ipsis inferat, ad Pontificem appellent. At verò N. obiecit, quòd Prior ipsum indignè tractârit, adeò vt vestibus omnibus vsque ad camisiam priuari fecerit, & cùm prouocaret ad Sedem Apostolicam accusaturus eundem Priorem, ab ipso coactus fuerit ad renuntiandum accusationi, & appellationi.

His cognitis Alex. III. mandat Episcopo Eboracensi, vt rei veritate diligenter inquisita, si repererit Canonicum N. ad euitandam disciplinam appellâsse, Priori pœnam non imponat, quia Romana Ecclesia tales appellationes recipere non solet, ne Monachis vel Canonicis Regularibus præbeatur audacia ad delinquendum: sin autem Canonicus Priorem propter manifestos eius excessus accusare voluit, & ideò ad Pontificem appellauit, Prior autem appellationi deferre noluit, tunc eundem Priorem cum literis rei gestæ seriem continentibus ad Sedem Apostolicam mittat, & complicibus eius pœnam talem iniungat, vt alteri hoc exemplo, à similibus patrandis absterreantur. Ita habetur secundùm integram lectionem post Concil. Lateran. sub Alex. III. *in append. p. 10. de appell. c. 25.*

SVMMARIVM.

1. *Appellari potest à subdito & Prælatus accusari, si modum notabiliter & notoriè in corrigendo excedat.*
2. *Superior appellationi justa, etiam extrajudiciali non deferens, puniendus est arbitrio judicis.*

NOT. I. Si Prælatus regularis in corrigendo modum notabiliter ac notoriè excedat, subditus appellare potest & accusare Prælatum, vt dixi *in c. 3. h. tit.* 1

Not. II. Si superior justæ appellationi etiam extrajudicialì non deferat, puniendus est secundùm qualitatem delicti superioris arbitrio. *Arg. c. de causis. 4. de off. deleg.* vbi dicitur: si pœna certa in jure decreta non sit, arbitrariam imponendam esse secundùm causæ & excessûs qualitatem, & *in 6. Decreto. 11. causa. 2. q. 6.* depositionis pœna ei decernitur, qui Episcopum ad Sedem Apostolicam appellantem impedierit. vide *Abb. hic in fin. Alex. n. 26.* 2

CAPITVLVM XXXII.

Quia.

PARAPHRASIS.

Petebant quidam Religiosi, vt liceret Capitulo ipsorum generali Abbates remota appellatione cogere ad renuntiandum, si infamiâ criminis publicè aspersi, aut de ea conuicti essent, quod Alexand. III. ipsis concessit.

SVMMARIVM.

1. *Infamia criminis si euidenter notoria est, probatione nulla indiget, si non est, probari debet per testes.*

2. *In quibusdam Religionibus consuetudo vel statutum viget, vt Prælatus infamis de graui crimine ad insinuationem generalis Capituli Prælaturâ cedere teneatur.*

3. *Hac suppositâ consuetudine vel ordinatione, si facta est insinuatio Abbati à Capitulo Generali, Abbas cedere tenetur, nec tenet eius appellatio.*

4. *Sepositâ autem hac consuetudine & statuto, de jure communi, Prælatus Religiosus propter solam criminis infamiam deponi non potest.*

5. *Ostenditur modus duplex in tali casu contra infamem Prælatum procedendi.*

1 NOT. 1. Infamia criminis interdum adeò notoria est, vt probatione nulla opus sit, interdum verò non ita notoria, tunc probari debet per testes, *c. 3. §. Sepe. verb. Fama. c. 4. q. 3.* vbi *Gl.* ait: *Si Iudex dubitet de fama, quærat ex vicinis.*

2 Not. 2. In quibusdam Religionibus consuetudo, vel statutum viget, vt Prælatus si infamiâ grauis criminis aspersus sit, ad commonitionem Capituli Generalis Prælaturâ cedere teneatur, sicuti de Prædicatorum & Carthusianorum Generali, quòd ex hac causa ad renuntiandum cogi possint à generali Capitulo, ex Host. testatur hîc *Abb. n. 5. & de Cistertiensium Ordine*, quòd Capitulum generale Abbates ad renuntiandum adigere queat, ita vt si renuant, duob⁹ diebus post factam insinuationē, ipso facto potestate priuati sint, testatur *Rodriquez t. 1. Regular. q. 41. a. 3.* Supposita itaque tali ordinatione, aut consuetudine, concessit Alex. III. vt si monitio seu insinuatio Abbati à Capitulo Generali facta sit, cedere teneatur. ita vt appellatio eius ad Papā non recipiatur.

3

Sed sepositâ tali consuetudine, aut statuto adeóque spectato communi jure, rectè

4 hîc docet *Abb. n. 13.* quòd neque Prælatus Religionis deponi possit propter solam criminis infamiam, sed in hoc casu duplex procedendi modus sit. 1. Vt indicatur ipsi (si nullus adsit accusator) purgatio Canonica, ita vt si purgare se noluerit aut non potuerit pro conuicto habeatur. *c. Accedens. 23. in fine, de accusationibus.*

2. Vt nisi sponte renuntiare velit, subeat judiciarium processum, ita vt per testes & alias probationes legitimas conuincatur. 5 *c. Licet. 31. & c. sequente. de Simonia.*

CAPITULUM XXXIII.

Ad Aures.

PARAPHRASIS.

Pontifex Iudici à se delegato commisit causam aliquam, remota appellatione, sed reus citatus intercedentes quæstiones proponens, & ab interlocutoriis appellans moram traxit in prosequenda appellatione, actore suspenso. Hoc casu, ait Alex. III. clausulam illam *remotâ appellatione* extendi non posse ad incidentes quæstiones, cùm eæ sæpe numero præiudiciales sint; verùm in hoc casu si appellans terminum non præfixit, ipsemet delegatus terminum temporis competentem decernat, intra quem si appellationem prosecutus non fuerit eiusdem Iudicis judicio submittere se cogitur.

NOT. vnicum. Clausula rescripti ad lites non extenditur ad incidentes quæstiones, quia rescripta ita intelligi debent, vt partibus præiudicium non afferant. Dictum est de hoc *in c. 4. in c. Peruenit. & in c. Consuluit. 14. in fin. h. t.*

CAPITVLVM XXXIV.

Ad Audientiam &c.

PARAPHRASIS.

Rector Ecclesiæ S. Jacobi Zamorens. ab Episcopo Zamorensi multis afficiebatur molestiis; ea propter denique se & Ecclesiam suam protectioni Apostolicæ Sedis commisit, sed quia ob simplicitatem verbum appellationis non expressit, Episcopus nihilominus contra eum, qui Romanæ Ecclesiæ patrocinium inuocauerat, excommunicationis sententiā protulit. hoc audito Alex. III. respondit, quia dictus Rector postquam se Roman. Ecclesiæ protectioni subiecit, non præmissâ causæ cognitione, condemnari non poterat, ideò Episcopum Abulensem, si ita esse, sicut narratum est, constiterit, excom-

communicationem irritam esse declarare debere.

SVMMARIVM.

1. *Provocans ad Superiorem, si dicat: committo me Superioris protectioni, vera & valida est appellatio.*

1 NOT. vnicum. Etsi aliquis ad Superiorem provocaturus non vtatur verbo appellandi; sed æquivalente, quo eius intentio sufficienter exprimatur, valet appellatio, vt si dicat: committo me Superioris protectioni, simile quid habetur in *cap. In his. 15. de verb signif.* quòd valeat sententia Iudicis, etsi non vtatur verbo *condemno* aut *absoluo*, sed dicat statuo, præcipio &c. quia talis locutio secundùm effectum significat condemnationem vel absolutionem, sicut commissio illa sub protectionem judicis superioris in effectu significat appellationem.

Accedit quòd non debet aliquis considerare verba, sed potiùs voluntatem loquentis, cùm non intentio verbis, sed verba intentioni debeant inseruire, *cit. cap. In his*, & consentit *cap. Petitio. 9. de Procurat.*

Excipiendum est, nisi certa forma verborum ad actum requiratur, ita vt sit de substantia eius, iuxta *l. 1. ff. de verb. oblig. & c. vn. de postul. Prælin 6.*

Quæres. Quid est, quòd in Textu dicatur, Rectorem condemnari non potuisse, absque causæ cognitione, cùm Episcopus post appellationem, ne quidem cum causæ cognitione procedere potuisset ad excommunicandum.

Resp. Ea verba non referri ad Episcopum, à quo appellatum, sed sensum esse, postquam Rector appellauit ad Pont. à nemine condemnari potuisse, nisi cognitâ priùs causâ appellationis.

CAPITULUM XXXV.

Accepta.

PARAPHRASIS.

Canonici Pampilonens. apud Alexand. III. questi sunt contra Ducem Nauarrorum, quòd eos bonis suis spoliâsset, & petiuerunt causam committi Archi-Episcopo Tarraconensi: eam commissionem cùm fecisset Papa, postea intellexit causam hanc agitatam fuisse coram eodem Archiepiscopo, & ab ipso Ducem appellâsse: quare rescripsit Alexander III. Quoniam Canonici in impetratione rescripti hoc ipsum reticuerunt, quod si Papa cognitum habuisset, causam Archi-Episcopo non commisisset, obreptitium censendum esse, quandoquidem causa remitti non debet ad Iudices eosdem, nisi pars, quæ appellauit, consentiat.

SVMMARIVM.

1. *Taciturnitas veri quando vitiet rescriptum.*
2. *Judex ad quem, causam appellationis non debet delegare judici à quo appellatum.*
3. *Nisi ab eo bene appellatum esset super quæstione incidente, tunc eâ decisâ posset causa principalis ad eundem remitti.*
4. *Judex ad quem, ante omnia cognoscere debet de causa appellandi, & eâ repertâ friuola, aut omnino nulla, appellantem remittere ad judicem à quo.*
5. *Casu quo judex à quo succedat in locum judicis ad quem defuncti vel depositi, de causa appellationis cognoscere non poterit repugnante alterâ parte, sed debet ea alteri non suspecto delegari.*
6. *Tanquam suspectus recusari potest, qui ante in eâdem causa consilium vel responsum dedit.*

NOT. I. Taciturnitas veri (quòd si in impetratione rescripti, expressum fuisset, Princeps id non concessisset, vel non tali modo ac forma concessisset) vitiat rescriptum, sicuti sæpiùs dixi. *l. 1. tr. de rescript.* 1

Not. II. Iudex ad quem, non debet causam appellationis delegare, aut examinandam remittere ad Iudicem à quo, appellatum. *l. eos. 6. de appellationibus*; cùm enim Iudex antea grauâsse dicatur, periculum est, ne iterum grauet, si eadem ipsi causa committatur, aut remittatur; quare ipse- 2

met Iudex, ad quem appellatum, per se, vel per alium non suspectum de causa & justitia appellationis cognoscere debet, & si intelligat malè judicatum & benè appellatum, tum causam principalem assumere & definire. *c. vt debitus. 59. h. t.* sin autem intelligat bene judicatum & malè appellatum, tum remittere causam debet ad Iudicem à quo, nisi is appellationi detulerit, adeóque à se jurisdictionem amouerit, tunc potest quidem remissionem facere, sed non tenetur. *c. Cum appellationibus. 5. h. t. in 6.* & videri potest apud *Gail. l. 1. obseru. 131.*

3 Sed limitari debet notandum. 1. ex doctrina *gl. in cit. l. Eos. verb. decisam.* quòd Princeps, seu Iudex supremus ex certa scientia Iudici, à quo benè appellatum est super quæstione incidente, postquam ea decisa est, remittere vel committere possit causam principalem.

4 2. Iudex ad quem ante omnia cognoscere debet, num rationabilis causa appellandi fuerit nec ne, si enim nullam aut friuolam fuisse intelligat, statim eam ad Iudicem à quo remittere debet. *c. Cùm in Eccl. 38. h. t.*

Quæritur. Si accidat, vt Iudex, à quo appellatum, succedat in locum Iudicis ad quem defuncti aut depositi, num de causa appellationis cognoscere possit.

5 Resp. Cum *gl.* fermè communiter recepta in *cit. l. Eos. verb. prouocatur.* non posse de ea causa cognoscere si pars altera repugnet, sed opus esse, vt alii non suspectæ personæ deleget; quemadmodum nec Aduocatus, si postea in Iudicem vel assessorem assumatur in eadem causa, in qua Aduocatus fuit, sententiam ferre permittitur, sicuti habetur in *c. Sequente, & in l. Prator. 17. juncta gloss. verb. Susceptæ. ff. de jurisdictione omnium Judicum. & l. vlt. c. de assess.* sed neque testimonium ferre *l. vlt. ff. de test.* cùm ad causam, quam egit, aut defendit affectus esse censeatur.

6 Addit *Alex. de Neu. in c. sequente. n. 36.* quòd etiam is tanquam suspectus recusari potest, qui ante in eadem causa consilium seu responsum dedit, pro altero litigante, eò quòd homo naturaliter propendeat ad opinionem, quam semel tenuit retinendam & tuendam.

CAPITVLVM XXXVI.

Postremo.

Paraphrasis.

Si alicui causa delegata fuerit, qui consanguineus sit impetrantis rescriptum, vel in eadem causa fuerit Aduocatus, aliáue ratione parti alteri suspectus, non prohibetur illum recusare, tametsi causa commissa sit, remota appellatione.

Svmmarivm.

1. *Causâ delegatâ, remotâ appellatione judex delegatus ob justam causam recusari potest.*
2. *Justa causa est recusandi vt judicem, consanguineum vel affinem aduersarii tui.*
3. *Et hoc valet etiam in judice Ecclesiastico, dum judicat in causa Ecclesiæ suæ.*

NOt. I. Etsi causa delegata sit remotâ appellatione, tamen Iudex delegatus ob causam justam recusari potest, cùm enim recusatio Iudicis diuersa res sit ab appellatione, *l. Vn. C. ne liceat in una. &c.* sequitur prohibita appellatione non prohibitam censeri recusationem, vide quæ dixi in *c. super eo. 12. §. causis. in h. t.* 1

Not. II. Si Iudex sit consanguineus aduersarii tui, justam causam habes eum recusandi, idémque dicendum, si sit affinis, *argum. l. Aut affinitate. 32. ff. de Procurat.* vbi dicitur: quòd Procuratorem, si sit affinis mei aduersarii, recusare possum, & tradit *Abb. hic. n. 2. Franc. col. 4.* Quòd omnis causa, quæ sufficit ad recusandum Procuratorem vel arbitrum, sufficiat ad recusandum Iudicem. 2

Adde, idem esse dicendum tametsi Prælatus judicet in causa Ecclesiæ suæ, consanguineum eius recusari posse, si is Iudex in ea causa impetratus sit, teste *Abb. hic. n. 6. Dominic. in c. Judex. de off. deleg.* vbi *gl. monet. verb familiarem.* quòd Iudex facili de causa recusetur. 3

CAPI-

CAPITVLVM XXXVII.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Excommunicatio & interdictum æquiparantur, quare sicuti excommunicatio post interpositam appellationem irrita est, ita & interdictum, & sicuti sententia appellationis non suspenditur per sequentem appellationem, ita nec interdictum.

Hic est vnus intellectus huius Capituli; quamuis non satis per verba expressus, sicuti interpretes hîc monent.

SVMMARIVM.

1. *Appellatio à sententia excommunicationis, aut interdicti non parit effectum suspensiuum.*
2. *Ratio redditur, cur Ecclesia hoc ita constituerit.*
3. *Etiam appellatio contra suspensionem, quæ propriè censura non est, sed vt pura pœna infertur, effectum non suspendit.*

1 NOt. Vnic. Appellatio à sententia excommunicationis, aut interdicti non parit effectum suspensiuum, siue quod idem est, excommunicatio & interdictum per sequentem appellationem non suspenduntur, idémque sentiendum de censura suspensionis, & si alicui ingressus Ecclesiæ interdictus sit, sicuti *leges. in c. is cui. 20. de sent. excom. in 6.* Ratio à plerisque redditur ex *c. Pastoral. 53. §. verum. h. t.* Quia excommunicatio, (idem est de aliis censuris) executionem sententiæ secum trahit, quia videlicet statim animam ligat, cum primùm pronuntiata est. Verùntamen hic ipse effectus prouenit ex dispositione Ecclesiæ talem ligandi vim censuris annectentis, cùm tamen potuisset aliter constitui, videlicet, vt anima non statim per censuram ligaretur, sed locus esset appellationi intra dies. v. g. 10. sicuti notat *Sayr. in Thesaur. l. 4. c. 10. n. 14.*

2 Ideò ratio dari debet, cur Ecclesia ita constituerit, quæ duplex est. 1. Vt tanto maior esset Ecclesiæ authoritas aduersùs contumaces, si sciant censuræ effectum impediri non posse per appellationé. 2. Cùm censura sit pœna medicinalis, statim auferri debet depositâ contumaciâ, ideóque facile est, ab ea absolutionem consequi seu ab ipso excommunicante, seu à superiore eius per appellationem ad ipsum interpositam, quãdoquidem appellatio à censura parit effectum deuolutiuum, vt is, ad quem appellatur, de justitia excommunicationis & appellationis cognoscat.

Porrò quod attinet ad interdictum & suspensionem, notant hîc *Abb. & Alex.* post *Innoc. & gl. in cit. c. is cui. verb. sequentem.* Si alicui interdicatur perceptio, aut vsus temporalium, talem sententiam suspendi per appellationem; quin etiamsi quispiam suspendatur à fructibus beneficij eiúsque administratione, aut à voce actiua vel passiva. Item ab vsu Pontificalium, vel pallij Episcopalis, vt ex sententia communiore refert *Avila de censur. p. 3. d. sp. 3. d. 4. Con. 1.* Ratio dari debet, quia quæ exorbitant à jure communi & ordinario, ea strictam interpretationem merentur; cùm itaque communis Regula sit, quòd sententia Iudicis per appellationem suspenditur. & *in cit. cap. Is,* cui mentio duntaxat fiat de suspensione ab officio diuino, quòd per appellationem non suspendatur, ideò trahi non debet ad alias suspensiones, quæ non sunt à diuino Officio, saltem secundùm substantiam. Vide quæ dixi *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 4. v. 3.*

Id in quæstione est, num appellans contra suspensionem, quæ propriè censura non est, sed ob peccatum merè præteritum, tanquam pura pœna infertur, effectum suspensivum pariat. v. g. Si Episcopus Clericum adulterum ad triennium suspendat à celebratione Missæ. 3

Videtur esse affirmandum 1. Quia *in cit. cap. Is cui.* absolutè & sine distinctione dicitur, quòd suspensio ab officio per sequentem appellationem non suspendatur. 2. Quia celebrans in tali suspensione irregularitatem non minùs incurrit, quàm si censuram propriè dictam violaret. *argum. c. 1. de sent. excommunicat. in 6.* & esse indubitatum

ait

ait *Suar. de Cens. disp. 27. s. 2. n. 4.* & ideò hanc quæstionis partem tanquam probabiliorem sequitur *Alex. hîc n. 9.*

Sed pars oppositа mihi placet, quam tradit *Abb. in c. Sapè. h. t.* Probatur 1. Quia vera ratio, cur appellatio ex constitutione Ecclesiæ non suspendat sententiam suspensionis, est, quam supra dedi, quia pœna medicinalis est, ob contumaciam lata, donec Reus resipiscat; quæ ratio locum non habet in suspensione, quæ censura non est.

2. Ex doctrina *Gl. receptæ in cit. c. Sape. verb. rata manet*; quòd Prælatus, qui post sententiam depositionis appellauit ad Papam, pendente appellatione, administrare & jurisdictionem exercere possit, quia, qui provocat, nondum damnatus est. *l. 2. §. vlt. ff. de pœnis*, quia neque is, cui ad tempus aliquod suspensio à diuinis per interdictum illatum est, ita damnatus censeri debet, quo minùs intra tempus legitimum à sententia appellare possit, cùm nihil ad propositum referre videatur, siue suspensio, vt pura pœna lata sit ad tempus, an in perpetuum, vt sit depositio, quandoquidem ab vtraque sententia. v. g. siue in perpetuum aliquis carceri adiudicetur, siue ad tempus, appellare possit communi jure.

3. Quia si casus aliquis specialis in jure non satis expressus reperiatur, standum est Regulâ juris communis, quæ in proposito est, quòd per sententiam condemnato, appellatio concedi debeat.

Ad 1. arg. oppositæ sent. ductum ex *c. is cui.* Resp. Eum textum nobis fauere, quòd enim appellatio latam sententiam non suspendat, id principaliter dicitur de excommunicatione, de suspensione autem & interdicto, quatenus excommunicationem imitantur; vti etiam colligitur ex hoc c. non autem imitantur nec æquiparantur excommunicationi quatenus censuræ sunt ob contumaciam inflictæ, cùm excommunicatio sem per ex sua natura contumaciam requirat, neque vt pura pœna ferri possit.

Ad alterũ Resp. negando consequ. cùm hi duo effectus, quòd suspensus appellare, & quòd in suspensione celebrare possit, planè diuersi sint; à diuersis autem inferri non possit.

CAPITVLVM XXXVIII.

Cùm in Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Quidam Clerici judicium Episcopi sui absque causa rationabili detrectantes ad Archi-Episcopum prouocabant, eo cognito Clem. III. mandat Archi-Episcopo vt Clericorum appellationes priùs non recipiat, quàm cognõrit eas factas esse à grauamine aut sententia iniusta, alioquin appellantem ad Episcopum remittat, vt remota appellatione judicio eius obtemperet.

SVMMARIVM.

1. *Judici appellationis cognoscendum ante omnia de causa appellationis, an ea rationabilis sit & justa.*
2. *Appellans coram judice ad quem, probare debet appellationem factam, & quidem intra decem dies à lata sententia, & rationabili causa.*

NOtand. Vnicum. Iudex appellationis ante omnia cognoscere debet, num justa fuerit appellandi causa, propter illatum grauamen extra vel intra judicium, quia si causa appellandi rationabilis non fuerit, sed friuola, procedere vlteriùs non debet, sed ad Iudicem, à quo remittere, præcipiendo, vt non obstante hac appellatione ipsi pareatur. Consentit *cap. vt debitus. 59. hoc tit.* Et videri debent, quæ dixi in *c. accepta. 35. eod.*

Corollarium. Appellans coram Iudice, ad quem, probare tenetur se appellâsse, & quidem intra 10. dies à lata sententia vel grauamine illato, & ex causa rationabili videlicet; quæ si probata fuerit, justa declarabitur. *cit. c. vt debitus*, & antequam hæc ostensa sint, Iudex ad quem, non potest prohibere Iudici à quo, ne in causa vlteriùs procedat. *c. Rom. 3. §. si verò. h. t. in 6.* videri hîc potest *Alexand. n. 4. Franc. not. vlt.* vbi aiunt:

aiunt: ex *Ioann. Andr. in cit.* § quòd appellans tenetur producere appellationem & ipsam sententiam, à qua appellauit, vt appareat eum intra tempus legitimum videlicet 10. dies appellâsse, qũa de re dixi suprà in *c. 4. h. t.*

CAPITVLVM XXXIX.

Directæ.

PARAPHRASIS.

Coram Ordinario loci tractabatur causa matrimonialis, in qua mulier virum sibi petebat propter contractas nuptias; vir opponebat vinculum consanguinitatis inter ipsos. Cùm autem Iudex in processu hoc grauare videretur, mulier ad Pontificem appellauit, sed intra terminum ipsi præfinitum appellationem non est prosecuta, ideò Iudex reassumens jurisdictionem, testimonia de consanguinitate ab viro producta recepit, tunc iterum appellauit mulier ad Pontificem, quæsitum fuit, num huic appellationi deferri debeat nec ne.

Resp. Clem. III. licet secundùm Concil. Lateran. sub Alex. III. *sup. in c. Reprehensibilis. 26. h. t.* decretum fuerit, quòd Iudex, à quo, si appellans appellationem intra terminum præfinitum prosecutus non sit, procedere possit in causa; eò quòd appellatio deserta videatur, quia tamen jura permittunt, vt in eadem causa bis appelletur, ideò mulier per alteram appellationem se ab ordinarii jurisdictione exemisse censetur, præsertim cùm viri intentio ad separationem Matrimonij (cuius causa fauorabilis est) tendat.

SVMMARIVM.

1. *Semel à sententia interlocutoria appellans, an iterum appellare possit super eodem articulo.*
2. *Semel appellans ab interlocutoria, eáque appellatione deserta, potest iterum appellare, non autem tertiò.*
3. *Sententia interlocutoria non transit in rem judicatam, nisi confirmata, aut bis pronuntiata sit, & tunc solùm reuocabilis non est.*

QUæstio est. Qui semel à sententia interlocutoria appellauit, an iterum appellare possit super eodem articulo. 1

Resp. Distinguendum esse, num Iudex grauet, antequam appellatio prior deserta sit, an verò postea; si priùs grauat, & 10. dierum spatium ad appellandum concessum nondum finitum est, tunc iterum appellari potest; si Iudex post primam appellationem in causa procedat ad sentẽtiam definitiuam. *Clem. vn. de dolo*, vbi excipitur, nisi prior appellatio manifestè friuola fuerit: nam qui ita appellat & Iudici non paret, contumax est, contumaci autem appellatio non conceditur, teste *Gratiano super cap. Ei qui 41. 2. q. 6. §. sunt etiam gl. in cit. Clem. vn. § manifestè. ex l. Properandum. §. etsi quidem. C. de judiciis.* Sin autem post decretam appellationem grauare Iudex videtur, tunc iterum distinguendum; vel enim pars litigans non sistit se Iudici, sed in contumacia manet post desertam appellationem, tunc Iudex non obstante contradictione & appellatione procedit in causa *c. Personas, 4. hoc tit. & c. 2. de dolo in 6.* vbi dicitur: quòd Iudex in hoc casu nec citare teneatur; vel sistit se Iudici, ideóq; contumax non est: hoc casu si Iudex iterum interlocutoriè procedendo. v. g. testes esse admittendos, vel non, dilationem concedendam vel non, grauare videatur, iterum appellari potest, præsertim si causa fauorabilis sit, v. g. matrimonialis.

Notand. Sicuti appellatio à sententia definitiua secundâ vice admittitur, non autem tertia vice. *l. vn. C. ne liceat in vna eâdémque causa tertiò prouocare.* Vt si à duũviris appellaui ad Præfectum provinciæ, à Præside iterum in eadem causa appellare possum ad Præfectum Vrbis, non autem à Præfecto Vrbis deinceps appellare licet sub eodem *cap. Seu causa*, propterea quòd præsumptio sit contra eum, adversùs quem bis in eadem causa judicatum fuit; ita secundùm quandam proportionem dicendum etiam est de sententia interlocutoria, licet 2

quis ab ea semel appellauerit, potest tamen, si appellationem deseruit, & denuò Iudici se sistit, iterum appellare, si Iudex eandem interlocutoriam renouet. Tertia autem vice appellatio non conceditur.

3 Pro cuius rei intellectu adverte. Quòd sententia interlocutoria non transit in rem judicatam, adeóque à Iudice semper retractari, aut immutari potest. *l. Quòd jussit. 14. ff. de re judicat. vbi rubr. Bart.* ait: quòd Iudex sententiam suam interlocutoriam retractare possit, non definituam. Veruntamen si sententia interlocutoria confirmata seu bis pronuntiata sit, tunc revocari seu retractari nequit, quia transisse censetur in rem judicatam, sicuti annotauit *Franc. hic ante Conclus. 5.* ex doctrina *gl. in Clem. vlt. verb. Super ea. h. t.*

CAPITVLVM XL.

Præterea.

Paraphrasis.

Cœlestinus III. consultus erat super hoc casu, Episcopus, aliúsve Ecclesiasticus Iudex talem sententiam tulit contra Sempronium, si intra dies 20. non satisfeceris læso à te Titio, ipso facto excommunicatus, interdictus, vel suspensus sis; Sempronius à lata sententia appellat, & intra dies 20. satisfacere intermittit. Quæritur, num censuram contrahat.

Resp. Papa eum non contrahere, sed propter appellationis obstaculum, tutum ab excommunicatione aliáue censura Episcopi esse.

Svmmarivm.

1. *Appellatio post latam sententiam censuræ sub conditione, nisi intra dies 30. vel 20. restituas vel satisfacias, si facta est ante eventum conditionis, censuram suspendit.*
2. *Appellare licet à censura lata sub conditione, etiam post decendium, ante eventum tamen conditionis.*
3. *In aliis sententiis conditionalibus id non licet.*
4. *An & quomodo pendente conditione, sub qua censura lata est in Titium, & ipse mutet domicilium, eveniente conditione incurrat censuram?*

NOt. vnic. Appellatio post latam sententiam censuræ sub conditione, nisi intra dies 30, vel 20. restituas, aut satisfacias, si facta sit ante eventum conditionis suspendit sententiam censuræ, ita vt non contrahatur, tametsi conditio non seruetur seu non restituatur. Ratio est; quia censuram aliquis incurrere non potest, nisi obligetur præcepto ac sententiâ, atqui post appellationem interpositam aliquis non obligatur sententiâ & præcepto Iudicis, cùm eius effectus & vis suspensa sit, ergo tametsi agat contra sententiam & præceptum, videlicet non restituendo, tamen censuram non incurrit. Sed neque peccare censendus est, si, vt communiter fieri solet, non à sola sententia censuræ, sub conditione latæ appelletur, sed etiam ab ipso præcepto secundùm se, sicuti annotauit *Suar. de censur. s. 6. Disp. 3. n. 1.*

Obijcitur conditionalis dispositio adueniente conditione purificatur adeò, vt per juris fictionem perinde sit, ac si initio purè & absolutè dispositio facta esset. *l. Potior. 11. ff. de pignore.* vbi dicitur: si sub conditione stipulatione facta hypotheca data sit, qua pendente alius credidit purè, v. g. pecuniam, & accepit eandem hypothecam, hoc casu eum, qui priùs sub conditione stipulatus est, potiorem esse, cùm enim semel, inquit lex, conditio extitit, perinde habetur ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset, vbi DD. aiunt: quòd dispositio juris fictione retrahitur ad tempus, quo facta est, ergo etiam in nostro casu, si conditio impleta sit, videlicet restitutio diebus 20. intermissa, censeri debet excommunicatio purè lata & consequenter appellatio, quæ sententiam secuta fuit, nullius roboris esse.

Facilis est responsio, quòd conditio impleta retrahatur, si disponens id velit, & velle possit, aut saltem debeat. Exemplum

est,

est, si quis puellæ vni nuptias promittat sub conditione, si Pater suus consensum dederit, & postea pendente conditione alteri puellæ promittat, postea impleatur conditio, quia parens consensum dedit, hoc casu valent sponsalia priora, non posteriora, perinde ac si ab initio absolutè facta essent, quia spondentis hæc potuit esse voluntas, & si non fuit, esse debuit, quia euentum conditionis sponsus exspectare debebat, ita vt alteri puellæ alio modo se obligare non potuerit; at verò in nostro casu Iudex, qui censuram infert sub conditione, nisi intra dies 20. parti læsæ satisfiat, nec vult, nec potest velle, vt sententia excommunicationis retrahatur adueniente conditione ad tempus, quo lata est: nam de substantia cuiuscunque censuræ est, vt eam præcedat transgressio & contumacia; si autem conditio posita sit, nisi restitutio fiat intra dies 20. quòd transgressio & contumacia concipi non possit, ante finitum terminum, consequenter nec censura; quibus consentit doctrina recepta apud *Franc. hîc quæst. 3.* excommunicationem retrahi, tametsi Iudex dixerit, nisi intra dies 20. restitueris. volo, vt ab hoc tempore excommunicatus sis.

2 Occasione textûs, Quæritur 1. Num à censura lata sub conditione appellari possit, etiam post 10. dierum lapsum, si conditio adhuc pendens sit. Affirmat *Gloss. hîc verb. Impedire. Ioann. Andr. n. 17. Nauarr. in man. c. 27. n. 72. Suar. D. 3. s. 6. n. 4. Anila p. 2. c. 5. D. 5. d. 11.* Quæ sententia vti communiter recepta est contra *Abb. hic. n. 8.* ita etiam valdè probabilis est, tum argumento huius Capituli, in quo absolutè dicitur medio tempore intra latam sententiam, & impletam conditionem appellari posse, ita vt censura non incurratur; tum verò ratione, quam *Innoc. hîc* affert, & bene explicat *Fran. cit. l.* quia præcipiens aliquid sub censura incurrenda, nisi hoc fiat, pendente conditione continuò grauat, & ideò continuò à tali grauamine appellari potest, donec conditio impleatur, tunc enim censura effectum suum statim consequitur, & excommunicationem secum trahit, vt appellationi locus nullus sit. *c. Pastoralis. 53. §. Verùm hoc tit.*

3 Sed in aliis sententiis conditionalibus alia ratio est, quia conditio eueniens facit, vt sententiæ adimpletio retrahatur, perinde ac si in initio absolutè lata fuisset. v.g. si percussus ex vulnere moriatur, hæc pœna percussori decreta sit; hoc casu appellari debet intra 10. dies post latam sententiam, nam si conditio seu mors eveniat censebitur sententia purè lata ab initio, ideóque n. si intra 10. dies post eam latam appellatum sit, non valet appellatio, *iuxta l. 1. §. biduum ff. quando appellandum sit.* vbi dicitur: Tametsi sententia à Iudice ferenda sit purè, non sub conditione, tamen si sub conditione feratur, validam esse & tempus appellationi concessum, esse numerandum à momento latæ sententiæ, non evenientis conditionis.

4 Quæritur II. Si pendente conditione, sub qua censura lata est in Titium, ipse mutet domicilium & forum, num conditione veniente incurrat censuram.

Resp. Cum Archi-Diacono, quem citat, & sequitur *Ioan. Andr. in c. Cùm sint. n. 19. de regul. jur. in 6. Franc. hic col. 4. Suar. Disp. 3. s. 5.* distinguendum esse: vel censura lata sub conditione fertur per modum sententiæ judicialis in aliquem, qui à Iudice in causa illa (seu de crimine, seu de contractu aliquo, & beneficio &c. agatur) præventus fuit, hoc casu, eiusdem Iudicis sententia hominem constringit, ita, vt tametsi domicilium mutet, adeóque absolutè subditus esse desinat, tamen in ordine ad eam causam subiectus maneat, iuxta *cap. Proposuisti. 19. & c. vlt. de foro compet. & l. Cùm quædam. 19. ff. de jurisd. omnium Iudicum.*, consequenter censuram incurrere possit, sicut docet *gloss. recepta hic in fine*, & dixi *in cit. c. vlt. & in Disp. de jurisd. Ordinarij. concl. 20.*

Vel censura lata est à Superiore per modum puri præcepti, vt si Clerico præcipiatur sub censura, ne aleis ludat, hospitia publica frequentet, & postea idem Clericus aliò se transferat (non tantùm secundùm locum, quandoquidem etiam absens jurisdictioni subiectus esse potest) sed etiam jurisdictio-

dictionem mutando videlicet domicilium transferendo, tunc non potest censuram incurrere, cùm desit fundamentum & ratio censuræ; si enim deficit jurisdictio, etiam vis præcepti pendens à jurisdictione, ideóque nec locus est transgressioni aut contumaciæ, quæ simili ratione inquit *Suar.* si lata sit censura, nisi læso restitutio fiat intra dies 20. & interim læsus condonet, non incurritur censura, cùm præceptum in hoc casu obligare desinat. Idémque dicendum si terminus temporis prorogetur à parte læsa, quippe in cuius gratiam terminus adiectus fuit, consequenter pars fauori suo renuntiare potest seu in totum, seu ex parte & secundùm dilationem, sicuti hîc tradit *Abbas num. 4.*

CAPITVLVM XLI.

Secundo.

Paraphrasis.

Quæsierat aliquis ex Cœlestino III. Si Pontifex plures articulos causæ alicui commiserit, sed vni tantùm articulo adiecit, vt definiretur, remota appellatione, num pars saltem super aliis articulis appellare possit.

Ad hoc resp. Cœlestinus, cùm secundùm B. Gregorium primum Papam (*l. 26. in Iob. c. 7.*) verba intentioni deseruire debeant, atque hæc sit intentio Pontificis, vt in omnibus articulis, qui in commissione cõtinentur, justitia suum effectum consequatur, ideò in omnibus articulis censeri debet appellatio remota, quia nihil interest, num appellatio inhibeatur in principio semel aut iterum, in medio, an in fine; quia vti ex vtroque jure colligitur, ea, quę in principio sunt ad medium & finem, & illa quæ in medio sunt ad finem & principium sæpè referri contingit.

Svmmarivm.

1. *In quauis dispositione intentio magis disponentis, quam verba considerari debent.*
2. *Si per rescriptum plures articuli inter se connexi committantur cum clausula:* Remotâ appellatione, *vni eorum adiecta, intelligitur de omnibus.*
   Sin articuli sint non connexi, & clausula illa in principio aut fine sit posita, referenda ea est ad omnes, si inter capitula seu in medio. ad præcedentia tantùm referri debet.
3. *Recusans judicem delegatum tanquam suspectum, causam suspicionis allegare debet coram judice recusato, & probare coram arbitris.*

Not. I. In quauis dispositione intentio potiùs disponentis quàm verba cõsiderari debent: nam verba inseruiunt intentioni, tanquam signa subordinata, cùm sint notæ passionum, seu intentionum in anima, sicuti Aristoteles docuit, consequenter, si de intentione constet, de verbis, quibus vsus est disponens legem, aut præceptũ ferens, solliciti esse non debemus, qua de re dixi *in l. 1. tr. 4. c. 19.* 1

Not. II. Si vnum negotium principale commissum sit, & vni eius articulo adiecta clausula, *appellatione remotâ procedas*, ea etiâ de reliquis articulis intelligi debet, idque propter connexionem articulorum, quam habent in vna causa principali; sin autem diversi articuli sint, & non connexi seu dependentes inter se, tum refert num clausula posita sit in principio aut fine rescripti, tunc ad omnes articulos refertur. *l. 3. §. filius. ff. de liberis. & posthumis.* Et *c. Inquisitioni. h. t.* vbi dicitur: quòd clausula posita ante omnia Capitula, vel post, ad omnia referatur; an verò posita sit clausula inter capitula seu in medio, tum ad præcedentia tantùm referri debet. Exemplum est, si clausula transactioni adiecta sit in principio & fine, per quam omni remedio rescindendæ transactionis renuntiatum sit, extenditur clausula ad omnia Capitula, præsertim si in fine posita fuerit secundùm Regul. *DD. in l. 1. ff. de liberis præteritis*, quòd clausula in fine posita referatur ad omnia antecedentia, sin autem vni articulo transactionis clausula apposita fuerit, ita vt sit veluti pars eius, vel si post plures articu- 2

los

los subiecta sit, tunc nisi ex adiunctis aliud intelligi possit, ad præcedentia tantùm, non sequentia capitula referetur.

§. Tertiò.

SI quis contra Judicem delegatum obiiciat, quòd eum suspectum habeat, causam suspectionis allegare debet, tunc nisi omninò friuola appareat, Judex delegatus cogere potest partes, vt in aliquos, qui non multum remoti sunt, tanquam arbitros compromittant, ita vt si corã his causa suspicionis intra terminum temporis ab ipsis definitum probata non fuerit, tum idem Judex procedere possit; sin autem causa probata, Judex cognitione supersedere debebit, quandoquidem ratio dictat, quòd suspecti & inimici Judices esse non possint.

De hac re dictum est in *c. Suspicionis. 39. de officio delegati. & in D. de jurisdict. Ordinarii. concl. 40. & 41.*

CAPITULUM XLII.

An deferendum.

Paraphrasis.

Titius cùm animaduerteret Caium paratum esse ad spoliandum ipsum, appellauit, ne quid attentaretur, sed Caius posthabita legitima appellatione, nihilominus spoliauit. Tunc Titius contra ipsum actionem instituit, offerens se ad spoliationem in continenti probandam. Verùm contra hoc etiam Caius appellat:

Resp. Pontifex hoc casu appellationem Caii recipiendam non esse, cùm in eo puniendus aliquis sit, in quo deliquit, & qui appellationi deferre neglexit, is appellationis beneficio indignum se reddit.

Svmmarivm.

1. *Non est audiendus appellans in eodem negotio, in quo ipse antè appellationi legitimæ non detulit.*

NOt. Vnic. Si quis aduersarii sui legitimæ appellationi non detulerit, postea audiendus non est, si ipse in eodem negotio appellare velit. *c. Constitutus. 17. h. t.* nõ enim adiuuatur edicto, qui contemnit edictũ, & frustra legis implorat beneficium, qui deliquit aduersùs legem. *c. 1. de immunitate Ecclesiarum. & c. quia 14. de vsur.* Cùm enim in ea causa puniendus sit, ideò adiuuandus & fouendus non est, ne inde commodum consequatur, vnde pœnam meretur.

Nota autem I. Quòd dixi, si legitimæ appellationi non detulerit, sin verò illegitima & friuola fuit, nõ idcirco jus suum indefensum relinquere debet pars altera, sed processum petere potest, & postea, si opus sit, appellare *arg. l. Illud. 40. ff. de petitione hæredit.*

Not. II. Quòd dixi: in eodem negotio siue causa; at verò in alia causa appellatio recipienda est, tametsi qui appellat indiuersa causa, pendente appellatione quidpiam innouârit *arg. c. dilectus. 55. h. t.* & docet *Abb. hic. n. 4.* vbi ait: doctrinam huius Capituli procedere, si duæ appellationes interponantur circa idem negotium, secus si circa diuersa & non habentia inter se ordinem. Nam hoc casu puniri debet, qui post appellationem legitimè interpositam quidpiam mutauit, non autem idcirco prohiberi quo minùs in alia causa legitimè appellet, consentit cum his doctrina *Innoc. in c. Intelleximus. in fine de adulteriis*, quòd delictum vnius delictum alterius promouere & fouere non debet.

CAPITVLVM XLIII.

Nouit.

Paraphrasis.

Innoc. III. mandauit legato à latere vt aduersùs terrã Regni Galliæ interdictũ promulgaret, quod & fecit non obstante appellatione, quã Rex fecit, prætendens legatum ipsi suspectum esse, hoc cognito Resp. Inn. quòd Legatus edictũ non edidit, sed promulgauit; nec fuit dictator eius, sed magis executor; cùm itaq; secundùm jura ab executore appellari nõ possit, nisi modum in exequendo excedat, sequi-

tur, quòd appellationi Regis deferendum non fuerit, præsertim cùm in commissione facta Legato clausula adiecta sit, appellatione remota; quod verò attinet ad suspicionem, quæ obiiciebatur, non existimat Papa Legatum meritò suspectum fuisse, sed etsi ponamus fuisse, tamen non debuit ab executione cessare propter interpositam appellationem, cùm non proprio motu, sed ex Pontificis mandato processerit.

Casùs huius Capituli intelligetur plenius ex *c. 2. de postulatione Prælatorum & c. nouit de off. leg.*

SVMMARIVM.

1. *Edere legem & edictum, est authoris; promulgare, potest esse simplex ministerium.*
2. *Ab executore mero non potest appellari, nisi modum mandati vel commissionis sua excedat.*
3. *Potest ab executore appellari, si mixtus sit, vel asserat se esse executorem, & mandatum in scriptis sufficienter & indubitatè non exhibeat.*
4. *Merus executor recusari non potest tanquam suspectus.*

1 NOT. I. Aliud est edere & aliud promulgare legem vel edictum: nam edere est authoris; promulgare simplex ministerium continere potest:

2 Not. II. Ab executore mero appellari non potest, nisi modũ mandati ac commissionis suæ excedat, *l. Ab executione 5. C. Quorum appellationes non recipiuntur.* Et dixi in *c. Quod ad. 15. de sent. & re jud.*

Ratio est, quia merus executor non habet cognitionem, sed meram sententiæ jam latæ executionem, vel itaque à lata sententia appellari potest, tunc appellatio non tendet aduersùs executorem, sed aduersùs judicem mandantem, vel appellari non potest, tunc executio, cùm sit effectus sententiæ, impediri non debet, quòd si verò executor limites commissionis excedat, tum extraiudicialiter grauat, ideóque ab eo appellari potest; Etenim qui excedit, aliud quid facere videtur, quàm ei commissum sit.

3 Addendum quoque, si is, qui executorem se asserit, mandatum in scriptis sufficienter & indubitatè non exhibeat, appellari ab eo posse, sicuti habetur in nouis Rotæ Romanæ decisionibus. *tit. de appell. decis. 45. alias. 346.*

Loquimur autem de mero executore: nam alia ratio est de mixto, vt si summus Pontifex mandet alicui beneficium conferri, per rescriptum in forma dignum, & super eo executorem det; Iste exceptiones, si quæ à contradictore opponuntur, recipere debet, ideóque ab eo appellari potest, cùm cognitionem aliquam habeat, sicuti ex communi docet Garcias de beneficiis *p. 6. c. 2. n. 111.*

Not. III. Merus executor recusari non potest tanquam suspectus. Ratio est: quia nihil agit ex se seu motu proprio, sed omnia ex mandato committentis, & ideò non ipse facere censetur, quæ facit, sed potiùs qui mandauit *c. Cùm aliquibus. 4. de rescriptis in 6. juncta gl. verb. authoritate.* Veruntamen si non omnino certum ac limitatum mandatum habeat executor, sed quædam ex eius arbitrio dependeant, si v. g. testes audire debeat ac referre, tali casu grauari potest, ideóque recusationi locus est, sicuti *Abb. hic monet. n. 7.* vbi rectè etiam ait: quòd executor in beneficialibus recusari potest, quia is debet possessorẽ beneficii citare, eiúsque exceptionem & oppositiones recipere, & ideò grauare potest, consequenter locus est recusationi, sicuti & appellationi, vt supradictum.

XXXV or.

CAPITVLVM XLIV.

Sæpè.

PARAPHRASIS.

Accidit non rarò, vt, qui à Iudicis sententia appellauit, nec per se, nec per Procuratorem idoneum appellationem prosecutus sit, vel ob malitiam Procuratoris mandatum procuratorium occultantis, lites indecisæ manserint; cùm tamen facilè terminari potuissent; quia, si juris quæ-

quæstio mota sit, eius probationes necessariæ nō sunt, sin facti quęstio agitata, probationes in præsentia partiū plerumq; facilè afferuntur. Etsi verò sub Alex. III. (*c. Reprehensibilis 26. h.t.*) decretū fuerit, vt, si aliquis in causa quacunq; appellauit, & appellationem prosecutus non sit, aduersario, si is aduenerit, expensas soluat; quia tamen controuersiæ nihilominus prorogantur, Innoc. III. hîc decernit, vt, si appellatio, vel à Iudice à quō, recepta sit, vel approbata à partibus, terminus appellanti præfixus vires peremptorii obtineat, ita vt ex eo tempore perinde procedatur contra absentem, ac si peremptoriè citatus ad judicium non venisset, sin verò contingat, vt appellatio per malitiam non recepta, vel non approbata sit, constet tamen legitimè interpositam fuisse, nihilominus ea vigorem suum obtineat. Interim verò salua manere debet constitutio ab eodem Alexandro edita (*c. Cùm sit. 5. h.t.*) vt appellante appellationem suam intra terminum definitum non prosequente, sententia, quæ per appellationem suspensa erat, rata tum sit. Porrò in priore casu, si post terminum elapsum appellans adueniat, justúmque impedimentum seu causam absentiæ ostendat, vires peremptorii euitare potest. Denique si quis terminum vel à partibus, vel à Iudice definitum præueniens rescriptum super ea causa ad Iudicem delegatum impetrauerit tacita veritate, seu termini designati mentionem nullam faciens, impetratis literis carere debet, & pœnam contumaciæ sustinere, & hæc, quæ dicta sunt, in Iudibus seu judiciis exercendis obseruari debent.

SVMMARIVM.

1. *Procurator destinatus ad judicium, mandatum procuratorium occultare non debet. Cogi potest, vt illud, & literas de rato exhibeat.*
2. *Si appellatio recipitur, causa ad curiam deuoluta censetur, ita vt appellans eò causam suam deferre debeat.*
3. *Positiones & allegationes juris non sunt necessariò probandæ, neque ad eas aduersarius respondere cogitur.*
4. *Termino appellationis finito, & alterâ parte tantum adueniente, contra absentem tanquam contumacem procedi potest absque alia citatione.*
5. *Notoriè contumax audiri amplius non debet; secus est si contumaciam excusare velit.*

NOT. I. Procurator destinatus ad Iudicium non debet mandatum Procuratorium occultare, quare cogi potest, vt mandatum & literas de rato exhibeat *arg. l. Si Procuratorem. 65. ff. de Procur.* 1

Not. II. Si Iudex appellationi detulit vel aduersarius eam approbauit, causa ad Curiam deuoluta censetur, quare appellans per se, vel Procuratorem, totam causam ad Curiam deferre debet. *c. Interposita. 70. §. eid. h.t.* 2

Not. III. Positiones & allegationes Iuris non sunt necessariò probandæ, sed neque ad eas aduersarius respondere cogitur, cum earum veritas aut falsitas Iudici, præsertim supremo, qui jura omnia in scrinio pectoris gerere censetur. *c. 1. de constit. in 6.* nota esse supponatur. Vti notauit *gl. in c. vlt. verb. causa de confess. in 6.* Nihilominus si petatur dilatio ad juris allegationes faciendas, ea danda est, vti sumitur ex *authent. jubemus. C. de judiciis*, & videri potest *Alex. hic. n. 18.* 3

Not. IV. Si terminus prosequendæ appellationis finitus sit, tum altera parte aduenient Iudex contra absentem tanquam contumacem absque alia citatione procedere potest, perinde ac si peremptoria citatio elapsa esset, & debet id intelligi non tantùm de appellante sed etiam de appellato, si venire intermittat, secundùm *gl. receptam. hîc. verb absentem.* 4

Not. V. Tametsi contumax audiri amplius non debeat, si contumacia nota sit, tamen audiri debet, si contumaciam excusare velit, seu ostendere, se contumacem non fuisse, justo non veniendi allegato & probato impedimento, idque verum, est, siue loquamur de contumacia, quæ per Iudicem indu- 5

inducta est, siue quæ per legem, ita *text. hic. verb. quidquid.*

CAPITVLVM XLV.

Constitutus.

Paraphrasis.

Vacante Decanatu Ecclesiæ Claremontanæ, Canonici in Episcopum compromiserunt, qui Archi-Diaconũ pluribus sibi consentientibus Decanum constituit, tametsi aliqui Canonici contradicerent, ne quisquam eligeretur, nisi omnes assentirentur, cùm autem illac transiret Cardinalis à Latere, causam hanc quibusdam delegauit, non vt appellationi interpositæ derogaret, sed vt causam instructam ad Pontificem mitteret. Insuper mandauit delegatis, vt partem, quæ electioni contradiceret, ad ipsum legatum mitterent, ad exponendam contradictionis, appellationisque causam. Hæc cùm peruenissent ad Innoc. III. Respondit se ex relatis intellexisse, sub ea forma appellatum fuisse, ne absque omnium assensu Decanus eligeretur, sed appellantes anni spatio appellationem prosecutos non esse, neque causam extitisse biennii ipsis concedendi, quia, qui bis nuntium Romam destinârunt, vel semel Procuratorem idoneum mittere potuissent. Verùm ne peremptorias appellationum exceptiones reiicere videatur, mandat Iudicibus à se delegatis, si ipsis constiterit, Archi-Diaconum Episcopi facto, super quo eius intentio fundatur, sponte renuntiâsse, vel Episcopum ad electionem processisse iis omissis, sine quibus, ne procederet, in compromisso fuit, dicto Archi-Diacono silentium imponant; alioquin verò electionem alterius, & quidquid ex eadem subsecutum fuerit, irritum declarent.

Svmmarivm.

1. *Compromitti potest in personam etiam vnam, & quæ non est ex corpore Capituli.*
2. *Compromitti potest eâ conditione ac formâ vt compromissarii personam eligant, in quam omnes capitulares, exquisitis ipsorum voluntatibus consenserint; quod tamen in electione per scrutinium fieri nequit.*
3. *In causis in quibus judex ex officio procedere potest, licet appellatio deserta sit, aut sententia transierit in rem judicatam, superior nihilominus merita causæ cognoscere potest ex proprio motu ratione officij sui.*
4. *Legatus à latere causam in qua appellatum, examinare potest, non vt appellationem impediat, sed vt causam instructam ad Sedem Apostolicam mittat.*
5. *Ob periculum scandali in casu aliquo etiam causam talem Legatus definire potest.*

Not. I. Compromitti potest in personam etiamvnam, & quæ non est ex corpore Capituli. *c. Causa. 8. de elect.* & dixi in *D. de Prælatis. q. 84.* 1

Not. II. Compromitti potest ea conditione ac forma, vt compromissarii personam eligant, in quam omnes capitulares, exquisitis ipsorum voluntatibus, consenserint, ita *Abb. Alex.* & alii in *gl. verb. omnium.* Sed de electione per scrutinium nõ possunt Capitulares hoc decernere, vt aliter non valeat, nisi omnes consentiant, aut vt valeat, tametsi maior pars totius numeri præsentium non consenserit, propterea quòd electioni huic certa forma præscripta sit, quæ substantialis censetur. *c. Quia propter. 43. de elect.* 2

Not. III. In causis electionum, aliisque beneficialibus, in quibus superior ex officio procedere potest, & non tantùm ad instantiam partis, tametsi appellatio deserta sit, aut sententia transierit in rem judicatam, tamen superior nihilominus merita causæ cognoscere poterit ex proprio motu ratione officii sui; quo modo ait *gl. in c. Cùm nobis. 19. verb. ex officio de elect.* etsi nihil obiiciatur electo, tamen qui confirmat electionem, debet inquirere de modo electionis, an sit Canonicè facta & persona idonea sit, similiter docuit *Franc. hic. not. 1.* quòd negligentia partis & desertio appellationis non præ- 3

præiudicat officio Iudicis & *not. 2.* Quòd causa beneficialis nunquam transit in rem judicatam. *c. Cùm olim. 7. de dolo.*

Not. IV. Legatus à latere, cùm vicem Summi Pontificis specialiter repræsentet, causam, in qua appellatum est, examinare potest, non vt appellationis cursum impediat, sed causam instructam ad Sedem Apostolicam transmittat, idque esse speciale in legato, ait *Abb. hîc. n. 10.* & addit *Hostiens. hîc.* quòd Legatus in aliquo casu ob periculum scandali causam etiam definire possit.

CAPITVLVM XLVI.

Constitutis &c.

Paraphrasis.

Vacante Præpositurâ Saluatoris, constituto electionis die Episcopus Metensis adiurauit Canonicos, vt vnum ex duobus, in quos electores oculos intendere videbãtur, quem Ecclesiæ magis vtilem & idoneum censerent, Præpositum eligerent. Tum Decanus cum quibusdam aliis Cantorem nominauit; at verò ipse Cantor cum aliis pluribus Cancellarium Metensem elegit, eámque electionem tanquam à maiore & saniore parte Capituli factã, Episcopus, cùm de electæ personæ honestate constaret, confirmauit. Postea verò cùm secundùm morem, domum & investituram dare vellet, Decanus ad Pontificem appellauit, id solum allegans, quòd Cancellarius in ijs partibus impotens esset ad possessiones Præposituræ defendẽdas, adijciens plura se obiecturum coram Papa, quæ nollet proferre coram Episcopo. His cognitis respondit Innoc. III. Cùm manifestum sit, causam illam, quæ erat expressa, rationabilem non esse, alia autem tunc expressa non fuerit, ideò confirmationis effectum impediri non posse; si quid tamen Decanus non per modum exceptionis ad impediendum effectum electionis & confirmationis, sed per modum denuntiationis, aut accusationis proponere velit, audiendus erit, postquã Cancellarius pacificam Præposituræ possessionem assecutus fuerit.

Svmmarivm.

1. *Superior potest electores juramento adstringere, vt eligant quem ex gremio Ecclesiæ suæ magis idoneum & vtilem judicauerint.*
   Peccant nisi talem eligant. Valet tamen electio, omisso digniore, si modò dignus eligatur.
2. *Is cuius morum honestas, aut doctrina nota est, examinandus per se loquendo non est.*
3. *Defectus potentiæ & diuitiarum non indit personæ alias dignæ electionem ad dignitatem, nisi in casu rarò, quo necessaria foret pro defensione Ecclesiæ contra hostes persona potens.*
4. *Si electus confirmetur, nullo contradicente, appellatio admitti non debet, nisi allegatâ causa rationabili.*
5. *Legitimè confirmatus, aut qui beneficij collationem accepit, potest possessionem capere, neque admittenda est exceptio, nisi sit de crimine juncto cum infamia, vel sit defectus proprietatis, aut in continenti probari possit.*

NOt. I. Superior potest electores juramento adstringere, vt eligant eum ex gremio Ecclesiæ suæ, quem magis idoneum & Ecclesiæ vtilem judicârint: nam ad id obligantur, & nisi talem eligant, peccant, teste Abbate hîc. *n. 7. Franc. colum. 2.* Sed valet nihilominus electio, dummodo idoneus sit, qui eligitur, licet alius, qui prætermittitur, sit magis idoneus. vti docui *l. 4. tr. 2. c. 15. q. 1.* 1

Not. II. Si nota sit alicuius morum honestas aut doctrina, tunc examine opus non est per se loquendo, frustra enim adhibetur indagatio eius rei, quæ in aperto, seu cognita est. *arg. c. 2. dist. 24. vbi glos.* ait: quòd noti non sunt examinandi sed ignoti. 2

Not. III. Defectus potentiæ, ac diuitiarum, si persona alioqui digna sit & idonea, non impedit, quo minùs ad dignitatem eligatur; præterquam in raro casu, si talis sit alicuius Ecclesiæ status, vt adversùs hostes defendi non possit, nisi persona potens præficia- 3

ficiatur, ſicuti *Abbas hîc monet. num. 11.*

4 Not. IV. Si electus confirmetur nullo contradictore comparente, adeóque præmiſſa cognitione cauſæ non plena ſed ſummaria, appellatio admitti non debet, niſi allegata cauſa rationabili. Ita *Ioan. Andr. in c. Auaritia. de elect. in 6. Franc. l. Circa. gloſ. verb. aliam.*

5 Not. V. Si quis à legitimo Superiore confirmatus ſit, aut beneficij collationem acceperit, conſequenter etiam poſſeſſionem capere poteſt, neque admittenda eſt exceptio, niſi ſit de crimine juncto cum infamia. *c. Accedens. 23. de accuſat.* vel ſi defectus proprietatis manifeſtus ſit, aut in continenti probari poſſit. v. g. electores aut confirmatorem non habuiſſe poteſtatem, vel collationem impetratam fuiſſe per literas falſas iuxta *gloſſ. in c. primo. verb. contentionem. de reſtitutione ſpoliat.* & tradit hîc *Alex. n. 43. Franc. col. penult. ex l. 3. §. ibidem. ff. ad exhibendum.* Vbi *Bartol.* tradit, quòd in cauſis ſummariis exceptiones altiorem indaginē requirentes non admittuntur, ſed ad cauſam principalem reſeruantur. Inſuper aiunt DD. citati, tametſi probatio exceptionis ſtatim offeratur, tamen audiendam non eſſe, ſi præſumptio ſit contra excipientem, quòd malitiosè opponat ſecundùm *gloſſ. hîc verb. in modum except.* nihilominus audiendus poſtea erit, ſi actionem contra poſſeſſorem inſtituere velit, vti ex hoc cap. apparet.

CAPITVLVM XLVII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Quotieſcunque Iudex aliquem ad judicium citat, exceptio opponi poteſt, quòd ſecurus ad locum acceſſus non ſit; ſi exceptio iſta à Iudice non admittatur, citatus appellare poteſt, nil obſtante, quòd cauſa delegata ſit, remota appellatione, præterquam ſi Iudex alium locum idoneum & ſecurum deſignet.

SVMMARIVM.

1. Iudex ſi partibus non aſſignet judicii locum, tutum, appellari poteſt, etiam poſt litem conteſtatam.

2. Citatus autem allegare & probare debet locum non eſſe tutum, niſi notorium ſit.

3. Limitatur prædicta doctrina.

NOtand. Vnicum. Iudex ad locum Iudicii citare debet, quo citatus, eiúſue Procurator, aduocatus item & teſtes, ſecurè ac ſine periculo accedere poſſunt. *c. Siue. 4. cauſa. 33. q. 2.* Et niſi locus idoneus & ſecurus aſſignetur, appellari poteſt teſte *gl. ibidem.* idque extendi debet, vt appellationi locus ſit, quotieſcunque citatio fit ad locum non tutum. v. g. peſte infectum, tametſi prima & altera vice appellatum non ſit, etenim Iudex iterum citando, denouo grauat, *arg. huius c. verb. quoties.* Et videri poteſt *Gail. l. 1. obſerv. 52. n. 3.* vbi addit: licet exceptio loci non tuti dilatoria ſit, tamen quocunque tempore opponi poſſe, etiam poſt litem conteſtatam, quia habet grauamen ſucceſſiuum, teſte *Felin. in c. Accedens. 4. n. 13. vt lite non conteſtata.* Et iterum ait *Gail. n. 7.* quòd omnia banna ob contumaciam in non comparendo inflicta, ipſo jure nulla ſint, & executionem non mereantur, quia nemo ſe periculo exponere tenetur. *c. j. de Cler. non reſid. in 6.* 1

Veruntamen citatus allegare debet, locum non tutum eſſe, niſi id notorium ſit, quin etiam probare debet, acceſſum non tutum eſſe propter generalem regulam ſumptam ex *c. Exparte. 7. de teſtibus.* quòd Iudex credere non tenetur, ſi quid opponatur, quod eius juriſdictionem impediat, niſi probetur. 2

Excipe 1. Si Iudici notum ſit, locum non eſſe tutum, ſufficit allegare & appellare. *arg. c. Si duobus. 7. h. t.* nam qui ſcit, certior reddi non debet: *reg. 31. in 6.* 3

Excipe 2. Si in tali caſu, in quo nec per ſe notorium, nec Iudici notum eſt, citatus ipſemet accedere non poſſit, tunc Procuratorem, aut excuſatorem mittere debet *arg. c. Cùm dilecti. 6. junct. gl. verb. reſponſalem. de dolo.* ſin neminem abſque periculo mittere poſſit, tunc in præſentia bonorum virorum 4

rum protestari & appellarè consultum est, *c. vlt. h. t.*

Excipe 3. Sed & saluus conductus in tali casu recipiendus erit, si offeratur. Verùm is securitatem non semper præstat, sicuti *gl. finalis hîc monet*, & habetur in *c. 4. vt lite contestata.* Quare *Gail.* ait *n. 6.* quòd fragilis sit cautio salui conductûs.

CAPITVLVM XLVIII.

Significauit.

PARAPHRASIS.

Fratres Hospitalis Eboracensis vacante Rectoriâ elegerunt B. Presbyterum in Rectorem seu Magistrum Hospitalis, quem Archi-Episcopus Eboracensis, prout sibi competere asserebat, confirmauit & instituit, sed postea Decanus & Capitulum cathedrale se opponentes (quia dicebant institutionem ad ipsos pertinere) impetrârunt à Pontifice literas ad Iudices delegatos. Hi cùm partes citâssent, Procurator Capituli seu Actor accessit, adferens literas, quæ eo sigillo obsignatæ erant, quo Capitulum vti solebat, ad citationes tantùm, cùm tamen ad alia instrumenta & literas aliud sigillum habeat; Tum Magister Hospitalis obiecit actorem illum vigore harum literarum admittendum non esse; adiecit quoque se jam antè per alias literas ad alios Iudices fuisse tractum, & ideò per posteriores, in quibus priorum nulla mentio fit, conueniri non posse, cùm autem Iudices has exceptiones non admitterent, ipse appellauit. Quare mandat Innoc. aliis à se delegatis, si ipsis constiterit ob causas dictas vel vnam earum, appellatum fuisse, vt in irritum reuocent, quidquid factum post appellationem.

SVMMARIVM.

1. *Procurator ad lites procuratorium mandatum exhibere debet, ita vt certò constet, non esse suppositium, sed datum à principali.*
2. *Sigillum ad certum vsum adhiberi solitum, si ad alium postea adhibeatur, non censetur esse authenticum.*
3. *Excusatur debitor, si tradat pecuniam debitam famulo, vel alteri offerenti monitorias de solutione, quo aliàs sæpe vsus est creditor ad debita recipienda.*
4. *Si aliquis est debitor generis, v. g. ex mutuo, & debita pecunia transmissa pereat sine culpa illius, illi perit, non creditori secus est si debitor sit speciei v. g. ex empto, commodato.*

NOt. I. Procurator ad lites Procuratorium mandatum exhibere debet, ita vt certo constet, non esse suppositritium, sed datum à principali. *argumento, Clem. 1. de Procuratoribus.* & tradit hîc *Franc. not. 1.* vbi ait: mandatum ex eo probari, si constet esse scripturam mittentis. 1

Not. II. Si sigillum ad certum vsum adhiberi solitum postea ad alium adhibeatur, non censetur esse authenticum, seu quod certam fidem mereatur, quia in talibus rationabiliter attenditur ad consuetudinem mittentis seu mandantis, teste *Abb. h. n. 7.* Ex quo colligit idem & *Franc. col. 1. Bart. in l. Si quis vxori. §. Apud Labionem. ff. de furtis.* si quis. v. g. annulum suum tradere soleat famulo, vt ipsi fides habeatur, rectè & securè ipsi credi posse, tale signum afferenti, nisi in aliquo casu præsumptio contraria esse possit, vt, quia est res grauis momenti, vel probabiliter subtraxisse annulum creditur, qui eum affert. 2

Corollarium. Si aliquis famulum, aliúmue nuntium misit, per quem sæpiùs consueuit debita sua recipere & sibi afferenda mandare, tunc debitor excusari videtur si ei comparenti & literas afferenti monitorias de solutione, pecunias debitas. v. g. ex mutuo, censu &c. tradat. Tametsi enim nuntio debitum securè non reddatur, si mandatum affert tantùm ad admonendum, non recipiendum. *l. Si mei. 12. ff. Commodati.* excipi tamen debet, nisi Dominus solitus sit eo nuntio vti ad debita recipienda, teste *Franc. hîc. col. penult. Bart.* in supra citato *§. Apud Labionem. ff. de furtis.* 3

Præterea distingue ex eorundē doctrina:

num aliquis sit debitor generis, v.g. ex mutuo. Hoc casu, si pecunia. v.g. transmissa sine culpa debitoris pereat, ipse damnum feret, aliámque pecuniam soluet, quia genus perire non potest, *arg. l. Incendium. 11.* (si certum petatur; vbi aiunt DD. quòd casus fortuitus non liberat debitorem generis; præterquam si creditor voluerit, aut jusserit certæ personæ dari, tunc enim periculum in se suscepisse, aut ipsi per eandem personam dominium acquisitum censetur, juxta ea. quæ *sup. dixi.*

An verò aliquis sit debitor speciei ex Empto, commodato, depósito, tunc creditori perire debet, si casu & sine culpa debitoris periit, vt, quia noto nuntio, qui communiter fidelis judicabatur, rem deferendam tradidit *l. Argentum. ff. Commodari.* & docui, *l. 3. tr. 4. c. 7. ass. 2.*

CAPITVLVM XLIX.

Significantibus.

Textus huius Capituli ijsdem verbis habetur in Capitulo secundo de libelli oblatione, vide quæ ibi dicta sunt.

CAPITULUM L.

Ex insinuatione.

Paraphrasis.

Cùm inter Priorem & Canonicos S. Barbaræ ex vna parte & V. Camerarium ex altera, controuersia super quodam fundo coram Iudice ordinario agitaretur, Camerarius ad Papam appellauit, tunc Iudex, qui causæ Camerarij fauere videbatur, eò quòd Advocatus Camerarij esset commensalis suus, terminum statuit, vt ad Festum Purificationis vtraque pars à prosecutione appellationis reversa esset, quod tamen Iudex iste facere non poterat, vt legem Pontifici præscriberet, quãdoquidem etiam secundùm leges Cæsareas, si lis intimata sit, in Consistorio Principis, mora litigantibus non obsit, donec ipsam recipi, & à Proceribus dirimi jubeat, insuper quoque Camerarij nuntius præueniens Nuntium partis adversæ non exspectato termino præfixo literas Apostolicas impetrauit & recessit; cùm itaque dolus & fraus nemini patrocinari debeat, ideò mandat Innocentius quibusdam, si ita esse cognôrint, vt ipsi vocatis partibus causam definiant.

Svmmarivm.

1. *Judex à quo, non potest judici ad quem terminum præscribere recipiendæ & finiendæ causæ.*
2. *Sed terminus quem præfigit, est de tempore intimandæ appellationis.*
3. *Pars litigans terminum præfixum exspectare debet, neq; literas à judice ad quem impetrare potest, quibus remittatur causa, nulla facta mentione termini.*
4. *Fraus & dolus nemini patrocinari debet.*

NOT. 1. Judex à quo, non potest Iudici ad quem legem præscribere, aut terminum, intra quem causam recipere & definire debeat, vel datis literis in Provinciam remittere; cùm non possit aliquis alienæ, & quidem superiori jurisdictioni se immiscere, sicuti dixi in *cap. Personas. 4. h. t.* 1

Corollarium. Si Iudex à quo, terminum præfixit, explicari debet, de tempore intimãdæ appellationis, ita vt ante lapsum termini, litem in consistorio Iudicis ad quem insinuare debeat, iuxta authenticam, *sed si lis C. de temporibus appell.* nam Iudex terminum prefigendo, intra quem causa definiri debeat, duo mandare censetur, videlicet vt appellationem prosequatur, siue insinuet, & vt finiat, tametsi itaque posterius jubere non possit, cùm non in eius arbitrio sit, potest tamen priùs jubere, eique obtemperari debet, quia vtile per inutile vitiari non debet, si inter se separabilia sint. *Reg. 37. in 6.* Etenim universim loquendo, hæc videtur esse cuiúsque intentio, vt, si actus, quem gerit, valere non potest totaliter, valeat saltem partialiter, seu quatenus potest valere, prout *Gl. hic. verb. exspectato* allegat dictum vulgatũ, si non valet quod ago, veleat quatenus valere 2

lere potest. *arg. c. 1. de desponsatione impuberum.* § *idem in 6.* vbi habetur: si impuberes matrimonium contrahere velint, cùm non possint,erunt sponsalia.

3 Not. II. Pars litigans terminum præfixum exspectare debet, neque literas à Iudice *ad quem* impetrare potest, quibus causa remittatur, nulla facta mentione termini. Vide *cap. Sæpè,44.h.t.*

4 Not. III. Fraus & dolus suus nemini patrocinari debet, consistebat autem dolus Camerarij in eo, quòd curauerit sibi brevem terminum assignari à Iudice *à quo*, & eum nihilominus præveniens literas impetrauit à Iudice *ad quem*.

CAPITVLVM LI.

Bonæ memoriæ.

Paraphrasis.

Mortuo O, qui personatum in Ecclesia F. obtinuerat, Abb. Monasterij S. August. Cantuarien. eiusdem Ecclesiæ F. quam ad se pertinere dicebat,possessionē primò per Monachos suos, deinde per seipsum ingressus est, & aliquoties ad Pontificem appellauit, ne quisquam eum super possessione molestaret. Verùm cùm aliquādiu in possessione esset,laici quidam Cantuar, Diœcesis ipsum & Monachos per vim eiecerunt, postea verò Archidiaconus Ecclesiæ eius possessionem accepit, contra quem Abbas controversiam proposuit Innocentio III. petens se in possessionem, à qua post appellationem deiectus erat, restitui. At verò Procurator Archidiaconi ex adverso attulit, quòd secundùm consuetudinem Diœcesis custodia tum eius, tum aliarum Ecclesiarum vacantium ad ipsum pertineat. Deinde quòd Abb. & Monachi possessionem veram non habuerint, quandoquidem duo simul rem eandem in solidum possidere nequeunt; ipsemet autem Archidiaconus possessionem ciuilem animo retinebat; quia defunctus O. Ecclesiam F. nomine Archidiaconi possederat, siquidem annuatim vnam procurationem & quinque solidos pendebat. Exinde colligi dicebat, quòd Abb. & Monachi corporalem tantùm & clandestinā detentionem habuerint, quamobrem Archidiaconus ipsos ad defendendam possessionē suam per vim eijcere potuisset absque injuria;quamvis id non fecerit,sed tantùm possessionem sibi competentem acceperit. Appellatio quoque nullius momenti est,quia nòn nisi à grauamine præsenti, præterito, aut futuro appellari potest; 1 Archidiaconus autem nec ante, nec post appellationem Monachos grauauit, cùm solùm Ecclesiam, sicuti debebat in custodiam receperit, sed & ideò Monachorum appellationi deferendum non 2 erat; quia, etsi Ecclesia ad eos pertinuisset, non propriâ auctoritate, possessionem capere debuissent; quare cùm clandestini, non veri possessores fuerint, non poterat eis iniuria super possessione irrogari. His in vtramque partem propositis, Innocent. Abbatem & Monachos in eum statum,in quo erant tempore appellationis, quæ ex probabilibus causis interposita fuit, mandat reduci,& temporis intermedij fructus eisdem restitui, jure proprietatis vtrique parti saluo manente.

Svmmarivm.

1. *Abbas per Monachum possessionem rei capere potest,vti Dominus per seruum.*
2. *Per consuetudinem introduci potest, vt custodia & administratio Ecclesiæ vacantis ad Archidiaconum spectet.*
3. *De jure communi, ad quem pertineant bona eiusmodi Ecclesiæ vacantis Cathedralis, Collegiatæ sacularis, regularis, vel parochialis.*
4. *Appellatione generatim interposita, si quid immutatum sit, v. g. per spoliationem, agi potest per viam attentati aduersùs attentantem,& quemlibet seu bonæ,seu malæ fidei possessorem.*
5. *Idem est, si appellatio facta sit specialiter contra certam personam,& tertius ab ipso causam habuerit, vel ab alio.*

6. Via attentati vberius remedium est, quàm interdictum recuperandæ possessionis, si spoliatio secuta sit appellationem.

1 NOT. I. Abbas per Monachum possessionem rei capere potest, sicut Dominus per servum *l. 1. §. item acquirimus. ff. de acquirenda possessione*, & notant hîc *Abb. Franc. & alij.*

2 Not. II. Per consuetudinem introduci potest, vt custodia & administratio Ecclesiæ vacantis ad Archidiaconum pertineat, sed spectato communi jure ita distinguunt hîc *Abb. Alex. n. 11.*

3 1. Si sermo est de Ecclesia Cathedrali, vel ea habet œconomum generalem, tum in ipsius potestate & custodia manent bona relicta ab Episcopo decedente, *cap. Illud. 47. iuncta gloss. verb. Æconomi. 12. quæst. 2. & cap. Non liceat. 48.* Ead. quæst. vbi excipitur, si nulli Canonici in Ecclesia sint, tum ad Metropolitanum rerum custodiam spectâre, sin autem generalis Oeconomus non sit, tum Ecclesia vacante administratio & custodia rerum ad Capitulum Cathedrale spectat.

2. Si Ecclesia Cathedralis non sit, sed collegiata sæcularis, vel regularis, tunc, ea vacante, administratorem rerum ab Episcopo deputari posse, ait *Ioan. Andr. in cap. 2. num. 3. de testamen. in 6.* & alij, quos citaui *in Concluſ. 132. de jurisdict.* Sed *Abb. Panormit. hîc, n. 12.* existimat ad Conventum pertinere administrationem, quod etiam Innocent. indicauit *in cap. Cùm dilectus. n. 1. de consuet.* vbi ait: quòd vacante Ecclesia Regulari, Monachi possint in judicio agere, & defendere se super statu Monasterij, & Syndicum constituere. *arg. l. 1. §. 1. ff. Quod cuiuscunque vniuersitatis.* Et hæc sententia consuetudine fermè obseruatur, excepto casu, si Prælatus non exemptus propter malam administrationem remoueatur, tunc Episcopus administratorem, donec alius succedat, constituere debet, *cap. Ea quæ. 8. § quod si. Abb. de statu Monach.* & notat hîc *Abb. num. 11.* rationem dans: quia in hoc etiam conventus suspectus esse potest.

Deinde si in Monasterio non exempto nulli sint Monachi, nullum esse debet dubium, quin administratio & jus agendi pro juribus Monasterii ad Episcopum spectet, sicuti ex dictis colligitur, & nemo negat.

Præterea excipiendum est, quòd in quibusdam collegiatis Ecclesiis maximè Regularibus aduocatus, qui & vice Dominus dicitur, earum vacantium administrationem & custodiam gerat, donec alius Prælatus sufficiatur. Quæ consuetudo toleratur in *c. Generali. 13. de elect. in 6.*

3. Si Ecclesia collegiata non est, sed v.g. Parochialis, cuius Rector mortuus, tunc si alicui Monasterio aut Præposituræ incorporata sit pleno jure, videlicet in spiritualibus & temporalibus, ad Abbatem, vel Præpositum pertinet administratio rerum, donec alius Vicarius Parochiæ substituatur, vti docui de Prælatis Ecclesiasticis q. 106. sin autem non est incorporata Ecclesia, tunc ordinariè ad eum spectat custodia & administratio eius vacantis, ad quem Rectoris institutio spectat, teste *gloss. in c. Cùm vos. 4. verb. æconomos. de officio Ordinarii.*

Ex quo rectè colligit *Abbas. hîc. n. 11.* si in tali casu etiam Episcopatus, vel alia Prælatura vacet, quòd administratio & custodia Ecclesiæ inferioris ad Capitulum pertineat, cùm id succedat in omni jurisdictione & administratione competente ipsi Episcopo vel Prælato, ea maximè, quę est necessitatis, seu dilationem non patitur, qua ratione *Abb. & Alexander* hîc docent: quòd Capitulum Episcopale sede vacante, licet liberas collationes, quæ ad Episcopum spectant, facere non possit, tamen interim ad commendam dare, vel æconomum ponere non prohibeatur.

Not. III. Si appellatio extraiudicialis 4
generatim interposita sit, tunc, si quidpiam immutatum sit. v. g. per spoliationem, agi potest per viam attentati (vt rescindatur & res in statum pristinum restituatur) non tantùm aduersùs attentantem, sed etiam aduersùs

versùs quemlibet seu malæ seu bonæ fidei possessorem, iste est casus nostri Capituli.

5 Sed etsi appellatio facta sit specialiter, contra certam personam, & tertiùs ab ipso causam habuerit. v.g. emerit bona quauis fide, agi tamen potest cõtra eum per viam attentati, vt Iudicis officio rescindatur, quod actum est. *l. Chyrographis. 47. §. Si ea. ff. de administr.* vbi *Gl. & Bart.* imò verò etiam procedit talis reuocatio attentati, tametsi tertius possessor bonæ aut malæ fidei causam non habuerit à Iudice vel à parte, sed ab alio quolibet, vti colligitur ex *c. Ex parte.* vbi *Imol. monet. h. tit.*

6 Ex quo colligitur remedium istud per viam attentati longè vberius esse, quàm interdictum recuperandæ possessionis, si quis post interpositam appellationem spoliatus sit; etenim remedium illud attentati competit etiam pro rebus mobilibus, & contra successorem spoliatoris, nec opus est probare spoliationem, sed id solùm, quod actor tempore appellationis possederit, quæ omnia aliter se habent in interdicto recuperandæ seu vnde vi, sicuti videre licet in *D. restit. spoliator.*

CAPITVLVM LII.

Dilecti.

Paraphrasis.

Lis erat super quadam Capella inter Cantuariensem Archi-Episcopum & Priorem ac Monachos Cantuarienses, tunc Monachi duos ex Fratribus Romam ad Pontificem miserunt, quos nihilominus Archi-Episcopus post arreptum iter excommunicauit. Eo intellecto, Resp. Innoc. Cùm plus aliquid sit ad Sedem Apostolicam appellare facto quàm verbo, Monachi autem hoc ipso quòd ob dictam causam ad Sedem Apostolicam accesserunt prouocare censeantur, ideò mandat quibusdam, vt Monachos excommunicatione non adstrictos esse denuntient.

Svmmarivm.

1. *Excommunicatio & quauis censura lata post appellationem etiam extraiudicialem ipso jure irrita est.*
2. *Ordinariè, seu in aliis casibus attentata post eam non sunt ipso jure nulla sed rescindenda.*
3. *Sola itineris arreptio ad Superiorem vim appellationis extraiudicialis habet, cuius semper locus esse potest, cùm Superior per viam querelæ adiri potest, etiam citra omnem appellationem.*
4. *In appellatione judiciali licet sufficiat quouis verbo vel facto voluntatem appellandi exprimi, necesse tamen est, vt etiam tunc Apostoli petantur, aliáque requisita ad appellationem judicialem ponantur.*

NOt. I. Excommunicatio & quæuis censura lata post appellationem etiam extraiudicialem ipso jure irrita est. *c. Venerabilibus. 7. de sent. excomm. in 6.* est autem hoc speciale in censuris, prout hîc notauit *Franc.* vbi consilium dat, si quis timeat, ne Superior quidpiam imperans, censuram ei inferat, vt ad eam declinandam mox appellet ad superiorẽ. Ordinariè verò seu in aliis casibus attentata post appellationem extraiudicialem non sunt ipso jure nulla, sed pendent ex futuro euentu, ita vt justificata appellatione rescindi debeant. *c. Considerauimus. 10. c. Cùm nobis. 19.* vbi *Innoc. n. 2. de elect. Alex. hîc. num. 13. contra Abb. notand. 1.*

Non parùm autem refert, num attentata post appellationem sint ipso jure irrita, an non irrita, quamvis postea rescindenda; si enim irrita sint, tunc etiam deserta appellatione agi potest per viam nullitatis, videlicet in attentatis post appellationem judicialem, & in certis casibus in attentatis post extrajudicialem, sicuti *Alex. hîc explicat, n. 13.* at verò si non sint ipso jure irrita, tunc deserta appellatione reuocari non possunt per viam nullitatis, sed tantùm per viam juris ac justitiæ. *c. Concertationi. 8. h. t. in 6.*

Notandum II. Sola itineris arreptio ad Superiorem vim appellationis habet, debet

debet autem hoc specialiter & peculiariter intelligi de appellatione extraiudiciali, quæ est prouocatio à causa, vt proinde talis appellatio tunc semper locum habere possit, cùm superior per viam querelæ adiri potest, etiam citra omnem appellationem, sicuti *Abb. hîc* docet *n. 6.* & exemplum habes in executore, item Episcopi Vicario seu Officiali, à quibus appellari non potest, & tamen locus est querelæ, seu supplicationi.

At verò in appellatione judiciali tametsi opus non sit vocem appellandi proferre, sed quouis verbo aut facto voluntas appellandi exprimi possit, tamen necesse est Apostolos petere, & alia agere, quæ ad judicialem appellationem requiruntur, cùm enim appellatio, quæ fit, facto æquiparetur, ac veluti succedat in locum appellationis, quæ fit per vocem *appello*, ideò eadem in illa seruari debent.

CAPITVLVM LIII.

Pastoralis.

Paraphrasis.

Interrogatus fuit Innoc. III. si Princeps causam deleget remota appellatione, an solùm frustranea appellatio inhibita censeri debeat. Ad hoc Resp. Cùm per appellationem frustraneam, etsi inhibita non sit, causa impediri non debeat, ideò quamlibet appellationem, quæ à jure expressè concessa non reperitur, remotam esse, nihilominus si is, qui appellare cupit, iniustè grauatus sit, grauamen istud per superiorem tolli potest.

Svmmarivm.

1. *Dispositio quamuis odiosa aut exorbitans nunquam tam strictam interpretationem meretur, vt nihil operetur, aut verba eius frustranea & inualida sint.*
2. *Licet clausula: remota appellatione: impediat effectum suspensiuum, non tamen impedit deuolutiuum.*
3. *Non obstante etiam eâdem clausulâ recipienda est appellatio, quotiescunque in jure aliquod factum pro grauamine agnoscitur.*
4. *In casu quo per priuilegium, vel statutum appellatio adempta est, & notorium grauamen infertur, non quidem per viam appellationis, sed supplicationis, aut in integrum restitutionis, per superiorem succurri debet.*

NOtandum I. Dispositio quamuis odiosa aut exorbitans, ideóque absolutè loquendo strictam interpretationem mereatur, tamen non ita restringi, aut talem interpretationem sortiri debet, vt nihil operetur, aut verba frustra & inutiliter prolata sint. Ita sumitur ex *cap. Si sententia. 16. in fine. de sent. excom. in 6. l. Si stipulatus. 110. ff. de verb. oblig.* & tradit *Abb. hîc n. 2. Alex. n. 8.* quòd verba dispositionis, si alioquin frustra posita essent, etiam ad impropriam significationem extendi debent. *arg. cit. c. Si sententia. & Bald. in Rubr. C. de contrahend. empt. n. 9.* ait: quòd non tantùm clausula, sed etiam verba singula posita in contractu ita intelligi debent, vt frustra non sint, sed aliquid operentur, dummodò id fiat secundùm naturam contractûs, idque propter Regulam receptam: quòd verba intelligi debent, secundùm naturam actûs & materiam subiectam. 1

Not. II. Licet clausula *remota appellatione* impediat effectum appellationis suspensiuum, non tamen impedit deuolutiuum. Et habet id etiam locum, si jus ipsum præcipiat causam cognosci, remota appellatione, vt in *c. Inquisitionis. 16. de hæret. in 6.* quòd Episcopi & inquisitores in causa hæresis procedere debeant appellatione remota; nihilominus enim Archi-Episcopus comparationè Episcopi, & multò magis Papa à reo interpellatus cognoscere potest de justitia processûs & sententiæ, atque inhibere, ne vlteriùs procedatur ad executionem, *c. Romana. 3. §. Si autem h. t. in 6.* Et docet *Gl. in Clem. 1. verb. Oneramus. de jure patron.* vbi ait: quòd superior emendare debet, quæ malè acta sunt, attentata tamen à Iudice inferiore non per viam nullitatis, sed per viam ordinariæ querelæ seu justitiæ implo- 2

implorationis reuocari debent, teste *Abb. hîc. n. 11.*

Rationem dare debemus: Quia clausula: remota appellatione: rescriptis & statutis interdum apponitur, vt justitia non impediatur & protrahatur, ergo non debet tendere in finem oppositum videlicet vt injustitia Iudicis per eam defendatur. Et idem ait *Abb. hîc. n. 12.* sentiendum esse de priuilegio, si aliquibus concessum sit, ne ab ipsis appellari possit, hoc enim Princeps concedit, quia præsumitur de justitia & industria priuilegiatorum juxta *l. 1. C. de sententiis Præfect. Prætorio.* Si itaque appareat personam aliter procedere, quàm justitia exigat, non est ratio, cur Superior grauamen reuocare non debeat, saltem per viam ordinariæ querelæ seu supplicationis, aut in integrum restitutionis, vt videre licet apud *Alexand. hîc. n. 40.*

Not. III. Quotiescunque in jure aliquod factum, seu aliquis processus pro grauamine agnoscitur, à quo justè appellari possit, tunc appellatio recipienda est, non obstante quòd causa ab homine, aut à jure commissa sit, remota appellatione. Ratio est: quia Superior causam committit remota appellatione, qui existimat Iudicem processurum sine iniusto grauamine, alioquin ita committere non posset, si autem jura grauamen aliquod judicent esse iniustum, dum Iudex notoriè grauat, ideò cessat præsumptio, quæ pro Iudice habetur, & confert huc Regula tradita in *gl. c. Ex conqueſt. 10. verb. post appell. de restitut. spoliator.* Tametsi causa commissa sit remota appellatione, tamen appellari posse, si grauamen notorium sit.

Quòd si verò per priuilegium *l. Statutum* appellatio adempta sit, & postea notorium grauamen inferatur non quidem per viam appellationis sed per viam supplicationis aut in integrum restitutionis, Superior succurrere debebit, teste *gl.* recepta in *l. vn. verb. non potest. ff. de offic. Præfecti prætorio Alex. hîc n. 40.* vbi aliud exemplum affert de Vicario Episcopi, tametsi ab eo appellari non possit ad Episcopum, *c. 2. de consuetud.* tamen supplicari posse.

§. Verùm.

Sæpè accidit, vt aliquis à Iurisdictione ordinarii Iudicis propter appellationem quoad certum articulum ad tempus eximatur, ideò quæsitum est ex Innoc. III. si Episcopus. v. g. in Diœcesanum suum excommunicationis sententiam proferat, Diœcesanus autem ab ea appellet, tanquam irrationabiliter lata sit, num Episcopi jurisdictio suspensa censeri debeat ac veluti dormire, perinde, ac si ante latam excommunicationem appellâsset, an verò nihilominus eum denuntiare possit & interim ipsum Ecclesiasticis beneficiis priuare.

Ad hoc Resp. Innoc. III. Cùm excommunicatio executionem secum trahat & excommunicatus per denũtiationem plùs non ligetur, ideò excommunicatus, non obstante appellatione sua, denuntiari potest, vt ab aliis vitetur. Insuper Ecclesiastici reditus meritò subtrahuntur illi, cui Ecclesiæ communicatio interdicta est.

Svmmarivm.

1. *Appellatio causam non omnino subtrahit jurisdictioni judicis à quo, sed suspendit & quasi dormire facit.*
2. *Excommunicatio lata ab homine non suspenditur per appellationem.*
3. *Appellatio interposita ante latam excommunicationem aliámue censuram parit effectum suspensiuum, nec valida est censura, nisi appellatio manifestè frivola sit.*
4. *In dubio an frivola sit appellatio, si judex eam pro frivola habens appellantem excommunicet, ille autem in appellatione persistat, excommunicatio nihilominus secundùm se statim valet, aut non valet, quoad nos verò pendet à secutura sententia judicis de appellatione.*
5. *Si in hoc dubio interim appellans celebret bona fide, non est irregularis.*

6. *Iudex qui hominem excommunicauit post appellationem intra decendium interpositam, potest eundem denuntiare.*
7. *Excommunicato in excommunicatione persistenti fructus beneficiorum subtrahendi sunt.*
8. *Excommunicatio virtualiter in se continet suspensionem ab officio, & beneficio, saltem quoad forum externum.*

1 NOt. I. Appellatio causam non omnino subtrahit iurisdictioni Iudicis à Quo, sed suspendit & quasi dormire facit, quia in certis casibus ad eum reuerti & resuscitari potest. *c. Si à Iudice. 10. h. t. in 6.*

2 Not. II. Excommunicatio lata ab homine non suspenditur per appellationem, quia excommunicatio & omnis propriè dicta censura executionem latæ sententiæ secum trahit, vti docui in *c. Ad hæc. 37. h. tit.*

3 Not. III. Appellatio interposita ante latam excommunicationem aliámue censuram parit effectum suspensiuum, ita vt censura postea lata non valeat. *c. Ad præsentiam. h. t.* Vbi exceptionem attuli, nisi appellatio manifestè friuola sit, tum Iudicem procedere posse ad contumacem excommunicandum.

4 Sed quid si dubiũ sit, friuolàne appellatio censeri debeat, quia Iudex pro friuola eam habens, ideò hominem excommunicat, ipse autem in appellatione sua persistit, estne interim excommunicatus & irregularis si celebret, donec Iudex ad quem causam definiat.

Ad 1. quæsitum. Resp. Cum *gl. hîc. verb. excommunicatio secum.* Quòd excommunicatio quo ad se statim aut valet aut non valet, sicuti expressit *gl. in c. Venerabilibus. 7. de sent. excom. in 6. verb. appellatum.* at verò quoad nos incertum est & pendens à futuro eventu, si enim Iudex ad quem judicauit appellationem fuisse friuolã, apparebit excommunicationem fuisse validam, sin autem appellationem probabilem seu rationabilem judicauit, apparebit, excommunicationem irritam fuisse.

Corollarium. Si Iudex post interpositam appellationem tanquam ea friuola sit, hominem excommunicauit, non debet denuntiatio eius fieri in casu isto, quo rationabiliter dubitatur, num excommunicatio valeat, nec ne; quandoquidem secundùm Canones à fidelibus vitari aliquis non debet, nisi constet aliquem excommuunicatum esse, in proposito autem casu res dubia est, vt ponimus, ergo &c.

Verùm per accidens & propter scandalum, ne fideles superioris sui præceptum contemnere videantur, in publico vitare debebunt, saltem donec superior, ad quem appellatum, appellationem receperit, & hoc ipso causam dubiam judicârit.

Ad alterum Resp. Si talis interim bona 5
fide celebret, non est irregularis censendus, tametsi Iudex ad quem postea judicauerit appellationem friuolam fuisse & excommunicationem valuisse, ita *Nauarr. in man. c. 23. n. 104. Anila de censur. p. 2. c. 5. D. 5. d. 12. gloss. in c. solet. verb. in officiis. de sent. excomm. in 6.* Nam irregularitas hæc censetur veluti pœna, cùm prouenire debeat ex peccato, videlicet illicita celebratione, seu censuræ violatione, cùm itaque homo ille non peccârit celebrando, non potest censeri irregularis, quod verò *gloss. hîc verb. secum trahit*, exinde infert, si eiusmodi homini interim conferatur beneficium, collationem validam fore, tametsi Iudex postea definiat excommunicatum fuisse. Hoc dictum reprobari debet, teste *Imol. hîc. n. 7.* & docui *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 7.* Quia licet talis collatio irrita non sit, tanquam facta irregulari, irrita tamen est, tanquam facta excommunicato, etenim discrimen est inter irregularitatem & collationem beneficii, quòd irregularitas ista ex culpa pendeat, at verò vis collationis pendeat ex facto secundùm se, quia excommunicatus etsi ignoret se excommunicatum, beneficii incapax est.

Id denique addo; quod attinet ad irregularitatem, discrimen esse, num appellatio antecesserit censuram, an secuta sit: nam in primo casu præsumptio est pro appellante, *argument. c. dilectis. 15. h. t.* Et ideò si

celebret

celebret post latam censuram, in dubio censeri potest bona fide celebrâsse, ideóque non irregularis; at verò in posteriore casu, si videlicet post latam censuram appellet, præsumptio est contra eum propter Iudicis sententiam, & ideò si Iudex ad quem contra illum pronuntiauerit, censeri debet irregularis. Quamuis in foro conscientiæ reuera non sit irregularis, si bona fide processit, sicuti & vice versa in priore casu, si mala fide & friuolè ante latam censuram appellârat, postea celebrando irregularitatem reipsa contrahit, licet in foro externo, si mala eius fides non appareat, pro irregulari non habeatur, sicut Auila loco citato notauit.

6 Not. IV. Judex, qui hominem excommunicauit, non obstante appellatione postea intra 10. dies secutâ, eundem denuntiare potest, ratio datur in textu; quia Iudex hominem denuntiando plus non ligat, sed jam ligatum ostendit ac promulgat.

Hâc consideratâ ratione *Nauarr. in c. Cùm contingat. de rescript. remed. 6. n. 8.* valde probabiliter docet post Extrauagant. Constantiens. hodie semper appellari posse ab excommunicatione (ea dempta quæ ob sacrilegam Clerici percussionem incursa est) ad eum finem, vt Iudex à denuntiatione abstinere debeat, si appellans causam non friuolam afferat, sed talem, quæ si probata sit, legitima censeatur. Ratio est, quia per denuntiationem nouum excommunicato grauamen & ligamen infertur, vt videlicet ab aliis vitandus sit, quamuis hanc exceptionem non admittat *Suar. de censur. D. 3. in fine.*

7 Not. V. Excommunicato, dum in excommunicatione persistit, fructus beneficiorum subtrahendi sunt; nam fructus dantur propter officium, cùm itaque excommunicato officium suum interdictum sit, consequens est, vt etiam fructus eidem auferendi sint. Accedit quòd Ecclesia eum fructibus beneficiorum suorum dignum non judicat, quem à communione sua excludit.

8 Exinde collige, quòd excommunicatio virtualiter in se contineat suspensionem non tantùm ab officio, sed etiam à beneficiis, saltem quoad externum forum; num autem in conscientiæ foro excommunicatus ante Iudicis sententiam fructus beneficiorum restituere teneatur, dixi *lib. 1. tract. 5. p. 2. q. 2.*

CAPITULUM LIV.

Sollicitudinem.

PARAPHRASIS.

Cùm duo Diœcesani coram Episcopo suo contenderent, vnus eorum ad Papam appellauit, sed Episcopus appellationem friuolam censens, nihilominus procedere voluit, & renitentem, tanquam contumax sit, excommunicauit, is postea à Metropolitano petiit justitiam sibi administrari, atque in eum statum causam reduci, in quo erat tempore appellationis, videlicet denuntiare se ab excommunicatione liberum; interim verò protestatus fuit, quòd per hoc appellationi suæ quam ad Pontificem interposuerat, renuntiare non intenderet, sed eam prosequi vellet.

Circa hunc casum quæsitum est ex Innoc. III. num Metropolitanus de hac querela ad se delata cognoscere possit; deinde si in hoc casu Episcopus appellauerit, ne contra ipsum sententia & denuntiatio feratur, num appellationi Metropolitanus deferre debeat.

Resp. Pontifex, quòd Metropolitanus de excommunicatione validáne sit, an irrita, cognoscere non possit, cùm id pendeat ex causa appellationis, eique connexum sit, quare sicuti de ipsa causa appellationis ad Pontificem interposita intromittere se non potest, ita nec de connexis, quòd si itaque Metropolitanus in hoc casu cognoscere aggrediatur, Episcopus appellare potest. Horum ratio est, quia eiusdem Iudicis officium est, attentata reuocare, qui de causa appellationis

cognoscere debet. Verùm si notorium esset, quòd Episcopi mandatum indiscretum fuerit aut iniustum, cui proinde subditus obedire non teneretur, consequenter etiam liqueat subditum legitimè appellâsse, tunc Archi-Episcopus authoritate Metropolitana declarare potest Episcopum irrationabiliter processisse ad excommunicandum; alioquin verò si Diœcesanus, qui ad Pontificem appellauerat contra Episcopum, postea ad Metropolitanum accedat, vt de causa cognoscat, hoc casu non prohibetur Metropolitanus cognoscere, eò quòd Diœcesanus priori appellationi suæ tacitè renuntiârit. Cæterùm si in hoc ipso casu, verbo, aut facto protestetur, se nihilominus appellationem illam ad Papam prosecuturum, tunc tanquam aduersantia petens & sibi ipsi contrarius, audiri non debet.

SVMMARIVM.

1. *Contra illegitimè & friuolè appellantem etiam absentem & non ampliùs citatum, potest procedere judex à quo, vsque ad definitiuam sententiam, & si contumax sit; ad excommunicationem.*
2. *Arbitrans se nulliter excommunicatum, potest petere vt declaretur, se à censura liberum esse.*
3. *Cognitio de attentatis, an ea reuocanda sint, pertinet ad judicem appellationis. Nisi notorium sit post appellationem aliquid indebitè esse attentatum.*
4. *Mandatum notoriè iniurium subdito ab Episcopo impositum, Metropolitanus per modum querelæ aditus reuocare potest.*
5. *Si appellans ad superiorem, comparet coram inferiore judice, appellationi renuntiare censetur.*
6. *Appellatio à judice à quo approbata, vel ab aduersario acceptata, deuoluta judicatur ad curiam, nec ab ea recedere licet.*
7. *Protestatio impedit, quo minus aliquis censeatur renuntiare juri suo.*
8. *Protestatio prodest, si actus qui geritur duobus modis intelligibilis est, sin ad vnum determinatus, tunc facto contraria est, & nihil prodest.*

NOT. I. Appellatio illegitima ac friuola non defendit appellantem, quo minùs Judex à quo procedere possit vsque ad sententiam definitiuam, etiam absente & non ampliùs citato appellante. *juxta. c. 2. de dolo. in 6.* vbi docui notando 2. vel ad excommunicationem ferendam aduersùs appellantem, quod Iudici citanti aut præcipienti parere nolit, vt hîc dicitur. 1

Not. II. Qui arbitratur excommunicationem contra se latam, irritam esse, is petere potest, vt hoc ipsum declaretur, se immunem ac liberum esse à vinculo censuræ. Ita ex *Bald. notant. hîc Abb. Franc. & Alex. not.* 2. quòd reputatus excommunicatus, aut criminosus possit adire Iudicem, ac petere; vt declaretur non esse talis. 2

Not. III. Cognoscere per viam attentati, seu num attentata post appellationem, reuocanda sint, pertinet ad Iudicem appellationis: nam qui de principali cognoscit, is etiam de accessorio seu connexo cognoscere debet, atqui causa attentati reuocandi est accessoria & connexa causæ appellationis; quippe ex eo dependens num legitima ac friuola appellatio fuerit, ergo ad eundem Iudicem pertinet cognoscere de justitia appellationis & attentatorum reuocatione. 3

Excipe. Si notorium sit post appellationem aliquid indebitè contra juris ordinem attentatum esse, tum ipsemet Iudex, qui malè attentauit, v. g. excommunicando innocenter, sententiam reuocare deberet. *argum. c. Cùm teneam. 17. & 6. Cum cessante. 60. h. t.* Et similiter Metropolitanus per modum querelæ aditus, vt mox dicam, & sumitur ex hoc *c. verb. si verò.* & tradit *gl. hic.*

Not. IV. Si Episcopus subdito mandatum notoriè iniurium imponat, tum Archi-Episcopus seu Metropolitanus per modum querelæ aditus, illud reuocare potest, seu declarare, hominem eo mandato non teneri. 4

Ita

Ita *Abb. hic n. 3. Franc. not. 4. gloss. in c. Pastoralis. 11. verb. exceptis. de officio Ordinarij*; nam Archiepiscopus est Iudex ordinarius Episcopi, ideóque eum cohibere debet, si aliquem iniustè vexet.

5 Not. V. Qui à sententia appellauit, appellationi non tantùm renuntiare videtur, si se subiiciat iurisdictioni Iudicis à quo, *c. Gratum. 20. de off. deleg.* sed etiam si compareat, coram superiore Iudicis à quo, qui sit inferior Iudice ad quem, vt in casu huius Capituli; si enim aliquis actum contrarium seu incompatibilem alteri priori actui exerceat, tunc eum revocare seu ipsi renuntiare censetur. Sed cum appellatione ad Papam consistere non potest, vt inferior videlicet Metropolitanus causam appellationis cognoscat, ergo si is, qui ab Episcopo ad Papam appellauerat, postea Episcopi mediatum Superiorem, videlicet Metropolitanum adeat, vt eandem causam cognoscat, is priorem appellationem deserere eique renuntiare censetur.

6 Cæterùm, si appellatio à Iudice, à quo appellatum, approbata sit, vel ab aduersario acceptata, tunc ad Curiam deuoluta censetur, vt appellans recedere non possit, alioquin in expensas condemnandus est. *cap. Nicolao. 64. hoc tit.*

7 Not. VI. Protestatio impedit, quo minùs aliquis censeatur renuntiare juri suo *l. si debitor. 4. quibus modis pig. vbi gloss. noua ait*, quòd creditor consentiens pignus vendi, salvo jure suo, jus pignoris non amittit. *& Innoc. in c. Cum M. n. 1. de constitut.* ait: tunc protestationem prodesse, si actus, qui geritur, duobus modis intelligi possit, vt in exemplo priùs allato; sin autem actus ad vnum determinatus sit, tunc protestatio contraria repugnat actui & dicitur facto contraria,

8 ideóque nihil prodest. Tum verò distinguendum est; vel actus substantiam suam jam habet ex proprio obiecto, hoc casu protestatio contraria ei superveniens omninò inutilis censeri debet, & pro non apposita haberi; vt si quis viro honesto alapam infligendo dicat, se non iniuriæ causâ agere, is verò iniuriam infert. *l. Si quis conuitij, 5 C. de iniuriis.* Cùm alapa voluntariè inflicta, viro honesto & innocenti, ex obiecto suo substantiam iniuriæ habeat, quæ per protestationem contrariam auferri non potest, vel actus nondum habet substantiam ex obiecto, sed pendet ex libera voluntate, tunc per contrariam voluntatem seu protestationem impeditur ac tollitur, exemplum habes in hoc cap. actum suo juri contrarium agendo censetur aliquis renuntiare juri, sicuti suprà dictum. & tradit *gloss. in l. 1. C. de furt.* sin autem aliquis talem actum agendo, nihilominus jus suum retinere velit, tunc tanquam contraria dicens repelli debet, vt hîc *& in cit. l. 1.*

CAPITVLVM LV.

Dilectis.

Paraphrasis.

Presbyter alicuius Ecclesiæ Altisiodorensis Diœcesis, aliqua furtiuè ex Ecclesia subtraxerat, quæ cùm restituere recusaret, Episcopus eum excommunicauit: dicebat enim plenam jurisdictionem super ea Ecclesia ad se pertinere, sed Decanus asserens Ecclesiam illam & Presbyterum suæ jurisdictionis esse, petiit Presbyterum sibi exhiberi & restitui, tunc Episcopus veritus, ne quid piam attentaret, se & suos & statum Ecclesiæ ac ciuitatis Metropolitani protectioni subiecit. Sed Decanus posthabita appellatione interdictū promulgauit, vt Episcopo præsente in Ecclesia Altisiodorensi à diuinis officiis cessaretur. Postea verò cùm ad diem præfixum partes comparuissent, coram Officiali Curiæ Metropolitanæ, ad quem appellatum erat, Decanus allegauit, ideò se appellationi ab Episcopo interpositæ nō detulisse, quia Presbyter adhuc in vinculis detinebatur, nihilominus Officialis sententiam tulit, irritum fuisse interdictū, quod Decanus promulgauit post appellationem Episcopi.

His relatis Innoc. III. respondet. Quandoquidem Episcopus plures modos expres-

ſerat, quibus Decano propter capturam Presbyteri juſtitiam exhibere vellet, non potuiſſe Decanum interdictum promulgare, & ideò pro irrito & inani habendum eſſe, non obſtante, quòd Decanus in ea re varius, dicat, ſe interdictum promulgâſſe, antequam Epiſcopus appellârit, & ſe eiuſdem interdicti ſententiam ad tempus ſuſpendiſſe, ſiquidem pendente appellatione, non poterat Decanus procedere ad executionem ſententiæ.

Inſuper verò proceſſum Officialis adversùs Decanum ipſe Papa temerarium decernit, propterea quòd Decanus priùs ad Pontificem appellauerit; notum autem ſit, poſt appellationem nihil eſſe nouandum; quòd verò Epiſcopus Decanum, cùm interdictum tollere nollet, excommunicârit, id prima facie rectè factum videri poteſt, quia Officialis prohibuerat, ne interdictum ſeruaretur, Decanus verò hoc ipſum præcipiendo Diuina officia perturbabat. Verùm quia dicta excommunicatio prolata eſt poſt appellationem à Decano interpoſitam ad Papam, cui etiam Officialis deferebat, Apoſtolos dando, ideò non tantùm negotium principale, ſed etiam acceſſoria ad Apoſtolicam Sedem devoluta fuerunt, conſequenter excommunicatio ſecuta viribus caret.

Vlteriùs tametſi Metropolitanus Decanum non obſtante eius ad Sedem Apoſtolicam appellatione evitandum denuntiaret, propter excommunicationem ipſi à ſuo Epiſcopo inflictam, tamen Canonici Senenſes eidem rectè communicârunt, quippe ſaniore conſilio ducti, vt potiùs appellationi ad Pontificem delatæ, quàm denuntiationi Metropolitani ſe conformarent.

SVMMARIVM.

1. *Clericus ab Eccleſiaſtico judice incarcerari poteſt, & torqueri, ſi agatur de crimine eius, etiam ciuiliter tantùm.*
2. *Idem ſubiectus Epiſcopo, ex conſuetudine aut priuilegio in certa parte diœceſis juriſdictionem obtinere poteſt, excluſo Epiſcopo.*
3. *Magiſtratus repetere poteſt ſubditum ab alio iniuſtè detentum.*
4. *Epiſcopus à ſubdito ſuo grauatus extraiudicialiter pronocare poteſt ad Metropolitanum.*
5. *Limitatur.*
6. *Interdictum ferri poteſt ſub modo aut conditione certa.*
7. *Excommunicatus, poſt legitimam appellationem, non eſt vitandus.*

NOt. I. Clericus ab Eccleſiaſtico Iudice incarcerari poteſt, ſi agatur de crimine eius etiam ciuiliter tantùm ad rei ſubtractæ aut damni iniuſtè illati reſtitutionem. *c. Si Clericus. 15. de ſent. excommun. 6.* ſed & torqueri in tali caſu poſſe Clericum habetur *in c. 1. de depoſito.* & videri poteſt *Alexander hîc. not. 1.* 1

Not. II. Clericus ſubiectus Epiſcopo, ex conſuetudine, aut priuilegio in certa parte Diœceſis juriſdictionem obtinere poteſt, etiam excluſo Epiſcopo, ita vt is ordinariè ſe immiſcere non debeat, ſed tantùm ob defectum, aut negligentiam inferioris eius Clerici, v.g. Archidiaconi, aut Decani. *c. Irrefragabili. 13. de off. Ordin.* & tradit hîc *Franc. not. 4. Alex. not. 3.* & docui *de juriſdict. ordin. concl. 77.* 2

Not. III. Magiſtratus repetere poteſt ſubditum, ſi ab alio iniuſtè, aut præter Iuris ordinem detineatur, quia ipſius intereſt partim, ne juriſdictio eius violetur, partim quia ſubdito indiget ad præſtanda debita munera. *arg. l. De jure. 37. ff. ad municipal.* vbi ciuitas vendicat ſibi ciuem ſuum ad munera obeunda, & Archidiaconus *in c. Authoritate. 4. de priuileg. in 6.* ait: quòd Dominus agere poteſt, ne ſubditi eius moleſtentur, quandoquidem ipſe obligatus eſt ad defendendum eos ab omni vi iniuſta. *arg. huius cap.* vbi videmus Epiſcopum pro ſe & omnibus Ciuitatis incolis appellâſſe, ne per interdicti ſententiam turbentur. Addit verò *Gloſſ. in cit. c. authent. verb. pertinent. Innocent. hic. verb. Ciuitatis*, quòd Domino actio de dolo 3

dolo vel interdictum vtile (vti possidetis) cõpetit, si aliquis colonum eius in possessione turbet, eíve molestus sit, quia interest Domini, vt colonus in fundo quietus manere sinatur. Cæterùm de furto si quid ipsi colono subtractum sit, Dominum agere posse, cùm eius non interfit, sed nec de iniuria, nisi facta sit contemplatione ipsius Domini.

Adde his, quòd arrestationes subditorum propter qualemcunque obligationem Dominorum valdè odiosæ censeantur, vt in imperio mox mandata etiam sine clausula justificatoria ad liberationem decernantur, sicuti videre est apud *Guil. de pignorationibus & arrestationibus.*

4 Not. IV. Si Episcopus à subdito suo grauetur, extraiudicialiter provocare potest ad Metropolitanum, ita *Abb. hîc. not. 5.*

5 Verùm cùm id alibi expressum non reperiatur, & sit contra Regulas communis juris, in quibus habetur: Si Episcopus contra Clericum suum litem habeat, vt coram arbitris, vel si causa criminalis sit, in Concilio Prouinciali transigatur, sicuti docui de jurisdictione *Ordinar. concl. 80.* ideò hoc notandum videtur generaliter accipiendum, sed prout ex textu nostro colligitur, videlicet si Clericus statum Ecclesiæ Cathedralis seu communitatem Diœcesanorum infestare conetur, quia ad bonum ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ pertinet, vt in tali casu, in quo periculum in mora est (si ad Pontificem pro remedio accurri statim non possit, neq; exspectari, donec Synodus Prouincialis habeatur) Archiepiscopus remedium mox adhibeat.

6 Not. V. Interdictum ferri potest sub modo aut conditione certa, videlicet si & quamdiu author sceleris est in ciuitate, similiter & suspẽsio ferri potest. v.g. donec Reus satisfecerit, postea verò si satisfactum sit, per se cessat censura secundùm *gl. in Clem. 1. verb. donec de decim.* in quo differunt hæ censuræ ab excommunicatione, quæ non potest absolutè ac totaliter ferri, & non nisi per absolutionem tolli.

7 Not. VI. Qui post legitimam appellationem excommunicatus est, à fidelibus vitari nõ debet, sed in dubio num appellatio fuerit legitima an friuola, parendum videtur Prælato denuntianti excommunicatum, saltem donec Superior *ad quem* appellationem admiserit. *arg. c. 2. de sent. excomm. in 6.*

CAPITVLVM LVI.

Vt nostrum.

PARAPHRASIS.

Cùm Cancellaria Ecclesiæ Mediolanensis tanto tempore vacâsset, vt ad Sedem Apostolicam eius collatio devoluta videretur, Innoc. III. mandauit Archiepiscopo vt Hannibali Cancellariam conferret, sed Archiepiscopus diversa rescribens, alterâ vice respõdit, se 10. mensibus priùs quàm Bullam Pontif. acceperat, collationem fecisse Henrico, tum Pontifex jussit, vt Henricum, cui collatio facta referebatur, cum testibus &c. ad jus suum prosequendum Romam mitteret, sed Archiepiscopus nõ obstante hoc mandato, dicto Henrico sigillum Cancellariæ contulit. His intellectis Innocentius mandat quibusdam delegatis; si ita se rem habere cognouerint, quòd videlicet sigillum traditum sit, postquã Papa totius negotij cognitionem ad se avocauerat, traditionem irritã decernant, prohibentes Henrico, ne sigillo vnquam vti præsumat, quia plus aliquid est, Papam ad se causam avocare, quàm ad ipsum super causa appellari. Casum huius cap. reperies *inf. in c. 1. Vt Ecclesiastica beneficia &c.* secundùm integram eius lectionem, adiunctâ Glosâ.

SVMMARIVM.

1. *Superiore judice causam avocante à judice inferiore, huius in ea causa acta post auocationem ipso jure irrita sunt.*
2. *Superior potestas ab inferiore causam auocare potest, si hæc ab illa jurisdictionem accepit.*
3. *Auocatio causæ magis impedit jurisdictionem judicis à quo, quàm appellatio.*

4. *In*

4. *In dubio non præsumitur nec vim habet priusquam innotescat judici, à quo fit impetratio ad impetrationem partis, secus si auocatio facta est motu proprio Principis.*
5. *Appellatio interposita non impedit effectum consecutiuum seu connexum.*
6. *Ante possessionem traditam, Papâ causam ad se avocante, possessionis vsus inhiberi potest, non item lite pendente, vel interpositâ appellatione.*

1 NOt. I. Postquam Superior causam aliquam ad se avocauit, manus Iudicis *à quo*, veluti ligatæ & impeditæ sunt in ea causa, ita vt quidquid decreuerit, aut egerit, ipso jure irritum sit. *l. Iudicium. 58. ff. de Iudiciis.*

2 De hac avocatione bonam Regulam tradit hîc *Alex. n. 7.* quòd potestas Superior tunc causam avocare possit ab inferiore, si jurisdictionem ab eo accepit: nam qui alteri eam concessit, sibi ipsi ampliorem & vberiorem reseruauit; sin autem Iudex inferior, aut minùs dignus jurisdictionem non accepit à digniore, avocationi locus non est, exempli causa, Magistratus Ciuicus non potest causas avocare à Rectoribus Zunfftmeister opificiorum, cùm ij jurisdictionem non à Magistratu, sed à Cæsare habeant. *l. vlt. C. de jurisdict. omn. jud.*

At verò Episcopus causam quamlibet à Vicario avocare potest, ad suam cognitionem; cùm enim Vicario omnem potestatem arbitratu suo, seu ad nutum auferre, siue remouere ipsum possit. *Clem. 2. iuncta gl. verb. electionem, de rescriptis.* poterit etiam causam quamlibet ab eius jurisdictione subtrahere, teste *Abbate hîc n. 2.*

3 Not. II. Avocatio causæ magis impedit jurisdictionem Iudicis *à quo*, quàm appellatio: quia avocatio causæ consistit in facto procedente ex mera facultate Superioris, ita vt de ratione avocationis quærendum non sit, cùm sufficiat avocantis voluntas; at verò appellatio consistit in jure, ita vt si friuola seu irrationabilis sit, Iudicis jurisdictionem & processum impedire non possit. *cap. Cum appellationibus. 5. h. t. in 6.*

Porrò avocatio causæ odiosa censetur, & 4
in dubio non præsumitur teste, *Innoc. c. Cum M. in fine de constitut.* nec vim suam priùs obtinet, quàm innotescat ei, à quo fit avocatio ad impetrationem partis, tamen sine clausula decreti irritantis; secus; si facta est avocatio motu proprio Principis, vti docet *Franc. hîc. q. 1.*

Præterea appellatio interposita non im- 5
pedit effectum consecutivum seu connexũ. *arg. c. Constitutis. 46. & c. Pastoralis. 53. §. Verum. h. t.* ex quo colligit *Abb. n. 4.* quòd non obstante appellatione facta post collationem beneficij, possessio eius tradi possit, at verò avocatio causæ omnimodam inhibitionem continet, vt in ea causa seu negotio vlteriùs procedi nequaquam possit.

Not. III. Licet pendente lite vel appella- 6
tione nõ prohibeatur aliquis, vti possessione sua. *c. 1. vt lite pendente*, tamen si Pontifex ante possessionem traditam ad se causam seu litem avocauerat, tum possessionis vsus inhiberi potest. Ita *Innoc. hîc. & Franc. col. 3. verb. in eadem glosâ.* Enim verò in nostro casu Cancellariæ possessio tradebatur per sigillum; quia per id Cancellarius officium suum exercere poterat, eóque sibi adempto, aut prohibito, non poterat.

CAPITVLVM LVII.

Oblatæ.

Paraphrasis.

Inter duas communitates S. & R. motam controuersiam Pontifex quibusdam Iudicibus delegauit. cùm autem Iudices pro plebe S. sententiam tulissent, Procurator plebis R. ad Papam appellauit, nullo designato termino, sed nec Iudices terminum definierunt, nec appellationi detulerunt, tunc Parochus plebis S. literas à Sede Apostolica impetrauit, quibus mandabatur, vt sententia, sicut rationabiliter lata esset, ita etiam obseruaretur. Verùm & altera pars postea alias literas impetrauit ad alios Iudices, vt eadem illa sententia infirmaretur, nullâ tamen priorum

rum literarum factâ mentione. Vnde dubium ortum fuit, priorésne Iudices, an posteriores de causa cognoscere debeant; Resp. Innoc. III. Tametsi legitimè appellanti indulgeatur à Lege annus, & ex causa bienniũ, ad prosequendam appellationem; quia tamen is terminus tum à Iudice, tum à parte restringi, nõ autem prorogari potest, ideò distinguendum, si enim terminus appellationi prosequẽdæ præfixus sit, atq; eo tacito is, cõtra quem appellatum, literas impetrârit, nullius momẽti erunt; sin autem præfixus non sit, tum is, contra quem appellatum, intra legalem anni terminũ impetrare potest literas super appellationis causâ, dummodò non nimis præveniat, vt adversarium supplantare videatur. Et ita quidẽ impetrare potest, vt appellans, si appellationẽ prosequi velit coram Iudice delegato impetrato, nisi eum recusare possit, agere cogatur. Quòd si appellans nolit, nihilominus appellatus causã prosequi poterit, præsertim si ex dilatione periculum ipsi generetur, sed & superior si animadvertat periculũ imminere ex dilatione, dum neuter litigãtium appellationem prosequitur, ipsemet potest & debet occurrere. v.g. in casu si à sententia lata super confirmatione electi provocatum sit, & vtraque pars litem differre velit vsque ad annum, tum Iudex ad quem appellatum, ne Christi grex diu Pastore careat, debitum partibus terminum præfigere potest. Ex his ait Innoc. colligi posse responsionem ad interrogata, nimirum per literas posteriores prioribus legitimè impetratis non derogari, sed per eos ad confirmandam priùs latam sententiam rationabiliter procedi posse.

SVMMARIVM.

1. *Terminus prosequendæ & finiendæ appellationis est anni spatium, & ex causa biennium, quod prorogari non potest, restringi tamen à judice à quo vel appellante potest.*
2. *Terminum ab homine præfixum si altera pars præueniat impetrando literas, nulla facta mentione termini, literæ nihil valent.*
3. *Quid juris sit, si terminus nullus sit ab homine præfixus, circa literarum impetrationem, super causa appellationis cognoscenda.*

SErmo hîc est de tempore prosequẽdæ & finiendæ appellationis, de quo *sup. in c. 5. h.t. & in Clem. sicuti eodem titulo.* vbi generalis regula traditur terminum istum esse anni spatium & ex causa biennium. 1

Hoc spatium temporis nec Iudex à quo, nec appellans prorogare possunt, quamvis restringere possint breuiorẽ terminum statuendo. Et hoc casu, ante terminũ, nulla facta mentione termini, pars non potest impetrare, vt causa appellationis committatur. 2

Sin autem nullus terminus præfixus, tunc distingui debet inter appellantem: nam ille toto anni tempore literas impetrare potest supèr causa appellationis cognoscẽda, at verò appellatus non potest nimis prævenire appellãtem, sed tempus congruũ secundùm boni viri arbitriũ exspectare cogitur, in quo appellans paratus esse possit ad causam prosequendam, tunc cogitur saltem prope finẽ anni seu ad vndecimum anni mensem elapsum citatus comparere, teste *Alex. hic n. 10.* Quòd si verò appellans legitimè citatus non compareat, etiam ipso absente petere potest appellatus, vt causa secundùm commissionis literas definiatur, vt hîc significatur, & in authentica *Et qui. c. De temporibus appell.* Sin autem neuter causam intra annum prosequatur, tum neque Iudex *ad quem* se immiscere aut partes compellere debet, præterquam si periculum Reipublicæ timeatur, v. g. vt Ecclesia diu pastore carere debeat. 3

CAPITVLVM LVIII.

Per tuas.

PARAPHRASIS.

Quæsitum erat ex Innoc. III. si post latam sententiam, aut saltem post testium publicationem appellatum sit ad Sedem Apostolicam, atque inde causa delegata Iudicibus, accidat verò, vt pars altera coram his delegatis comparere recuset, an nihilominus causam definire possint.

Respondet Papa, Quandoquidem lis super eadem causa coram Iudice *à quo*, legitimè contestata fuit, ideò Iudices delegatos si de meritis causæ ipsis constet, eam sententialiter definire posse, etiam absente eo, qui conuenitur, quippe cùm se contumaciter absentet.

SVMMARIVM.

1. *Effectus litis contestatæ etiam ad causam appellationis extenditur.*
2. *Lite in prima instantia contestata, si altera pars contumaciter in causa appellationis absens sit, Iudex appellationis procedere potest ad sententiam definitiuam.*
3. *In casu, quo nullus ab homine terminus est præfixus, vel ab appellante acceptatus, pars citari debet.*
4. *Cui parti in causa appellationis, onus probandi incumbat.*

1 NOt. I. Effectus litis contestatæ non extinguitur per sententiam definitiuam; quominùs etiam ad causam appellationis se extendere possit, quamobrem exceptiones dilatoriæ, quæ post litem contestatam in prima instantia opponi nõ possunt, nec in causa appellationis possunt. *l. Ita demum. 13. C. de procuratoribus.*

2 Not. II. Si lis in prima instantia contestata sit, & pars conuenta in causa appellationis contumaciter se absentet, Iudex appellationis procedere potest ad sententiam definitiuam. Nec enim obstat titulus huius libri, vt lite non contestata &c. quia vt iam dixi, litis contestatio in prima instantia facta effectum porrigere potest ad causam appellationis.

Veruntamen si vtraque pars præsens sit, litis contestationem denuo faciendam esse ait *gl recepta in c. Rainald. 18. verb. contestata de testament. Alb h. n. 2.*

3 Notand. III. Si nullus terminus à Iudice constituitus, vel ab appellante determinatus & ab appellato acceptatus sit, tunc reus conueniendus citari debet, vt in contumacia constitui, & contra eum absentem procedi possit, ita tamen vt Iudex pro absente suppleat, quæ juris pro ipso sunt. *l. Ampliorem. 37. C. hoc tit.*

Quærit hîc *Abb. n. 6. Alex. n. 28.* cui parti 4
in causa appellationis onus probandi incumbat. Resp. Quod attinet ad præparatoria, Iudicij appellans probare debet se appellâsse tempore legitimo, videlicet intra decendium à sententia lata, aut grauamine illato; similiter & procurator probare debet mandatum suum, & cauere de rato. Quòd verò attinet ad processum: si pars altera aliquid omissum esse dicat, v.g. citationem, causæ cognitionem, tum id ex actorum inspectione probare debet, *l. 2. C. de edendo*, quod denique ad merita causæ principalis attinet, is, qui in prima instantia judicii probationes facere debuit, idem quoque in secunda, seu appellationis instantia debet, seu de nouo, seu ex prioribus actis probationes producere, videri potest *Bart. in l. Hi qui. 7. C. de appellat.*

CAPITVLVM LIX.

Vt debitus.

PARAPHRASIS.

Innocentius III. in Concilio Lateranensi c. 35. definiit, vt Iudicibus honor debitus deferatur, & litigantibus laboribus & expensis minuendis consulatur. Si quis coram idoneo Iudice aduersarium conuenit, quod appellatio ante definitiuam sententiam fieri non possit, nisi rationabili allata causâ: sed processus Iudicis permitti debeat, non obstante, si quis dicat se ad Superiorem destinâsse nuntiũ, aut impetrâsse litteras præterquam si delegato traditæ sint, sin autem causa appellationis probabilis coram Iudice exposita sit, talis videlicet, quæ si probata fuerit, legitima reputari debet, tunc Superior ad quem, de appellatione cognoscet. Qui si appellantem rationabiliter non appellasse cognôrit, ipsum ad Iudicem à quo remittet, & in expensis condemnabit, alioquin ipsemet in causa procedet, saluis tamen constitutionibus, quæ sunt de causis maioribus ad Apostolicam sedem deferendis.

SVM-

SVMMARIVM.

1. *Expedit contrahi licentiam appellandi.*
2. *Appellatio ab interlocutoria non valet, nisi expressa causa probabili.*
3. *In rescriptis ad lites ratio habetur temporis præsentationis eorum.*
4. *Literæ secundæ prævalent prioribus non præsentatis, etsi illæ harum nullam mentionem faciant.*
5. *Appellatione ab interlocutoria instituta, Iudex ad quem principalem causam definire potest.*
6. *In causis maioribus semper appellari potest ad Papam, nulla etiam expressâ causâ.*

1 NOt. I. Expedit vt appellandi licentia nonnihil contrahatur, partim vt Iudicibus honor debitus tribuatur, partim vt labores & expensæ litigantium minuantur.

2 Not. II. Appellatio ante sententiam definitiuam seu ab interlocutoria non valet, nisi expressâ causâ probabili, quæ, si probetur, legitima reputabitur, consentit *Clement. 5. h. t.*

3 Not. III. In rescriptis ad lites attendendum est tempus præsentationis eorum, ita vt ordinarius Iudex nõ impediatur, aut præueniatur per literas delegationis ab vna parte impetratas, nisi præsentatæ sint, quandoquidem fauorabilior est iurisdictio ordinaria quàm extraordinaria & delegata, secundùm *gl. receptum. in c. 1. verb. processus. de rescript. in 6.* Præterea literæ secundæ, etsi nullam mentionem faciant priorum literarum, prævalere debent prioribus non præsentatis, & ita secundùm quosdam limitari debet *cap. 3. De rescriptis*, vbi habetur: quòd literæ secundæ subreptitiæ sint, si priùs datarum mentionem non faciant: nam, vt ibi dixi, literæ posteriores non sunt irritæ ipso jure, sed ope exceptionis; talis autem excipiendi licentia non conceditur, si impetrans literas delegato non præsentârit, dummodò potuerit præsentare; sin autem legitimè impeditus fuit, imputari ipsi non debet. *Reg. 41. in 6.* & tradit *Franc. hic circa gl. 4.*

4

5 Not. IV. Si appellatio ab interlocutoria à Iudice *ad quem* justificata sit, i. e. facta cẽseatur ex causa legitima & probabili, tunc etiam principalis causa ad ipsum devoluta censetur, ita vt eam perinde ac prior Iudex, in cuius locũ veluti succedit, cognoscere & definire possit. Sin autem appellatio à Iudice *ad quem*, non justificetur, tunc appellantem in expensis condemnare debet, & causam remittere ad Iudicẽ *à quo*, præterquam si is appellationi detulerit, ideóq; jurisdictionem veluti abdicârit. *c. Appell. 5. h. t. 6.*

Not. V. In causis maioribus, seu quæ Sedi Apostolicę specialiter reseruatæ sunt, semper appellari potest ad Papam, nulla etiam expressa ratione, siquidem hæc ratio sufficit, quòd sit causa vna ex maioribus, circa quas inferiores se non immiscere debent Iudices, vide quæ dixi in *c. 4. de offic. leg.* & quę dicuntur *in c. 3. de baptism.*

CAPITULUM LX.

Cum cessante.

PARAPHRASIS.

Judex seu Ordinarius, seu Delegatus aliquid comminando aut interloquendo, partem litigantem grauauit. Quamobrem ea appellauit, sed Iudex à quo saniore vsus cõsilio à grauamine desistit. hoc casu ait Innoc. quòd in causa procedere possit perinde ac si grauamen nõ interceserit, propterea quòd cessãte causa cesset effectus, dummodò Iudex non ex alia causa legitima suspectus sit.

SVMMARIVM.

1. *Cessante causa finali adequatà cessat effectus: si duæ sint causæ eiusdem dispositionis, & vna cesset alterâ manente, consistit dispositio.*
2. *Etiam à comminatione grauaminis inferendi per jurisdictionem, appellari potest.*
3. *Enumerantur Casus, in quibus etiam post sententiam latam definitiuam judex cognoscere, aut reuocare possit.*

1 NOt. I. Cessante causa finali ac principali, cessat etiam effectus eius. Exemplũ est, hic appellatio interponitur à grauamine, vt aboleatur, si itaque Iudex à quo appella-

pellatum, cesset à grauamine, seu illud revocet, cessare debet appellatio. Consequenter Iudex in causa procedere potest. Et procedit hæc Regula, cessante causa &c. si causa, propter quam actus fit, aliúsve effectus sequitur, vnica sit, seu adæquata, sin autem duæ causæ, & vna cessante altera non cesset, tunc distinguendum, num vna sufficiat ad effectum producendum, aut sustinendum; hoc casu subsistit actus seu effectus, §. *affinitatis. instituit. de nuptiis.* vbi rubrica ait: si duæ sint rationes eiusdem dispositionis, & vna cesset, alterâ manente, consistit dispositio, an verò vna illa causa, quæ remanet, non sufficiat, tunc actus seu effectus corruit, vti docui *l. 1. tit. 4. c. 22. n. 23.*

Aduerte autem sermonem tantùm esse de appellatione à grauamine, seu interlocutoria, at verò definitiuâ sententiam Iudex ordinariè reparare, aut revocare non potest, quia siue benè, siue malè judicârit, officio functus est. *l. Iudex. ff. de sent. & rejud.*

Not. II. Non tantùm appellari potest à sententia Iudicis interlocutoria, sed etiam à comminatione grauaminis inferendi per jurisdictionem. v. g. si comminetur Iudex capturam, aut torturam.

2 His adde quòd in quibusdam casibus etiam post sententiam definitiuam latam Iudex cognoscere, aut revocare possit, quos leges apud *Bald. l. 1. C. sententiam rescindi non posse, Alexand. de Nauo. hîc n. 23.* 1. Si notoriè constet de iniustitia sententiæ, aut ex partis confessione, secundùm doctrinam *Innoc. in cap. Quia plerique, n. 3. de immunit. Ecclesiarum.* Ratio est, quia si notum est, aut in confesso, sententiam esse iniustam, non potest eius executionem petere is, pro quo lata est, sed neque ipsemet Iudex eam exequi poterit, quia iniustitiam suam magis augeret & confirmaret. Vide *c. Cùm inter. 13. de rejudic.*

2. In causis criminalibus, matrimonij, aliisque, in quibus ob peccati periculum sententia non potest transire in rem judicatam, Iudex malè à se latam sententiam retractare debet. *c. Lator. 7. c. Cõsanguinei. 9. de re judic.*

3. Sententia retractari potest per viam restitutionis in integrum. *l. Diuus. 33. ff. de re jud. c. 1. de in integrum restit. in 6.*

4. Si sententia lata sit officio Iudicis nobili, revocari eam posse, docet *Bart. in l. 1. §. vlt. ff. de pratoria stipulat. Alex. hîc. n. 45.*

CAPITVLVM LXI.

Cum speciali.

PARAPHRASIS.

Innocentius III. in Concil. Lateranensi 1. præfatur quòd jam antea in Ecclesia constitutum sit, ne quis excommunicationem in aliquem, nisi præmissa competente comminatione promulget. Verùm ne hac occasione commonitus per frustratoriam recusationem, aut appellationem declinare queat, ideò statutum hoc concedit, quòd, volens Iudicem vt suspectũ recusare, coram eodem causam suspicionis explicare debeat, postea vnà cum aduersario, vel si aduersarium non habeat cum Iudice, consensu communi, arbitros eligere; sin autem consentire non possint, tunc vna pars vnum, altera alterum arbitrum sine malitia designet, qui de causa suspicionis cognoscat: Hi arbitri si in vnam sententiam concordare non possint tertium eligant, vt quod duo ex his tribus judicârint, firmum sit, sciántque se ad hęc fideliter exequenda graui obligatione præcepti teneri. Si itaque causa suspicionis ac recusationis, coram arbitris legitimè probata non sit, Iudex suâ jurisdictione vtetur, sin autem probata, tunc Iudex ex consensu recusatoris, idoneæ personæ causam committat, vel ad Superiorem transmittat, vt is secundùm jura procedat, & definiat.

SVMMARIVM.

1. *Excommunicatio ab homine ferri non potest in aliquem, nisi præcedente canonica monitione.*
2. *Et hæc trina esse debet, vel vna, saltem vt censura sit licita.*
3. *Judex aut Prælatus Præcepta sua à comminatione censuræ non incipiat, nisi culpa aliqua vel mora satisfaciendi antecesserit, vel*

vel alia rationabilis causa id exigere videatur, quo casu præcipere potest in futurum sub pœna censuræ ipso facto incurrenda, & parere recusans in contumacia constituitur.

4. *De causa recusati judicis, non judex ipse, sed arbitri electi cognoscunt, nisi causa sit apertè frivola.*

5. *Si arbitri causam recusationis justam judicârint, quid tunc agendum judici Ordinario.*

1 NOtandum I. Excommunicatio ab homine ferri non potest in aliquem, nisi præcedente Canonica monitione. *c. Sacro. 48. de sent. excomm. c. Romana. 5. eod. in 6.* Verùm vt ex eodem *cap. Romana* colligitur, distinguere oportet inter culpam præteritam & præsentem & futuram; si enim v.g. Clericus alienam vxorem detinuerit ac detineat, excomunicari statim non potest, cùm nondum contumax & Ecclesiæ inobediens appareat, donec admoneatur, & is admonitioni parere recuset.

2 Debet autem monitio hæc Canonica esse trina, vel vna pro trina. *cap. Constitutionem. §. statutum, juncta gl. verb. vna. de sent. excomm. in 6.* saltem vt licitè feratur excommunicatio, aliáue censura, licet nihilominus valida sit, dummodò contumacia post quamcunq; admonitionē perspecta fuerit, secundùm *gl.* receptam in *cit. c. Sacro. verb. justa.* & sumitur ex eodem *cap. & citato. §. Statutum.* vbi additur: si periculum in mora sit, non esse temporum interualla concedenda, sed mox, dummodò contumacia appareat, nisi jussus aliquid facere, vel à delicto abstinere, parere velit, censuram infligi posse, de quo videri potest *Suar. de censur. D. 3. S. 9. n. 4. Sayr. in Thesaur. l. c. 12. n. 18.*

3 Si autem ita loquamur de culpa futura, tum ex *cit. c. Constitutionem.* habetur, quòd Judex, aut Prælatus cauere debeat, ne præcepta sua à comminatione censuræ statim incipiat, nisi culpa aliqua, vel mora satisfaciendi antecesserit, aliáve rationabilis causa talem præcipiendi, aut vetandi modum postulare videatur, tunc poterit præcipere, aut vetare in futurum, sub pœna excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, ipso facto incurrenda, nisi hoc factum fuerit, aut nisi id omissum; tunc verò alia monitione opus non est, quia ipsum præceptum propositū homini, concesso ei temporis termino competente, intra quod deliberare, & præceptum, si velit, implere possit, sufficienter monet, hominémque obtemperare recusantem in contumacia constituit, sicuti docuit *Suar. cit Disp. 3. s. 8. n. 5. & 10. Henriq. l. 13. c. 16. §. 3. in fin. Sayr. l. 1. thesaur. c. 12. n. 6.* Veruntamen de contumacia debet sufficienter constare, secundùm doctrinam *Navarri. in cap. Cùm contingat, c. Nullitatis. 8. n. 4.* vbi ait: si Iudex præcipiat Titio, sub excommunicatione, vt pro offensa satisfaciat intra dies octo quòd clausulam justificatoriā adijcere debeat, si te eo præcepto senseris grauatum, tunc compareas &c. secus verò dicendum, si notoriè constet præceptum justè impleri posse ac debere, tunc fieri potest cum comminatione censuræ ipso facto incurrendæ, etiam sine clausula; sed adijci solet præceptum, vt post transactum tempus aliquod compareat reus ad ostendendum se paruisse præcepto, vel si non paruit, ad videndum & audiendum se declarari incidisse in censuram.

Not. II. Si Iudex vt suspectus recusetur, non ipsemet cognoscere potest, num subsit causa recusandi, sed ad hoc cognoscendum arbitri eligendi sunt, sicuti docui in *Disp. de jurisdictione concl. 37.* Intelligi autem id debet, si causa recusationis probabilis afferatur, sin autem manifestè frivola, tum Iudex eā reijcere, & nihilominus procedere potest. Veruntamen si Iudex malè declarare videatur, recusationem frivolam esse, ab eo appellari potest. 4

Not. III. Si arbitri causam recusationis justam judicârint, tunc Iudex ordinarius (secus dicendum de delegato. *cap. Index. 6. de offic. deleg. in 6.*) litem principalem alicui, cum consensu recusatoris delegare debet, vel eundem cogere, vt in arbitros consentiat. *cap. Si quis. contra 4. de foro competente.* Vel denique si isti modi non succedant, causam ad Superiorem trāsmittere, prout *Imol.* 5

hîc docet. *n. 12.* quemadmodum monet hîc *Abb. n. 5. Alex. n. 12.* esse hunc specialem casum, in quo Archiepiscopus circa appellationem cognoscere possit de causa subditorum Episcopi, si ipse recusatus eam ad Archiepiscopum transmittat.

§. Porro.

Si subditus cõmonitus, vt à delicto absistat, appellationem obiecerit, tunc si excessus eius evidentia facti, vel ipsius confessione alióve modo manifestus est, appellationi non est deferendum, cùm remedium appellationis non ad defensionem iniquitatis institutũ sit, sed ad innocentiæ præsidium, sin excessus dubius sit, tunc appellans causam probabilem appellationis coram Iudice exponere teneatur, talem videlicet, quæ si probata fuerit, legitima reputari debeat, & tunc si adversarium habuerit, intra terminum secundùm locorum distantiam, temporis qualitatem, & negotij naturam à Iudice definiendũ appellationis causam prosequatur; sin autem prosequi intermiserit, tum Iudex non obstante appellatione procedat; quòd si autem nullo comparente adversario Iudex ex officio procedat, in hoc casu Superior ad quem appellatum causa coram ipso probatâ officium suum exequatur: sin autem in probatione justæ appellationis appellans defecerit ad Iudicem à quo appellatum, eum remittat, qui malitiosè appellauit. Verùm hæ duæ constitutiones huius cap. ad Regulares extendi non debent propter speciales eorum obseruationes.

SVMMARIVM.

6. *Si excessus notorius sit, non potest appellari à correctione ipsius.*
7. *Notorium quot modis dicatur.*
8. *Terminus temporis designandus secundum distantiam loci temporis, qualitatem & naturam negotij.*
9. *Appellatio à correctione non recipitur, nisi allegatâ causa probabili.*
10. *Si appellatum sit à Iudice ratione officij procedente, is à Iudice ad quem citari debet, vt processum suum defendat.*
11. *Prælatus Regularis ad corripiendum procedens secundùm Ordinis regulam, recusari non potest, nec ab ipso appellari.*

NOt. I. Si excessus seu delictum manifestum aut notorium sit, non potest appellari à commonitione & correctione. Dicitur autem notorium, variis modis iuxta *c. vlt. de cõhabit. Cler.* 1. Per evidentiam facti, quod nullâ transgressione celari potest. *cap. Cùm olim. 24. de verb. significatione.* 2. Per confessionem Rei in judicio. *c. Romana. 3. §. Si autem. h. t. in 6.* dummodò ita facta sit, vt excusari non possit, & in alium sensum probabiliter interpretari. *l. vlt. C. de errore Advocator. c. Cùm dilecti. 18. de accusationibus.* 3. Per testes idoneos, si iis nihil oppositum sit, & in causa concluſum, siquidem ex probationibus in judicio factis notorium exurgit. *cit. c. Cùm olim*, idque postquam renuntiatum & concluſum fuit, ait *gl. in c. Significârunt. 36. verb. liquere de testibus.* 4. Per sententiam condemnatoriam, si appellatum non sit. *cit. c. vlt.* 6

Not. II. Terminus temporis seu dilatio designanda est secundùm loci distantiam, temporis qualitatem, sintne dies breues, an longi, tempestas commoda, vel incommoda, & secundùm negotij naturam. 7

Not. III. Appellatio à correctione non recipitur, nisi allegatâ causâ probabili. Quòd si Iudex *à quo* dubitet, num causa justa sit, non tenetur appellationi deferre, sed nihilominus ad executionem sententiæ procedere potest, donec Iudex *ad quem* post appellationem receptam inhibuerit, ne exequatur. *cit. §. Sin autem.* Et tradit hîc *Alex. n. 7.* & probatur ex hoc *cap.* vbi dicitur: quòd appellans, vt appellationi eius deferendum sit, causam probabilem (in hoc casu correctionis) exponere debeat. 8

Not. IV. Si appellatum sit à Iudice ratione officij procedente, Iudex *ad quem* cogi- 9

cognituru causam, citare debet Iudicem *à quo*, vt processum suum defendat, ita sumitur ex hoc cap. *innecta gloss. verb. coram.* & tradit *gloss. in cap. Venerabilibus. 7. verb. ab alio. de sent. excomm. in 6.* Sin autem sententia, contra quam appellatum pro alio lata videlicet adversario sit, isque compareat & sententiam defendat, tunc Iudex citandus non est, nisi agatur ad puniendum ipsum secundùm *Glossam marginalem in cit. cap. Venerabilibus. Franc. h.col. vlt.*

10 Not. V. Si Prælatus Regularis ad corripiendum procedat secundùm Ordinis Regulam, recusari non potest, nec ab ipso appellari. ita *Abb. hîc. n. 3.*

CAPITVLVM LXII.

Cùm causam.

Paraphrasis.

Inter Abbates & Fratres de Valle ex vna parte, & Priorem ac Canonicos de loco nouo ex altera lis erat super Ecclesia H. quam Pontifex Iudicibus delegârat, delegati eandem subdelegârunt non totaliter; coram his subdelegatis Procurator Canonicorum inducias petiit ad dilatorias exceptiones offerendas, interea verò Advocatus Procuratoris in judicio confessus est Priorem & Canonicos in pacifica possessione Ecclesiæ amplius 40. annis fuisse; quam confessionem Procurator eodem die, errorem corrigens, reuocauit; eò quòd intentioni suæ de exceptionibus dilatoriis, quæ ante litis contestationem opponi debent, repugnaret, sed Iudices delegati arbitrantes per confessionem illam litem contestatam fuisse, partis adversariæ testes receperunt, sed & aliud grauamen iidem Iudices adiecerunt, quando examinationem testium quibusdam commiserunt, qui eandem aliis subdelegârunt, & horum ipsorum receptiones seu acta ipsi Iudices delegati approbârunt.

His intellectis Honorius III. mandat quibusdam, si ita res se habeat, vti narratum est, videlicet quòd testes recepti fuerint post revocatum errorem Advocati, ideóque lite non contestata, vel quòd Iudices delegati approbârint receptionem testium factam à subdelegatis suorum subdelegatorum (cùm tamen non nisi à Principe delegatus causam alteri subdelegare possit) quidquid post appellationem factum est, dummodò in appellatione ipsa expressum fuerit, irritum atque inane esse pronuntient.

Svmmarivm.

1. *Litis contestatio in judicio fit per solam contradictionem partis aduersariæ contra petitionem actoris.*
2. *Procurator ad litem advocatum sibi adiungere potest.*
   In quo vterque differat.
3. *Judex delegatus causam vel articulum causæ jurisdictionalem subdelegare non potest, nisi sit delegatus Principis, secus est de nudo ministerio.*

NOtand. I. Litis contestatio in Iudicio fit per solam contradictionem partis adversariæ adversùs petitionem actoris, vti dixi in *cap. vn. de lit. contestat.* cùm enim Abbas & Fratres peterent Ecclesiam alterius partis, advocatus obiecit præscriptionem, atque ita contradixit petitioni. Talis autem contradictio Procuratori adversatur, quia eius intentio erat, exceptiones dilatorias opponere, quæ ante litis contestationem, atque contradictionem circa merita causæ opponi debent. 1

Notand. II. Procurator ad litem Advocatum sibi adiungere potest; differt enim Advocatus à Procuratore, sicuti dixi *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 8.* Quia Procurator habet mandatum ad agendum & contradicendũ, quare eius confessio in Iudicio nocet principali, nisi allegato & probato errore revocetur *cap. vlt. de confess.* sed confessio 2

Ad-

Advocati non obest parti seu Clienti, quo minùs eam statim revocare, & Advocato suo contradicere possit, si tamen sciens taceat, censebitur eam approbare & ratam habere. *arg. l. 1. C. de errore Advocator.* vbi dicitur: Quæ Advocati præsentibus ijs, quorum causæ aguntur, allegant, perinde habenda sunt, ac si ab ipsis Dominis litium proferantur. Vide *Alex. hîc. n. 4.*

Not. III. Judex delegatus causam, vel articulum causæ jurisdictionalem subdelegare non potest, nisi sit delegatus Principis. *c. 27. §. Si verò, de off. deleg.* At verò nudum ministerium seu non jurisdictionalem causæ articulum. v. g. meram testium depositionem delegatus alteri committere potest secundùm *Gloss. receptum in Clement. un. de off. delegati.*

CAPITVLVM LXIII.

Dilecto.

Paraphrasis.

Honorius III. Presbytero D. contulit Canonicatum in Ecclesia Salamantina & super eius receptione literas executoriales misit ad Archidiaconum & alios. Sed Capitulum exceptionem opposuit coram executoribus, cùm enim certus numerus Canonicorum in Ecclesia juramento firmatus sit, de quo in literis nulla mentio fiebat, ideò ex earum vigore non posse procedi ad executionem, & ne executio fieret, ad Sedem Apostolicam appellârunt, sed Iudices siue executores (sunt enim mixti, quando deputantur ad executionem beneficialium literarum, si alíqui sint, quorum interest, vel qui contradicunt, sicuti dicetur *l. 3.*) appellatione posthabita, in Episcopum & Capitulares excommunicationem protulerunt, ea propter Capitulum Procuratorem Romam destinauit, per quem petebant sententiam irritam declarari. Honorius III. auditorem causæ dedit, coram quo ex depositionibus & confessionibus partiũ constitit quidem, quòd in Ecclesia Salamantina certus Canonicorum numerus juratus sit, & quòd exceptio de hoc opposita fuerit à Capitulo coram Executoribus atque appellatum, sed non satis cõstabat appellationem propter exceptionem illam non admissam, aliámve causam legitimam interpositam fuisse, ideò Honorius III. mandat quibusdam à se delegatis, vt super hoc ipso cognitionem suscipiant, & si repererint, exceptionem eam de certo jurato Canonicorum numerò, aliámve legitimam fuisse propositam nec admissam & propterea appellatum, executorum processum irritum esse declarent.

Svmmarivm.

1. *Exceptio peremptoria si impetratas literas debilitet, aut subreptitias ostendat, etiam ante litis contestationem opponi potest.*
2. *Pars litigans appellare non potest à grauamine nondum præsente, seu nondum illato à judice.*

NOt. I. Si exceptio peremptoria seu merita causæ infringens, etiam impetratas literas debilitat aut subreptitias ostendit, non tantùm post litem contestatam opponi potest, sed etiam tanquam declinatoria seu dilatoria ante litis contestationem quatenus opponitur, quòd Iudex delegatus vel executor vi talium literarum procedere non possit. ita *gloss. in c. 1. verb. obtentum. de lit. contest. in 6.* vbi ait: Si exceptio peremptoria perimit literas ante & post litem contestatam, opponi potest. 1

Not. II. Pars litigans appellare non potest à grauamine nondum præsente seu nondum illato à Iudice. ita *Ioan. Andr. hîc. n. 2. Imol. n. 8.* qui tamen rectè monent: si Iudex vel executor quidpiam mandet exequendũ intra certum tempus, & nisi fiat, censura ipso facto incurratur, appellari possit. *cap. 4. hoc tit.* quia ita mandans actu grauat, quandoquidem ordinariè loquendo, Iudex vel executor, intellige mixtus, incipere non debet à mandato parte non citata, nec audita. *l. 1. C. de execut. rei jud.* Secus est, si clausulam 2

justi-

justificatoriam inserat mandato, vt vel exequatur pars, vel si causam non exequendi habeat, compareat & proponat, tunc enim Iudex non censetur grauare, præcipiendo, quãdo pars mandatum declinare potest, legitimam exceptionem afferendo, ita sumitur ex hoc cap. ex quo colligitur, quòd habens legitimam exceptionem adversùs executoris mixti mandatum, ab eo appellari nõ possit, nisi priùs exceptionem proponat, eóque non admittatur; tum ex hac causa, videlicet ob reiectam aut non admissam exceptionem appellari potest.

Obijcitur. Subreptio ipso jure inducit nullitatem rescripti beneficialis *c. 2. de filiis Presbyter. in 6.* in nostro autem casu notoria erat subreptio per cõfessionem partis, quod videlicet Canonicatus à Papa in forma *Dignum* impetratus fuerit, eo tacito, quòd numerus Canonicòrum juratus sit; id enim si Pontifex sciuisset, non facilè Canonicatum conferendo, Capitulum grauare voluisset. ergo frustra Honorius III. inquirendum esse ait, num forma appellationis legitimè observata sit, cùm, etiamsi appellatum non esset, Presbyter à petitione Canonicatûs remoueri debuisset.

Confirmatur, si ex confessione partis appareat, eam jus non habere, non est curandum, num juris ordo seruatus fuerit, cùm in re notoria juris ordo non requiratur, *arg. c. vlt. de rest. tut. spoliator.* maximè verò si causa beneficialis sit, in qua plurimùm potest Iudicis ordinarij officium. *arg. c, Oblata. 57. h. t.* ergo Pontifex rescripti impetrationem statim irritam declarare, & impetrantem repellere debuisset, & non causam appellationis cognoscendam mandare.

Respondent *Abb. Franc.* & alij post *Ioan. Andr. hîc.* quia hoc loco coram Iudice appellationis, videlicet Pontifice, actũ non fuit, per viam nullitatis, dicendo rescriptum esse subreptitium ac irritum, nec executioni mandandum, sed per viam appellationis, ideò eius formalia probanda erant, videlicet: appellationem modo legitimo fuisse interpositam. Interim verò tametsi Capitulum in probatione succubuisset, vel appellationem deseruisset, nihilominus tamen per viam nullitatis agere dicto modo potuisset.

CAPITVLVM LXIV.

Nicolao.

Paraphrasis.

Cùm in Controuersia, quæ erat inter Abbatem & Conventum S. Mariæ & militem Nicolaum, Monachi appellâssent ad sedem Apostolicam, miserunt vnum ex fratribus Procuratorem dato mandato procuratorio duntaxat ad impetrandam delegationem causæ & alterius impetrationi partis contradicendum. Postquam verò Pontifex Cardinalem causæ auditorem dedit, & coram eo partibus præsentibus Monachus mandatũ exposuit, Nicolaus petiuit, vt contra Monachos tanquam contumaces procederetur, & ad expensas condemnarentur. Quare hanc causam Honorius III. quibusdam delegauit hac forma: si cognouerint, quòd Abbas & Conuentus appellationi suę terminum præfixerint, vt ipsos ad expensas condemnent, eo quòd milite, contra quem appellatum, causam personaliter prosequente, ipsi Procuratorem non sufficientem ad causam appellationis prosequendam miserint.

Svmmarivm.

1. *Causa appellationis ad Curiam devoluta, & parte personaliter non veniente, Procurator mitti debet cum pleno mandato ad prosecutionem causæ.*

NOt. vnic. Si causa appellationis ad Curiam devoluta sit, non sufficit quòd appellans vel appellatus mittat Procuratorem ad impetrandum Iudicem delegatũ in partibus & contradicendum impetrationi partis alterius. Sed debet Procurator, nisi pars personaliter veniat, mitti cum pleno mandato ad causam appellationis prosequendam, alioquin principalis reputatur contumax, & in expensis condemnatur. De hoc *inf. c. Interposita. 20. h. t.* 1

CAPITVLVM LXV.

Sua.

PARAPHRASIS.

Inter R. Tutorem filiorũ quondam B. defuncti ex vna parte, & F. pro seipso, & P. tutorem quõdam filij B. ex altera parte, lis super pecunię sũma agebatur coram Iudice Tũscanensi, is sententiam tulit pro Tutore R. à qua pars altera bis appellauit, sed vtrâque vice prior sententia per Iudices à Papa delegatos confirmata fuit, postea pars cõdemnata tertiò appellans alios Iudices à Sede Apostolica petiuit, Ea re ita cognita Honorius III. Cardinalem dedit auditorem, qui coram partibus interlocutus est, non potuisse secundùm jura tertiâ vice appellari. huius sententiam Papa approbans supradictis appellantibus prohibuit, ne causam tertiæ appellationis vlteriùs prosequantur.

SVMMARIVM.

1. *Tutor pro pupillo agens censetur ipse judicium suscipere, vnde sententia pro ipso vel contra ipsum fertur.*
2. *Ab eadem sententia ab eodem ter appellari nequit.*
3. *Sententia lata de nullitate appellationis, vel desertione illius causæ est interlocutoria, habet tamen vim definitiuæ.*

NOtand. I. Si Tutor pro pupillo agat, ipsemet Iudicium suscipere censetur, ideóque sententia pro ipso tutore & adversùs ipsum profertur. Veruntamen si pupillus infantiam excessit, potest tutor eum sistere, vt ipsemet judicium suscipiat, præsente & authoritatem præstante tutore. Ita tamen vt tutor & non pupillus de calumnia juret; quòd si verò adultus sit, seu qui ætatem pupillarem excessit, ætate minor, qui aliquid debeat, tum actor conuenire quidem potest adultum, atque libellum contra ipsum concipere, sed Curator, si ipsum adultum exhibere nolit seu consensum contendendi dare, ipsemet judicium suscipere potest ac debet. Cæterũm si adultus minor absens sit, omnino contra Curatorem agi debet. Ita habetur in *l. 1. administr. Tutor. iunct. gl. verb. vt ipse litem.*

Not. II. Si quis in eadem causa bis appellauit tertiò, appellare non potest. *l. vn. C. ne liceat in eadem causa ter appellare.* 2

Not. III. Sententia, quâ pronuntiatur appellationem fuisse irritam, aut causam appellationis fuisse desertam, non censetur esse definitiua, cùm non sit de meritis causæ: est itaque interlocutoria habens tamen vim definitiuæ, quia ipsam causam appellationis finit & perimit, seu peremptam decernit. Ita *Abb. hic n. 3.* 3

CAPITVLVM LXVI.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Inter Priorem & Conuentum de lacu rubeo ex vna parte & E. militem ex altera parte lis erat, quam Ordinarius Magistro A. delegauit, ab hoc delegato Iudice miles appellauit ad Archiepiscopum Bituricensem, sed Prior excepit, quòd omisso medio Episcopo ad Archiepiscopum non appellari, consequenter nec Officialis eius causam cognoscere potuerit, Cùm autem exceptionem hanc Officialis admittere nollet; Prior appellauit ad Pontificem. Eapropter Honor. III. sententias, quæ post appellationem latæ sunt, irritas esse decernit.

SVMMARIVM.

1. *Appellationem ad Archiepiscopum Officialis eius seu Vicarius generalis recipere & cognoscere potest.*
2. *Resolnitur quæstio, an Episcopo delegante causam alicui, à delegato appellari possit ad Vicarium eius, item si delegatus recusetur, Vicarius de causa recusationis cognoscere possit.*
3. *Appellatio fieri debet gradatim ad proximũ superiorem eius à quo appellatur.*
4. *Ad Pontificem tamen omisso medio appellari potest, & ad Metropolitanum, omisso medio Episcopo, si consuetudo præscripta id permittat.*

Not.

1 NOtand. I. Si ad Archiepiscopum appelletur, Officialis eius seu Generalis Vicarius eam recipere & cognoscere potest. *c. Dilectis. 55. h. t. c. 3. eod. in 6.* nam tribunal seu jurisdictio Vicarij non est diuersa à jurisdictione Archiepiscopi aut Episcopi, sed pars quædam eius. *c. 1. de off. Vicar. in 6. c. 2. de consuetud. in 6.* & docui *de jurisdictione Ord. in concl. 91.*

2 Quærit hîc Abbas, si Episcopus causam alicui deleget, num à Delegato appellari possit ad Vicarium eius. Similis quæstio est, si Episcopus causam alicui delegârit, isque delegatus recusetur, num de causa recusationis Vicarius seu Officialis cognoscere possit; quam quæstionem tractat *Ioan. Andr.* & negatiuè respondet *in c. Si contra. n. 2. de off. deleg. in 6.* eodémque modo *Abb. hîc num. 3.* Ratio dari debet, quia Episcopus causam alteri specialiter delegando, eam aufert à jurisdictione Vicarij. Sed contra est: Quia licet Episcopus causam principalem à jurisdictione Vicarij abstraxerit, non tamen consequens est, quòd etiam abstraxerit causam appellationis, aut causam recusationis, quâdoquidem à diversis non fit bona illatio. *c. 2. de translat. Episcopi. & l. Neque. C. de probationibus.* Et ideo hanc partem tanquam de jure veriorem tenet *Alexand. hîc.* Arbitror respondendum: pendere id ex mente Episcopi, de qua etiam coniectura fieri debet; num tali modo causam alteri delegârit, vt omnino à jurisdictione Vicarij abstraxisse voluerit, quod ex adiunctis cognosci poterit, in dubio autem non est præsumendum, voluisse auferre, si sit de causis, quæ alioquin ad Vicarij officium spectant.

Deinde excipiendus est casus, si Episcopus absens seu in remotis sit, tunc secūdùm epiichiam æstimari debet, contentum eum esse, vt causa appellationis, aut recusationis à Vicario cognoscatur, sicuti limitant etiam *Andr. & Abb. l. cit. arg. l. In hominem. 30. ff. mandati*; ex qua habetur quòd Procurator Generalis ob causam non prævisam à principali inhibere possit Procuratori speciali & similiter Legatus Generalis delegato speciali, tametsi ordinariè loquendo Legatus Generalis (sicuti & Procurator generalis) in causa alteri specialiter demandata se immiscere non possit. *c. 2. de off. legati.*

Not. II. Appellatio fieri debet gradatim 3
ad proximum superiorem eius, à quo appellatur, non autem omisso medio ad remotū. Exempli causa: à Decano rurali appellari debet ad Episcopum; non ad Metropolitanum: hæc regula Cæsareo jure adeò recepta est, vt neq; ad Principem seu Imperatorem omisso medio valeat appellatio. *l. Imperatores. 21 ff. h. tit.* At verò ad Pontificem summū 4
appellari potest omisso medio. v. g. à Decano vel Episcopo. *cap. Ad Roman. 8. causa. 2. q. 6.* idque procedit etiam in causis temporalibus earum Regionum, quæ Pontificis jurisdictioni temporali subijciuntur, *cap. Si duobus. 7. c. Sua. 68. h. t.*

Præterea ad Metropolitanum omisso medio Episcopo appellari potest, si consuetudo præscripta id permittat, teste *gl. in c. Referente. 6. verb. Archiepisc. de præbendis. 2.* Si pars vtraque consentiat secundùm *gloss.* hîc à plerisq; receptā. *verb. post huiusmodi*; tametsi enim generalis Regula sit, quòd Clerici jurisdictionem Iudicis alieni prorogare non possint. *c. Significasti. 18. de foro compet.* id tamen intelligi debet, si Iudex nullam omnino jurisdictionem habeat, secus si per viam appellationis adiri possit, tunc eius jurisdictio in causis appellationis prorogari posse videtur.

Quamuis id receptum non sit, & contrarium tradat *Archidiacon. c. Si delegatus. de offic. deleg. in 6.*

CAPITVLVM LXVII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Nobilis mulier de Bellebron literas à Greg. IX. impetrauit contra Dominum de Colob. in controuersia, quæ erat super fundo cum filiis eiusdem Dominæ, sed hæc coram judicibus excepit, quandoquidem filij sub potestate & tutela sua esse desierint, postquam ipsa ad

secundas nuptias transiit, quòd super hac causa pro filiis, quorum nutrix esse desiit, respondere non cogatur. Verùm cùm Iudices exceptione nō admissâ eam ad respondendum vrgerent, sentiens se grauari, ad Pontificem appellauit, qui hîc mandat aliis Judicibus, si ita esse cognôrint, vt in irritum revocent, quidquid post appellationem repererint attentatum.

SVMMARIVM.

1. *Tutor habet personam pupilli sub sua potestate, vt eum gubernet & regat; curator autem potiùs datur, vt puberis bona administret, quàm vt personam eius regat.*
2. *Mulier si velit suorum filiorum tutrix esse, potest, (nisi alius testamento tutor datus sit) modò renuntiet secundis nuptiis.*
3. *Tutor aut tutrix, an & quomodo finita tutelâ ratione pupillorum conueniri possit.*
4. *Mater vti tutrix, ita & curatrix esse potest filiorum.*
5. *Mater si tutrix esse nolit, filio impuberi tutorem (si legitimam habiturus non sit) intra annum petere debet à Iudice, aliàs priuanda est successione in bonis filij decedentis in pupillari ætate.*
6. *Idem est, si ad secundas nuptias transeat, vel si alius morituro successurus non petierit intra annum viuenti tutorem.*

NOta: 1. Tutor habet personam pupilli sub potestate, vt eum gubernet & regat. *arg. l. 1. ff. de tutelis*, at verò curator puberi datur potiùs, vt bona eius administret, quàm vt personam regat, & ideò minorem natu in potestate habere non censetur. *l. In copulandis 8. C. de nupt.* vbi dicitur: quòd in nuptiis contrahendis authoritas Curatoris non requiritur, quia is solùm rei familiaris sustinet administrationem. Negari tamen non debet, quin etiam Curator curam aliquam & potestatem habeat super persona minoris natu, nam ita vsus comprobat & indicat *gloss. 11. §. certè. instit. qui testamento Tutores dari possint.*

Not. II. Mulier si velit filiorum, patre ipsorum defuncto, tutrix esse, potest, ita vt aliis legitimis tutoribus præferatur, nisi alius testamento datus sit tutor: nam testamentarij Tutores omnibus legitimis seu lege datis præferuntur; debet tamen mulier, videlicet mater, aut avia renuntiare secundis nuptiis, & Velleiano S.C. hæc habentur, in Auth. *matri & auiæ, C. quando mulier tutelæ officio fungitur*: quamobrem si mater ad secundas nuptias transeat, ipso facto munere tutelæ priuatur, vti hîc apparet, & dixi *l. 3. tract. 4. cap. 9. num. 3.* 2

Not. III. Tutor, aut tutrix finita tutela conueniri non potest ratione pupillorum: quod intelligi non debet de causis & litibus postea ortis; si autem cœpta & pendente adhuc lite tutela finiatur, prosequi tutor litem debet, præterquam si administrationis ratio in alium, videlicet in Curatorem post adeptam pubertatem translata sit. *l. vnic. junct. gloss verb. Causarum. C. vt causæ post pubertatem adsit Tutor.* 3

Hsadde 1. Sicuti mater filiorum tutrix esse potest, ita Curatrix, de quo *Alex. hic. num. 7.* 4

Adde 1. Quòd mater si tutrix esse nolit, filio impuberi tutorem (si legitimum habiturus non sit) à Iudice petere debeat intra annum à die mortis paternæ, alioquin priuabitur successione in bonis filij decedentis in pupillari ætate. *l. 2. §. confestim. ff. ad Tertyllianum. l. 3. Cod. eodem. §. final. instit. eod.* Idémque dicendum, si, antequam ad secundas nuptias accedat, tutorem alium dari non petat. *l. Omnem. 6. Cod. ad Tertyllianum.* sed & quicunque alius pupillo morituro successurus est, nisi viuenti tutorem intra annum petierit, ab omni successione excludendus est in pœnam à Iudice per sententiam. *l. Sciant. 10. Cod. de legitimis hæredibus.* videri potest *Molin. tract. 2. de just. Disp. 123.* 5 6

CAPI-

CAPITVLVM LXVIII.

Intimâsti.

PARAPHRASIS.

Gregorius IX. mandauerat inquisitionem fieri de Hospitalariis, Inquisitores autem, ignorantibus illis, factâ inquisitione, neque eius processûs copiâ traditâ, relationem ad Pontificem miserunt; id verò perperam actum esse Pontifex ait, cùm secundùm Cæsareas leges, quoties se Iudex relaturum pollicetur, litigantibus apud acta judicii exemplum relationis edere cogatur.

SVMMARIVM.

1. *Ex quibus causis judex controuersiam vel articulum controuersiæ judicialis transmittere possit.*
2. *Judex articulum causæ dubium ad Principem referre volens, debet Relationis copiam partibus edere & petere, vt in eam consentiant, ijs contradicentibus, relationi fides non habetur.*

1 ADuerte quòd pluribus ex causis Iudex controuersiam vel articulum controuersiæ judicialis transmittere potest. 1. Quia est negotium superiori specialiter reseruatum *c. 3. de bapt. c. Vt debitus. 59. hoc. tit.* 2. Quia superior tali forma causam delegauit, vt ea cognita & instructa ad ipsum remittatur *c. Cum Bertold. 18. de sententia & re judicata*; interdum verò Superior delegat causam sub disjunctione & optione relicta delegato, vt vel ipse definiat, vel instructam ad Superiorem mittat. 3. Si Iudex proprio motu causam vel articulum causæ, quia ardua, aut valdè dubia est ad Superiorem consultationis ergo referat, de quo est *tit. C. de relationibus. & tit. noster de appellat. & relationibus.*

2 Not. Vnic. Si Iudex articulum dubium causæ ad Principem referre velit, relationem partibus edere, seu copiam relationis tradere debet, ac petere vt in eam consentiant *l. 2. C. eod.* hoc casu, hoc ipso, quòd non contradicant relationi, approbare eam censentur, teste *Alexandro. hic. n. 25.* nam tacens consentire videtur, si non consentire velint, contradicere debent, vti docui *l. 1. tract. 2. c. 3. n. 3.* si autem contradicant relationi, tunc ea fidem non facit, nisi quatenus ea, quæ referuntur, ex actis cognosci possunt, quamobrem acta ipsa vna cum compendiosa relatione mittenda erunt, *l. vlt. C. eod.* vide quæ dixi in rubrica huius tit.

CAPITULUM LXIX.

Significante.

PARAPHRASIS.

Decanus & Capitulum Magdunense Iudices impetrârunt à Pontifice contra Episcopũ Aurelianensem, volentes ipsi jus nõ competere, vt laniones eius carnes in aliis locis vendant, quàm in tabernis eorum, cùm autem Decanus & Capitulum coram delegatis comparuissent, Iudicum officium implorârunt, quoniam Episcopus post citationem carnes aliis in locis vendi mandauerit, vt, quod factum est, in statum pristinum restituatur. Sed ex Episcopi parte propositum fuit, cùm lis super causa contestata nondum sit, huic Iudicis officii implorationi locum non esse. Adiiciebatur, quòd cùm ex partium consensu dies à Iudicibus ad litigandum destinatus sit, ideóque vsque ad illum diem judicium solutum sit, non posse Iudices terminum præueniendo partem aduersariam absque ambarum partium consensu audire. Sed quia Iudices oppositiones istas admittere noluerunt, Episcopus ad Papam appellauit, & idcirco Procuratorem misit ad appellationem intra annum prosequendam. Verùm Procurator circumuentus, vti credibile est, contra Episcopi inhibitionem literas impetrauit ad Iudices quosdam suspectos Episcopo, quare ipse literis iis vti noluit, sed non obstante anni lapsu ad appellationis prosecutionem admitti petiit, tum Gregor. IX. quibusdam delegatis mandat, si ipsis de inhibitione, atque de causis appellationis, vel altera earum constiterit,

in irritum reuocent, quæ post appellationem attentata sunt, & deinde secundùm formam priorum literarum Papalium in negotio ipso procedant.

SVMMARIVM.

1. *De jure communi quilibet in suo fundo potest macella vel tabernas erigere ad vendendum, consuetudine tamen aut priuilegio contrarium constitui potest.*
2. *Clerici possunt carnes & similia, quæ ex propriis prædiis colligunt, erectâ tabernâ vendere ad propriam sustentationem, non tamen personaliter sed per laicum.*
3. *In dubio uter duorum litigantiũ in possessione sit, actor ante litem contestatam, siue antequam constet ipsum in possessione esse, non potest à judice petere, vt aduersario actus possessorios inhibeat.*
4. *Judex dilationem ex partium consensu concessam ordinariè non potest reuocare, nisi utraque parte consentiente.*
5. *Nec Episcopus absque graui causa potest dispensationem factam cum curato reuocare ne intra septennium ad Sacerdotium promoueatur.*

1 NOt. I. Licet spectato communi jure quilibet in suo fundo possit macella, vel tabernas erigere ad vendendum, tamen consuetudine aut priuilegio contrarium cõstitui potest, vt videlicet aliquis non in sua, sed in aliena taberna vendere, vel ad alienum molendinum frumentum deferre teneatur. Veruntamen quatenus hæc seruitus in propria taberna non vendendi, v. g. est negatiua, non potest eius possessio inchoari, nisi fiat prohibitio & prohibitioni aliquis acquiescat, vti docui *l. 3. tract. 1. c. 9. n. 6.* & explicat hîc *Alex. n. 4.* Quatenus verò affirmatiua est, vt ad alienam tabernam merces tuas ferre debeas, non acquiritur eius possessio per solum, quamuis repetitum accessum, seu delationem, nisi ad eum aliqua saltem virtualis compulsio fiat, siue vt aliquis accedat tanquam obligatus sit, sicuti docui eodem *tract. c. 8. n. 8.*

Not. II. Clerici possunt carnes & similia. v. g. vinum & Cereuisiam, quæ ex propriis prædiis colligunt, erectâ tabernâ vendere ad propriam sustentationem, secundùm *gl. in c. Negotiationem. 9. dist. 88.* dummodo talem negotiationem non exerceant personaliter, sed per alium laicum, teste *gloss. in Clem. 1. verb. publicè. de vita & honest. Cler. Alex. hîc. n. 5.* qui addit *n. 6.* quòd Clericus per laicum, cum quo societatem ineat, data pecunia, ut alter industriam adhibeat, negotiari non prohibeatur, id tamen non nisi propter necessitatem cohonestari posse, docui *l. 3. tr. 4. c. 17. n. 4.* 2

Not. III. Si dubium sit, uter duorum litigantium in possessione sit, tum actor ante litem contestatam siue antequam constet ipsum in possessione esse, non potest Iudicis officium implorare, ut aduersario actus possessorios inhibeat, alioqui verò si ponamus Capitulum fuisse in possessione indubitata etiam ante litis contestationem, petere potuisset à Iudice, ut inhibeat Episcopo omnem molestationem, propterea quòd lite pendente, quæ litis pendentia à citatione incipit, nihil innouari debeat, *Clement. 2. vt lite pend. Ita Abb. hîc n. 6. Alex. n. 20.* Et hæc inseruiunt etiam pro causis appellationum, quòd inter attentata seu innouata, quæ rescindi debent, numerandum non sit, si pars litigans possessione sua, quam indubiè habuit, vel de qua dubitatur, & quæstio hæret, pendente appellationis causâ, utatur. 3

Nor. IV. Si Iudex ex partium consensu dilationem concessit, non potest eam ordinariè reuocare nisi parte vtraque consentiente, dico ordinariè, nam ex justa superueniente causa terminus breuiari vel prorogari potest. Ita *gl. hîc. verb. peruenire.* Simile est, quod tradit *gloss. in c. Cùm ex eo. 35. verb. ad septennium. de elect. in 6.* si Episcopus dispensauit studiorum causa cum curato, ne intra septennium ad sacerdotium promoueatur, quod licentiam absque grani causa reuocare non possit, quia per talem concessionem jus acquisitum, seu vinculo aut obligatione aliqua ille liberatus 4

est,

est, quo cum dispensatum; quare locus est *Regula juris 33. in 6.* consilium mutare quis non potest in alterius detrimentum.

CAPITVLVM LXX.

Interposita.

PARAPHRASIS.

Titius coram Iudice contendens, causam probabilem, quæ si probetur, legitima censeri debet, allegauit, ob quam respondere non teneretur. v. g. Caium actorem excommunicatum esse, sed cùm Iudex exceptionem admittere nollet, appellauit, hoc casu non sufficit, si Titius coram Iudice *ad quem* ostendat se appellâsse allegatâ causâ probabili, nisi etiam demonstret veram esse; præterquam si Titius coram Iudice *à quo* obtulisset se ad probandam veritatem causæ, & admissus non fuisset.

SVMMARIVM.

1. *Iudex ex hoc solùm, quòd exceptionem repellat, appellatio à grauamine justificata non est.*
2. *Limitatur Primò, nisi exceptionem obijciens offerat se ad eius veritatem ostendendam, & à judice non admittatur.*
3. *Limitatur secundò; Si notorium sit exceptionem veram esse.*
4. *Tertiò; Si exceptio recusationis obijciatur, & non admittatur.*

1 NOT. Vnic. Iudex non ideò grauat, si exceptionem repellat, quia falsam, & causâ litis differendæ malitiosè oppositam existimat, & ideò ob hoc solùm, quia Iudex exceptionem repulit, appellatio à grauamine justificata non est.

2 Excipe 1. Nisi exceptionem obiiciens offerat se ad eius veritatem ostendendam, & à Iudice non admittatur *c. Ex parte 7. de test.* Tunc enim apparet, quòd Iudex iniustè grauat, si talis sit exceptio, quæ probata legitima & subleuans erit.

3 Excipe 2. Si notorium sit, exceptionem veram esse, vt probatione opus non sit, idémque dicendum, si juris præsumptio sit pro excipiente *c. 2. de restit. spoliator. in 6.*

Excipe 3. Si exceptio recusationis obiiciatur & non admittatur, manifestum grauamen est, ita vt statim appellari possit.

§. Eidem.

SVMMARIVM.

5. *Appellatione nec à judice à quo recepta, nec ab aduersario acceptata, appellatio non ita censetur deuoluta ad Curiam, vt non possit appellans, etiam inuito appellato, petere judicem delegatum.*
6. *Appellans appellationi suæ renuntiare potest, si res adhuc integra sit.*
7. *Excipe nisi eam aduersarius acceptârit, tunc enim sine huius consensu ab ea recedi non potest.*
8. *Procedi potest in absentia aduersarii lite nondum contestatâ, si coram judice appellationis agatur de judicis grauamine illato.*

SI appellatio non sit recepta à Iudice, nec ab aduersario acceptata, tunc sufficit ad curiam Iudicis *ad quem* mittere procuratorem ad impetrandum, vel contradicendum, etsi aduersarius velit causam appellationis ab ipsomet Iudice ad quem opponi.

Not. Vnic. Si appellatio nec à Iudice à quo recepta nec ab aduersario acceptata fuit, non censetur appellatio ita deuoluta ad Curiam, vt non possit appellans etiam inuito appellato petere Iudicem delegatum. Exinde verò per sensum contrarium intelligitur, si vel Iudex appellationem recepit, vel aduersarius acceptauit, quòd causa ad Curiam deuoluta censeatur, vt ibi tractari debeat appellato volente. *6. Nicolao. 64. h. t. &* consentit *c. 1. eod. tit. in 6.* sed videri debent, quæ dicentur in *c. 5. hoc tit. in 6.* Deinde excipi debent causæ beneficiales, in quibus si appellatum sit ad Papam, probabili causa allegata, tunc causa appellationis in curia esse censetur, ita vt instructa eò deferri debeat. *c. 1. c. Si postquam. 10. §. Sed cùm. de elect. in 6.*

§. Ite.

§. Ille.

SI Appellans re adhuc integrâ, videlicet antequam Iudex ad quem, cognoscere causam cepit, vel alteri delegauit, petat, vt remittatur ad Iudicem à quo, adeóque appellationi renuntiet, remissio fieri debet, tametsi aduersarius contradicat, sed debet condemnari ad expensas præstandas aduersario.

6 Not. Appellans appellationi suæ renuntiare potest, si res adhuc integra sit, *l. Si quis libellos. 28. c. de appellat. c. Vt super 4. eod. tit. in 6.* dummodò expensas parti aduersariæ restituat, si quas propter appellationem interpositam fecit.

7 Excipe cum *Bartolo in cit. l. Abbate, & Alex.* hîc, si aduersarius acceptauit appellationem, tunc vtrinque communis censetur, vt inuito appellato appellans ab ea recedere non possit, sed si vtriusque consensus adsit & res integra sit, tunc ab appellatione recedi poterit.

§. Sanè.

CAius appellauit à grauamine Iudicis, idque coram Iudice ad quem probare paratus est, sed aduersarius contumaciter abest; hoc casu Iudex appellationis cognoscere potest, tametsi lis nondum contestata sit, quia in tali casu, quo agitur de iniquitate Iudicis prioris remouenda; rigor juris requirentis contestationem litis requiri non debet.

8 Not. vnic. Novus hic casus est, in quo procedi potest in absentia aduersarij, etsi lis contestata non sit, si videlicet coram Iudice appellationis agatur de Iudicis grauamine illato. Ratio dari debet, quia cùm non agatur de causa ipsa principali, aduersarij non multùm interest.

CAPITVLVM LXXI.

Inquisitioni.

PARAPHRASIS.

Clausula ea, vt Iudex delegatus remota appellatione procedat, si posita sit in medio rescripti plura negotia continentis, ad præcedentia tantùm referri debet, nisi in fine rescripti repetatur, tunc ad omnia antecedentia extenditur.

SVMMARIVM.

1. Clausula posita in rescripto aliáue dispositione, an ad omnia in ea contenta referenda sit, vel ad aliqua tantùm? & quæ illa?

CIrca hanc quæstionem: Num clausula posita in rescripto, aliáue dispositione referenda sit ad omnia contenta, ita distingue, vel sunt plura negotia siue causæ, tunc clausula posita inter plura negotia refertur tantùm ad antecedentia nisi in fine repetatur. Idémque dicendum, si in principio posita sit, quòd ad omnia, quæ sequuntur, pertinere censeatur, nisi ex adiunctis aliud colligatur, teste *Alexand. hîc. n. 10.* Vel est vnicum negotium siue causa continens plures articulos seu capitula, tunc ordinariè loquêdo ad omnia refertur. *c. Secundo. 41. h.t.* maximè si in principio vel in fine ponatur, sin autem in medio, tunc vniuersalis Regula tradi non potest, sed attendere oportet, quæ sit natura negotij, & quanta articulorum connexio; Item num clausula ita in medio ponatur, vt sit pars vnius capituli, exempli causâ, mando tibi, vt ante omnia Episcopum spoliatum restituas appellatione remotâ, postea adiutorem vel administratorem bonorum ei adiungas, donec de dilapidatione cognitum sit. *c. Venerabili. 37. de off. deleg.* vide *DD. in l. 3. §. filius ff. de lib. exhibend. & l. 3. C eod.*

CAPITVLVM LXXII.

Vna.

PARAPHRASIS.

Causa erat communis pluribus, qui in judicio succubuerunt & condemnati sunt, vnus eorum appellauit, & in causa appellationis obtinuit, huius victoria etiam aliis prodest, si communi jure juventur, & idem negotium, eadémq; causa defensionis existat.

SVM-

1. *Si plures tanquam Correi vnâ sententiâ damnati sunt, vnus appellare potest, altero non appellante.*
2. *Et in hoc casu si appellans vincatur, id alteri etiam parti prodest.*
3. *Sententia appellationis prodest omnibus Correis in eâdem causâ per eandem sententiam condemnatis. Secus contingit in sententia lata contra eos in prima instantia, nisi communis eorum incorporalis & indiuisibilis sit.*
4. *Sententia condemnatoria lata contra vnum, non semper nocet alteri Correo.*

1 NOT. I. Si plures tanquam cõrrei vnâ sententiâ damnati sunt, vnus appellare potest, altero non appellante.

2 Not. II. Licet res inter alios acta in judicio alteri non prosit aut obsit, regulariter loquendo *c. penult. de re. & sent. jud. gl. in c. dilecto. 25. de præbendis. verb. non obsistat*, tamen excipi debet casus iste, si vnus eorum, contra quos in causa communi sententia lata fuit; appellet, & in causa appellationis vincat, etiam alteri id prodest.

3 Quare discrimen est inter sententiam latam in prima instantia, & latam in secunda instantia seu causa appellationis, quòd illa pro vno lata ordinariè se non extendat ad alterum, etiamsi vtriusque eadem causa sit, quia vterque eodem modo v. g. contraxit, aut fide jussit, nisi res, circa quam vtriusque causa versetur, incorporalis & indiuisibilis sit. v. g. seruitus itineris *l. Loci. 4. §. Si fundus. ff. Si seruitus vindicetur:* vbi DD. aiunt: quòd sententia lata in confessoria pro vno vicino, prodest etiam aliis vicinis eandem causam habentibus, videlicet quòd per agrum ire vel cursus agere ipsis liceat.

At verò sententia appellationis prodest omnibus correis, si in eadem causa per eandem sententiam condemnati fuerant. Ratio patet ex dictis, quia etiam sententia Iudicis jus quoddam incorporale & indiuisibile est, ita vt non possit esse partim vera, partim falsa, aut partim justa, & partim iniusta. cùm itaque sententia appellationis pro objecto habeat sententiam prioris instantiæ, sequitur, quòd sententia appellationis lata pro vno, etiam aliis correis seu eadem sententia prior in eadem causa condemnatis prosit.

Veruntamen si vnus contra sententiam priùs latam obtineat ex jure speciali. v.g. per viam restitutionis in integrum, quia minor est, tunc victoria alteri non prodest, præterquam si agatur de re incorporali & indiuisibili. v. g. jure pascendi, quod commune est pupillo & non pupillo. hoc casu si pupillus, vel minor natu contra sententiam post decendium restituatur, etiam alteri hoc beneficium per accidens seu concomitanter prodesse debet, *arg. l. Si communem. 10. ff. quemadmodum seruitus amittatur*, vbi docent DD. quòd in re indiuisibili socius per socium priuilegiatum obtineat, quod per se obtinere non posset. Et ita docet *Abb. hîc. n. 4. gloss. in l. vnic. verb. patrocinari. C. Si in vna eademque causa:* vbi ait: si pluribus in negotio aliquo transigentibus, vnus ob ætatem restituatur tanquam læsus, aliis non prodesse *juxta cit. l. Quia restitutio in integrum personale priuilegium est.* Excipiendum verò esse, si obiectum transactionis sit jus indiuiduum. v. g. seruitus itineris.

Ad extremum aduerte, tametsi in suprà- 4
dictis casibus sententia lata pro vno, prosit alii correo non tamen consequens esse, quòd lata contra vnum semper noceat alteri correo, quoad condemnationem, sicuti constat ex *c. Interrogatum. 24. causa 2. q. 5. c. significâsti. 5. de adulteriis. v. g.* si mulier confessa adulterium cum Titio, damnata sit, id solum non sufficit ad damnandum Titium. Ratio est, quia fieri potest, vt vnus Correorum ex motu, vel errore confessus sit, aut falsis testibus conuictus, aut imperitiâ vel odio Iudicis condemnatus, consequenter alteri defensio sua adimi non debet.

CAPITVLVM LXXIII.

Si justus.

PARAPHRASIS.

Si motus grauis seu cadens in virum constantem

stantem impediat aliquem, quo minùs à sententia interlocutoria, vel definitiua appellet, is coram Iudice protestari potest, quòd ob talem causam seu gravamẽ appellare vellet, nisi prohiberetur; aut si coram Iudice non potest, vel non audet protestari, protestationem hanc faciat coram viris honestis, tunc verò perinde haberi debet, ac si appellâsset, dummodo talis protestatio facta sit intra decem dies post sententiam, aut gravamen illatum.

SVMMARIVM.

1. *Quid agendum, si gravatus à judice coram ipso appellare nequeat?*
2. *Protestatio facta coram Iudice, vel si ea fieri non potest, coram honestis viris, æquivalet appellationi, cuius etiam naturam imitatur.*

QUæstio est. Si quis gravatus à Judice coram ipso appellare non possit, quid agendum? Respondeo, &

1 Dico 1. Si plures Judices sint, qui omnes judicare debent, coram omnibus simul congregatis appellatio facienda est, quòd si omnium copia haberi non possit, satis est, si fiat coram parte maiore, & aliis postea intimetur, qua de re *vide Clement. l. h. tit.*

Dico 2. Si nec maior pars haberi possit, & generatim loquendo, si appellatio coram Iudice à quo fieri nequeat, appellari debet coram Iudice ad quem. *c. Biduum. 5. §. Si quis. cap. 2. q. 6. & not. Gl. ibid. verb. Coram Ipsis. Innoc. hic. & And. n. 5.* & videri potest *Franc. h. tit. in 6.*

Dico 3. Si nec Iudicem ad quem habere aliquis possit, tunc appellet coram viris honestis, aut uno honesto, adhibitis & testibus, sicuti hic docet *Abb. n. 3. Gl. in c. 4. verb. Literis. de elect. 6.* aut coram notario, qui testibus adhibitis scripturam super hac re conficiat, teste *Alexand. hîc n. 9.*

Dico 4. Si metus justus accedat, quo minùs aliquis coram Iudice appellet, satis est protestari, seu coram Iudice ipso, seu coram viris honestis, uti hîc dicitur & in *l. 2. C. de his, qui per metum Iudicis non appellaverunt.*

Not. vnic. Protestatio facta coram Iudice, vel si ea fieri non potest, coram aliis honestis viris, æquivalet appellationi, quemadmodum imitatur naturam eius, ut etiam intra decem dies facienda sit. 2

EODEM TITVLO IN VI.

CAPITVLVM I.

Cordi.

PARAPHRASIS.

Innoc. IV. in Lugdunensi Generali Concilio ad lites & molestias litium minuendas statuit, si quispiam intra, vel extra judicium ab interlocutoria, aut gravamine aliquo appellare velit, causam appellandi in scripto designet, postea Apostolos petat, qui & à Iudice tradendi erunt, in iisque literis causa appellandi exprimatur, & num appellatio admissa sit, an refutata, aut forsan appellationi duntaxat ob reverentiam Superioris delatum. postea termino secundùm locorum distantiam & negotii qualitatem constituto appellanti, intra quem appellationem prosequi debeat; si appellatus ita voluerit, aut petiverit, personæ principales per seipsas, vel per procuratores instructos cum mandato ad agendum & monumentis atque actis ad causam pertinentibus accedant ad Sedem Apostolicam, ita paratè & instructè, ut, si Pontifici videbitur post expeditum appellationibus articulum, vel ex partium consensu intermissum, in causa principali cognoscenda & definienda procedatur, sicuti de jure fieri potest, & debet; iis tamen, quæ circa appellationes à sententiis definitivis antiquitus statuta sunt, nequaquam immutatis; sin verò appellans ea, quæ suprà dicta sunt, non observet, perinde

inde habendus est, ac si non appellaret. Insuper ad legitimas expensas condemnandus; quòd si verò appellatus statutũ istud contempserit, non tantùm in expensas tanquam contumax condemnari debet, sed etiam contra eum in causa principali, quemadmodum de jure fieri potest, procedi: justum enim est, vt in eum jura insurgant, qui jus & Iudicem & partem adversariam eludit.

SVMMARIVM.

1. *Appellationes, quæ non sunt à definitiva, in scriptis fieri debent, causâ appellationis eisdem insertâ.*
2. *Appellatio à definitiva, si statim fiat, judice adhuc pro tribunali sedente, fieri potest per verbum* appello; *sin fiat per intervallum, opus est scripto, non tamen necesse est, vt appellationis causa allegetur, secus est in appellatione ab interlocutoria, aut gravamine.*
3. *Si vult & petit appellatus partes per se vel procuratores instructos super principali, ad Curiam venire debent.*
4. *In appellatione ab interlocutoria, omisso appellationis articulo, judex ad quem, causam principalem cognoscere & definire debet, si quidem aliàs in prima instantia eius judex esse posset, & partes ita fieri postularent.*
5. *Conditio requisita, vt forma alicuius actûs, & non observata invalidat actum.*
6. *Contumax in judicio, iniuriam ac veluti contemptum infert justitiæ, judici & parti.*

1 NOT. I. Discrimen est inter appellationem à sententia definitiva, & appellationes, quæ intra judicium videlicet post citationem adversùs interlocutoriã, aut gravamen Iudicis, sive extra Iudicium adversùs Iudicem ipsum aut alios fiant, quòd istæ appellationes, quæ non sunt à definitiva, in scriptis fieri debeant, alioquin nõ valẽt: & causa appellationis seu gravamen explicãdum est, adeò vt justitia appellationis à Judice *ad quẽ* examinanda tantùm sit secundùm causas allegatas seu in scripto expressas. *c. Cùm causam. 62. h. t. & gl. hîc verb. interlocutoria in fine.* Neque refert, tametsi gravamen notorium sit, siquidem etiam notoria quandoq; allegari debent, licet non probari, sicut hîc notat *Anchor. not. 3.* Quod verò attinet ad 2 appellationem à definitiva, si ea statim, Iudice videlicet adhuc pro tribunali sedente, fiat, tunc sufficit verbum *appello.* Sin per intervallum, tum & ea in scripto fieri debet. *l. 2. ff. h. 4. iunct. gl & l. Litigatoribus. 14. C. eodem.* Causam verò appellãdi allegare non est necesse, quia frustra allegaretur, cùm Judex à quo, de ea cognoscere non debeat, quippe functus officio suo, sed si appelletur ab interlocutoria aut gravamine, tunc is, à quo appellatur, gravamen ad mentem reducere & removere potest, ideo decet ipsi explicare. *c. Cùm cessante. 60. h. t.*

Præterea qui appellat à definitiva, tametsi aliquam appellandi causam nõminet, tamen etiam alias causas, quas non expressit, prosequi potest, cùm in causa appellationis etiam priùs non allegata allegare, & non probata probare liceat. *l. 4. C. de temporibus appellat: cum Ioan. 10. de fide instr.*

Adde, quæ dicta sunt de appellatione à sententia definitiva, etiam locum habere in appellatione ab interlocutoria habente vim definitivæ, cùm etiam per talem interlocutoriam sententiam Iudicis officium cesset teste *Franc. in c. Cum cessante. col. 4. h. t. Gail, lib. 1. obseru. 130. n. 6.*

Notand. II. Si adversarius non tantùm acceptet appellationem, sed etiam velit, ac petat, vt tota causa instructa ad Judicem appellationis mittatur, eóque partes vel per se, vel per Procuratorem idoneum ad agendam causam accedant, tunc id fieri debet, ideóque Judex compelli potest, vt acta judicii edat, seu copiam eorum Iudiciali suo sigillo obsignatam exhibeat, quæ ad Iudicem appellationis referentur. Qua de re *Gail. l. 1. obseru 134.* Sin autem appellatio ab appellato acceptata non sit, vel etsi acceptata, tamẽ non 3

postulatum, vt causa in curia agatur, tunc appellans satisfacit, si absque actis veniat, vel procuratorem mittat ad literas delegationis impetrandas. *c. Nicolao. 64. c. Interposita. 70. §. eid. h. tit.* & videri potest *Innoc. hic. verb. petuerit.*

4 Not. III. Si partes, quæ ab interlocutoria appellârunt, consentiant, vt Iudex *ad quem* omisso appellationis articulo causam principalem cognoscat & definiat, ipsis parendum, quandoquidem hoc conducit ad litis exitum, id verò locum tantùm habet in Pontifice aliisque Iudicibus appellationis, qui causam principalem etiam per viam primæ instantiæ, seu simplicis querelæ cognoscere possunt, non autem locum habent in Archi-Episcopo, qui à subditis non nisi per viam appellationis adiri potest, neque eius jurisdictio prorogari, vti habetur in *c. 1. de foro competent. in 6.* vbi *gloss. verb. prætermisso* ait: quòd Archi-Episcopus omissâ ex partium voluntate appellationis causâ non possit super negotio principali cognoscere, sed remittere debeat ad Coëpiscopum, à quo appellatum, quod etiam tradit *gl. hîc verb. omisso Anchor. not. 10. Franc. §. Posthæc. n. 6.*

5 Not. IV. Si conditio aliqua de re jure requiratur, tanquam forma actus, tunc ea non obseruata corruit, actus, & perinde censeri debet, ac si nihil actum esset: nam in tali paria censentur, non fieri, & non legitimè fieri. ita sumitur ex *hoc c.* quando dicitur, quòd appellatio ab interlocutoria sententia vel grauamine non seruatis iis, quæ hîc præcipiuntur, pro non appellante haberi debent, idque notauit *Franc. hic. §. Quòd si appellat.*

6 Not. V. Contumax in Iudicio veluti tripliciter delinquit, quia iniuriam ac veluti contemptum infert justitiæ, judici, & parti. ita significatur in fine *c.*

CAPITVLVM II.

Legitima.

PARAPHRASIS.

Si contra Iudicem ordinarium aut delegatum opponatur, quòd sit parti suspectus, jure statutum est, vt arbitri à partibus eligantur, qui de causa suspicionis cognoscant: sin autem ij consentire non possint, tertium aduocent, veluti diremptorem, & quòd ad hoc cogi possint à Iudice, etiam per censuram. prout hæc habentur in *c. Suspicionis. 39. de off. delegati.* Nihilominus quidam arbitri reperiuntur, qui ob vnius partis odium, aut alterius fauorem recusationis quæstionem diutius protrahunt, ita vt causa principalis non cognoscatur, ea propter Innoc. IV. hîc nouum statutum edit, vt Iudex arbitris competentem terminum statuat, intra quem vel ipsi intra se, vel si consentire non possint, cum tertio quæstionem recusationis decîdant; sin minùs, Iudex procedat tanquam recusatus non sit.

Hæc constitutio nihil noui continet, nisi hoc vnicum, quòd Iudex arbitris certum terminum præfigere debeat, intra quem causam suspicionis seu recusationis terminare debeant: quo finito, si arbitri non pronuntiârunt, Iudex recusatus in causa ipsa procedere potest, vide quæ dicta sunt in *c. Speciali. 61. hoc tit.*

CAPITVLVM III.

Romana.

PARAPHRASIS.

Cùm Coëpiscoporum & eorundem generalium Vicariorum seu officialium vnum & idem consistorium sit, ideo si ab officiali aliquo appelletur, non ad Episcopum, cuius Officialis est, appellatio tendere debet (ne alioquin appellatio ab eodem ad eundem fiat) sed ad Curiam Metropolitani.

De hac re dictum fuit in *c. 2. de consuet. in 6. & in c. dilecti. 66. hoc tit.*

SVMMARIVM.

1. *Consuetudo diuturna, si non est rationabilis, non potest dare jurisdictionem.*

2. *Archi-*

2. *Archiepiscopus citans partes super causa appellationis ab interlocutoria aut grauamine, exprimere debet causam, aliàs citatus comparere non tenetur. Negat hanc doctrinam receptam Francus.*
3. *Iudex appellationis partes citare debet.*
4. *Non tamen debet mittere cum citatione partis iudicia quoad inhibitionẽ, si sit appellatum ab interlocutoria, non item si à definitiua, vel interlocutoria vim definitiuæ habente.*

§. Ab Archiepiscopo.

Si ab Archidiaconis aut Decanis, aliisq; Episcopo subiectis Decanis appelletur, appellatio tendere non potest ad Metropolitanum Episcopo omisso, nisi aliud per consuetudinem prouinciæ receptum sit.

1 NOtand. vnic. Consuetudo diuturna, si rationabilis non sit, iurisdictionem dare non potest. *c. Cùm contingat. 13. de foro compet.* & notat *gloss. hîc verb. consuetudine.* esset autem irrationabilis consuetudo, si appellatio fieret ad Iudicem minorem, vel si appellatio fieret ad eum, qui eiusdem fori seu tribunalis iurisdictionem habet. *cit. c. 2.* Talia enim sunt contra rationem ac veluti substantiam appellationis, cùm ea sit vocatio ad maius & superius tribunal. *arg. c. Inferior. 4. dist. 21.*

§. Cùm autem.

Si à Coëpiscopo aut Officiali eius ante sententiam definitiuam appellatum sit ad Metropolitanum, ipse vel Officialis eius partes citare non debet, neque causam alteri delegare, si ratio probabilis appellationi inserta non sit.

PRo intellectu repete quod dixi *in c. 1. h. tit. & lib.* appellationem ab interlocutoria vel grauamine fieri non posse, nisi causâ probabili allegatâ, quæ si probata fuerit, legitima censebitur, hæc autem allegatio causæ fieri debet, non tantùm in scripto seu libello porrecto Iudici à quo, sed etiam in libello porrecto judici ad quem, & nisi talis causa in libello expressa sit, judex ad quem procedere non debet ad citandas partes, aut causam appellationis delegandam, ita explicat *Franc. hîc.* 2

Aliam theoriam ponit hîc *Innoc. n. 2.* qui est author huius Canonis, quod Archiepiscopus in citatione partium super causa appellationis ab interlocutoria, aut grauamine exprimere debeat causam, cùm alioqui citatus comparere nõ teneatur. Si enim Iudex iurisdictionem non habeat in personam, nisi ex causa speciali, seu incidente, tunc debet in citatorio exprimere causam; secus si iurisdictio Iudici competat per se & ordinariè, tunc enim ob reverentiam Iudicis, ne authoritatem eius contemnere videatur, citatus comparere debet, tametsi dubitetur, num sit ipsi subiecta persona, quæ citatur; quandoquidem ipsius Iudicis est cognoscere, num sua sit iurisdictio. *l. Si quis ex aliena. 5. ff. de judiciis.* Aliter tamen dicendum, si notorium sit, Iudicem non esse competentem, seu nulla iurisdictione præditum erga hanc personam, teste *Gloss. ibidem.* Atqui in proposito casu notum est, quòd Archiepiscopus nullam iurisdictionem habeat erga subditos Coëpiscopi sui, nisi in casibus quibusdam exceptis, ergo in citatorio casum seu causam citandi exprimere debet.

Porrò tametsi ipsa appellatio, si nimirum in citatorio dicatur appellatum esse à definitiua causa, sufficiens sit, secus tamen esse videtur in appellatione ab interlocutoria, cùm talis appellatio ad Curiam Metropolitani devolui non possit, nisi ex causa probabili allegata. Hæc est probabilis theoria, quam hîc impugnat Franc. & vsu non receptam ait, atque ad authoritatem Innocentij respondet, hæc eum scripsisse vt Doctorem, non vt Canonis Conditorem.

§. Si verò.

Si post interpositam appellationem ad Me-

tropolitanum vocatis ad ipsum partibus opponatur, vel omnino non fuisse appellatum, vel non intra tempus decendij, aut ex alio capite (puta quia renuntiatum sit appellationi, vel sine causa probabili sub interlocutoria appellatum) appellationem non esse devolutam ad Metropolitanum, tunc ipse inhibere non debet Iudici à quo, nec in causa illa cognoscenda & diffinienda (si ab interlocutoria vel gravamine appellatum sit) ulteriùs procedat; vel (si à definitiva sententia appellatur) ne ad executionem eius progrediatur.

3 NOT. I. Iudex appellationis sive à definitiva, sive ab interlocutoria appellatū sit, partes citare debet. Ita *Anchoran hîc not. 5. Franc. in princ. huius. §. gl. in c. Pertuas. 58. h. tit.*

4 Not. II. Si appellatum sit ab interlocutoria, Iudex appellationis non debet unâ cum citatione partis mittere Iudici à quo inhibitionem; quia inhibere ei non debet processum, nisi priùs causa appellandi probata & justificata sit, quod ipsum in præsentia partium fieri debet. Sicuti explicat *Gail. l. 1. observ. 144. n. 4.* at verò si à definitiva appellatum sit, vel ab interlocutoria vim definitivæ habente (quia finit Iudicis processum) tunc usitatum est, ut Iudex statim cum receptâ appellatione partes citet, etiam inhibeat Iudici à quo, ne ad executionem sententiæ procedat, teste *Gail. l. 1. observ. 130. n. 7. & cit. observ. 144.* videri is etiam potest in *observ. 134. l. 1.* Vbi de compulsorialibus literis agit, quibus Iudici à quo mandatur, ut Iudicii acta edat, sive copiam eorum det.

§. Quod si.

Si appellans coram Archiepiscopo obiiciat, ex causa iniusta, aut irrationabili ante sententiam fuisse appellatum, ideóque non admittendam appellationem, non debet Archiepiscopus aut officialis eius inhibitionem facere, nisi priùs receptâ appellatione cognoverit, causam legitimam & veram esse. Constat hæc doctrina ex §. *Præcedente.* & explicabitur *infrà c. Non solùm. 7. h. tit.*

§. Si autem.

Tametsi appellatus coram Archiepiscopo dicat, appellationem à sententia definitiva factam esse in casu prohibito. v. g. super crimine notorio, vel postquam reus in judicio confessus est, nihilominus tamen Archiepiscopus, postquam cognoscere ceperit, num appellatio recipienda sit, nécne, inhibere potest Iudici à quo, ne sententiam exequatur.

SVMMARIVM.

5. *Si constet, appellationem fuisse illegitimam, aut frivolam, nec judex à quo ei deferre, nec judex ad quem, eam recipere debet, secus est in casu dubio.*
6. *Regula illa:* pendente appellatione nihil innovandum, *referenda solùm est ad judicem à quo, & partes litigantes.*
7. *Subditi Episcoporum non sunt subditi Metropolitani.*
8. *Si malè appellatum à sententia interlocutoria, vel alio judicis gravamine, judex debet causam ad judicem à quo remittere.*

NOtand. Vnic. Si constet, appellationem fuisse illegitimā aut frivolam, nec 5
Iudex à quo ei deferre, nec Iudex ad quem eam recipere debet. sin autem de hoc dubitatur, quia v. g. crimen in judicio confessus allegat, se metu tormentorum confessum; tunc Iudex ad quem appellationem recipere & ante omnia de veritate causæ cognoscere potest, & tunc primùm, cùm videlicet cognoscere incepit, num causa principalis ad ipsum devoluta sit, sive utrum appellationem contra sententiam recipere debeat, executionem eius inhibere Iudici à quo, ita *Anchor. l. not. 10. Franc. n. 2.*

§. In alium.

Si ad Archiepiscopum appellatum sit, post receptam appellationem, inhibere potest Iudici & partibus, ne quid innovent, aut attentent, non autem alteri personæ, cum qua lis nulla est.

NOT. Vnic. Regula illa: pendente ap- 6
pellatione nihil innovandum; referri debet

debet ad Iudicem à quo & personas litigantes, non autem ad aliam personam, quia res inter alios acta alii non præjudicat. *l. Creditor. 60. junct. Gl. ff. mandati.* Quare Iudex appellationis tertium istũ nec citare, nec alium jurisdictionis actum erga ipsum exercere potest, nisi ipsius jurisdictionem impedire velit. uti *gl. hîc.* ait *verb. alium.* Interim non prohibe[illegible] ille tertius, cum quo lis contestata non sit, si velit, atque sua interfit, coram Iudice appellationis comparere, & litem promovere, vel appellanti adsistere. *c. Veniens. 38. de testibus.*

§. Cùm verò.

Qui à Coëpiscopo ad Metropolitanum appellavit, in aliis causis jurisdictioni Episcopi ordinarii sui subjectus manet, eam proinde Metropolitanus aut officialis eius impedire non debet.

7 NOt. Vnic. Subditi Episcoporum non sunt subditi Metropolitani, quare in eos nullam jurisdictionem exercere potest, nisi in casibus jure exceptis.

§. Debet.

Etiam in causis temporalis jurisdictionis ab Episcopo appellandum est ad Metropolitanum, nisi speciali jure, consuetudine, aut priuilegio ad alium appellari debeat.

TAle jus speciale est, si Episcopus feudum habeat, nam in causis feudalibus ad Dominum feudi etiam laicum appellari debet. *c. Extransmissa. 6. & c. Sequentes. de foro compet.* sed & hoc passim, præsertim in Romano Imperio introductum est, ut, quia causæ temporales Ecclesiasticorum apud Advocatos eorum juxta primas fundationes decîdi solent, ab eorum sententia ad Imperatorem, tanquam primarium & universalem Ecclesiarum Advocatum appellari debeat.

§. Sententias.

Si quis appellaverit ab Episcopo ad Metropolitanum; Episcopus autem censuram tulerit in appellantem, non debet Metropolitanus eam revocare, aut irritam declarare, nisi vocatis partibus, & cognito priùs de justitia appellationis. ita intelligit *Dominicus hîc.*

LOquitur autem iste §. non de absolutione, sed de revocatione censuræ, tanquam nulliter latæ v. g. post appellationem legitimè interpositam. Veruntamen hoc ipsum ante omnia cognosci debet, num appellatio legitima fuerit, sive, ut aliis verbis dicatur, appellatio priùs justificari debet, cùm attentata post eam, videlicet excommunicatio lata rescindatur. Sicuti hîc docet *Anchor. not. 15. Abb. in c. Quafronte. n. 6. extra. h. t.* Si enim frivola fuisset appellatio, tunc excommunicatio valeret, & ideo ad cognoscendam justitiam appellationis excommunicator citari debet, cùm de honore ei⁹ agatur, sicuti monet *Abb. l. cit.* Num autem Metropolitanus, excomunicatum ab Episcopo, aditus per viam simplicis querelę aut appellationis absolvere possit, & quo modo, ttaditur in *c. Ad reprimendam. 8. de off. Ordinarij. c. Per tuas. de sent. excom. 6. Ex parte. 23. de verb signif.*

§. Cùm autem.

Si ab Episcopo ante sententiam definitivam appellatum sit ad Archiepiscopũ seu Officialẽ eius, is cognoscere debet de causa appellationis, &, si eam minùs rationabilẽ cognoverit, vlteriùs nõ procedere, sed appellantem ad suum Ordinarium remittere.

NOt. vn. Si appellatũ sit à sententia interlocutoria, alióve Iudicis gravamine, & causa appellandi probabilis, corã Iudice ad quem, reperta non sit, nõ debet is procedere in causa principali, sed remittere ad Iudicem à quo. 8

CAPITVLVM IV.

Vt super.

Paraphrasis.

Innoc. IV. præcepit Judici à quo appellatũ, vt appellanti Apostolos petenti tribuat secundùm priorem eiusdem Innocentij constitutionem, quę incipit: *Cordi.* Sin autem instanter petenti non dederit Apostolos, processus eius postea institutus irritus erit, præterquam si appellationi renuntiatum sit.

Not.

Not. vnic. Si quispiam legitimè ante sententiam appellans petit Apostolos sibi dari, & Iudex expressè vel tacitè sibi neget, processus eius postea institutus non valet, hæc est explicatio, *c. 1. Cordi.* in principio & magis declaratur *in c. Abeo. 6. h.t.*.

CAPITULUM V.

Cum appellationibus.

Paraphrasis.

Si Iudex à quo appellatum, appellationem non admittat, quòd legitima non sit (quādoquidem friuolis appellationibus deferendum non est) appellans verò nihilominus eam prosequatur, Iudex ad quem appellatum, si cognouerit, malè esse appellatum, remittere debet causam iuxta canonicas sanctiones, atque appellantem eodem die, in quo contra ipsum pronuntiatum, ad expensas condemnare; sin verò Iudex à quo appellationem admiserit, ei detulerit, tunc tametsi illegitima sit, vt appareat, Iudicem à quo non rectè detulisse, tamen quia ipse, quantum in se fuit, jurisdictionem à se abdicauit, appellationi deferendo, totius causæ decisio ad Iudicem, ad quem devoluta est, quare necesse non est causam remitti; intelligi autem hæc debent de appellatione facta ante sententiam, non autem de appellatione post sententiam.

Svmmarivm.

1. *Etiamsi judex nolit deferre appellationi, ea tamen parit effectum deuolutiuum.*
2. *Judice à quo deferente appellationi ante sententiam, licet ea friuola fuerit, tota causa principalis deuoluitur ad judicem ad quem.*
3. *Appellatione sententiæ intelligitur definitiua.*
4. *Licet judex à quo detulerit appellationi à definitiua, eâ tamen non institutâ, executio sententiæ judici à quo relinquenda.*

1 NOt. I. Etsi Iudex à quo appellationi deferre nolit, tamen parit effectum devolutiuum, vt appellans appellationem prosequi possit. *c. Sape. 44. extra h.t.*

2 Not. II. Si Judex à quo appellationi ante sententiam detulit, quamuis ea friuola & irrationabilis fuerit, tota causa principalis etiam defertur ad Iudicem ad quem, ita vt eam remittere non teneatur, æquum tamen est, vt remittat, si Iudex à quo propter reverentiam Iudicis superioris detulerat, vide dicta *in c. Interposita. 70. §. ille. h.t.*

3 Not. III. Appellatione sententiæ, si nihil adijciatur, intelligi debet definitiua, cùm hęc sit principalis & vltima, quæ litem absolutè finit.

4 Not. IV. Tametsi Iudex á quo detulerit appellationi à definitiua, tamen, si appellatio justificata non sit, siue Iudex ad quem cognouerit, bene judicatum & malè appellatum, tunc executio sententiæ relinqui debet Iudici à quo. sicuti docet *Ioan. Andr. & alij in c. Pastoralis. 28. præterea de off delegat.*

CAPITVLVM VI.

Ab eo.

Paraphrasis.

Appellans intra dies 30. Apostolos instanter petere debet, alioquin præsumitur appellationi renuntiare, tametsi Procuratorem mittat ad prosequendam appellationem. Quòd verò Innoc. IV. *in c. Vt supra 4. decreuit*, si Iudex à quo Apostolos postulanti non dederit intra dies 30, vt processus eius vlterior (nisi appellationi renuntiatum sit) Irritus existat, id intelligi debet, si Iudex cum debita instantia, loco, & tempore congruo requisitos Apostolos expressè denegauit, vel per malitiam, aut negligentiam tempore illo dictum 30. tradere intermisit.

NOt. vnic. Nisi appellans intra dies 30. Apostolos petat, & quidem instanter, appellationi renuntiare censetur. Dixi de hoc *in c. 4. ext. eod.* & videri potest *Clement. 2. eod. tit.*

CAPI-

CAPITVLVM VII.

Non solùm.

PARAPHRASIS.

Si appellatum sit à definitiva, Iudex appellationis (exceptis casibus, quibus jura appellationem prohibent) ante omnia revocare debet non tantùm, quæ post appellationem, sed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam, aut appellationem mutata & innouata sunt.

SVMMARIVM.

1. *Post appellationem à definitiua acceptatam, judex statim judici, à quo inhibet executionem sententiæ, & post eam attentata rescindi jubet.*
2. *Et tunc causa appellationis non debet justificari. Si tamen attentatorum quæstio altioris sit indaginis, contestanda lis est. Aliàs ea revocanda judicis implorato officio, vel proprio eius motu.*
3. *Post inhibitionem factam & acceptam acta judicis irrita sunt, nullâ obstante exceptione.*

1 NOt. I. Judex quamprimùm appellationem à definitiua recepit, priusquam de meritis causæ cognoscere incipiat, inhibitorias mittit Iudici à quo, ne ad executionem sententiæ procedatur, & vt omnia, quæ post sententiam attentata sunt, rescindantur, dummodo appellatum sit intra dies 10.

2 Not. II. Si appellatum sit à definitiua, articulus appellationis non est distinctus à causa principali, quare necesse non est, causam appellandi justificari, sicuti fit in appellatione ab interlocutoria. Deinde mox, vt Judex cognouerit, intra 10. dies appellatum fuisse, inhibitorias mittit, vt dixi in *1. not.* & notat *gloss. recepta. in c. Venientes. 19. de jurei.* Si tamen quæstio attentatorum altiorem indaginem requirat, super ijs lite contestari debere, docet *Gail. l. 1. obser. 145.* alioquin verò attentata, Iudicis implorato officio, aut etiam proprio eius motu revocentur.

§. Illa.

Si appellatum sit ante sententiam, videlicet ab interlocutoria, aut gravamine: Judex appellationis revocare non debet innovata post eam, nisi priùs justificatâ appellatione, seu cognito, causam legitimè appellandi & veram fuisse; præterquam si Judex, postquam causa probabili coram se allegata, de veritate eius in præsentia partium cognoscere cepit, Judici à quo inhibuerit, ne procedat; nam quæ post inhibitionem innovata sunt (esto causa allegata postea non recipiatur vera) in statum pristinum revocari debent.

3 Notand. vnic. Si Judex ad quem præsentibus partibus cognoscere incipiat de veritate causæ appellationis, inhibitorias potest mittere Iudici à quo, ita quidem, vt, quæcunque à Judice acta fuerint, post inhibitionem acceptam irrita esse debeant, nullâ obstante exceptione, tametsi postea veritas causæ ostensa; seu appellatio justificata non fuerit. Videri potest *Franc. hic. n. 5.*

CAPITVLVM VIII.

Concertationi.

PARAPHRASIS.

Dubitatũ olim erat, intra quod temp⁹ liceat appellare à gravamine extraiudiciali, v.g. factâ electione, postulatione, prouisione. Hoc dubium dirimit Clem. IV. intra dies 10. appellari posse numerãdos à die notitiæ, cùm videlicet appellans scivit gravamen illatum. v.g. electionem factam illegitimè, post elapsos autẽ 10. dies, tametsi appellare non possit aliquis, tamen per alia juris remedia. v.g. electionem irritam esse dicendam, aut rescindendam, eius revocationem petere non prohibetur.

SVMMARIVM.

1. *Extra judicialis appellatio fit à gravamine illato vel inferendo.*
2. *Et annus prosequenda appellationis in hoc casu numeratur à die illati gravaminis.*

3. *Decendium ad appellandum concessum à gravamine illato cognito numerandum à tempore, quo sciuit suum gravamen v. g. electionem in sui præiudicium factam.*
4. *Habens plura juris remedia, ab vno eorum excluſus, vel ſuperatus, altero experiri non prohibetur.*

1 ADverte 1. Extraiudiciale gravamē eſſe, quod extra iudicalē proceſsū infertur.

2 Adverte 2. Appellatio extraiudicialis alioquin fit à gravamine illato. Interdum verò fit à gravamine futuro. v.g. Si quis videat, Canonicos iam eſſe paratos ad eligendum Titium, atque appellet ad Sedem Apoſtolicam, nę talis electio fiat, allatâ ratione probabili, quæ ſi probata fuerit, juſta reputabitur. v.g. Titiū eſſe ſuſpenſum, excomunicatum aut criminoſum. *c. Deſideranimus. 10. de elect.* Quod ſi in caſu hoc capitulares v. g. poſthabitâ appellatione nihilominus procedant ad electionē, tunc ei⁹ valor pendet à futuro evētu. ſi enim appellatio juſtificata fuerit, revocatur electio, ſi nō juſtificata fuerit, cōfirmabitur electio. *cap. Conſtitutis. 46. extra hoc tit. & not. gl. h. v. gravatū*, atq; contra tale gravamen ſemper appellari poteſt, dum inferendū rationabiliter timetur: annus verò proſequēdę appellationis, in hoc caſu numeratur à die illati gravaminis, iuxta *Clem. 3. h. t.*

3 Adverte 3. Decem dierū ſpatiū, quod datur ad appellandum à gravamine illato cognito, numerandū non eſſe à puncto temporis, quo aliquis ſcivit, electionē factā eſſe, ſed cùm ſcivit, in ſui prę iudiciū factā, ſicuti bene notavit *gl. h. verb. Si verò* exemplū dans, ſi aliquis ſciverit, ante 3. dies. v.g. Caio beneficiū collatū, ſed eo tempore ſibi à Pontifice eiuſdē beneficij collationē jam factam fuiſſe neſcierit.

4 Notand. vnic. Si quis plura juris remedia habeat, atque ab vno eorum excluſus ſit, vel ſuperatus, altero experiri non prohibetur. v.g. Si quis appellare intra debitū tempus intermiſit, vel appellationē deſeruit, quia in ea ſuccubuit; poſtea perviā nullitatis agere poteſt, vt hic & in *l. Si expreſſim. 19. ff. hoc tit.*

CAPITVLVM IX.

Appellatio.

PARAPHRASIS.

Sufficit, ſi appellatio in ſcriptis Iudici tradita ſit, quando Scriptura requiritur, licet coram eo lecta non fuerit.

NOtand. vnic. Appellatio ordinariè loquendo fieri debet coram Iudice, & nō coram Adverſario; expedit tamen ei intimare appellationem, vt ſciatur, num in eam conſentire velit, & ne fruſtra morando expenſas faciat,

CAPITVLVM X.

Si à Iudice.

PARAPHRASIS.

Titius ante ſententiam appellavit à Iudice tanquam gravatus, tunc Iudex terminum appellanti conſtituere vult, intra quem gravamen oſtendere debeat, revocationem eius poſtea auditurus. Quæritur, num ad hoc citatus Titius comparere teneatur? Reſp. Bonifacius VIII. quòd Titius non teneatur venire ad probandū gravamen coram Iudice, à quo, cùm ipſemet ſcire poſſit & debeat, num gravârit, nec ne. Accedit, quòd Iudicis juriſdictio per appellationem ſuſpenſa ſit, ideóque citare ampliùs non poſſit; Verùm ſi Iudex ad hoc tantùm citet Titium, vt gravaminis revocationem audiat, ſi eam faciendam arbitretur, tunc comparere debet, alioquin ſi non comparuerit, & Iudex gravamen revocaverit, in cauſa proceſſere poteſt tanquā contra contumacē, perinde ac ſi appellatio interpoſita nō fuiſſet.

SVMMARIVM.

1. *Per appellationem juriſdictio Judicis à quo ſuſpenditur.*
2. *Si tamen judex revocet gravamen, propter quod appellatum eſt, juriſdictionem reſumere poteſt.*

NOt. 1. Per appellationem juriſdictio Iudicis à quo ſuſpenditur, quamobrem ei citanti impunè nō paretur. Ratio eſt, quia, cùm appellatio pariat effectum devolutivum, Iudex ad quem de eius appellationis juſtitia cognoſcere debet, non Iudex à quo. 1

Excipe, quòd Iudex à quo ea agere poſſet poſt appellationem ante ſententiam, quæ tendunt ad faciliorem exitum cauſæ, videlicet revocare gravamen, & ad hanc revocationem videndam citare partes.

Not. II. Si Iudex gravamen, propter quod 2

quod appellatum est, revocauit, jurisdictionem resumere potest, perinde ac si appellatum non sit. *c. Cùm cessante 60. ext. h. tit.*

CAPITVLVM XI.

Collationem.

PARAPHRASIS.

Beneficiũ vacans à Capitulo Cathedrali collatum est Titio in præiudicium Caij (quia fortasse lis super eo inter Caium & defunctum possessorem contestata erat, ideóque ea pendente collatio fieri non debebat. *c. 1. vt lite pendente h. lib.*) eique collationi interfuit Episcopus, postquam verò dictus Caius intellexit collationem factam, voluit ab ea appellare. quæritur, num appellare possit ad Episcopum?

Respondet Papa, si is interfuit tanquam Episcopus seu Prælatus vnà cum Capitulo suo collationem faciens, ad ipsum appellari non potest, sed ad Superiorem eius; sin autem vt Canonicus tantùm interfuit electioni, aut collationi, ad ipsum vt Episcopum appellari nihil vetat.

SVMMARIVM.

1. *Ab iis, quæ in capitulo gesta sunt, consentiente etiam Episcopo vt Canonico appellari potest ad Episcopum, secus est si is interfuit, & consensit vt Episcopus.*
2. *Vnus homo diversis qualitatibus cõsiderari, & diversas veluti personas gerere potest.*

1 NOt. I. Fieri potest, vt aliquis Episcopus, saltem ex Papæ dispensatione, sit etiam Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, quo in casu ab ijs, quæ in Capitulo, etiam consentiẽte Episcopo tanquã Canonico gesta sunt, appellari, aut querelæ deferri possunt ad eũdem tanquam Episcopum; sin autem actum gessit. v. g. collationem vnà com Capitulo fecit vt Episcopus, tunc ad ipsum appellatio deferri non potest. Ratio est, quia impossibile est, vt ab eodem ad eundem appelletur, cùm appellatio sit provocatio ad alterum, eúmque Superiorem; in pstoeriore autem casu appellatio tenderet ad eundem, qui actum gessit. v. g. contulit beneficium, quandoquidem verè dicitur, Episcopum seu Prælatum contulisse, licet non solus, sed vnà cum Capitulo; at verò in priore casu non rectè dicitur, Canonicum actum egisse, seu contulisse, sed Capitulum. Quamobrem etiam eo absente, aut contradicente collationem ab aliis fieri potuisse.

2 Not. II. Vnus homo diversis qualitatibus cõsiderari & diversas veluti personas gerere potest, videlicet vt Episcop⁹, & vt Canonic⁹.

CAPITVLVM XII.

Licet.

PARAPHRASIS.

Sempronius coram Iudice suo litigans ab interlocutoria neglexit appellare, postea verò appellat à definitiva. Quæritur, an Iudex appellationis reformare etiam possit gravamen interlocutorium?

Respondet Bonifacius, esse distinguendum, si enim talis sit interlocutoria, quæ negotio principali præiudicet, vt si à Judice repulsa sit exceptio pacti, præscriptionis, aut quæ judicium retro nullum efficit, tunc Judex appellationis interlocutoriam emendare non potest.

SVMMARIVM.

1. *Exceptionem peremptoriam à judice non admissam appellans à sententia definitiua repetere potest, & judex ad quem, de eâdem cognoscere debet. secus est de exceptionibus dilatoriis.*
2. *Consultum est, vt partes in prima instantia petant, probationes & exceptiones integrè recipi. & in actis judicii accuratè describi.*

1 NOt. vn. Exceptionem peremptoriã, v. g. pacti de non petendo, præscriptionis item exceptioné, quæ judicium retro nullum reddit. v. g. exceptioné falsi testis, aut procuratoris, *c. In nostra. 4. de procurat. c. Cùm Venerabilis. de exceptionib.* Item rescriptum ab excomunicato impetratũ esse. *c. 1. de rescript. in 6.* talem, inquam, exceptioné si Iudex non admiserit, sed repulerit, postea repetere potest is, qui appellat à definitiva, & Iudex ad quem de ea cognoscere debet; secus dicendum est de aliis exceptionibus, quæ dilatoriæ sunt, ita, vt non nisi ante litem contestatã opponi possint; hæ enim si à Iudice rejectæ sint, & excipiens intra decendium nõ appellârit, postea audiri non debet, nec Iudex de talibus exceptionibus cognoscere. *l. Ita demum. 13. C. de procuratoribus.*

Ratio est, quia per interpositam & receptam appellationem à definitiva, causa reducitur ad eum statum, in quo erat tempore litis contestatæ, quandoquidem non allegata allegare, & non probata probare, coram Iudice ad quem, concessum est, dummodò talia sint, quæ post litem contestatam allegari & deduci potuerunt, sicuti *Gl.* monet super hoc cap.

Eapropter consultum est, vt partes in prima instantia petant probationes & exceptiones integrè recipi, & in Actis Iudicii accuratè describi, vtsi aduersarius appellaverit. At verò coram Iudice appellationis nihil novi adferat, nisi quòd in priori Iudicio vtrinque allegatum & deductum fuit. Appellatus vlterius ad articulos nō respondeat, sed referat se ad acta prioris judicii, quippe quæ notorium efficiunt, sicuti notauit *Gail. l. 1. obser. 128.*

TITVLVS XXIX.

DE CLERICIS PEREGRINANTIBVS.

PEregrinantes seu proficiscentes ad Sedem Apostolicā, vulgò Romipetæ dicti, sub eiusdem Sedis protectione esse censentur, instar eorum, qui provocaverunt; quare post Titulum de appellat. subijcitur de peregrinantibus.

CAPITVLVM VNIC.

Conquerente.

PARAPHRASIS.

Presbyter I. ad Romanum Pontificem iter arrepturus non expressit, vt res & Ecclesiæ suæ sub protectione Sedis Apostolicæ essent, postea, cùm profectus fuisset, aliqua ipsi erepta, aut subtracta erant. Hoc casu respondet Cœlestinus III. Quidquid ei post arreptum iter subtractum fuit, restitui debere; propterea quòd ij, qui ad Pontificem Romanum se conferunt, vnà cum rebus suis sub Apostolica protectione securi esse debeant.

SVMMARIVM.

1. *Proficiscens ad Sedem Apostolicam, & bona eius omnia, sunt interim sub protectione eiusdem Sedis, & si quid ablatum esset, mox restituendum.*
2. *Nec quidquam contra attentandum, siue intra, siue extra judicium, aliàs attentata revocanda.*
3. *Excommunicantur in Bulla Cœna Domini excommunic. 9. qui spoliant peregrinantes Romam negotij causâ: excommunicatione autem 10. qui spoliant illuc peregrinantes deuotionis causâ. Discrimen inter vtramque excommunicationem, in quo sit.*
4. *Contra occupantes absentium possessiones admittendi ad agendum coloni, parentes, propinqui, amici, serui sine mandato in possessorio judicio, modò caueant de rato.*

NOT. Vnic. Si quis ad Sedem Apostolicam iter arripuit, is, eiúsque bona omnia interim censentur esse sub Apostolicæ Sedis protectione, ut, si quid ei ablatum, vel ereptum fuerit, mox restitui debeat, nullâ obstante proprietatis exceptione. Ex quo apparet, quòd remedium hujus canonis imitetur remedium attentati post interpositam appellationem, cùm in vtroque restitui debeant, quæ interim immutata, aut sublata sunt. 1

Quæstio autem est, num hæc responsio intelligi tantùm debeat de iis, quæ de facto alicui auferuntur, an etiam de iis, quæ in judicio auferuntur, si videlicet aliquis ad 2

Roma-

Romanum Pontificem, aut Sedem Romanam abiit, nullo bonorum defensore, aut Procuratore relicto; num Iudex contra absentem, si citatione antea præventus non fuerat, procedere possit, saltem ad immissionem in bona eius petita, ex primo decreto, seu custodiæ causâ, juxta *Gl. in c. Consultationibus. 10. verb. Restitutione. de off. delegat.*

Negat *Abbas hîc n. 6.* & colligi videtur *ex text.* loquitur enim de presbytero, qui cùm ad Pontificem iter arripuisset, aliqui res eius diripere præsumpserunt.

Sed contrarium non improbabiliter tradit *Hostiens. hîc.* quem sequitur *Alex. n. 10. & Innoc. in c. Vt debitus n. 2. de appellat.* Ratio reddi debet *ex text.* Quia ad Pontificem aut Sedem Romanam proficiscentes, sub eiusdem Sedis protectione sunt, ideo nihil interim contra eos intra vel extra judicium attentari debet, alioquin revocabitur.

Ad argumentum oppositum respondeo. Si ratio & causa decisionis sit generalis, eam non restringi ex casu speciali, qui de facto propositus fuit Principi, cùm responsio ei aptata fuerit non gratiâ limitandi, sed exemplificandi.

Quare ea de ratione licet casus propositus, & consequenter responsio data fuerit de Clerico peregrinante, tamen communiter docent DD. decisionem huius Capituli eodem modo locum habere in Laicis, cùm generalis ratio data sit, quòd ad Pontificem iter instituens, sub Sedis Apostolicæ protectione esse censeatur.

Verùm quod attinet ad spoliationem aut turbationem de facto, ea alia peculiaria habet. 1. Quòd ij, qui Romipetas spoliant aut capiunt, excommunicationem incurrant, *c. Si quis. 23. causa 24. q. 3.* & in Bulla Cœnæ Domini excommunicatione 9. excommunicantur omnes, qui accedentes ad Romanam Sedem, vel ab ea recedentes suâ vel aliorum operâ interficiunt, spoliant, capiunt, detinent. Et excommunicatio 10. bullaris est contra omnes interficientes, mutilantes, detinentes, capientes, aut deprædantes Romipetas, seu peregrinantes ad Vrbem causâ deuotionis, seu, quod idem, peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes.

Adverte hîc, diuersos esse casus, & distinguendos, num aliquis ad Romanum Pontificem, aut Sedem Apostolicam eat, vel inde revertatur, videlicet propter causam aliquam seu negotium expediendum, & num aliquis peregrinationis causâ Romam eat. de priore loquitur nostrum Capitulum, & excommunicatio Bullæ nona, de posteriore autem loquitur excommunicatio decima. Apparet autem discrimen inter vtramque excommunicationem, sicuti *Suar.* notauit *de censur. D. 21. S. 2. n. 67.* Quia decima amplior est præcedente; pertinet enim illa ad eos, qui devotionis causâ peregrinantur, etiam dum Romæ morantur: at verò præcedens, quæ est de peregrinantibus causâ negotij, locum non habet, nisi dum ij Romam eunt, vel inde recedunt.

Alterum peculiare est in *l. vn. C. Si per vim.* contra omnes eos statutum, qui absentium, possessiones occupant, quòd Coloni eorum, item parentes, propinqui, amici, quin & serui, ad agendum fine mandato in possessorio judicio admittendi sint, dummodò caueant de rato.

TITV-

TITVLVS XXX.

DE CONFIRMATIONE UTILI VEL INVTILI.

POsteaquam fuit actum de sententia, & quomodo ea per appellationē suspendatur, & non interpositâ appellatione per decendium vim accipiat, & in rem judicatam transeat, dubitari posset, quid de sententia judicandum sit, postquam ea à superiore confirmata fuit, quemadmodum Titulus iste de confirmat. &c. ad finem libri subiungitur.

Confirmare actum aliud non est, quàm ei majus robur tribuere, quamobrem supponit actum subsistere, quia, quod non est, non confirmat, nisi clarè significet Superior, se actui valorem daturum, tametsi non subsistat, ita, ut fit innovatio quædam actûs, seu nova concessio aut provisio, ut infrà explicabitur. Ordinariè autem seu secundùm communem formam confirmatio fit de actu subsistente, alioqui non valet, quemadmodum in electi Prælati confirmatione apparet, cuius electio si irrita est, etiam confirmatio irrita est, sin valida electio, tunc confirmatio juri inchoato complementum tribuit, sicuti docet *Suar. l. 8. de legibus. c. 18. n. 1.* Simili ferè modo se habet confirmatio præcedentis judicialis sententiæ, contractûs, priuilegii &c. si enim modo ordinario, seu secundùm communem formam fiat, & sententia aliúsve actus, qui confirmari debet, non subsistat, inutilis est confirmatio eius. Si autem subsistat, tunc utilis est confirmatio eius, maiúsque ipsi robur authoritatem, & indissolubilitatem tribuit.

CAPITVLVM I.

Si quis.

PARAPHRASIS.

Si aliquis super re litigiosa, seu de qua lis in judicio mota est, confirmationem à Sede Apostolica impetrârit, eâ non obstante, Iudex de causa cognoscere, eámque definire potest. sed si impetrans confirmationem eo tempore rem pacificè possidebat, & postea quæstio exorta fuit, non est Iudici concessum de ea cognoscere, aut definire absque Apostolicæ Sedis mandato.

SVMMARIVM.

1. *Confirmatio superioris facta de re litigiosa, nullius roboris est, nisi in ea mentio fiat litis.*
2. *Pacificè possidere dicitur, cui lis nulla super eâ mota est per libelli oblationem.*
3. *Confirmatio, quam facit Princeps de aliquo contractu, vel sententia; est duplex. Vna in forma communi & ordinaria; altera in forma speciali seu ex certa scientia. Confirmatio in forma communi nihil novi juris tribuit, sed actui, si subsistit, & quatenus subsistit, majus robur addit, & authoritatem.*
4. *Partes ipsæ plerumque possunt recedere à sententia, quæ in earum favorem confirmata est, ita & Capitulum à statuto, quod pro suo commodo fecit, & confirmationem eius impetrauit.*
5. *Effectus confirmationis in speciali forma præcipuus est, quòd novum jus tribuat dispositioni, eámque validet, si priùs invalida erat. Modò potestas confirmantis se extendat ad validandum actum.*
6. *Omnis confirmatio est in forma communi ordinaria, nisi aliquo signo ostendatur esse in forma speciali.*

7. Con-

7. *Confirmatio ex certa scientia censetur, quotiescunque ex rescripto confirmationis cognoscitur sufficiens notitia Principis de re, & defectu, qui per eius potestatem est supplendus.*
8. *Afferuntur aliquot limitationes precedentis doctrinæ.*
9. *In hoc præsenti capitulo sermo est de confirmatione in forma speciali.*

1 NOT. I. Confirmatio superioris facta de re litigiosa, seu super qua lis mota est, nullius roboris censeri debet; quare non obstante confirmatione Iudex inferior procedere potest. Excipe, nisi in confirmatione fiat mentio litis, ideóque princeps ex certa scientia plenitudinéve potestatis confirmationem faciat, tunc possessorem securum reddi, ut apud inferiorem Iudicem respondere non teneatur. Quamobrem hæc veluti avocatio quædam causæ censeri debet. Vti indicat *gl. in c. Quia. 5. verb. in forma. de concess. prebendæ. Abb. hic. n. 2.*

2 Not. II. Pacificè rem possidere dicitur, cui lis nulla super ea mota est per libelli oblationem teste *gl. in c. In commissa. 35. verb. pacificam. de elect. in 6.* admonet hîc verò *gl. verb. litigiosè* quam sequitur. *Abb. & Alexand.* quòd instituto Iudicio de possessione, non ideo etiam proprietas rei litigiosa efficiatur; quare dominium rei interim in alium transferri potest. *arg. auth. Litigiosa. C. de litig.* Pro majore intellectu

3 Aduerte, quòd duplex sit confirmatio, quam Princeps facit de aliquo. v. g. contractu, aut Iudicis sententia. Vna dicitur in forma communi & ordinaria, de hac ait *gl. hîc. verb. confirmationem. gl. in cit. c. Quia. Bart. in l. Privilegia. C. de Sacrosanct. Ecclesiis.* quòd nihil novi juris tribuat, sed actui, si subsistit, & quatenus subsistit: maius robur, authoritatémque addat. Considera verba, quæ *dixi per hanc confirmationem nihil novi juris tribui*, quia non innovat actum, seu de novo eum subsistere facit, qui secundùm se irritus est *c. Inter. 10.* ubi docui *de fide instrument.* Sin autem valet actus, qui confirmatur, tunc dat ei robur & authoritatem confirmantis propriam, *juxta. l. 1. C. de veteri jure enucleando.* ubi Imperator ait: omnia nostra facimus, quibus authoritatem nostram impartimus; id enim suo modo etiam intelligendum est de confirmatione in forma communi, ut rectè monet *Suar. cit. l. n. 10.* ubi ait, si confirmatio in forma communi cadat in materiam habilẽ, & effectum suum sortiatur, tunc res illa, quæ confirmatur, non tantùm inferioris, qui eius author fuit, sed etiam superioris, qui confirmat, authoritate subsistit, ita ut confirmans dispositionem suam efficiat, tamen intra limites dispositionis ac valoris eius. Propterea adieci; *si actus subsistit, quòd confirmatio ei robur addit, quatenus subsistit*, quandoquidem confirmatio in forma communi rem, quæ confirmatur, non extendit, sed id, quod invenit, magis corroborat & indissolubile reddit. Exemplum habes in sententia Iudicis, quæ postquam à superiore Iudice in forma communi confirmata est, ab inferiore retractari, aut rescindi non potest, dummodo valida fuerit, & non ipso jure irrita.

Veruntamen ipsę partes, in quarum favorem confirmatio data fuit, plerumque non 4
prohibentur à sententia recedere. v. g. per transactionem, quia nemo invitus beneficio sibi concesso uti cogitur. Eadem ratio est de statuto. v. g. edicto à Capitulo, quòd si Pontifex in forma communi confirmavit, alius nemo Ecclesiasticus Prælatus, Capitularibus invitis, tollere, aut relaxare potest, quandoquidem per confirmationem Pontificiâ authoritate fulget, quam infringere non potest inferior, prout ex communi docet *Fusc. verb. confirmatio. Concl. 709 prope finem.* Sed ipsum Capitulum, quod pro suo commodo statutum fecit, eiúsque confirmationem impetravit, plerumque recedere potest per renunciationem, aut dispensationem. sicuti constat ex *c. Cum accessiss. 8. de constitutionibus:* ubi id explicavi, & videri potest *Suar. l. 6. de legibus. c. 26. n. 14.*

Altera est species confirmationis, quæ 5
dicitur in forma speciali seu ex certa scientia, quia requirit, ut superior confirmans plenam causæ cognitionem habeat. *c. 1. de*

de transactionibus. Et hæc confirmatio præcipuum hunc effectum habet, quòd novum jus tribuat dispositioni, quæ confirmatur, si fortè priùs inualida erat, dummodo confirmantis potestas ad actum validandum se extendat *juxta cit. c. 1.* vbi *gloss.* ait. Si transactio vel pactum fuit invalidum, per confirmationem Papæ sumit vigorem, & sententia Iudicis, quæ non tenet, per confirmationem accipit vigorem. Aliter verò accidit in confirmatione facta in forma communi, sicuti constat in *c. inter. 6. prope finem. de fide instrument.*

Exemplum attuli *l. 1. tract. 4. c. 23. q. 4.* de priuilegiis regularium, quæ si alicui ordini à Pontifice Romano nunc confirmentur in forma communi, & aliqua eorum olim obtenta, postea per *Trident. Concil.* aut Pontifices sublata fuerint, jam non reviviscunt, aut innovantur. Sed vt priùs sublata manent, secus verò est, si privilegium aliquod olim concessum & postea sublatum nunc in forma speciali seu ex certa scientia confirmetur, adeóque innovetur, tum reviviscit, eò quòd nec facultas Pontifici defit ad talia privilegia, nō obstante eorum revocatione, innovanda, neque voluntas, quippe quam sufficienter exprimit, vt suppono.

Quæritur 1. Quo signo cognosci potest, quòd aliquis contractus, transactio, statutum, priuilegium, sententia aliáve dispositio confirmata sit in forma communi aut in forma speciali?

6 Resp. & Dico 1. De hac ponenda est Regula, quòd omnis confirmatio, sit in forma communi & ordinaria, nisi aliquo signo ostendatur, esse in forma speciali. Sicuti ex communi tradit *Thuscus. verb. confirmat. Conel. 708. n. 10. Suar. de legibus. l. 8. c. 18. n. 7.* nam confirmatio, si nihil adijciatur, adeóque secundùm se precisè supponit, rem esse, quæ confirmatur, cùm sit accidens eius; non Entis autem, seu non subsistentis non sunt qualitates.

7 Dico 2. Confirmatio ex certa scientia censeri debet, quotiescunque ex rescripto confirmationis cognoscitur, quòd Princeps sufficientem rei cognitionem habuerit, ideóque non ignorârit defectum, qui per eius potestatem supplendus est, vt quia adiecta fuit clausula ex certa scientia, tunc enim Principi ita testanti credendum est, *Clement. 1. de probationibus.* Eadémque ratio est, si verbis æquipollentibus significetur, Principem non secundùm jura communia confirmationem dare, sed secundùm plenitudinem potestatis, aut non obstante quacunque lege aut consuetudine, quæ in contrarium sit & dispositionem, nisi ita confirmaretur, vitiosam reddere, sicuti declarat *Felin. in c. Cùm inter. n. 7. de exceptionibus. & in c. Nonnull. 20. vallent. 4. de rescript.* Denique si confirmationi inseratur tenor dispositionis confirmatæ, dubium non est, Principem ejus scientiam habuisse, idcóque non obstante defectu aliquo dispositionem confirmare, aut validare voluisse. *juxta c. penult. hoc tit.* vbi id docet *Alb. & alij.*

Excipiendum est 1. Si defectus, quo dispositio laborat, sit contra jus naturale, ideóque indispensabilis, v. g. contractus vsurarius non validatur qualibuscunque adiectis verbis.

Excipiendum 2. Si princeps in defectu, 8
quo dispositio laborat, dispensare nunquam soleat, tametsi absolutè possit, tunc verba illa, ex certa scientia. nō obstantibus. &c. cùm generalia sint, non videntur extendi ad hunc casum seu defectum, nullâ eius speciali mentione factâ, sicuti docui in *cit. c. Inter.*

Excipiendum. 3. Quòd Princeps per clausulam: ex certa scientia, non censeatur derogare alterius juri acquisito, teste *Beroio hic. n. 28.* Paulo de castro *consil. 157.* vbi ajunt: quòd clausula illa non operatur in præjudicium tertii, de quo non apparet Principem specialiter informatum fuisse. Et idem *Beroius, Felin. l. cit. Bald. in l. Impetrata. n. 5. C. Sententiam rescindi non posse.* quòd clausula ea non operatur in iis, quæ Princeps præsumitur ignorare, vti sunt facta commercia, & bonæ consuetudines locorum. videqnæ sunt dicta in *c. 1. not. 3. de transact.*

Quæritur 2. Sítne in hoc Capitulo sermo de confirmatione in forma communi,

an

an speciali, *gl. hîc* putat, in priore parte Capituli sermonem esse de confirmatione in forma speciali.

Alii verò non clarè hoc dubium decîdunt. mihi autem videtur, legenti textum manifestum fore, quòd Pontifex de utroque membro in eadem specie confirmationis loquatur, nisi dicere velimus, eum vitiosâ æquivocatione usum.

Quare cùm communis sit sententia *gloss. verb. de quæstione. Immol. n. 2. Abb. n. 4. Alex. n. 7.* quòd in posteriore parte sermo sit de confirmatione in forma speciali; nam de ea duntaxat verè dici potest, quòd velùti liget manus inferiorum Iudicum, ut de rebus à Pontifice confirmatis cognoscere non possint, multò minùs de valore confirmationis *c. Cùm venissent. 12. de judiciis.* ideo dicendum, quòd etiam in priore parte, sermo sit de confirmatione in forma speciali, seu cum causæ cognitione, sicuti *Beroius. hîc. sentit. n. 28.*

Nec repugnare videtur *Abb. in primo not.* quando generatim ait: quòd confirmatio de re litigiosa ipso jure nulla sit, ideóque Iudicis processum non impediat, nisi mentio fiat litis, ita ut Superior causam ad se advocare censeatur; nam hæc doctrina vera est, tametsi pars litigans tacens de litigio impetret confirmationem cum clausula ex certa scientia, vel ex plenitudine potestatis. *arg. c. ult. ut lite pendente.* præsertim cùm sit communis doctrina apud Beroium & alios, quòd clausula illa non tollat vitium subreptionis.

CAPITVLVM II.

De confirmationibus.

Paraphrasis.

Adversùs Confirmationes, quæ à Sede Apostolica prodierunt, alii inferiores Iudices judicare non possunt, præterquam si novum mandatum accipiant, aut certum sit, eas per falsi suggestionem obtentas fuisse.

Svmmarivm.

1. *Contra privilegia & confirmationes à Sede Apostolica emanantes, inferior judex decernere non potest.*
2. *Neque etiam cognoscere potest de confirmatione in forma communi secundùm se, sive quatenus à Sede Apostolica emanavit, an legitimè facta sit, &c.*
3. *In dubio tamen, num confirmatio data sit in forma communi vel speciali, id cognoscere & definire potest judex inferior.*
4. *Si constet, confirmationem etiam in forma speciali vitio obreptionis laborare, contra illam pronuntiari potest etiam ab inferiore.*
5. *In dubio adversùs confirmationem & rem confirmatam inferior judex absque Sedis Apostolicæ mandato nihil decernet.*

NOtand. I. Contra privilegia & confirmationes à Sede Apostolica emanantes inferior Iudex decernere non potest, *arg. cit. c. Cùm venissent. de judic.* debet autem hoc potissimùm intelligi de confirmationibus in forma speciali, seu ex certa scientia: at verò contra confirmationes in forma communi Iudex inferior per accidens cognoscere ac decernere potest, quia cùm ea novam concessionem non contineant, sed fundentur in re confirmata, ideo, si Iudex inferior dispositionem, quæ confirmata est, secundùm se irritam esse, cognoscat, consequenter etiam, accessoriè ipsam confirmationem nullius roboris esse, pronuntiabit; quia ruente principali ruit etiam accessorium. Sicuti explicat *Suar. l. 8. de legibus. c. 18. n. 2.* Veruntamen si quæstio oriatur de confirmatione in forma communi secundùm se, sive quatenus à Sede Apostolica prodiit, num legitimè facta sit &c. Iudex inferior cognoscere nequit teste *Innoc. in cap. Præcedente.*

Id quoque bene monet hîc *Joann. Andr. in fin.* quòd Iudex inferior orto dubio, num confirmatio data sit in forma communi, an speciali, id cognoscere & definire

possit, ut sciat, num sua jurisdictio super negotio confirmato, sit fundata, nécne: quemadmodum Iudex à quo appellatum, cognoscere potest, num appellatio frivola sit, nécne, ut sciat, num ei deferre debeat, licet ipsimet causæ appellationis se immiscere non possit.

4 Not. II. Si manifestum sit, confirmationem etiam in forma speciali vitio obreptionis laborare, contra illam pronuntiari potest etiam ab inferiore; tametsi enim clausula, *ex certa scientia*, videatur excludere præsumptionem subreptionis, ea tamen præsumptio cessat, si contrarium manifestum sit. Imò verò si particulares circūstantiæ facti adsint, quas Superior probabiliter ignorâsse præsumitur: vel si eas non ignorâsset, tunc specificè expressurus fuisse (eò quòd vel stylus Curiæ, vel lex specialis talem expressionem requirat, ut in *cap. vlt. vt lite pend.*) tali casu maior est præsumptio pro subreptione, iuxta ea, quæ dixi cap. præcedente.

5 Ita tamen, ut, si res dubia sit in utramque partem adversùs confirmationem & rem confirmatam, inferior Iudex absq; Sedis Apostolicæ mandato non decernat, ut in hoc cap. dicitur, & notavit *Alexand. hic n. 2.*

CAPITVLVM III.

Bonæ.

Paraphrasis.

Lis fuit inter Caium & Titium, quam Papa Judicibus delegavit; ij pro Caio sententiam dixerunt, quare Titius appellavit ad Papam, sed Judices, appellatione non obstante, sententiam executioni mandârunt, cùm autem Titius quantocyùs iter arriperet ad Sedem Apostolicam, literas impetraturus, pro retractatione sententiæ, Caius eum præveniens ab eadem Sede rescriptum confirmatorium promulgatæ sententiæ priùs obtinuit, in quo nulla mentio fiebat appellationis. Quare dubitatum fuit, obtentæ num literæ à Caio præiudicent literis postea à Titio impetratis, an vice versâ?

Respondit Cœlestinus III. Quòd literæ posteriores prevalere debeant primis; sin autem literis prioribus mentio facta sit appellationis, tunc non obstante, quòd in secundis literis generalis clausula erat, *nullis priùs datis literis veritati ac justitiæ præiudicantibus*, tunc primæ literæ vigorem habeant, donec de iniquitate sententiæ cognitum fuerit; secus autem est; si in posterioribus mentio specialis fiat, de literis confirmationis priùs impetratis.

Svmmarivm.

1. *In impetratione rescripti posterioris, opus non est mentionem facere rescripti priùs impetrati, si illud irritum sit, aut per exceptionem elidi possit.*
2. *Clausula generalis addita rescripto ad judices delegatos super causa appellationis:* non obstantibus prioribus literis, *si veritati aut justitiæ præiudicet, non tollit confirmatorias latæ priùs sententiæ. Quis sit germanus sensus huius Capituli aliàs obscuri.*
3. *In dubio is intellectus Canonis præferri debet, qui ad titulum pertinet, sub quo Canon est positus.*

1 NOtand. I. In impetratione rescripti posterioris opus non est mentionem facere rescripti priùs impetrati, si illud irritum sit, aut per exceptionem elidi possit. Ita *Glossa in cap. Ex tenore. 16. verb. negotio. de rescript. Abb. num. 2.* & sumitur ex hoc capit. nam Titius impetravit literas Iudiciales super revocatione executionis sententiæ, quæ facta fuit post appellationem, nullâ mentione factâ literarum, quæ priùs à Caio obtentæ erant super confirmatione sententiæ, & tamen literæ Titij posteriores validæ judicantur, eò quòd literæ priores subreptitiæ fuerint. qua de re videri potest *Glossa in c. Super. 20. verb. literas. de rescript.*

Ratio

Ratio est, quia universim loquendo literæ ideo ob taciturnitatem veri vitiantur, quia si Princeps cognitam habuisset circumstantiam, aut qualitatem, quæ dissimulatur, rescriptum non dedisset, vel non tali modo dedisset; sin autem ponas, priores literas ob aliquem defectum fuisse irritas aut infirmas, tunc ijs non obstantibus Princeps posteriores literas dedisset; ergo. Qua simili ratione literæ impetratæ pro confirmatione sententiæ censebantur validæ, licet impetratæ sint post appellationem, nullâ eius factâ mẽtione, si ponas, appellationem fuisse irritam, aut desertam, aut ei renuntiatum, sicuti *Alexand.* notat *hîc n. 6.* Quia taciturnitas seu dissimulatio veri, non vitiat rescriptum eius rei, quæ si fuisset expressa, nihilominus rescriptum tale datum fuisset, sicuti docui *in cit. c. Super.*

2 Nota II. Clausula generalis addita rescripto ad Iudices delegatos super causa appellationis, *non obstantibus prioribus literis*, si veritati aut justitiæ præiudicet, non tollit literas confirmatorias latæ priùs sententiæ. Veruntamen cùm eæ in forma tantùm communi datæ sint, earum vigor manet in suspenso; si enim Iudices delegati super appellatione, decernant, rectè judicatum, & malè appellatum, tunc confirmata manebit sententia. Sin verò decernant, malè judicatum, & bene appellatum, tunc corruente sententiâ, corruit etiam confirmatio eius, iuxta ea quæ dixi *in cit. cap. h. tit.*

3 Atque hanc esse germanam huius Capituli, alioquin obscuri, explicationem, colligit *Glossa hîc ex Rubr.* siquidem in dubio is intellectus Canonis præferri debet, qui ad titulum pertinet, sub quo positus est Canon; qua ratione *Gloss. in cap. Tibi. verb. certo. de rescript. in 6.* ostendit, quòd executor beneficialis delegatam jurisdictionem habet, quia de eo agitur sub titulo de officio Iudicis delegati.

cap. Si super. 9. de offic. deleg. in 6.

CAPITVLVM IV.

Cùm dilectæ.

Paraphrasis.

Cùm Abbatissa Gardevensis & sorores petivissent ab Innoc. III. privilegia sua, quod ob vetustatem consumerentur, renovari: Papa mandavit 4. Episcopis, & totidem Abbatibus, ut ea diligenter inspecta & transumpta (quia propter viarum distantiam originalia mittere securum non erat) ipsi sub sigillis suis transmitterent, quod cùm factum esset, volebat Pontifex privilegia innovare, sed oppossuerunt se Canonici quidam, eò quòd Hildesheimensis Ecclesia ampliùs 100. annis in possessione Monasterij eius esset; quamobrem Papa innovationem distulit, & Iudicibus delegatis mandavit, ut ad locum idoneum se conferentes, citatis partibus, super ea re cognoscerent. Verùm ab his pars una Ecclesiæ Hildesheimensis ad Sedem Apostolicam appellavit, postea dicta Abbatissa iterum petivit privilegia sui Monasterij innovari, sed pars adversaria postulavit causam viris discretis committi, qui testes producendos reciperent ad reprobanda privilegia Monasterij, & probandam præscriptionem Ecclesiæ Hildesheimensis. Pontifex autem perpendens, civili jure statutum esse, si periculum sit, ne veritas occultetur, & probatio eius deficiat, ut etiam, lite non contestatâ, testes valetudinarij, senes, & alij recipiantur, de quibus causa rationabilis adest timendi, ideo eiusdem æquitatis ratione judicavit, privilegia illa, quia nimiâ vetustate consumpta erant, & non in pergameno, sed in papyro conscripta, innovanda esse, ita tamen, ut ex hac innovatione nullum jus novum Monasterio acquiratur, sed, si quod antea habuit, per innovationem conservetur. Cæterùm, quia

Monasterium ad Sedis Apostolicæ proprietatem pertinere ex Pontificio indulto cognoscitur, ideo, ne jus Ecclesiæ Romanæ indefensum permaneat, ipsam Abbatissam Pontifex Procuratricem eiusdem Ecclesiæ constituit, ita, ut vices eius in judicio agat & causam defendat, quandoquidem adversùs Romanæ Ecclesiæ possessiones & jura non nisi centenaria præscriptio prævalere potest, quamobrem, cùm Pontifex nolit, quæstionem de statu Monasterii diutius hærere, mandat hîc Decano Paderbornensi, ut locum tutum & commodum eligens recipiat testes, quos vel Hildesheimensis Ecclesia ad probandam præscriptionem, vel Monasterium ad præscriptionis interruptionem ostendendam produxerit. Quòd si præscriptio centenaria legitima probata fuerit, neque interruptio oppositа demonstrata, tunc subjectionem Monasterii adiudicet Episcopo Hildesheimensi, cùm constet, Monasterium in eius diœcesi situm esse, ac postea privilegium innovatum destruat; alioquin verò Episcopo super hac causa perpetuum silentium imponat, & Monasterium perpetuâ libertate gaudere decernat, privilegio Apostolico eidem confirmato.

SVMMARIVM.

1. *Originalia plura confici consultum est, v. g. plura testamenta authentica, ut uno amisso alterum habeatur.*
2. *In periculo corruptionis vel perditionis instrumenta renovari possunt, etiam in absentia partis adversariæ, ac lite non contestatâ.*
3. *Exceptio in casu à communi regula excepto valere etiam debet in aliis similibus casibus.*
4. *Vti confirmatio, ita innovatio privilegii propter vetustatem nihil novi juris tribuit, sed antiquum conservat. Potest ea fieri, etiam absente adversario.*
5. *Contra exemptionem Monasterii; alteriùs-ve Ecclesiæ Ordinarius, quatenus est ex parte suæ Ecclesiæ, præscribit annis 40. ex parte autem Sedis Romanæ annis centum.*
6. *Mulier nec judex esse, nec advocati, aut procuratoris officio fungi potest, potest tamen esse ad negotia advocatrix.*

NOt. I. Consultum interdum est, ut plura originalia conficiantur. v. g. plura testamenta authentica, ut uno amisso alterum habeatur. *l. unum. 24. ff. de testament. ubi gloss. marginalis post gl. in c. Ex tenore. 17. verb. negotio. de rescript.* ait: non nociturum, si quis ob periculum, quòd viæ v. g. securæ non sint; duo eiusdem tenoris rescripta ad lites impetret, quòd si verò aliquis unum tantùm habeat originale, quod transferri securum non sit, tum illud vidimari seu transcribi curet, adhibito Notario publico, nam tali transumpto, seu vidimus, etiam omisso originali par fides adhibetur. *c. penult. & ult. de fide instrument.* & videri potest *gloss. in c. Cùm in jure. 31. verb. super mandat. de officio deleg.* 1

Not. II. Instrumenta, si periculum sit, ne corrumpantur & pereant, renovari possunt, etiam in absentia partis adversariæ, ac lite non contestata: nam ita jure constitutum est de testium receptione. *c. vlt. vt lite non contest. §. sunt alij.* Accedit quòd res ista sit modici & facilè reparabilis præiudicij, ita ut summaria cognitio sufficiat, nec litis contestatio opus sit, sicuti post Innoc. docet hîc *Abb. n. 21. Gail. l. 1. obseru. 23. n. 3.* 2

Not. III. Si casus à communi Regula exceptus sit, exceptio non tantùm in eo, sed & in aliis similibus locis locum habere debet. ita *gl. in l. Illud. 16. §. alia. C. de sacrosanct. Ecclesiis. Beroius hîc n. 10.* & sumitur ex hoc cap. nam quòd testes valetudinarij ante litis contestationem recipiantur, est casus exceptus à Regula, qui tamen propter similitudinem rationis extenditur ad innovationem privilegij, si periculum in mora sit. 3

Ex-

Ex quo infertur, quòd extensio ob similitudinem sive identitatem rationis etiam in exorbitante dispositione quandoque locum habere possit.

4 Not. IV. Quemadmodum confirmatio privilegij, ita & innovatio propter vetustatem nihil novi juris tribuit, sed antiquum, si quod inerat, conservat. Potest autem innovatio fieri etiam absente adversario, dummodo originale sufficienter legi possit. *cap. Cùm olim. 12. de privilegiis.* & videri potest hîc *Alexand. n. 25.*

5 Not. V. Contra exemptionem Monasterij, alteriúsve Ecclesiæ Ordinarius, quatenus est ex parte suæ Ecclesiæ, præscribit annis 40. quatenus verò est ex parte Sedis Romanæ, non præscribit nisi 100. annis, vti etiam ex *cap. Ad audientiam. 12. de præscriptionibus colligitur.* Quia igitur Abbatissa agere poterat pro juribus Monasterij; quippe cui administratio competit; ideo Pontifex eidem potestatem & mandatum dedit, etiam nomine Sedis Romanæ agendi. *arg. c. 3. de transactionibus.* vbi habetur, in casu, quo Abbas actum expedire non potest sine Conventu. v. g. transactionem facere, mandatum Conventûs requiri. Idipsum videtur dici posse de Abbatissa, quòd in simili casu, si videlicet causa communis ipsi sit cum Conventu suo, eam in judicio agere possit partim suo nomine, quatenus Administratrix Ecclesiæ est, partim verò nomine & ex mandato Conventûs, ut Procuratrix eius, quamvis *Innoc. & gl. hic. verb. Procuratrix*, probabiliùs esse putent, quòd Abbatissa dispensativè seu ex gratia speciali Procuratrix constituta fuerit, cùm alioqui mulier hoc munere fungi non possit in judicio, sicuti habetur *in l. 2. ff. de Regul. Iur.* quòd mulier ab omnibus civilibus publicis muneribus excludatur, ita vt nec Iudex esse, nec Advocati, aut Procuratoris officio fungi possit.

6 At verò ad negotia mulier potest esse advocatrix. *l. 3. §. hæc verba. ff. de negotiis gestis.*

CAPITVLVM V.

Ad nostram.

Paraphrasis.

Quidam Canonici Regulares Ecclesiæ Nemausensis ab Innoc. III. suarum administrationum confirmationem impetrârunt, tacito, quòd essent Regulares, id cùm ex Præposito eiusdem Ecclesiæ cognovisset Papa, mandat Episcopo & Præposito Vticensi; si ita se res habeat, vt confirmationem irritam & inanem esse declarent, propterea, quòd Sedes Apostolica non soleat talia regularia beneficia regularibus personaliter confirmare.

Svmmarivm.

1. *Regulari Papa non solet quoad propriam eius personam facilè confirmare administrationem beneficii sui Regularis, ita vt à suo Prælato amoveri non possit.*
2. *Si tamen constet, Papæ fuisse cognitum, quòd beneficium regulare sit, & ab eo confirmetur, amoveri ab eo regularis non poterit, seclusо crimine depositione digno.*
3. *Refutatur Sanchez oppositum* l. 7. Moral. c. 29. n. 130. *sentiens.*
4. *Confirmatio aut collatio facta Regulari ab Episcopo, censetur facta iuxta naturam beneficij regularis, ita vt Religiosus maneat obedientiarius Prælati sui.*
5. *Religiosus curatus beneficij sæcularis, & non tantùm Vicarius sui Prælati Monasterij, cui Parochia incorporata est, revocari à Prælato suo non potest.*
6. *Prælatus Regularem à manuali beneficio revocare potest pro libitu, etiam nullâ expressâ causâ.*
7. *Nisi ex malitia eum removere vellet, tunc supplicare posset Superiori, & ab eo audiendus esset.*
8. *Vel si vigeret consuetudo, vt intra certum tempus non revocetur, sine causa revocari non posset.*
9. *Prælatus Regularem validè & licitè revocare potest à manuali beneficio, etsi provisisset*

mississet ei, se non avocaturum.

10. Et si juratò promisisset, teneret tamen revocatio & amotio à beneficio, & probabiliter Prælatus non periurus esset.

11. Declaratur, quomodo salvo voto Obedientiæ Regularis beneficium perpetuum possidere possit, à quo à Prælato amovibilis non sit.

12. Beneficium Regulare, quod ex propriâ institutione manuale est, per præscriptionem cum bona fide fieri potest perpetuum.

13. Resolvitur quæstio: an beneficium manuale, quod Papa Religioso contulit, à Prælato Regulari revocari possit.

14. Cur regularem provisum secundùm viam juris devolutis ad Sedem Apostolicam Prælatus revocare possit, non item provisum per viam præventionis & concurrentiæ?

15. Regularis beneficiarius extra claustrũ cui obedire debeat, Prælato, ah Episcopo loci?

16 De redditibus beneficij plenè uniti Monasterio, Prælatus disponere potest, tanquam de bonis eiusdem, relictâ tamen congruâ sustentatione Religioso veluti Vicario manuali.

17. Religiosi S. Benedicti ex speciali constitutione subsunt in omnibus Abbati, & per eum removeri possunt à beneficio regulari, ad id promoti ex provisione Papæ vel eius Legati.

1 NOr. vnic. Papa non facilè solet regulari quoad personam suam confirmare administrationem beneficij sui Regularis, ita ut à suo Prælato amoveri non possit: nam talis concessio abstrahit Regularem à perfectione obedientiæ & paupertatis *arg. cap. Abbates. 18. §. Monachi causa. 18. q. 2.* Quare docent DD. prout explicavi *l. 4. tr. 2. cap. 2. num. 5.* quòd beneficia regularia plerumque sint manualia, ita ut beneficiarius, seu cui administratio beneficij commissa est, arbitratũ Abbatis seu Præpositi regularis amoveri, & ad claustrum revocari possit. *cap. Cùm ad Monasterium 6. §. tales de statu Monach.*

2 2. Veruntamen si extra dubium sit, Pontifici cognitum fuisse, quòd beneficium regulare sit, illúdque in favorem personę, seu proprio motu, seu ad instantiam confirmet, censeri debet provisio beneficij regularis adeò rata, ut ab inferiore Prælato amoveri non possit provisus, secluso crimine depositione digno: uti colligitur ex hoc *cap. & sequent.* & docet *Innocent. in c. Nisi. de præbendis. Franc. in cap. vlt. num. 3. de offic. Ordinar. in 6. Navarr. consil. 14. num. 16. de statu Monach. edit. 2. Azor. t. 1. l. 12. cap. 9. quæst. 2.*

3 Id verò difficile apparet, quòd docuit *Sanch. l. 7. moral. 29. num. 130.* Si Papa Religioso beneficium regulare absolutè confirmet, revocari posse à Prælato, eò quòd Pontifex non censeatur naturam beneficij mutare velle: nam contrarium colligitur ex cap. sequente, ubi Pontifex ait: Si rescriptum papale producatur, in quo Religioso beneficiũ regulare confirmatum sit, de falsitate suspectum esse & lacerandum, quia Pontifex non soleat tales confirmationes facere, quod *gloss. ibi verb. confirmantur Abb. num. 4. & 5.* limitat, nisi appareat, quòd ex certa scientia processerit confirmationis rescriptum; in dubio verò id non præsumendum, cùm sit præsumptio contra impetrantem; sin autem Pontifex in rescripto exprimat beneficij qualitatem, quòd regulare sit, tunc non potest esse dubium de scientia Papæ, quod etiam Rodriquez significat, *T. 1. Regular. quæst. 34. art. 2. Azor. loc. cit.* ubi pro eodem habere videntur, Papam confirmare ex certa scientia, & cum expressione qualitatis.

Rationem dare debemus, quia si Papa sciens, esse beneficium regulare, collationem eius in gratiam personæ confirmet, intentio eius est, robur & authoritatem tribuere, consequenter beneficiarius, ita confirmatus, arbitrio Prælati inferioris amoveri non potest, cùm alioquin ferme inutilis esset confirmatio Papæ, sed neque decóra

decôra Sedi Apostolicæ, si ab ea confirmatus in beneficio paulò pòst, vel saltem, cùm voluerit Abbas, removeri posset. Quare etiam *Suarez* ait, per confirmationem Papæ Religiosum fieri obedientiarium Papæ, & beneficium ipsi plenè concedi. Ad argumentum Sanch. facilè Resp. negando, mutari naturam beneficij mannalis, quandoquidem favor iste, quòd confirmatus amoveri non possit ab inferiore, sed usque ad finem vitæ administrationem beneficij habere debeat, personalis est. personâ autem mortuâ aut depositâ redit beneficium ad suam naturam.

4 De Episcopo confirmante Regularem, quem Prælatus præsentavit ad beneficium regulare, alia ratio est. cùm enim Episcopus non possit contra sacros Canones beneficium manuale conferre Regulari ad tempus vitæ, ideo eius confirmatio, aut collatio fieri censetur secundùm naturam beneficij regularis, ita ut Religiosus provisus obedientiarius maneat Prælati sui, sicuti notat hîc *Alexand. n. 13.*

5 Loquimur autem de Regularibus beneficiis, non sæcularibus: hæc enim suapte naturâ seu jure ordinario perpetua sunt. itaque si Religiosus cum legitima licentia præficiatur beneficio sæculari. v. g. Parochiæ, ita, ut ipse sit curatus, & non tantùm Vicarius Prælati Monasterij, cui Parochia incorporata est, hoc casu revocari non potest, quia promotio Religiosi. v. g. Regularis Canonici intelligitur secundùm naturam beneficij, quod, ut pono, titulum perpetuum habet, sicuti notavit *Abb. in cap. 2. num. 3. de statu Monach.* ubi ait: quòd talis desinat habere communicationem cum Monasterio. Quamvis interim habitum gerere debeat, & Regulam Ordinis, quatenus potest, commodè observare. *argum. c. penult. de vita & honest. Clericor.* videri potest *Suarez*, qui eadem tradit de beneficiis regularibus extra claustrum, si perpetua & irrevocabilia sint.

6 Quæritur 1. Utrùm Prælatus Regularem, cui manuale beneficium collatum est, revocare possit pro libitu, etiam nullâ expressâ causâ. Affirmandum est ex *cit. cap.* 7
Cùm ad Monasterium. & Clement. un. de excessibus Prælat. ubi dicitur: quòd tales liberè possint ad claustrum, cùm oportuerit, revocari. non autem liberè fit, ad quod faciendum causa aliqua requiritur, idque ex communi notavit *Sanchez loc. cit. num. 120. Suarez contra Rodriq. t. 1. quæst. 34. art. 2.* ubi ait: quòd Monachus, si sine causa à Prælato removeatur, Superioris Judicis officium implorare possit, citátque *Innocent. in cap. Insinuante. num. 2. qui Clerici vel vouentes.* qui tamen aliter loquitur, & rectè, si occurreret casus, in quo Abbas vellet ex malitia removere Monachum à loco, quem ei deputavit, posset supplicare Superiori, & Superior eum audire deberet ad similitudinem servi. *l. 1. Cod. de precibus Imperat. offerend.* quod etiam tradit *Dominic. in cap. Cùm singula. Column. 2. de præbend. in a.* Addit præterea Suarez, si urgeat consuetudo, ut saltem intra certum tempus à Prælato non revocetur Beneficiarius, tum revocari non posse sine causa. 8

Quæritur 2. Si Prælatus promisit Regulari, quòd eum à beneficio manuali revocare nolit, an nihilominus possit non tantùm validè, sed etiam licitè revocare. 9

Affirmandum cum *Abb. hîc n. 9. Franc. in cap. vlt. n. 3. de offic. Ord. in 6. Sylvest. V. Abbas. quæst. 3. dicto 7. Sanch. cit. cap. 29. n. 125.* & aliis contra *Navarr. cit. consil. 14. num. 13.* Probatur, tum quia Prælatus naturam beneficij manualis mutare non potest: tum quia impossibile est, ut Religiosus aliquam rem suapte naturâ dependentem à voluntate Prælati irrevocabiliter obtineat, idque propter obedientiæ votum, cui renuntiare non potest, uti colligitur ex ijs, quæ dixi *l. 4. tract. 4. cap. 7. n. 14. & tr. 5. c. 7. n. 19.*

Sed etsi jurârit Prælatus, se non avocaturum, nihilominus facta postea amotio vim obtinebit, teste *Abb. hîc num. 10. Alexand. num. 14.* ait verò *Sanch. loco cit. &* 10

Abb

Abb. in cit. cap. Cùm ad Monasterium. n. 12. Prælatum periurum fore, si revocet, ideòq; saltem ex virtute Religionis obligari ad non revocandum. Ego verò puto, oppositum probabiliter dici posse per ea, quæ docui *l. 4. tract. 3. c. 6. assert. 6.* Si promissio sit contra bonos mores, ita vt disciplinam solvat, aut peccandi occasionem præbeat, tum juramẽtum ipsi accedens irritum & non obligatorium esse. At verò in casu nostro promissio non revocandi obedientiarium Religiosum est contra bonos mores, cùm Regularem observantiam & obedientiæ virtutem imminuat. Ergo. Tametsi enim honestatis ac disciplinæ regula non repugnet, si Prælatus Religiosum totâ vitâ suâ in officio vel administratione relinquat, tamen vt se ad id quomodocunque obliget, sub peccato id honestari repugnare, ideóque impossibile videtur.

Objicies, quædam etiam regularia beneficia esse perpetua. v. g. Prioratus, qui per electionem conferuntur. *cit. c. Cùm ad Monasterium*, & notavit *gloss. in c. Cùm inter. 16. dum viveret. de elect.* & docui *l. 4. tr. 2. c. 4. n. 5.* igitur nihil repugnat voto obedientiæ, quòd aliquis Regularis beneficium possideat, ita vt amoveri non possit à Prælato.

11 Resp. Votum obedientiæ à Religioso editum ad ea extendi, quæ Prælati Regularis dispositioni ac voluntati subiecta sunt, non autem ad ea, quæ secundùm universales Canones aut Pontificiam potestatem excepta sunt. tale autem est beneficium perpetuum, seu jus alicui collatum beneficij perpetui Regularis aut Sæcularis; nos autem suprà egimus de beneficio manuali, quod proviso jus quidem ac titulum confert, iuxta *Clement. un. de supplend. neglig. Prælat.* Sed dependentem à voluntate Prælati, consequenter tale beneficium sub voto obedientiæ tanquam materia seu obiectum continetur. His addit porrò *Abb. loco cit. Sanch. n. 127.* tametsi Abbas cum Conventu statutum ediderit, ut concessio beneficij regularis perpetua & irrevocabilis sit, quòd nihilominꝰ Prælatus etiã invito Conventu revocare possit. nam Abbas seu Præpositus etiam cũ Conventu non potest facere statutum, quo eius gubernativa potestas erga subditos regulares minuatur aut impediatur, sicuti ex communi docet *Sylvest. verb. Abb. q. 4. n. 7. Rodriq. t. 3. q. 29. a. 9. Sa. verb. religio. n. 66. arg. l. Legatus. 20. ff. de off. Præsidis.* vbi dicitur: quòd Legatus Cæsaris abdicando non amittit Imperium, nisi resignet in manu ipsius Principis. Deinde etsi ponamus, Prælatum seipsum obligare posse statuto, tamen successorem non posse, nisi à Sede Apostolica statutum confirmetur.

Quæritur 3. Si immemoriali consuetudine observatum fuit, ut Regularis amotus non fuerit ab administratione, num Prælatus jus amovendi amiserit.

Negat universim *Abbas hic n. 12. Alexander n. 16. Sanch. n. 117.* vel enim Prælatus nũquam revocare aggressus est, vel aggressus, sed beneficiarius ei resistendo permansit: neutro in casu constituitur jus consuetudinis; non in priore; quia per actus, aut omissiones merè voluntarias non inducitur obligatio, & præscriptio; nõ in posteriore, quia subditus contra Prælati obedientiam præscribere non potest. *cap. Cùm non liceat. 12. de præscriptionibus.*

Sed arbitror, negari non posse, quin bene- 12
ficium regulare, quod ex propriâ institutione manuale est, per præscriptionem cum bona fide fieri possit perpetuum. Sicuti docuit *Suar. t. 4. cit. l. 3. c. 19. n. 20.* Si videlicet ob communem persuasionem ac famam, beneficium esse perpetuum, ita cum bona fide possideatur à regulari. hoc casu concurrunt omnia ad præscribendum necessaria, videlicet temporis diuturnitas, bona fides & possessio beneficij tanquam perpetui & irrevocabilis, præsertim si Prælatus velit revocare, & regularis opponat, esse perpetuũ, & Prælatus acquiescat, tunc non agit Regularis contra votum obedientiæ, cùm respectu huius beneficij sit in possessione immunitatis & exemptionis cum bona fide, & sic patet Responsio ad argumentum. vide quæ docui *l. 3. tr. 1. de just. c. 8. n. 8. & 9.*

Quæritur 4. Si Papa beneficium manuale Re-

le Religioso contulit, num à Prælato Regulari revocari possit?

13 Respondeo & Dico 1. Si Pontifex contulit jure devoluto propter negligentiã Prælati Regularis, qui intra 6. menses vacante beneficio provisionem non fecit, Prælato non est adempta revocandi facultas, dummodo non agat malitiosè, quod facere præsumetur, si absq; causa statim avocet provisum à Papa. Hæc legentur & colligentur ex *Clement. vn. de suppl. negl.*

Dico 2. Si Papa Religioso beneficiũ regulare, quod manuale est, contulit, non potest ei à Prælato auferri, sed à solo Papa. Hæc est communior sententia. *Dominic. in c. vlt. col. 2. ibid. Franc. n. 3. de offic. ordinar. in 6. Decij hîc n. 16. Azor. t. 2. l. 3. c. 26. q. 15.* Probatur 1. Quia postquam Pontifex manum apposuit, inferior se intromittere non debet *arg. c. Cum in distribuendis. 12. de temporib. ordin.* & notat *Abb. in c. Postulâstis. 10. de Cler. excommunicato.* 2. Cùm Papa plenissimam habeat circa beneficia dispositionem. *c. 2. de præbend. in 6.* ideo si ipse collationem faciat, ea largè explicãda est; sicuti docet *Thuscus verb. confirmatio Conclus. 708. n. 48.* præsertim in casu nostro, vt concessio Papæ duret, & non statim, aut saltem secundùm arbitrium alterius auferatur, ideóque quasi illusoria sit.

Contrarium tradit *Abb. hîc n. 8. Alex. n. 13.* & alij apud *Sanch. n. 134.* Quia Pontifex cõferendo non censetur mutare velle manualis beneficij naturam. Resp. ut suprà. Non mutari naturam beneficij, cùm mortuo proviso beneficium fiat iterum subiectum Prælato. Accedit, quòd ipsemet Papa, qui contulit, arbitratu suo provisum avocare possit. itaq; sicuti si Generalis alicui Religioso beneficij administrationem concessit, non decet, ut Guardianus vel Abbas subordinatus auferat, ita multò minus decet auferri, si Supremus Generalis omnium Ordinum, videlicet Papa contulit. Neutro tamen casu de obedientiæ perfectione aliquid decedit.

14 Quæres. Cur Regularem provisum secundùm viam juris devoluti ad Sedem Apostolicam Prælatus removere potest, non item provisum per viam prœventionis & cõcurrentiæ, quam habet Pontifex in beneficiorum collatione?

Resp. Causam discriminis esse, quia in posteriore casu Pontifex confert propter publicum Ecclesiæ favorem ac necessitatem, ne beneficiũ diu vacet: in priore autem casu confert ex gratia speciali erga regularem; gratiam autem seu beneficiũ Principis decet esse mansurũ, donec à Principe revocetur.

Quæritur 5. Si regularis beneficio regu- 15
lari extra claustrum præfectus sit, cui obedire debeat? num Prælato an Episcopo loci?

Respondeo & Dico 1. Si non tantùm ipsi Religiosi, sed etiam Ecclesia aut beneficium, cui Religiosus præest, exemptum sit ab Episcopo, tunc Prælato suo Regularis in omnibus obedire debet, quia talis Prælatus habet se instar Episcopi, seu, quod attinet ad jurisdictionẽ in eo loco, veluti Episcopalem jurisdictionem obtinet. vti colligitur ex *Trid. sess. 25. c. 11. de Regularibus*, & tradit ex communi *Suar. cit. l. 3. c. 19. n. 19.*

Dico 2. Si Ecclesia seu beneficium non sit exemptum, sed neq; Monasterio pleno jure, id est, tam in spiritualib⁹, quàm temporalib⁹ subiectum, esto fortasse monasteriũ & Abbas erga subditos loci temporalem exerceat jurisdictionẽ; quia Dominus oppidi est, hoc in casu Religiosus in rebus pertinentibus ad Ecclesiæ suæ, alteriúsve beneficij administrationem Episcopo, & non Prælato Regulari quamvis exempto obedire debet. Videri potest *Suar. citato loco.*

Dico 3. Si Ecclesia. v. g. Parochialis pleno jure, id est, tam in spiritualib⁹, quàm temporalibus Monasterio subiecta sit & incorporata, sicuti explicat *Gl. in c. 3. de priuileg.* tunc in pertinentibus ad Parochię administrationem Religiosus ibi positus Episcopo suo subiectus est, quamvis cum subordinatione; quandoquidem etiam Prælatus, tametsi absolutè exemptus sit, tamen quatenus cutam Parochiæ veluti secundùm habitum gerit (ipse enim est Parochus perpetuus) subordinatus esse debet Episcopo, prout legere licet in *Trident. Concil. sup. cit. c. 11.* & docui *in Disput. de Prælat. quæst. 208.*

Aliud discrimen advertit *Suar. cit. c. 19. n.* 16

7. & seqq. Quia si beneficium ita plenè unitũ sit Monasterio, tunc relictâ congruâ sustentatione Religioso veluti Vicario manuali de reliquis redditibus tanquam bonis Monasterij Prælatus disponere potest. sin autẽ beneficium etiam regulare non ita plenè subiectum sit, sed solùm dicatur regulare, quia per regulas administrari debet, vel etiam à Prælato regulari conferri, tali casu Prælatus non potest de redditibus eius disponere. sicuti videre est in *Clement. de supplenda negligentia Prælatorum.*

17 Ad extremum notanda est limitatio, quæ poni debuisset quæstione præcedente in dicto 2. ex *Dominico & Franc. in cit. c. vlt. Sanch. n. 137.* quòd Religiosi S. Benedicti, qui ad regulare beneficium promoventur ex provisione Pontificis aut Legati eius, in omnibus subesse debeant Abbati suo, ab eóq; revocari possint propter specialem constitutionem ab ipsis citatam.

CAPITVLVM VI.

Porrecta &c.

PARAPHRASIS.

Relatum est Innoc. III. quòd plures Religiosi, qui Prioratibus, aliísve administrationibus præerant, à Pontifice impetratas literas confirmationis exhiberent super beneficiis suis possidendis, quoad vixerint, eâq; occasione bona Prioratuum dissiparent, asserẽtes, se eorum respectu Prælatis nõ subesse. Hoc intellecto.

Respondit Papa, se non credere, quòd eiusmodi literæ à Cancellaria sua emanârint. quare mandat Delegato, ut Religiosos, qui tales literas exhibent, tanquã falsarios puniat, ut, si in literis confirmationis non fiat mentio Religionis, tum eas tanquam subreptitias propter veri taciturnitatem irritas esse, declaret.

NOT. vn. Prioratus aliæve administrationes Regulares, si manuales sunt, non facilè Pontifex confirmat Regulari ad tempus vitæ suæ, sicuti dixi *c. præcedente.*

Adverte autem, quòd Papa non dicat, tales confirmationes à Romana sede nunquã emanare, id enim falsum est, sicuti *Imol. hîc advertit n. 2.* sed ait, se non existimare, quòd ex sua Cancellaria tales literæ prodierint, & ideo, qui eas exhibuerint, tanquam de falsitate suspectos puniri posse.

CAPITVLVM VII.

Examinata &c.

PARAPHRASIS.

Lis erat Inter Nobilem de Rivaria & milites Campaniæ, super jure Patronatûs, in qua partes sub certa forma compromiserunt in Vice Dominum (seu Vicarium) Sabinensem, is arbitrium seu laudũ promulgavit, quod partes ambæ receperunt, & cõmuni consensu à Cœlestino III. confirmationem eius impetrârunt. Sed successor eius Honorius III. hîc rescribit, cùm arbitriũ seu laudum contra formam juris & compromissi promulgatũ fuerit, ideo non obstante confirmatione Papali, quippe quæ data fuit cum clausula, sicuti arbitrium providè latum, & ab utraque parte receptum est, irritum, & inane esse.

SVMMARIVM.

1. *Sententia aut arbitrium ipso jure nullum, non potest ex partium consensu approbari.*
2. *Neque si illud confirmetur à Pontifice in forma communi; ideo valorem consequitur.*

NOT. I. Si sententia, aut arbitrium (nam arbitria ad formã judiciorum redacta sunt *l. 1. ff. de arbitris*) sit ipso jure nullum, nõ potest ex partium consensu approbari. ita sumitur ex hoc cap. Ratio est, quia sententia, aut laudum, cùm sit aliquid juris, nõ est subiectum partium voluntati.

Sed obstare videtur *l. 2. C. communia utriusq; Iudicii, iuncta gl. finali.* vbi dicitur: quòd sententia, quæ irrita est, partium consensu approbari possit, ita ut saltem per modum pacti obliget.

Resp. Cùm Abbate hîc *n. 4.* Veram esse hanc doctrinam, si id, quod per sententiam decretum, partium voluntati & dispositioni, aut transactioni subiiciatur. quod in casu nostri Capituli non erat, agebatur enim de jure Patronatûs, quòd secundùm juris Ecclesiastici dispositionem, & non secundùm liberã quorumlibet voluntatẽ, aut pactũ competere potest, præsertim personis laicis, uti dicetur *tit. de jure patronat. lib. 3.*

Not.

Not. II. Si sententia vel laudum arbitri, quod secundùm se irritum, à Pontifice confirmetur in forma communi, non ideo valorem consequitur, quia confirmatio in forma communi actui non subsistenti nihil confert, sicuti dixi in *c. 1. h. t.* Censetur autem confirmatio facta in forma communi, si clausula adiecta sit, confirmamus actum sicuti providè gestus est, dummodo vocula *sicut* accipiatur conditionaliter, non causaliter, uti dicetur: *c. sequente.*

CAPITVLVM VIII.

Venerabilis.

PARAPHRASIS.

Inter Archi Episcopum Niconiensem & Coëpiscopos eius, ex una parte; & Regem, Barones, ac milites Cypri ex altera parte suprà quibusdam decimis, interveniente Episcopo Apostolicæ tunc Sedis legato amicabilis compositio facta est, eo adiecto, ut quantocyùs Apostolica authoritate confirmaretur, & tunc statim executioni mandaretur.

Postquam verò Pontifex eam confirmavit, & ad maiorem rei evidentiam literis confirmationis tenorem compositionis inseruit, Rex cum suis eam servare recusavit, frivolè prætendens, partim quòd in literis Papæ verbum *confirmationis* ante tenorem compositionis contra Romanæ Curiæ stylum positum sit, partim quòd clausula usitata, *sicuti sine pravitate providè facta fuit* in eisdem literis contineatur. His tamen nihil obstantibus mandat Honorius, si res ita se habeat, ut Rex cum suis dictam compositionem adimpleat.

SVMMARIVM.

1. *Confirmationem, in quâ exprimitur tenor transactionis, Superior ex certa scientia confirmare videtur.*
2. *In clausula:* Sicuti sine pravitate providè factum est: *adiecta à Papa Dispositione post plenam eius notitiam: vox* Sicut, *non conditionaliter, sed causaliter accipienda est.*

1 NOt. I. Si in confirmatione exprimatur tenor transactionis alteriúsve dispositionis, quę confirmatur, tunc Superior cõfirmans, ex certa scientia cõfirmare videtur. vide, quæ dixi in *c. 1. ibidem. Beroius. n. 29. h. t.*

Not. II. Si Pontifex post plenam notitiã transactionis, alteriúsve dispositionis, eam confirmat adiectâ clausulâ *sicuti sine pravitate providè factum est.* Vocula *sicut* accipi debet non conditionaliter, sed causativè, ut sensus sit: quandoquidem rectè transactum, ideo transactionem confirmamus. operatur autem talis confirmatio ex certa scientia, ut nec pars altera, nec Iudex aliquis inferior prætextu alicuius defectûs in dubium revocare aut rescindere possit.

CAPITVLVM IX. & Vlt.

Sua.

PARAPHRASIS.

Legatus à latere quædam Monasteria aliis Ecclesiasticis Conventibus aut Clericis Diœcesis Constantinopolitanæ contulit, aut incorporavit, eásque collationes Papa confirmavit. Qua occasione acceptâ, ij, quibus collatio, aut incorporatio facta erat, Patriarchę obedire & jura patriarchalia præstare recusârũt. Hoc intellecto Honorius III. scribit, se nolle, ut per eiusmodi collationes & cõfirmationes jura Diœcesani minuantur, aut tollantur; quare mandat, ut reiectâ hâc irrationabili prætensione ij, quibus tales collationes factæ sunt, Patriarchæ reverentiã & obedientiã exhibeant, eíque jura debita persolvant.

SVMMARIVM.

1. *Monasteria, præter eorum primam fundationem, aliis Ecclesiis aut Ecclesiasticis personis conferri possunt ex causa rationabili.*
2. *Et talem mutationem etiam legatus à latere instituere potest.*
3. *Fundator non potest aliter velle Ecclesiasticam fundationem facere, nisi ut ea subsit potestati & administrationi Ecclesiasticorum Prælatorum, præsertim Papæ, qui proinde de omnibus beneficiis Ecclesiasticis plenissimam disponendi potestatem habet.*
4. *Concessiones aut incorporationes Monasteriorum, aliarúmque Ecclesiarum, si Episcopo subiectæ fuerunt, fieri censentur salvo jure Episcopali.*

5. *Neque potest legatus ab Episcopi jurisdictione eximere; potest autem Papa per plenitudinem potestatis, qui tamen id non facere censendus est, nisi sufficiēter exprimat, nec cōgruēter facere potest, nisi justa causa postulet.*

6. *Si Monasterium, parochia, vel alia Ecclesia non exempta conferatur, vel incorporetur Ecclesiæ exemptæ, erit hæc & eius Prælatus subditus Episcopo, sed respectivè tantùm, scilicet in pertinentibus ad Monasterium, parochiam, & Ecclesiam subiectam.*

1 NOt. I. Monasteria, præter eorum primā fundationem, aliis Ecclesiis aut Ecclesiasticis personis cōferri possunt ex causa rationabili. Ita *hîc & in c. 2. de Religios. domibus*, & constat ex praxi Ecclesiastica; multa enim Monasteria, quæ olim fundata erant pro Canonicis Regularibus, aut sæcularibus, aut sanctimonialibus, nunc ordo S. Benedicti possidet, & vice versâ, quæ fundata erant pro Monachis S. Benedicti, nunc Episcopi, Canonici, vel alii Religiosi obtinent.

2 Not. II. Talem mutationē seu incorporationem etiā Legatus Sedis Romanæ si Cardinalis, seu à latere sit, instituere potest, propterea quòd Legat⁹ à latere potestatē habeat, beneficiorū collationes & unīones faciēdi. *c. 1. de off. leg. in 6.* & docui *l. 4. tr. 2. c. 9. n. 6.*

Obiici potest, quòd juri naturali ac divino repugnare videatur, si fundatoris voluntate Ecclesia aut Monasterium pro certo personarum genere fundatum, aut dotatum postea aliis conferatur.

3 R. Fundatorem non aliter velle, sed nec posse Ecclesiasticam fundationē facere, nisi ut ea sit sub potestate & administratione Ecclesiasticorū Prælatorū, præsertim Romani Pontificis, qui proinde de omnibus Ecclesiasticis beneficiis plenissimā disponendi potestatē habere dicitur in *c. 2. de præb. in 6.* Non itaq; querelæ locus est, si ob rationabilē causā Papa, aut Legatus à latere mutationē, aut translationē aliquā instituat, neq; eâ re quidquam agitur contra fundatorum voluntatē, quippe quæ non mutatur, sed in melius convertitur secundùm arbitrium & dispositionē summi administratoris, etenim cuiusq; fundatoris principalis intentio est, ut Dei gloria & Ecclesiæ cōmodum promoveatur. si igitur Prælato Ecclesiæ, sub cuius administratione & dispositione fundationes sunt, videatur fore ad maiorē gloriā Dei & Ecclesiæ augmētū, si fundatio facta, v. g. pro Regularibus Canonicis, quādo vel omnes mortui, vel in Monasterio disciplina monastica collapsa est, detur monachis, aut vice versâ, quæ pro monachis facta fuit fundatio, detur regularib⁹ Canonicis, aut sæcularibus Clericis, nihil omnino agitur contra fundatorum voluntatem.

Not. III. Concessiones aut incorporationes Monasteriorū, aliarúmq; Ecclesiarum, si 4
Episcopo Diœcesis subiectæ fuerunt, fieri censentur salvo jure Episcopali. Ita habetur hîc & notat Innoc. IV. super hoc c. ubi ait: Papa vel Legatus concedendo, vel supponēdo alii Ecclesiam, nihil alieno juri detrahere intelligitur in omnibus. ergo salva erunt Episcopis jura metropolitana & Episcopalia.

Discrimen tamen est inter Papam & Le- 5
gatum eius, sicut Inn. & Immol. hîc monent, quòd Legatus non possit Ecclesiā Episcopo subiectam ab eius juribus omnino eximere, sed Papa hoc potest per plenitudinē potestatis. quia solius Principis est uni auferre & alteri dare. *Clem. quia. junct. gloss. verb. Sedis de Relig.* verùm id facere censendus non est, nisi sufficienter exprimat: sed nec congruenter facere potest, nisi causa justa postulet, sicuti *Abb. hîc monet n. 14.* & allegatis juribus ostendit *gl. hîc.*

Id verò moneo. si Monasterium, Parochia, 6
aliáve Ecclesia Episcopo subiecta alteri Prælato, aut Ecclesiæ exemptæ conferatur, aut incorporetur, tum Prælatum, aut Ecclesiam, cui collatio, aut incorporatio fit, Episcopali jurisdictioni subditam fore respectivè tantùm, videlicet in pertinentibus ad Parochiā, & Ecclesiam subiectam. Quemadmodum in civilibus rebus accidit, ut, tametsi aliquis secundùm se maximè exemptus, & nequaquā subiectus sit Imperatori, Regi, aut Duci, tamen quatenus possessiones habet sub eius territorio ac jurisdictione, earum respectu, seu in rebus & causis pertinentibus ad eas subesse debeat. Et hæc sufficiant in librum secundum Decretalium, ad Dei gloriam.

INDEX

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

Litera p. *paginam indicat, litera* n. *numerum marginalem, in prima, vel ſecunda columna reperiendum.*

A.

ACcuſare Matrimonium in ordine ad ſeparationem de impedimento dirimente poteſt quilibet. p. 305. n. 8. etiam conjunx impedimenti dirimentis conſcius, quamvis ſuam propriam alleget turpitudinem. p. 173. n. 1.

Accuſari variis modis poteſt aliquis de crimine. p. 283. n. 1. & pro diverſa ratione cauſæ major vel minor requiritur probatio. n. 2. & ſeqq. repelluntur ab accuſando, qui abſolutè & generatim conſpirârunt ad perſequendum aliquem. p. 35. n. 2.

Accuſator in cauſa criminali plerumque poteſt loco ſui procuratorem conſtituere. p. 39. n. 5.

Accuſatus vel denuntiatus de gravi crimine, utrùm, pendente accuſatione, aut inquiſitione, ad accuſandum, aut ad teſtificandum, vel ad ordines, beneficia, aut prælaturas admittatur? p. 319. n. 1. & ſeqq. ubi nota cautelam n. 4.

Acta coram judice non competente nulla ſunt. p. 6. n. 1. quos tamen alios effectus habeat confeſſio coram eo facta? ibid.

Acta coram judice competente, in altero etiam judicio, quomodo fidem faciant? p. 7. n. 3. & 4.

Acta judicii ut fidem faciant, quid requiratur? p. 242. n. 2. & 6.

Acta judicii ſi perdita ſint, quando ſtetur confeſſione partium? p. 246. n. 1.

Acta judicii alia ſunt ordinatoria, alia ſunt cauſæ inſtructoria. p. 262. n. 2. quomodo, & quando fidem faciant coram judice ſubrogato, aut appellationis? p. 263. n. 3. & ſeqq. & quibus prodeſſe poſſint? n. 7.

Acta coram arbitris, utrùm, & quæ coram judice ordinario, aut delegato fidē faciant? p. 313. n. 34.

Agens judicio petitorio, de vindicanda ſibi muliere, ex cauſa matrimonii, quas probationes afferre debeat ad probandum matrimonium? p. 362. n. 1. & ſeqq.

Agens rei corporalis vindicatione quomodo libellum formare poſſit, & quæ petat? p. 500. n. 1. & 2. quid probare debeat, ut obtineat, tam fori civilis rigorem, quàm juris canonici æquitatem attendendo? p. 501. n. 8. 9. & 10.

Agens in judicio, quamvis ſub juramento matrimonium contractum confiteatur, ſi tamen in probatione deficiat, nec impediendus eſt ab alio matrimonio contrahendo, neque tamen etiam hoc ei ſuadendum. p. 401. n. 1.

Agens petitorio non hoc ipſo renuntiat poſſeſſorio adipiſcendæ ſeu recuperandæ. p. 149. n. 4. an cumulare poſſit poſſeſſorium? n. 4. 5. 6.

Agens *interdicto, unde vi*, quid probare debeat? p. 171. n. 1. agens ad recuperandum beneficium *interdicto unde vi*, aut *ex can. Redintegranda*, ſolâ probatâ ſpoliatione, aut antiquiore poſſeſſione, ordinariè reducendus eſt in veram poſſeſſionem. p. 202. n. 2. agens ad recuperandam poſſeſſionem obedientiæ quid probare debeat? p. 486. n. 2.

Agenti in cauſa eccleſiaſtica, vel ſpirituali, quando opponi poſſit ſpoliatio in re privata aut temporali? p. 183. n. 5. & 6.

Agere in judicio pro juribus eccleſiæ poteſt, cuius eſt eam adminiſtrare. p. 322. n. 4. etiam religioſus. p. 31. n. 2. caſu, quo tamen tam ad ſuperiorem, quàm inferiorem adminiſtratio pertineat, utrùm, & quis alteri præferatur? ibid.

Agere poteſt contra Prælatum ſuum de criminibus ſcandaloſis infamatum, ad amovendum eum, regularis etiam ſubditus. p. 483. n. 2.

Agere qui poteſt coram Papa, aut Principe in judicio, poteſt etiam reſcriptū impetrare. p. 426. n. 2.

Agere qui poſſint contra occupantes abſentium poſſeſſiones? p. 589. n. 4.

Actor quibus modis in judicio verſari poſſit? p. 236. n. 2.

Actor cogi poteſt à Reo convento ad litem proſequendam, poſtquam oblato libello agere cæpit. p. 187. n. 1.

Actor in judicium quænam cenſeatur deduxiſſe? p. 146. n. 8. ſuper eo tamen, quod priùs per modum cauſæ ad deciſionem quæſtionis princi-

palis in judicium adduxerat, postea potest propriam actionem instituere. p. 155. n. 7.
Actor utrùm implorare possit judicis officium, ante litis contestationem, ad actus possessorios adversario prohibendos, si dubium sit, uter sit in possessione? p. 574. n. 3.
Actor, in casu motæ actionis realis aut personalis, utrùm, & quomodo, ob contumaciam Rei, ante litis contestationem, in possessionem rei petitæ mittatur? p. 110. n. 1. & seqq. ubi etiam ostenditur, quando taliter missus in custodiam veram acquirat rei possessionem; & utrùm missus ex actione personali præscribere possit rem, quam pignoris loco tenet. n. 5.
Actor utrùm mitti possit in possessionem rerum petitarum custodiæ causâ, non obstante Rei contra processum judicis appellatione? p. 199. num. 2.
Actor utrùm semper mitti debeat ob contumaciam Rei in possessionem rei petitæ? p. 186. n. 1.
Actori cedenti subrogatus, quia suâ interest, debet prosequi causam in eo statu, in quo fuit tempore desertionis. p. 208. n. 2.
Actori concedere potest nonnunquam judex, ut positiones negativas formet, quibus Reus respondere debeat negando, vel confitendo. p. 221. num. 1.
Advocati quæ in judicio partes? p. 28. n. 1.
Advocatus absens dum adveniat, an Reo concedendæ sint induciæ, judicis arbitrio relinquitur. p. 101. n. 4.
Alienans rem litigiosam quomodo conveniri possit? p. 205. n. 1. & 2. venit etiam alienationis nomine locatio, si non sit ad tempus modicum. num. 3.
Allegans propriam turpitudinem auditur, ubi animæ periculum vertitur. p. 364. n. 4.
Allegationes partis in corpore juris positas non facere jus, quomodo verum? p. 501. n. 7.
Appellare potest Reus etiam die festo. p. 131. n. 7. non tamen potest die festo appellationem prosequi. ibid.
Appellare quivis potest ab injusto gravamine, non obstante juramento, quod priùs fecit de parendo juri. p. 188. n. 2. aut de parendo mandatis, & standa sententiâ Judicis. p. 523. n. 1. & p. 524. num. 2.
Appellatio si frivola judicetur, quando contra appellantem procedi possit, sicuti proceditur contra contumacem? p. 197. n. 2.
Appellationi locus est, si negatur missio in bona, ubi de jure concedi deberet. p. 200. n. 3.
Appellans, non obstante excommunicatione, quomodo possit appellationem prosequi? p. 421. num. 1.
Appellatione pendente nihil innovandum. p. 421. num. 2. & quomodo? p. 520. n. 1. & seqq. & utrùm acta post illam valeant? p. 505. n. 1.
Appellari utrùm, & quando possit à Judice ex partium consensu impetrato, vel cuius jurisdictionem partes prorogaverunt? p. 474. n. 1. & 2.
Appellari quando possit ab executore mero? p. 476. n. 5. & p. 542. n. 2. & seqq. & ad quem? p. 476. n. 6.
Appellans ab executione sententiæ causam exprimere debet. p. 477. n. 8.
Appellare à sententia lata tertius etiam potest, si illius interfit. p. 479. n. 1. & 4. intra quod tempus appellare debeat? n. 5. & p. 586. n. 3. quid docere debeat taliter appellans? p. 480. n. 5.
Appellationes in causis criminalibus ferme non recipiuntur in Imperio. p. 479. n. 3.
Appellatio quid sit? p. 504. n. 1. quotuplex sit? n. 1. & 2. in quem finem instituta? p. 506. n. 1. & ob quas causas? p. 519. n. 1. facto & verbo fieri potest. p. 192. n. 4. quibus verbis exprimi possit? p. 533. n. 1. & quis modus sufficiat? p. 551. & n. 3. & 4.
Appellari etiam potest contra actum, qui de se nullus esset. p. 506. n. 2.
Appellare à correctione regulari utrùm, & quando liceat? p. 507. n. 4. & seqq.
Appellationis fatales termini qui sint? p. 508. n. 1. & seqq. utrùm pauperi etiam currant? p. 509. n. 6. aut aliter impedito? p. 513. n. 1. utrùm ab appellante, vel à judice breviari possint, aut prolongari? p. 510. n. 5. utrùm & quando terminum præfigere teneatur judex? p. 530. n. 1. & à quo tempore incipiat appellationis prosequendæ, & finiendæ tempus? p. 569. n. 1. & utrùm possit judex à quo terminum præfigere recipiendæ, finiendæ, aut remittendæ litis? p. 546. n. 12. & denique utrùm post tempus appellationis lapsum adhuc audiatur, qui appellavit? p. 510. n. 5.
Appellatio extrajudicialis non comprehenditur appellationis nomine in materia odiosa. p. 510. num. 6.
Appellatio quando non admittatur in causa notoria? p. 510. n. 2. & p. 518. n. 1. notorium autem quot modis dicatur? p. 566. n. 6.
Appellatione interpositâ à partibus ad diversos judices, majorem & minorem, quomodo procedi possit? p. 512. n. 1. & 2.
Appellari à judice utrùm, & quando possit, cui causa commissa est sub clausula; *appellatione remotâ*? p. 513. n. 1. & 3.
Appellatio super articulo incidente, quando irrita etiam faciat acta causæ principalis? p. 514. num. 1.
Appellatio etiam recipi debet in causis levioribus. p. 514. n. 1. & 2. potest tamen statuto municipali statui aliud. p. 515. n. 3.
Appellatio ab interlocutoria utrùm, & quando concedatur? p. 515. n. 1. & p. 563. n. 2. in casu autem huius appellationis admissæ, an possit judex

ad quem

ad quem causam etiam principalem definire? n. 5. & utrùm liceat super eodem articulo, ab interlocutoria sententia iterum appellare, super quo jam semel pars appellavit? p. 537. n. 1. & seqq. & quid peculiare habeat appellatio à sententia interlocutoria ab appellatione à sententia definitiva? p. 579. n. 1. & 2.

Appellare quomodo possit aliquis generaliter ab omni gravamine? p. 521. n. 1. & quo effectu? num. 2.

Appellare quando, & quomodo quis possit à superiore gravante, in eius absentia? p. 522. n. 2.

Appellationi justæ non deferens superior puniendus est. p. 531. n. 2.

Appellationis causa utrùm, & quando possit à judice ad quem remittendo delegari judici, à quo fuit appellatum? p. 533. n. & seqq.

Appellatio ab excommunicatione quem effectum pariat? p. 535. n. 1. & 2. & quem appellatio ab interdicto & suspensione? n. 2. etiam quæ censura non est? n. 3. quid de appellatione à censura sub conditione lata? p. 538. n. 1. & p. 539. n. 2. & 3. quid de appellatione ante latam censuram? p. 554. n. 3. & quid si dubium sit, an frivola sit, hæc appellatio? n. 4. & 5. & an appellatio interposita denuntiationem impediat? p. 555. n. 6.

Appellans num audiri debeat, qui priùs in eodem negotio legitimæ alterius appellationi non detulit? p. 541. n. 1.

Appellationis tempore litteras si pars impetret, ad judices delegatos, quomodo valeant? p. 561. n. 2. & 3.

Appellationis in causa cui parti onus probandi incumbat? p. 562. n. 4.

Appellari num possit à delegato Episcopi ad Vicarium illius Episcopi? p. 571. n. 2.

Appellatio quo ordine fieri debeat? p. 571. n. 3.

Appellari quando possit à præcepto sub censura posito? p. 568. n. 2.

Appellatio quando censeatur devoluta ad curiam? p. 575. n. 5. & si devoluta sit, pars autem personaliter comparere nolit, qualem procuratorem mittere debeat? p. 569. n. 1.

Appellans quando possit renuntiare appellationi? p. 576. n. 6. & 7. & quando quis renuntiare censeatur? p. 281. n. 1. & p. 557. n. 5. reassumit etiam jurisdictionem judex à quo, si intra definitum tempus appellationem non prosequatur, qui appellavit. p. 529. n. 3. & præter expensas ac interesse adversario præstandum, puniri etiam potest, judicis arbitrio, secundùm jus Cæsareum, talis non prosequens. ibid.

Appellatio si fieri nequeat coram judice à quo, quid agendum? p. 578. n. 1.

Appellans quando per se, vel per procuratorem ad agendum instructum, comparere debeat coram judice ad quem? p. 579. n. 3.

Appellatio in causis temporalis jurisdictionis ab Episcopo, ad quem fieri possit? p. 583. num. 7.

Appellationi si non deferat judex à quo, ea tamen effectum devolutivum parit. p. 584. n. 1. quem ipsum effectum etiam frivola appellatio parit, si huic deferat judex à quo. n. 2.

Appellatio extrajudicialis à gravamine etiam futuro fieri potest. p. 586. n. 2.

Appellari quando possit à Capitulo ad Episcopum, si Capitulo ipse Episcopus interfuerit? p. 587. num. 1.

Appellans à sententia definitiva, quam exceptionem, priùs à judice à quo non admissam, repetere possit coram judice ad quem? p. 587. n. 1.

Arbiter juris non potest in die festo procedere; potest tamen arbitrator. p. 131. n. 6.

Archiepiscopus cogere non potest suffraganei sui subditos ad testimonium ferendum in causis appellationis ad se devolutis, aut, ut sententiam exequantur. p. 80. n. 4. suffraganeo tamen suo mandare potest, ut adhæc vel compellat subditos, vel ipse sententiam exequatur. ibid.

Archiepiscopus, spectato jure communi, in omnibus, etiam exemptis, provinciæ suæ locis prælatâ cruce incedere potest. p. 204. n. 1. quando extra provinciam? n. 3. potest tamen Pontifex non minùs usum talem, quàm privilegium ex plenitudine potestatis suæ tollere. ibid.

Articulus probatorialis quid sit? p. 270. n. 1. & quæ sit horum articulorum distinctio? num. 2. & seqq.

Articuli si plures sint in una positione, singulatim ad eos respondendum. p. 324. n. 7.

Articulis probatorialibus pars respondere coacta potest formare interrogatoria, super quibus testes producti examinentur. p. 324. n. 9.

Attentatorum revocatio quando locum habeat erga judicem, & quando erga partes? p. 421. num. 3.

Attentati via pinguius remedium est, quàm inter dictum recuperandæ possessionis, si spoliatio appellationem secuta est. p. 550. n. 4. 5. & 6.

Attentata post appellationem extrajudicialem utrùm sint ipso jure nulla? p. 551. n. 2.

Attentata post appellationem revocare ad quem judicem pertineat? p. 556. n. 3.

Attestationes testium secretò receptæ, quomodo in præsentia partis sint publicandæ? p. 267. n. 6. & seqq. utrùm ritè illis publicatis recipiantur iterum testes in prima, aut secunda instantia, super iisdem articulis, aut directè contrariis? p. 271. n. 7. & 8. & utrùm super aliis quidem, ad eandem tamen causam pertinentibus? p. 273. n. 1. quando contra testium personas post attestationum legitimam publicationem opponi possit? p. 288. n. 1. & n. 289. n. 2.

Atteſtationum publicatio non eſt de ſubſtantia proceſsûs judiciarii, ſed tantùm ex præcepti neceſſitate. p. 488. n. 6.
Avocare cauſam ab inferiore judice quando poſſit ſuperior? p. 560. n. 2. quid operetur hæc avocatio? n. 1, 3. & ſeqq.

B.

Beneficiatus in beneficio inſtitutus jus ſuum proſequi poteſt, non requiſito collatore. p. 152. n. 1. poteſt etiam agere in judicio pro defendendis juribus illius fundi, qui perpetuo jure ad beneficium pertinet. p. 226. n. 1.
Beneficiato facta proviſio ſubſiſtit, ſi facta fuerit ab eo, qui bonâ fide jus providendi poſſidebat, quamvis proprietas huius ad alium ſpectaret. p. 152. n. 2. nec reſcindetur talis proviſio, quamvis reclamantibus aliis fuerit facta. n. 4.
Beneficium legitimè vacans ſtatim alteri conferri poteſt. p. 158. n. 2.
Beneficiatus eſt quaſi uſufructuarius ſuæ eccleſiæ, penes hanc manente proprietate, & poſſeſſione civili. p. 167. n. 2.
Beneficiatus quando agere poſſit contra eum, qui ſpoliavit eccleſiam? p. 168. n. 3. & 4.
Beneficiatus exigens decimas nomine beneficii ſui, quando teneatur oſtendere titulum? p. 168. n. 5. & 6.
Beneficium per mortem electi ante confirmationem non vacat de novo; ſed prior vacatio manet uſque ad confirmationem electi. p. 207. n. 1. vacat tamen de novo, ſi poſt confirmationem quis moriatur, quamvis poſſeſſionem nondum habeat. n. 2.
Beneficium litigioſum alteri conferri priùs non poteſt, quàm lis finita ſit. p. 208. n. 1.
Beneficium per Simoniam obtinentis non eſt canonica inſtitutio. p. 261. n. 3.
Beneficium regulare Regulari collatum, utrùm, & quomodo nonnunquam confirmet Pontifex? p. 598. n. 1. & 2. utrùm revocari ille poſſit à ſuo Prælato, cui beneficium regulare abſolutè confirmavit Pontifex, aut Epiſcopus? n. 3. & 4.
Beneficium ſæculare ſi conferatur Regulari, non ut Vicario tantùm Prælati ſui, ſed ut Curato perpetuo, à ſuo Prælato revocari hic non poteſt. p. 599. num. 5.

C.

Capitulum ſede vacante reſpectu quorum feudorum judex eſſe poſſit? p. 51. n. 6.
Capitulum velut gravatum appellare poteſt, ſi ab eo electum confirmare non velit Superior. p. 422. n. 1.
Cauſæ civiles clericorum inter ſe, aut contra clericos, vel eccleſias motæ, quomodo committi laicis etiam poſſint dijudicandæ? p. 3. num. 3. quomodo criminales? n. 4. quomodo ſpirituales? p. 4. n. 5. quomodo eorum operâ in his cauſis uti poſsit judex eccleſiaſticus? n. 6.
Cauſas criminales minores Epiſcopi provinciales cognoſcere & definire poteſt Concilium provinciale. p. 2. n. 1. majores autem, & quæ privationem merentur, ſunt ſummo Pontifici reſervatæ. ibid.
Cauſæ juris patronatûs eccleſiaſtica eſt, & fori per ſe eccleſiaſtici; acceſſoriè tamen etiam fori ſæcularis p. 5.
Cauſa miſerabilium perſonarum actu oppreſſarum ad Eccleſiam ſaltem cumulativè ſpectant p. 68. num. 3.
Cauſæ ad forum ſeculare pertinentes efficiuntur fori eccleſiaſtici ratione juramenti appoſiti. p. 82. n. 1. non quidem, quòd juramenti appoſitio forum omninò mutet, ſed quòd forum foro accumulet. n. 2.
Cauſa notoria ſi ſit, non eſt neceſſe ſervare juris ordinem. p. 387. n. 1.
Cauſam favorabilem eſſe, quæ pro matrimonij valore eſt, quomodo intelligendum? p. 494. num. 5.
Cautio quotuplex ſit, & quæ à jure exigatur pro diverſo modo loquendi? p. 196. n. 2.
Cenſuram ſub conditione latam utrùm incurrat, eveniente poſtmodum conditione, qui ante illius eventum forum & domicilium mutavit? p. 539. n. 4.
Cenſura ab Epiſcopo lata, poſt appellationem, ad Metropolitanum interpoſitam, quando ab hoc revocari poſſit? p. 583. n. 7.
Cenſus faciliùs probatur per authenticas ſcripturas, quàm per teſtes. p. 442. n. 5.
Citatis, ut coram Judice delegato comparere debeant, debet reſcriptum delegationis unà cum citatione ordinariè ſubmitti. p. 125. n. 2. non quidem in originali, ſed eius legitimè tranſumptum. p. 126.
Citatio quæ exprimere debeat, ut citatus comparere teneatur? p. 126. n. 3.
Citari per terminum primâ ſtatim vice peremptorium utrùm, & quomodo poſſit, qui longè abſens eſt? p. 127. n. 1.
Citato ad unam cauſam poteſt præſenti alia etiam cauſa offerri. p. 148. n. 3.
Citari quando, & quomodo perſonaliter debeat pars litigans? p. 187. n. 2.
Citatus ad diem feſtum, ultra eum diem ſuam in loco illo præſentiam differre non poteſt. p. 191. num. 2.
Citatio, quæ præceptum impoſſibile continet, irrita eſt. p. 191. n. 3.
Citatio ad quadrageſimam v. g. terminum abſolutè poſitum, de proximè ventura intelligi debet. p. 196. n. 1.

Cita-

Citationis munus quibus à Pontifice, ut Commissariis, delegatur, in rebus gravis momenti alteri hoc committere non possunt. p. 196. n. 2. publicationem tamen illius citationis per quoscunque suos ministros facere possunt. ibid.
Citanda denuo non est pars litigans, si verbo, vel facto satis significavit, quòd coram hoc judice hanc causam agere nolit. p. 197. n. 1. citari tamen iterum debet quoad alios articulos, & sententiam, si tantùm quoad unum articulum causæ contumax fuit. ibid.
Citatio una non sufficit, ut in bona alterius missio fieri possit. p. 200. n. 1.
Citatus à duobus superioribus non subordinatis, pro eodem tempore, cui parêre debeat? p. 522. num. 3.
Citanti nuntio sine litteris & testimonio quando credendum? p. 523. n. 4.
Citatus ad locum judicii non securum quid facere possit, & debeat? p. 546. n. 1. & seqq.
Clausula addita in rescripto conventionis, ut procedatur, *appellatione remotâ*, etiam observari debet in causa reconventionis. p. 92. n. 1.
Clausula: *salvis omnibus exceptionibus, ac defensionibus*: liti contestatæ addita, quid operetur? p. 97. n. 3.
Clausula generalis: *non obstantibus prioribus literis*: quando revocet priores? p. 186. n. 2.
Clausula: *salvo iure addendi & demendi*: libellis addita, parùm vel nihil operatur. p. 342. n. 1.
Clausula: *appellatione remotâ*: quid operetur? p. 466. n. 1. & seqq. & p. 552. n. 2. & p. 553. n. 3. & quem effectum habeat privilegium, ut ab aliquo appellari non possit? ibid.
Clausula: *appellatione remotâ*: uni articulo in rescripto apposita, utrùm ad alios etiam eiusdem causæ articulos se extendat? p. 540. n. 2.
Clausula in rescripto, vel alia dispositione posita, ad quæ se extendat? p. 576. n. 1.
Clausula rescripti ad lites ad incidentes quæstiones extendenda non est. p. 532. n. 1.
Clausula in rescripto ad lites latam sententiam confirmante: *non obstantibus prioribus litteris iustitia & veritati præiudicantibus*: quid operetur? p. 595. n. 2.
Clausulæ: *sicuti providè gestum est*: quis sensus? p. 603. n. 2.
Clericorum exemptio à seculari jurisdictione nullâ consuetudine, quamvis immemoriali, tolli potest. p. 18. n. 1. nisi innitatur illa privilegio apostolico. n. 3.
Clericus ob crimen depositus non hoc ipso etiam excidit fori privilegio. p. 21. n. 1. quando tamen eo privari possit? n. 2. & seqq.
Clericus privatus fori privilegio, vel actualiter degradatus, fit de foro seculari, & juxta leges illius puniri potest. p. 21. n. 3. quamvis non tenea-
tur prælatus ecclesiasticus semper eum tradere potestati seculari. p. 22. n. 7.
Clericus in prima instantia coram suo proprio Episcopo conveniri debet. p. 43. num. 3. nec potest alieno judici ecclesiastico sine consensu sui ordinarii se subiicere. p. 71. n. 2. secularis verò judicis jurisdictioni nec cum consensu ordinarii sui se subiicere potest. p. 72. n. 4. nec respondere debet coram judice laico, casu quo de rebus ad clerici dominium spectantibus conveniatur possessor laicus. p. 111. n. 8. si tamen laicum emptorem, cui rem vendidit, de evictione defendere velit, debet coram laico magistratu agere. ibid. & potest etiam sine consensu sui ordinarii in quoscunque arbitros compromittere, circa bona sua patrimonialia, aut alia, quæ alienare potest. p. 80. n. 4.
Clerici coniugati, qui privilegio fori gaudent, gaudent eo non tantùm in criminalibus, sed etiam in civilibus. p. 44. n. 2. quo ipso etiam privilegio gaudent eorum uxores. ibid.
Clericus laicum conveniens actione personali, vel reali, coram quo judice convenire debeat? p. 48. num. 1.
Clericus in feudi leges committens, an, & quando feudatariorum pœnas incurrat? p. 51. n. 4. & à quo puniri possit? n. 5.
Clericis quando & quomodo permissum sit jurare? p. 113. n. 7. & 9.
Clericus agens coram judice laico contra Reum laicum de calumnia jurantem, loco juramenti calumniæ fidem suam interponit, & sacrum ordinem. p. 113. n. 10.
Clericus in causa suæ ecclesiæ testis esse potest. p. 228. n. 1. quando contra propriam ecclesiam testari possit? p. 264. n. 5. & 6.
Clericus concubinarius publicus quomodo olim & hodie puniendus sit? p. 258. n. 6.
Clericus in nulla causa à seculari magistratu cogi potest ad testimonium dicendum. p. 263. n. 2. valet tamen testimonium illius, si, parte nihil opponente, admittatur. p. 264. n. 3. imò in contractibus & testamentis licitè etiam, quamvis superioris licentia petita non sit, rogatus in testem adhibetur. n. 4.
Clerici tam delegati, quàm ordinarii judices esse possunt, in causis civilibus. p. 343. n. 4.
Clericus iniustè coactus ad resignandum suum beneficium, cum juramento, quòd nolit illud repetere, ad quid teneatur? p. 372. n. 1.
Clericus de periurio convictus beneficiis suis privandus est. p. 376. n. 1.
Clerici in sacris constituti, si propter crimina deponendi vel degradandi sunt, à quo, & in quorum præsentia fieri hoc debeat? p. 461. n. 1. & 2.
Clerici percussor, utrùm, & quando citandus & denuntiandus sit? p. 517. n. 2.

Clericus in causa etiam civili à suo magistratu ecclesiastico incarcerari, & torqueri potest. p. 558. n. 1.

Clerici, non quidem personaliter, sed per laicum vendere possunt, erectâ tabernâ, carnes, vinum, aut alia, quę ex propriis prædiis colligunt. p. 574. num. 2.

Compensationi in debitis quando locus sit? p. 346. num. 1.

Compromissum nomine ecclesiæ, aut dignitatis, cum superioris consensu factum, etiam successorem obligat. p. 313. n. 1. solvitur tamen hoc nonnunquam non tantùm per mortem compromissarii, sed hoc etiam procul discedente, nec brevi rediturо. n. 2.

Compromitti potest pro satisfactione iniuriæ in partem, quæ iniuriam passa est, quòd standum sit scilicet eius arbitrio. p. 389. n. 1.

Compromitti potest eâ conditione, ut compromissarii eligant, in quem omnes capitulares exquisitis eorum voluntatibus consenserint. p. 544. num. 2.

Confirmare actum aliquem quid sit? p. 590.

Confirmatio rei litigiosæ à superiore facta quando robur aliquod habeat? p. 591. n. 1.

Confirmatio alia est in forma ordinaria, seu communi, alia in forma speciali. p. 591. n. 3. & 5. quid sit utraque, & quæ utriusque vis? ibid. & unde colligi possit, eam esse in forma communi, vel speciali? p. 592. n. 6. & seqq.

Coniugum iuramentum, de non utendo matrimonio, quando valeat? p. 390. n. 1. & 2.

Coniuges, qui mutuo consensu continentiam voverunt, si postmodum adulterium committant, aut unus eorum, aut uterque, utrùm ad innocentis, aut utriusque Rei petitionem, matrimonium redintegrare possit Episcopus? p. 390. n. 4.

Consanguinitatis schema afferri debet secundùm canonum formam, si de valore matrimonii dubitetur. p. 281. n. 1.

Consuetudo laicorum abrogans solennitates, ad bonorum ecclesiasticorum alienationem, de jure canonico requisitas, irrationabilis est. p. 466. num. 2.

Consuetudo non prævalet legi prohibenti eam introduci. p. 466. n. 3.

Consuetudine utrùm introduci possit, ut unus in eadem ecclesia dignitatem v. g. & canonicatum habens, duo vota habeat in capitulo? p. 470. num. 12.

Contractui venditionis si modus adiiciatur, gravans emptorem, in partem pretii computari debet. p. 347. n. 3.

Contumax quis dicatur? p. 104. n. 1. quæ pœnæ, & quæ remedia in jure statuta sint contra contumaces ad instantiam partis? p. 105. n. 2.

Contumaciter absente Reo, quando possit ad instantiam partis, ante litem contestatam, ad testium receptionem, aut sententiam definitivam procedi? p. 105. n. 3. & 4. & p. 294. n. 2. si de valore electionis agatur? p. 192. n. 3.

Contumax, si in jus vocatus non venerit, juxta juris civilis rigorem puniri potest, non autem secundùm benignitatem canonicam, modò post decretum primæ missionis cautionem offerat de parendo juri. p. 185. n. 1.

Contumaciter absentem reum, post litis contestationem, denuò quidem citare potest judex, non tamen tenetur. p. 188. n. 2. quomodo contra eum procedere possit ad instantiam partis? ibid. si tamen contra eum in eius absentia receptisunt testes, ad audiendam sententiam definitivam iterum, & quidem peremptoriè, citari debet. p. 294. n. 3.

Contumax ad expensas, & interesse parti ex contumacia læsæ tenetur, jure naturali. p. 186. juxta juratam partis assertionem, & judicis taxationem. p. 200. n. 2.

Contumax priùs non auditur, quàm adversario expensas solverit, ob illius contumaciam necessariò factas. p. 190. n. 3.

Contumax, cuius nondum confirmati, aut confirmati electio impugnatur, quanto tempore exspectandus sit? p. 192. n. 5. & utrùm post tempus præfixum audiatur? n. 6. aut quomodo contra eum procedere possit judex? ibid.

Contumax censetur Actor, si in termino non compareat, ad quem citari Reum voluit. p. 196. n. 1. cautionem ordinariè fide jussoriam, aut pignoraticiam præstare debet, si Reum iterum citari velit. n. 2.

Contumax si voluntatem tantùm habuit cautionem præstandi de parendo juri, & in effectu eam non præstitit quando declinet pœnam contumaciæ? p. 198. n. 2. & quando restitui debeat? p. 199. num. 1. & 2.

Contumax non censetur, qui nuntio citanti extra judicium respondet, quòd comparere nolit. p. 523. n. 6.

Conventus in quibus causis agere possit sine consensu prælati? p. 19. n. 4.

D.

Debitoris inopia quando suspendat processum, aut executionem sententiæ de solutione latæ? p. 176. n. 1. & 2.

Decimarum jus in laicos, an, & quomodo transferri possit? p. 433. n. 1. & seqq. præscribere tamen illud nullo unquam tempore, neque immemoriali, possunt laici p. 434. n. 5. habent tamen præsumptionem juris de legitimâ concessione, si per tempus immemoriale, assistente sibi publicâ famâ, et opinione, illas habuerint. n. 6.

Decimæ prædiales, & oblationes ex ecclesia filiali provenientes, uti & jus funerandi de jure communi

muni ad matricem ecclesiam parochialem pertinent. p. 437. n. 1.
Denuntians crimen ad emendandum delinquentem, vel ad proprium suum interesse, quid probare debeat? p. 26. n. 3. utrùm & quando judicialem hanc denuntiationem inter personas laicas ad judicem secularem ecclesia remittat? n. 4.
Denuntiatio contra sententiam iniustè latam, ipso tamen jure validam, quando admittatur? p. 27. n. 7. 8. & 9.
Denuntiatio criminosi in judicio de sociis criminis, ut fidem mereatur in illis casibus, in quibus fieri potest, quid requirat? p. 214. n. 8. & seqq. quando fidem mereatur, ut ad ulteriora, capturam etiam, & torturam, ex officio judex possit procedere? p. 217. n. 16. & seqq.
Denuntiatio adminiculata quæ sit, & quæ non adminiculata? p. 217. n. 17.
Denuntiationes quæ sint consentientes, & quæ singulares ac separatæ? p. 219. n. 20.
Denuntians judici crimen, vel impedimentum matrimonii, quando possit adhiberi ut testis? p. 229. n. 1. p. 253. n. 1. & p. 254. n. 2. & 3. & quando in judicio publicus etiam denuntiator adhiberi possit ut testis? p. 331. n. 1. & 2.
Depositio quæ sit merè negativa, & quæ negans? p. 241. n. 1. hæc directè probari potest, non autem illa. ibid.
Dilatio quid, & quotuplex sit? p. 122. quæ peremptoriæ censeantur? p. 123. à quo, quomodo, & quot probatoriæ tam in civilibus, quàm criminalibus concedantur? ibid. in causis spiritualibus, quamvis necessariæ negandæ non sint, superfluæ tamen sunt amputandæ. p. 124. n. 1.
Dilationes si vel breves nimiùm, vel longæ nimiùm concedantur, utrùm & quando censeantur partes litigantes gravari, ut justa illis sit causa appellandi? p. 125. n. 5. quid consultum sit in casu abbreviatæ dilationis tam judici, quàm parti litiganti? p. 124. n. 2. & p. 125. n. 4.
Dilatio deliberatoria nova quando Reo concedenda non sit? p. 125. n. 1.
Domesticorum nomine qui veniant? p. 279. n. 2.
Domicilium mutans quando prioris domicilii jurisdictione liberetur? p. 73. n. 2. potest tamen, si in priore domicilio contraxit, ad placitum actoris, vel in posteriore acquisito, vel in priore mutato conveniri. ibid.
Domicilium qui constituit extra locum originis, amittit in nostra Germania jura originalia, saltem quo ad onerosa. p. 43. n. 4.
Donationes omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum in favorem ecclesiæ, aut alterius piæ causæ factæ, valent. p. 233. n. 2. quæ requirantur, ut factæ à novitiis validæ sint? ibid.
Donatio facta Monasterio à professo, quando revocari possit, irritâ professione? p. 245. num. 3.
Dotalis rei, & donatæ propter nuptias, alienationem, quomodo jura civilia prohibeant? p. 395. n. 1. & seqq. quando tamen, & quomodo mulier eam faciens obligetur? p. 396. n. 5.

E.

Ecclesiæ jura si lædantur, potest superior ex officio inquisitionem facere. p. 395. n. 3. Una Ecclesia cum altera utrùm, & quomodo permutari possit? p. 415. n. 2.
Ecclesiæ nondum exstructæ donari nihil potest, quamvis hæreditatis, legati, aut alterius dispositionis, mortis causâ factæ, capax sit. p. 500. n. 5. Ecclesiæ vacantis bona administrare, aut custodire, ad quem pertineat? p. 550. n. 2. & 3.
Electio cuius sit in alternativis? p. 139. n. 3.
Electi confirmatio ubi facienda? p. 527. n. 1. & 2.
Episcopi quomodo cum clericis criminosis habere se debeant, & possint, quo ad pœnas canonicas imponendas, tollendas, aut mitigandas? p. 8. n. 5. & seqq. & utrùm post latam à se privationis sententiam, si vitam emendaverit reus, dispensativè eum restituere possit Episcopus? p. 9. n. 8. quid possint circa absolutionem lapsorum in hæresin ab excommunicatione papali? p. 9. n. 9. & 10. & denique, an, ac quando possint dispensare cum clericis in hæresin lapsis, & jam ecclesiæ restitutis, non tantùm ad ordinum susceptorum exercitium, sed etiam ad maiores ordines, & beneficia? p. 10. n. 11.
Episcopus utrùm, & quando in causis propriæ ecclesiæ, aut ad ipsum Episcopum, vel dignitatem Episcopalem spectantibus, judex esse possit? p. 24. n. 4. & 5. aut quando extrajudicialiter ad defendenda sua jura per censuras procedere possit? n. 6. pro juribus ecclesiæ suæ per procuratorem agens quando possit esse testis? p. 256. n. 7. negligente tamen eo, & capitulo, pro juribus ecclesiæ suæ agere, quilibet illius ecclesiæ clericus ad agendum admittitur, etiam sine mandato. p. 293. n. 1.
Episcopi Diœcesi suâ expulsi, ita, ut nec per Vicarium jus in ea dicere possint, in vicina diœcesi in suos subiectos exercere jurisdictionem possunt. p. 62. n. 10. modò hi ultra duas diætas, à fine diœcesis computandas, non evocentur. ibid.
Episcopus præscribere potest contra monasterium, ut in signum subiectionis certam sibi pensionem solvat. p. 153. n. 1. ex sola tamen annua præstatione, etiam ut debita, non probatur subiectio. p. 155. n. 6.
Episcopo agenti nomine Ecclesiæ, obiici non potest spoliatio ab illo, ut privato homine, facta. p. 183. n. 6.
Episcopus jurans in aliqua, quæ vergunt in Episcopatûs præiudicium, non obligatur juramento. p. 394. n. 1. Utrùm, & quando donare possit aliquid capitulo de redditibus suæ mensæ? n. 2.
Episcopus quid juris habeat, spectato communi

jure, in ecclesias, & loca sacra suæ diœcesis? p. 415. n. 3.
Episcopus, nec cum consensu sui capituli, ecclesiam suæ diœcesis totaliter à se eximere potest. p. 473. n. 6.
Episcopus quando contra suum subditum provocare possit ad Metropolitanum? p. 559. n. 4. & 5.
Error facti in judicio, lite nondum finitâ, commissus, ostendi, & revocari potest. p. 221. n. 1. quomodo probetur hic error? n. 3.
Ertor levis scriptoris non vitiat rescriptum Principis, si de mente principis constet. p. 348. n. 1.
Exceptio fori declinatoria alia est ratione personæ, alia ratione causæ, alia ratione loci. p. 75. n. 1.
Exceptiones aliæ sunt dilatoriæ, aliæ peremptoriæ. p. 96. n. 1.
Exceptiones dilatoriæ quando opponendæ? p. 96. & p. 97. num. 3. utrùm & quando judex certum tempus determinare possit illis opponendis? p. 410. n. 1.
Exceptiones peremptoriæ quando opponi possint? p. 97. n. 4. & 5. & p. 99. n. 10. & seqq. p. 133. n. 1. p. 198. n. 2. p. 568. n. 1. quando de eis cognosci debeat? p. 133. n. 2. p. 182. n. 1. & quomodo procedere possit judex? p. 133. n. 3. &. 4.
Exceptio litis finitæ, aut quæ alia, per quam ipso jure excluditur actio, quando admitti debeat? p. 97. n. 6. & p. 98. n. 7. & 8.
Exceptiones, quæ ex jure nascuntur, potest, tacente Reo, ex officio opponere judex: non autem eas, quæ ex facto nascuntur. p. 98. n. 9.
Exceptio spoliationis ab alio factæ utrùm, & quando possit objici, per modum exceptionis, agenti civiliter, aut criminaliter? p. 182. n. 2. & 3.
Exceptio spoliationis cui competat? p. 182. n. 2. & p. 183. n. 5.
Exceptiones frivolæ amputari debent. p. 189. n. 1. & qui temerè exceptionem opponit, si in probanda ea deficiat, statim interlocutoriè condemnandus est ad expensas, induciarum tempore factas, adversario solvendas. p. 190. n. 3.
Exceptio, opposita contra testium habilitatem, ordinariè non impedit eorum receptionem. p. 258. n. 9. potest tamen appellari, si judex eam exceptionem non admittat. ibid.
Exceptio contra personas testium nec dilatoria propriè, nec peremptoria est, sed de utraque participat. p. 289. n. 3.
Excipi contra testium personas quando possit? p. 407. n. 1.
Excipiens, aut replicans, contra adversarii intentionem, vel exceptionem, non ideo fatetur eam. p. 416. n. 6. & 7.
Exceptio peremptoria, quæ non excludit actionem, repelli debet. p. 419. n. 1. uti & replicatio, quæ non excludit exceptionem. ibid. aliàs contra judicem appellari potest. ibid.
Exceptio rei judicatæ non competit, cessante causâ, ob quam sententia lata est. p. 425. n. 4, quando ea admitti debeat? p. 427. n. 1. & p. 428. num. 3.
Exceptiones, quæ post sententiam latam opponi possunt, possunt opponi etiam coram executore, cui commissa est latæ sententiæ executio. p. 462. n. 1. & 2. quid executori in casu talis oppositionis faciendum? n. 3.
Exceptio recusatoria judicis ad dilatorias exceptiones pertinet. p. 485. n. 2. quando opponi debeat? ibid.
Excipere contra legitimè confirmatum, vel cui collatio beneficii facta jam est, quando liceat? p. 546. n. 5.
Excommunicatus maiore excommunicatione, quamvis vitandus non sit, agere non potest in judicio. p. 16. n. 1. & p. 413. n. 3. ita ut à quovis repelli possit. p. 16. n 2. & 4. acta tamen judicii, si contra eum exceptum non sit, valent. n. 3. & potest à Reo compelli ad prosequendam causam, si agere cæperit, & non fuerit repulsus. p. 17. n. 4. potest etiam ut Reus in judicio conveniri. ibid. & p. 413. n. 3. & consequenter omnia media ad defendendum necessaria, illi permissa sunt. ibid. extrajudicialiter tamen gravatus appellare non potest. p. 413. n. 3. nec reconvenire actorem in alia causa. p. 17. n. 4. Conveniens tamen magis est, ut per procuratorem in judicio compareat. n. 5.
Excommunicationis exceptio obest etiam Reo voluntario. p. 17. n. 4. & p. 409. n. 1. quando ea opponi possit? p. 427. n. 2. & p. 404. n. 2. & 3. quot modis opponi possit hæc exceptio? p. 427. num. 3.
Excommunicatus etiam vitandus in casu instituendi indigni ad beneficium, aut confirmandi electi, opponere se potest. p. 17. n. 4.
Excommunicatus, de debiti solutione in judicio conventus, an, & quomodo compensationem objicere possit? p. 413 n. 5.
Excommunicationis exceptio si judici objiciatur, quis de ea cognoscere possit? p. 427. n. 4.
Excommunicatio post appellationem interpositam lata quando valida, aut irrita sit? p. 520. n. 1. & quando à taliter excommunicato celebrante incurratur irregularitas? n. 2. & 3. quid de extrajudiciali appellatione? p. 551. n. 1.
Excommunicatus si appellavit, utrùm absolvi debeat, non obstante appellatione? p. 528. n. 4. & 5.
Excommunicatio ab homine infligi non potest, nisi præcesserit monitio canonica. p. 529. n. 1. & p. 565. n. 1. 2. & 3. quod idem de aliis censuris intelligi debet. p. 529. n. 2. nisi puræ pœnæ rationem habeant. ibid.
Executor merus quando exequi debeat sententiam latam,

latam, etiamsi noverit eam, esse injustam? p. 462. n. 5. & 6.
Executionem latæ sententiæ utrùm judex parti committere possit? p. 463. n. 7.
Executor missus ad possessionem rei tradendam 5 ex 1. aut 2. judicis decreto, quomodo eam tradere debeat? p. 464. n. 4.
Executor merus de qua exceptione cognoscere possit? p. 476. n. 5.

F.

Fœminæ utrùm comparere, aut cogi possint, ut personaliter in judicio compareant, causâ testimonii ferendi? p. 40. n. 1. 2. & 3.
Fœminæ testimonium in quibus causis, & in quo foro recipiatur? p. 251. n. 1. & seqq. in testamentis, quæ omnem solennitatem requirunt, testes esse non possunt. p. 252. n. 8.
Fœmina, si fidei jussioni suæ juramentum adiecerit, obligatur. p. 376. n. 7.
Feriæ in quo differant à dilationibus? p. 128. quæ sit earum inter se differentia? p. 132. n. 9.
Feriæ si sint sacræ, utrùm, & quomodo actus judiciales in illis exerceri possint? p. 130. n. 1. & seqq. si sint politicæ, quid circa judicialia exercenda fieri possit? p. 132. n. 9. & utrùm feriis repentinis possint renuntiare partes? ibid.
Fictio juris quid sit, & in quo differat à præsumptione? p. 360. n. 6.
Filius familias in quibus causis suo nomine stare, aut non stare possit in judicio, sine consensu patris? p. 42. n. 5.
Filius familias miles ex pecunia sibi credita, etiam sine parentis voluntate, obligatur. p. 59. n. 7.
Forum judicis competentis, qui ab eo per citationem præventus est, declinare in ea causa non potest. p. 72. n. 1.
Forum sortiri quis solet ordinariè vel ratione delicti, vel ratione contractûs, vel ratione domicilii, vel ratione rei sitæ in territorio. p. 75. n. 2. extra ordinariè quando quis Romæ conveniri possit? p. 79. n. 21.
Forum ratione contractûs quis sortiri dicatur? p. 78. n. 15. quomodo peregrini? n. 16. quomodo, qui promisit, se soluturum in loco? p. 70. n. 2. & 5. quomodo cum contrahentibus procedere possit loci judex? p. 78. n. 17. & p. 81 n. 5.
Forum ratione domicilii, ut quis sortiatur in aliquo loco, quid requiratur? p. 68. n. 2. quomodo jurisdictionem in talem habeat judex domicilii, etiam, dum extra domicilium moratur? p. 78. n. 18. quid de illis, qui quasi domicilium in loco aliquo habent? n. 19.
Forum ratione delicti quis sortiatur? p. 75. n. 3. & seqq. quomodo mandans, aut ratam habens nomine suo factam occisionem. v. g. aut infligens in hoc territorio vulnus lethale, ex quo in altero quis moriatur? p. 76. n. 7. quomodo discedens ex loco delicti, ante, vel post citationem, liberetur, vel non liberetur à fori huius jurisdictione? n. 8. quid circa taliter fugitivum possint, aut judicis delicti officiales, fugientem persequentes, aut judex alterius loci, in quem confugit? n. 9. & seqq. & qua pœnâ denique puniri possint delinquentes peregrini in alieno territorio? p. 77. num. 13.
Forum ratione rei sitæ quomodo quis sortiatur? p. 45. n. 2. & p. 79. n. 20.
Fructus post litis contestationem percepti restitui debent à possessore, si hic in judicio succumbat. p. 212. n. 2.
Fructus ex pignore percepti computantur in sortem, deductis tamen expensis, in rem oppignoratam factis. p. 371. n. 1.

I.

Ignorantia non præsumitur in proprio facto, nisi diuturnum tempus intercesserit. p. 127. n. 2.
Indicium quid sit, & quæ eius divisiones? p. 359. num. 3.
Indicia plura simul juncta movere possunt judicem ad judicandum, subesse dirimens impedimentum matrimonii. p. 364. n. 3.
Infamiam juris contrahit, qui actione iniuriarum damnatur. p. 489. n. 1. qua tamen cautelâ adhibitâ hæc infamia nonnunquam evitari possit? p. 490. n. 4.
Infamiâ juris notatum, in integrum testituere, ad quem pertineat? p. 490. n. 3. & 5.
Inquisitio fieri debet non tantùm super prælato, sed etiam super membris, si accusatus ille sit de criminibus, quæ sine sociis committi non solent. p. 488. n. 3.
Inquisitor ad corrigendum à Papa constitutus, etiam beneficio privare potest. p. 488. n. 5.
Instrumenta propria quando Reus conventus actori, & quando actor Reo edere teneatur? p. 223. n. 1. & 2. & p. 224. n. 7. quid de communibus utrique parti litiganti instrumentis? p. 223. n. 3. & seqq. & p. 349. n. 3. possunt etiam cogi ad edenda instrumenta, & libros rationum suarum, qui de fraude suspecti sunt. p. 224. n. 8.
Instrumentum in judicio arguens de sigillo adulterino admitti debet ad probandum. p. 228. n. 2.
Instrumentum ad perpetuam rei memoriam quando, & quomodo confici possit? p. 301. n. 2. & seqq.
Instrumentum, aut privilegium, si de eius tenore dubitatur, in loco securo inspiciendum tradi debet, aut exemplari. p. 338. n. 1.
Instrumenta in quibus casibus produci possint, postquam in causa conclusum est? p. 345. n. 1.
Instrumentum vacillat, si testes subscripti, vel inscripti negent, se interfuisse. p. 347. n. 4.

Instrumentum manu Notarii debitè confectum, & testium depositio, an semper parem probandi vim habeant? p. 347. n. 6.

Instrumento ut testes subscribant, magis expedit, quàm ut inscripta tantùm eorum nomina sint. p. 347. n. 5.

Instrumenta contraria si à partibus diversis producantur, cui fides haberi debeat à judice? p. 349. n. 3.

Instrumenta qui producit, utrum omnia in eis contenta fateri censeatur? p. 349. n. 2. & p. 417. num. 9.

Instrumentum exemplatum nullàm fidem facit, si de testibus, aut partium, quarum interest, præsentiâ, aut rogatione nullam mentionem faciat. p. 353. n. 4.

Instrumentũ, quod putatur amissum, utrùm & quomodo denuo confici possit ad faciendam auctoritatem publicam? p. 353. n. 5. & quid de antiquis renovandis? p. 596. n. 2. & p. 597. n. 4.

Instrumentum à se, vel ab alio, mandato suo falsatum, in judicio producens, an cadat causa? p. 417. n. 8.

Interdicto *unde vi* utrùm conveniri etiam possit, qui mandavit alterius spoliationem, aut ratam habuit? p. 176. n. 4.

Interdicto *unde vi*, aut *retinenda*, qui agit, quid probare debeat? p. 177. n. 1. & 2.

Interdictum possessorium spoliato utrùm contra hæredem etiam spoliantis conveniat, aut alium eius successorem? p. 179. n. 1. & seqq.

Interdicto *retinendæ* duobus modis agi potest. p. 238. n. 9.

Interdictum, quæ est censura, ferri potest sub modo, & conditione certa. p. 559. n. 6.

Judex ex officio supplere debet defectum requisitæ solennitatis. p. 19. n. 2.

Judex in propria causa quis, & quando quis esse possit? p. 23. n. 2. & p. 24. n. 3.

Judex consimilem causam agitans cùm alio, recusari potest. p. 33. n. 2.

Judex, si procedat contra electum, ad instantiam opponentis, qui velit inquisitionem prosequi, admittere debet exceptiones, quæ promoventi inquisitionem opponuntur. p. 34. n. 1.

Judex, cuius jurisdictionem fundat annexa causæ qualitas, ad principalis causæ cognitionem quando & quomodo descendere possit? p. 48. n. 2. & 3.

Judex incompetens nec facere, nec imperare potest executionem, quamvis propria Rei confessio, aut liquidæ probationes habeantur. p. 82. num. 1.

Judex sanguine, vel amicitiâ, cum capitali partis inimico junctus, recusari ab hac potest. p. 106. num. 1.

Judex, nisi supremus sit, & causa sit notoria, ac in mora periculum judicare non potest parte absente & non citatâ. p. 141. n. 2. & 3.

Judex, nisi supremus sit, non debet de illis cognoscere, aut pronuntiare, quæ in iudicium deducta non sunt. p. 147. n. 4.

Judex idem quando de causa proprietaris, & possessionis cognoscere possit? p. 141. n. 1. & p. 148. n. 2.

Judex ex officio restituere nonnunquam potest Ecclesias, aut alias causas favorabiles, spoliatas, contra quemcunque bonæ fidei possessorem, modò antiquiorem possessionem illæ ostendant. p. 180. n. 8.

Judex accusato criminaliter, exceptionem spoliationis ab alio factæ obiicienti, in casu, quo hæc obiici potest, debet certum tempus præfigere, intra quod res suas in judicio repetat. p. 183. n. 4. vel si negligat, adversario respondeat. ibid.

Judex procedens ad ulteriora, postquam de exceptione dilatoria, aut peremptoria cognovit, tacitè censetur pronuntiare super exceptione non admittenda. p. 182. n. 1.

Judex quæ supplere debeat, si parte absente, aut præsente procedat? p. 203. n. 5.

Judex de jure superstitis, cum altero de beneficio litigantis, adhuc ex officio inquirere potest, etiamsi hic moriatur, aut juri suo, vel liti renuntiet. p. 208. n. 4.

Judex, qui officio suo functus est, dicendo sententiam, quid agere debeat, casu quo victus condemnandus est ad expensas? p. 210. n. 4.

Judex quæ observare debeat, ut juridicè interroget Reum, de sociis criminis, in illis casibus, in quibus hoc licet? p. 214. n. 8. & seqq.

Judex in quæstionibus facti, notitiam ipsius excedentibus, quorum peritorum in ea re judicio uti debeat? p. 228. n. 4. & 5. p. 245. n. 2.

Judex certum tempus præscribere potest, intra quod testes produci, & contra eos opponi debeat. p. 237. n. 4.

Judex ex officio formabit interrogatoria, super quibus testes examinentur, si pars litigans rectè ea non formaverit. p. 238. n. 6.

Judex procedere non potest contra citatum quidem, & legitimè tamen absentem. p. 250. n. 2.

Judex in causa, quam judicat, lite coram ipso pendente, quomodo testis esse possit? p. 285. n. 6. & 7.

Judex quando possit publicatis jam attestationibus iterum examinare testes eosdem, vel alios, super iisdem articulis? p. 315. n. 1.

Judex non facilè condemnare debet aliquem de gravi crimine ex solis præsumptionibus. p. 365. n. 3. nec facilè ad inquisitionem etiam, contra personam excellentem, ex quavis delatione, aut rumore procedet. p. 366. n. 3.

Judex ex officio, etiã nemine instante, inquirere, & procedere potest, ad dissolvenda debita, si agatur de animæ periculo. p. 385. n. 3.

Iudex

Iudicis excommunicati gesta quando nulla sint? p. 491. n. 1.
Iudices diversi, si ordinarii sint, & tamen in eadem causa diversas sententias ferant, cuius sit præferenda? p. 494. n. 1. & seqq. quid faciendum, si ita discordent duo delegati? p. 495. n. 8. quid si duo arbitri, aut arbitratores? n. 9.
Iudex, qui malè judicavit, quomodo litem suam faciat, qua actione, & quando conveniri possit, & quibus pœnis subiaceat? p. 496. n. 4. seqq,
Iudex, à quo fuit appellatum, quando citari debeat ad processum suum defendendum? p. 566. n. 9.
Iudex, qui dilationem concessit ex partium consensu an eam revocare possit, sine harum consensu? p. 574. n. 4.
Iudex, exceptionem repellens, quando gravare censeatur? p. 575. n. 1. & seqq.
Iudex inferior quid possit circa confirmata à superiore? p. 593. n. 1. & seqq.
Iudex appellationis quomodo procedere debeat? p. 80. n. 2. p. 347. n. 8. & 9. p. 536. n. 12. & p. 580. n. 4. quomodo pronuntiare debeat in causa appellationis? p. 474. n. 4.
Iudex appellationis cognoscens de causa principali, utrùm, & quando cognoscere etiam possit de salariis procuratorum in hac causa? p. 81. n. 4.
Iudex appellationis, ad quem appellavit, qui declinatoriam jurisdictionis, aut dilatoriam opponens auditus non fuerat, de principali causa cognoscere non potest, nisi expressè hæc illi commissa fuerit. p. 418. n. 1.
Iudex appellationis utrùm, & quando citans partes exprimere debeat causam citationis? p. 581. n. 2. quando ulteriorem processum inhibere possit judici à quo? p. 582. n. 4 & 5. p. 585. n. 1. 2. & 3.
Iudex causarum feudalium quis sit? p. 11. n. 2. 3. & 4. p. 56. n. 5. & p. 50. n. 1. & 2.
Iudicis ecclesiastici est, cognoscere de causa juris patronatûs: accessoriè tamen potest hæc cognitio etiam esse fori secularis. p. 5. quomodo ad eum spectet judicare de jure sepulchri? ibid.
Iudex Ecclesiasticus, & secularis, ad executionem justæ sententiæ se mutuò juvare debent. p. 7. n. 3.
Iudex Ecclesiasticus cognoscere potest de causis fori secularis, deficiente in foro seculari justitiâ, non autem vicissim. p. 33. n. 2.
Iudex Ecclesiasticus, litigante in foro Ecclesiastico laico cum clerico, servat leges fori Ecclesiastici. p. 33. n. 1.
Iudex Ecclesiasticus in crimine mixti fori contra laicum procedere potest, ad pœnas etiam civiles, convenientes, præveniendo laicum magistratum. p. 53. n. 4.
Iudex Ecclesiasticus in causis merè temporalibus ad forum secularis principis spectantibus se non immiscet, seclusâ necessitate. p. 56. n. 1.
Iudex Ecclesiasticus etiam de causa dotis cognoscit, si accessoriè hæc ratione divortii in judicium deducta est. p. 56. n. 2.
Iudex Ecclesiasticus quando cognoscat in causa matrimoniali super possessorio; & quando secularis judex sit competens? p. 169. n. 2.
Iudex ecclesiasticus de iniuriâ, clerico quo ad propriam personam, illata à laico, cognoscere potest. p. 329. n. 1. & testes ad testificandum necessarios compellere. ibid.
Iudex ecclesiasticus quinam comprehendatur sub pœnali constitut. c. cum æterni de sent. & re judic. in 6 in malè judicantes latâ? p. 496. n. 1. & 2.
Iudici ecclesiastico competit indirectè jurisdictio erga infideles. p. 530. n. 2.
Iudex ecclesiasticus an, aut quando possit præcepta sua sub comminatione censuræ incipere? p. 565. n. 3.
Iudex laicus contra clericos judicialiter procedens, ex tacito mandato Episcopi, nullam incurrit excommunicationem. p. 44. n. 1.
Iudex laicus in causa, quam coram ipso proposuit clericus, quomodo cognoscere possit, si quid per modum exceptionis à Reo opponatur, aut per modum connexionis petatur? p. 91. n. 6.
Iudex laicus de causis ecclesiasticis quando cognoscere, aut non cognoscere possit? p. 137. n. 3.
Iudex laicus, ut judicet secundùm canones, si agatur de vitando peccato, etiam per censuras compelli potest. p. 406. n. 2.
Iudex ordinarius potest causam alteri delegare, nihil requisito consensu partium. p. 43. n. 2.
Iudex ordinarius quo jure recusari possit, & quomodo? p. 55. n. 2.
Iudex ordinarius coram suo Vicario, in causa, quæ coram eo agitur, testis esse potest, & delegans coram suo delegato, si necessitas hoc exigat. p. 300. n. 4.
Iudex delegatus utrùm exequi possit, quam tulit sententiam, ex verbis commissionis, & loci consuetudine potissimùm desumi debet. p. 47. n. 3. delegati tamen à Papa ordinariè eam exequi possunt. n. 4.
Iudex delegatus utroque jure recusari potest. p. 55. n. 3.
Iudicis delegati processus, & sententia irrita sunt, si forma mandati non observetur. p. 181. n. 2.
Iudex delegatus officio suo defunctus censetur, si secundùm totam causam pronuntiavit, non autem, si secundùm partem tantùm. p. 209. n. 2.
Iudex delegatus ecclesiasticus potest quoscunque jurisdictioni spirituali delegantis subiectos censuræ supponere, si delegatam sibi jurisdictionem impedire conentur. p. 293. n. 4.
Iudex delegatus ante litis contestationem removeri debet, ad partis instantiam, si testimonium illius parti necessarium est, in illa causa. p. 300. n. 1. vel si totam causam ab initio statim alteri subdelegavit, testis in ea causa esse potest. n. 3.

Iudex delegatus non potest exire locum commissionis. p. 418. n. 3.
Iudicii instantia lapsu temporis utrùm perimatur? p. 36. n. 1. & seqq.
Iudicium necessarium qui subterfugit, ad extendendam præcisè litem, cogi potest ad respondendum in judicio, etiam feriarum messis, aut vindemiæ tempore. p. 38. n. 4. non tenetur tamen coram judice Rei, coram quo possessorio judicio egit, de proprietate respondere, si alterius ipse fori sit. ibid.
Iudicium aliud est petitorium, aliud possessorium. p. 142. n. 1. & hoc aliud retinendæ, aliud recuperandæ, aliud acquirendæ possessionis. ibid.
Iudicium possessorium, & petitorium, quot, & quibus modis concurrere possint? p. 143. n. 2. & quomodo in eodem judicio cumulari possint? p. 151. n. 1. & si concurrant ex parte actoris, utrùm possit aut debeat judex unâ sententiâ utramque causam terminare? p. 143 n. 2.
Iudicium possessorium, & petitorium, casu, quo simul à diversis intendantur, quæ prior sententia ferri debeat, & quæ vincat alteram? p. 146. n. 7. & p. 147. n. 1.
Iudicio petitorio agens non hoc ipso renuntiat possessorio adipiscendæ, vel recuperandæ. p. 149. n. 4. quomodo cumulare possit? n. 4. 5. & 6. agens verò petitorio in rebus corporalibus utrùm, & quando renuntiet possessorio retinendæ? p. 150. n. 7. & 8. quando cumulari possit possessorium retinendæ cum petitorio? n. 9. & 10.
Iudicio petitorio agenti non sufficit probare possessionem. p. 153. n. 3.
Iudicii possessorii causa quomodo dicatur principalis? p. 164. n. 5.
Iudicium possessorium rei recuperandæ utrùm & quando suspendatur, si crimen spoliato obiiciatur? p. 163. n. 1. & p. 164. n. 2.
Iudicio possessorio agi potest contra coniugem propriâ auctoritate se separantem. p. 174. n. 2.
Iudicio possessorio agenti non obest defectus proprietatis, etiamsi probationes in continenti afferantur, nisi in quantum subest animæ periculum. p. 174. n. 3. quando dicantur probationes incontinenti allatæ? n. 4.
Iudicio possessorio agere potest Ecclesia ad alterius spoliati restitutionem, si suorum jurium interest, eum restitui. p. 181 n. 3.
Iudicium tam possessorium, quàm petitorium censetur commissum alicui, cui causa absolutè commissa est. p. 209. n. 1.
Iudicia summaria, seu de plano, quæ dicantur? p. 84. n. 4. quando hæc instituantur? n. 6. an necessariò? n. 5. qualis probatio in illis requiratur, & quomodo à judice ea expediri possint? p. 85. num. 7.
Iudicii finium regundorum quis finis sit? p. 226. n. 2. quis actoris, quis Rei personam sustineat in hoc judicio? ibid: quis modus hujus judicii? n. 3.
Iuramentum actoris, postquam plenè probavit intentionem suam, supervluum est. p. 225. n. 1. nec ullâ consuetudine introduci potest. ibid.
Iurato testanti aliquid, contra propriam priùs factam confessionem, in proprium quidem præjudicium creditur, non autem in alterius. p. 241. num. 7.
Iurans, se non testaturum, utrùm, & quomodo ad testimonium ferendum compelli possit? p. 272. n. 1. & p. 329. n. 1.
Iuramentum factum, de non jurando coram superiore legitimè interrogante, non obligat. p. 306. n. 1.
Iuramentum à judice in supplementum probationis utrùm, & quando deferendum sit illi, qui ignorantiam facti alieni allegat? p. 358. n. 2. & 3.
Iuramentum sortitur naturam, & conditiones actûs, cui adiungitur. p. 369. n. 2. intelligi debet secundùm materiam subiectam. p. 387. n. 4. & circa materiam juris editum explicandum est juxta terminos juris. p. 383. n. 3. in dubio ita explicari debet, ut licitè & validè editum sit. p. 387. n. 8. si tamen ex intentione jurantis ad licita, & illicita se extendat, ad quid obliget? p. 405. n. 1. promissorium juramentum semper intelligi debet, *salvo iure superioris*. p. 384. n. 4.
Iuramentum, quod Episcopi præstare debent vi SS. Can. Sedi Apostolicæ, in sui ordinatione, explicatur. p. 369. n. 2. & seqq.
Iuramentum, quo debitor se obligat creditori, quòd nullam velit illi molestiam facere, de fructibus ex pignore perceptis utrùm teneat? p. 371. n. 3. & 4.
Iuramentum promissorium homini præstitum, quis relaxare possit? p. 373. n. 2. & seqq. à quo iniustè extortum? n. 6. quæ remedia habeat liberandi se à promissione jurata, qui per iniustitiam jurare coactus fuit? ibid. etiamsi levis tantùm metus intervenerit? p. 379. n. 2.
Juramenti promissorii violator non est, qui illud ob necessarium impedimentum non implet. p. 376. n. 2.
Iuramentum fidelitatis, quod Vasallus domino sine præstitit, extendit etiam se ad successores illius, cui juratum est. p. 379. n. 1.
Iuramentum de re illicita, & quod est contra bonos mores, aut in iniuriam, vel præiudicium alterius, non obligat. p. 378. n. 3. & p. 388. n. 3.
Iuramentum de parendo mandatis alterius, ad quæ se extendat? p. 380. n. 2. & p. 389. n. 2.
Iurans Ecclesiam vel personam defendere, si occurrente postmodum occasione requisitus hoc facere intermittat, utrùm, & quando periurus habeatur? p. 381. n. 1. & seqq.
Iuramentum si servari non possit in ea materia, circa quam

quam editum est, utrùm servari debeat in æquivalente? p. 382. n. 5.
Iuramentum non repetendi usuras cessat obligare, si nova causa repetendi superveniat. p. 385. num. 2.
Iuramentum de non accusando de crimine utrùm obliget jurantem, & quid stante illo fieri possit? p. 392. n. 4. & seqq.
Iuramento qui contractus confirmentur, & quomodo? p. 396. n. 6. & seqq.
Iuramenti fidelitatis quot sint genera? p. 398. num. 2.
Iuramentum, quamvis generalibus terminis conceptum, quomodo tamen non sit extendendum ultra intentionem jurantis? p. 399. n. 1. neque semel præstitum ultrà limites suæ materiæ extendi potest. p. 402. n. 1.
Iuramentum litis decisivum utrùm, & quando à parte acceptari debeat? p. 403. n. 1. & seqq. utrùm, & quando in actione famosa ab actore, vel judice deferri possit Reo? n. 4. & seqq. quòd si actor non plenè probavit, utrùm, & quando à judice sit Reo deferendum? p. 404. n. 1. & 2. an, & cui deferri debeat, si probationes ex utraque parte concurrant? n. 3.
Iurans, se statuta observaturum, quomodo possit sine periculo periurii privilegium contra statuta impetrare? p. 405. n. 2.
Iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ quare exigatur ante absolutionem ab excommunicatione? p. 524. n. 1. & quam excommunicationem non parens postmodum incurrat? p. 525. n. 3. & 4.
Iuramentum Calumniæ quid sit, & quid involuat? p. 113. n. 6. quando ordinariè præstandum sit? p. 112. etiam in causis spiritualibus præstandum. d. 114. n. 1. & 2. & p. 120. n. 5. quando illud, & quomodo Syndicus, vel administrator, sui principalis nomine in judicio comparens, præstare teneatur? p. 115. n. 1. & seqq. in animas mittentium etiam præstant procuratores, si speciale ad hoc mandatum habeant. p. 116. n. 2. & qui ad prosequendam litem constituuntur procuratores, in animam etiam propriam jurare debent, etiamsi principalis in suam animam de calumnia jam juraverit. p. 121. n. 2. procurator tamen Fisci imperialis de calumnia jurare non tenetur. p. 120. n. 4. quomodo denique juramentum hoc calumniæ præstari debeat à prælatis ecclesiasticis, si per se litigare velint in judicio? p. 118. n. 1. & 2.
Iuramentum calumniæ tam actor, quàm Reus præstare tenetur. p. 116. n. 1. quid possit circa hoc contraria consuetudo? n. 2. quòd si alteruter juramentum illud præstare nolit, quid incurrat? p. 118. n. 3. hæres tamen illius, qui jurare noluit, quomodo prosequi litem possit? p. 119. n. 5. Syndicus tamen, Tutor, vel administrator, si nolint juramentum hoc præstare, nihil nocent suis principalibus. n. 4.
Iurari potest de calumnia in qualibet parte litis. p. 119. n. 1. & exigi quidem à parte potest, donec in causa conclusum est, si præstitum nondum sit. p. 120. n. 2. à Iudice verò exigi potest ex officio, non tantùm sæpius in eadem causa, super particularibus articulis. p. 121. n. 4. sub eadem pœna, quam incurrunt partes, si de tota causa jurare nolint. ibid. sed etiam postquam in causa conclusum est. p. 120. n. 2. neque possunt partes pactione expressâ sibi hoc juramentum remittere. n. 3. quamvis tacitè possint, illud non exigendo. ibid. quòd si tamen parte alterâ petente, & judice illud exigente, non præstetur, vitiatur processus. n. 4.
Iuramentum calumniæ, etiam in secunda instantia, coram judice appellationis, præstari debet. p. 121. n. 1.
Iurisdictionem dare quidem non possunt privatæ personæ, possunt tamen prorogare. p. 71. n. 1. nisi lege prohibeantur. ibid.
Iurisdictio propriè dicta non competit patrifamilias, quatali, in suos domesticos, sed jus tantùm cuiusdam gubernationis, cum modica punitione junctum. p. 60. n. 1.
Iurisdictionem fori externi ad excommunicandum v. g. quomodo præscribat clericus? p. 60. num. 3. & 4.
Iurisdictionem ordinariam in omnes suæ diœcesis clericos regulariter habet Episcopus. p. 60. n. 2. ita, ut punire eos possit ob crimina, etiam extra diœcesin commissa. p. 62. n. 11. quando cum eo cumulare in jurisdictione possint inferiores etiam prælati? p. 61. n. 5. & 6.
Iurisdictionis totius possessio quàdo acquiratur, per unum actum jurisdictionalem, animo capiendi possessionem exercitum? p. 450. n. 4. & p. 153. num. 4.
Iurisdictio, honor & districtus eidem convenire possunt. p. 236. n. 1. & quid hæc sint? ibid.
Iurisdictionis variæ species. p. 237. n. 3.
Iurisdictio suprema territorialis quibus competat? p. 448. n. 1. & 5. unde colligatur, cui competat. n. 6.
Iurisdictionis revocatio à quo tempore vim suam habeat? p. 516. n. 5.
Juris eligendi quasi possessione quando quis censeatur spoliatus? p. 144. n. 2. & 3. & quando eam admittere censeatur? ibid.
Ius eligendi ut præscribatur, quid requiratur? p. 145. n. 5.
Ius patronatûs annexum civitati, aut castro v. g. utrùm transeat ad eum, cui castrum illud, aut civitas oppigneratur, vel elocatur? p. 481. n. 4.

L.

Laicus contra clericum criminosum per viam accusationis agere volens quando admittatur? p. 257. n. 1. quando admittatur per viam denuntiationis agere volens? p. 288. n. 2. & seqq. utrùm, & quando admittatur in causa criminali contra clericum, ut testis? p. 266. n. 1. & seqq. & p. 293. n. 3.

Libellus quid sit? p. 13. n. 2. si ex uno facto plures actiones oriantur, explicari in libello debet species actionis, quæ intentatur. n. 4. in dubio autem, quænam actio intentetur, unde hoc desumi possit? p. 14. n. 5. vel, si nihil colligi possit, quid judici agendum? n. 6. possunt tamen in eodem libello plures actiones cumulari. p. 15. n. 7. quæ alia sint in libello exprimenda, præter speciem actionis? n. 8. illius formula in actione personali. n. 9. in actione reali. n. 10.

Libellus actoris à judice reiici potest, si ineptus appareat, ante litis contestationem. p. 30 n. 4. sin autem admittatur, vel si in progressu litis ineptus appareat, quid à judice fieri debeat? n. 5.

Libellus alius est conventionalis, qui in civilibus adhibetur; alius querimonialis, qui adhibetur in criminalibus. p. 83. n. 1. in quo differant? n. 2.

Libelli oblatio est de substantia judicii ordinarii. p. 84. n. 3. non autem judicii summarii. ibid.

Libellus in actione reali quomodo designare debeat rem, quæ petitur? p. 86. n. 1. 2. & 3 utrùm, & quomodo titulum exprimere debeat? n. 4. quid explicare debeat in actione universali, vel generali? n. 5. & p. 87. n. 6 & 7.

Libellus ante litis contestationem quomodo mutari, & emendari ab actore possit? p. 87. n. 8. quid circa hoc possit actor post litis contestationem? n. 8. & 9. neque tamen libelli status immutatur ex sola eorum declaratione, quæ ex abundanti libello addita fuerunt. p. 126. n. 1.

Libellus postquam per judicem Reo porrectus est, cogi potest actor ad litem prosequendam, si Rei interfit, litem perfici. p. 87. n. 11.

Libelli tenor ut citationi inseratur, consultum quidem est, non tamen necessarium. p. 88. n. 2.

Literæ posteriores quando prævaleant prioribus, quamvis nullam harum mentionem fecerint? p. 563. n. 4.

Lites judiciales celeriter esse expediendas, quomodo verum sit? p. 460. n. 1. & seqq.

Litis contestatio quid sit? p. 93. n. 2. sine hac non subsistit judicium ordinarium. n. 1. in summario tamen non requiritur. ibid. requiritur tamen quandoque etiam in eo casu, quo judicis officium imploratur. p. 104. n. 2. non tamen necessaria est, si judex ex officio procedat. p. 488. n. 7. quinam illius effectus? p. 94. n. 3. & 4. utrùm etiam litis contestatæ effectus in prima instantia extendat se ad causam appellationis? p. 562. n. 1. & 2. in quo differat litis contestatio, à positionibus, & articulis? p. 94. n. 5. 6. & 7. non fit per solam exceptionem. p. 99. n. 1. quid ad eam sufficiat? p. 176. n. 3.

Lite contestatâ procedi potest ad definitionem causæ, sive actor, sive Reus se absentet. p. 105. n. 4. quid fieri possit circa hoc ante litis contestationem, in casu contumaciter absentis alterutrius? n. 3. & 4. & p. 187. n. 3.

Litis contestatio quando necessaria non sit, ad receptionem testium? p. 107. n. 3. & p. 109. n. 1. 2. & 3.

Lite non contestatâ contra Prælatum criminosum quomodo procedi possit? p. 193. n. 2. & 3.

Litis pendentia quando inducatur? p. 203. censetur adhuc lis pendere, si intra decendium à lata sententia sit appellatum. p. 211. n. 1.

Litigantes partes utrùm cogi possint, ad comparendum personaliter? p. 38. n. 1. & seqq.

Litigans pars, suam confessionem revocans, quando audiatur? p. 331. n. 4.

Litigantes partes quando, & quomodo compromittere possint in judices delegatos, vel in ipsum etiam ordinarium? p. 364. n. 1.

Litigans pars utraque, à sententia judicis, diversos articulos continente, appellare potest, quatenus sibi adversatur. p. 422. n. 2. quid requiratur, ut pars litigans, quæ vicit, appellet propter expensas? p. 423. n. 3. 4. & 5.

M.

Mandatum cum, vel sine clausula justificatoria quodnam sit? p. 141. n. 4. in quibus casibus mandata sine clausula justificatoria valeant? ibid.

Matrimonium legitimè auctoritate Ecclesiæ separatum, ob impedimentum intercedens, non redintegratur ob solam unius, aut utriusque coniugis postea factam de impedimento hoc negationem. p. 469. n. 5. sicuti nec id legitimè in facie ecclesiæ contractum ob solam horum de impedimento intercedente assertionem separatur. ibid.

Minores ætate, puberes, & impuberes, in quibus causis per se stare possint in judicio? p. 41. n. 1. & 2.

Missus in possessionem bonorum, custodiæ causâ, per dolum tamen ab adversario impeditus, fictione juris pro misso habetur, in ordine ad effectus juris. p. 195. n. 1.

Missio in possessionem quando locum habeat, ob contumaciam Rei, in causis beneficiorum? p. 195. n. 2.

Missio in bona Rei contumacis non fit à judice ex mero officio, sed ad instantiam partis. p. 200. n. 3. quando, & quæ fieri possit, si ante citationem discessit Reus, nullo procuratore relicto? n. 4.

impe-

impeditur tamen, si consanguineus, vel amicus, absentem Reum, qui procuratorem non reliquit, defendere velit. n. 2. præstitâ tamen cautione de rato. ibid. in quibus casibus omitti possit, aut non possit hæc missio, quando, lite etiam non contestatâ, ad sententiam procedi potest? p. 202. num. 4.

Missus in possessionem bonorum custodiæ causâ non lucratur fructus. p. 210. n. 1.

Monasterium in bonis sui Professi succedit, quamvis ille gravatus fuerit, ut alteri hæreditatem relinqueret, si sine liberis ipse decederet. p. 234. num. 8.

Monasterio uni respectu alterius jus competere potest tam activæ, quàm passivæ electionis. p. 485. num. 1.

Monasteria utrùm aliis ecclesiis, aut ecclesiasticis, præter primam eorum fundationem, conferri possint? p. 604. n. 1. utrùm etiam fieri possit mutatio talis à legato sedis Apostolicæ? n. 2. an tales mutationes sint absolutè contra mentem Fundatorum? n. 3. an fiant cum præiudicio jurium Episcopalium? n. 4. & seqq.

Monetæ mutationem quando princeps introducere possit sine consensu populi? p. 382. n. 3. & 4.

N.

NOtarius, quod instrumentum ipse conficere non potest, ob impedimentum, alteri ex protocollo conficiendum tradere potest. p. 351. n. 4. quis potestatem habeat notarios creandi? num 6.

Notarius utrùm possit instrumenta conficere, extra territorium constituentis? p. 352. n. 7. quòd autem constitutus ab Imperatore instrumenta conficere possit in spiritualibus etiam causis, & constitutus à Papa in causis etiam temporalibus, consuetudo docet. n. 9.

Notarius quando, & ob quam causam instrumentum authenticum originale exemplare debeat? p. 353. n. 1.

Notarii actis, & scripturæ, an plus fidei habeatur, quàm testi neganti, se dixisse aliquid? p. 441. n. 4.

O.

OBsides quando, & quinam dari possint, & quid juris circa illos? p. 374. n. 1. & seqq.

P.

PAtronus non potest alium præsentare, dum de inhabilitate priùs præsentati lis pendet. p. 207. num. 3.

Patronus ex ecclesia, quam dotat, ædificat, aut fundat, quomodo annuam sibi pensionem cum licentia ordinarii reservare possit? p. 377. n. 1. & 2.

Permutationis contractus cum quibus institui possit? p. 416. n. 4.

Plus petendi quot sint modi? p. 139. n. 1.

Plus petentium quæ olim de jure civili fuerit pœna, & quæ hodie sit tam de jure civili, quàm de jure canonico? n. 2. 4. & 5.

Petendi solutionem alibi, quàm conventum fuerit, qui justam causam habet, quomodo possit ubique utili actione convenire debitorem? p. 140. n. 4.

Positiones à judice approbatas reiicere non potest adversarius, sed ad eas respondere compellitur. p. 324. n. 8. neque reiicere eas potest delegatus judex, si à delegante approbatæ fuerint. ibid.

Positiones, & Responsiones à partibus fieri solent, præmisso juramento. p. 406. n. 1.

Possessionem juris exigendi censum annuum, cui sæpius ille solutus fuit, quomodo quis acquirat? p. 154. n. 5.

Possessio beneficii de jure tantùm vacantis quomodo tradi possit novo provisо? p. 158. n. 3. & quomodo vacantis per resignationem in manibus ordinarii factam? n. 4. & seqq. à quo auferri possit possessio beneficii possessori renitenti, aut detentori? p. 159. n. 8.

Possessor beneficii agere potest, *interdicto uti possidetis*, contra extraiudicialiter molestantem. p. 160. n. 1. & actione in rem negatoriâ. n. 2. quid in utroque hoc casu probare debeat? ibid. possessionem naturalem legitimè vacantem propriâ auctoritate ingredi quilibet potest, qui civilem priùs assecutus est, dum naturalis penes alium existeret. p. 167. n. 1. neque ut sic de novo possessionè acquirere censetur, sed priùs acquisitam continuare. p. 168. n. 7. quis monasterii jurium, & proventuum possessionem tam civilem, quàm naturalem habere dicatur? p. 167. n. 2. quis possessionem civilem ecclesiæ incorporatæ habeat? p. 168. n. 7.

Possessione juris matrimonialis spoliatur conjux, qui à conjuge absque judicio ecclesiæ repellitur. p. 169. n. 1.

Possessor malæ fidei, qui vel iniustè possidet, vel dolo possidere desiit, quatenus restituere teneatur? p. 170. n. 1. & 3. quis dicatur possessor malæ fidei? n. 2. utrùm præscribere possit? p. 431. n. 1. & 2.

Possessionem civilem habens, quomodo se defendere possit ab iniusto invasore, aut turbatore; & quæ bona sua? p. 171. n. 2. & seqq. quando quis amittat rerum suarum possessionem civilem? p. 172. n. 6.

Possessionis suæ commodo privari non debet accusatus, donec causa privationis probata sit. p. 204. n. 1.

Possessor, si actoris vicem agat, sive petendo, sive excipiendo, probare tenetur. p. 227. n. 4.
Possidere in solidum eandem rem duo simul, & eodem modo non possunt. p. 238. n. 8. penes quem litigantium sit possessio, si plures eandem in solidum sibi attribuant? p. 239. n 9.
Possidens rem tempore litis contestatæ, quam postea lite pendente possidere desiit, utrùm, & quando actione in rem condemnari possit? p. 424. n. 1.
Possessio immemorialis quomodo probetur? p. 456. n. 3.
Præceptum superioris quando obliget etiam extra territorium præcipientis? p. 65. n. 6. & p. 73. n. 2.
Præceptum de duobus si cui detur, & observare ille non possit secundarium, observare tamen adhuc debet principale. p. 191. n. 3.
Præcepti transgressio utrum puniatur, si malum re ipsâ non sequatur, ad quod vitandum præceptum est aliquid? p. 242. n. 5.
Prælati ecclesiastici est, de quolibet peccato criminosos corrigere, per censuras etiam compellendo, si per viam denuntiationis evangelicæ crimen ad illum delatum sit. p. 26. n 2.
Prælato in feudi leges, quod ad ecclesiam pertinet, delinquente, suo feudo non privatur ecclesia, quamvis delinquens Prælatus fructibus illius feudi privari possit p. 50. n. 3.
Prælatis ecclesiarum conventualium quomodo in collegium suum utriusque fori jurisdictio competat? p. 61. n. 5. ubi in subditos judicialiter procedere possint? n. 7. & 8.
Prælatus acturus super subiectione ecclesiæ actionem vel ipsi ecclesiæ, vel ei, qui possidet ecclesiam, intentare potest. p. 153. n. 2.
Prælatus non acquirit possessionem jurisdictionis, ex eo præcisè, quòd servet populus illius interdictum. p. 178. n. 3.
Prælati administratio tam in temporalibus, quàm spiritualibus, est actus publicæ potestatis ecclesiasticæ. p. 194. n. 5. & alienatio bonorum ecclesiæ ab illo facta, si vel suspensus ab officio, vel excommunicatus non toleratus sit, nulla est, ibid.
Prælatus suo, & conventûs nomine, causam agens, jurare debet, exhibito mandato, in animas saltem maioris, & sanioris partis. p. 323. n. 6.
Prælati negligentia in judicialibus obest ecclesiæ, salvo tamen beneficio restitutionis in integrum. p. 339 n. 3.
Prælatus rebus ecclesiæ spoliatus, si juret, se non repetiturum res ablatas, non tenetur ex obligatione juramenti. p. 368. n, 1.
Prælato electo confirmationem petenti, qui ex eadem ecclesia se opponunt, utrùm, & quando repelli possint per exceptionem excommunicationis aut criminis? p. 419. n. 2. & p. 420. num. 3.
Prælati bona ecclesiæ suæ non repetentis taciturnitas, aut negligentia non præiudicat successoribus, nisi viâ præscriptionis ea amissa fuissent. p 429. n. 1. & 2.
Prælatus compromittere, & transigere potest super parochiis, aut capellis, de quarum exemptione controversia est. p. 450. n. 5.
Prælatus, si sciat, rem alienam à monasterio possideri, num restituere eam teneatur? p. 454. n. 5. & seqq.
Prælatus regularis utrùm, & quomodo cogi possit, propter gravis infamiæ notam, ad renuntiandum? p. 532. n. 2. & seqq.
Prælatus regularis an subditum suum, cui beneficium manuale collatum est, pro libitu revocare possit? p. 599. n. 7. & 8. etiamsi sub juramento ei promisisset, quod nolit revocare. n. 9. 10. & 11. vel si ab immemoriali tempore nullus unquam fuit à tali beneficio amotus? p. 600. n. 12. vel si ipse Pontifex regulari contulit? p. 601. n. 13. & p. 602. n. 17.
Præscriptio triennalis in juribus ecclesiæ quando locum habeat? p. 428. n. 1. 2 & 3. & p. 430. n. 2. aliæ præscriptiones contra ecclesiam, & alias pias causas, de jure communi quod tempus requirant? p. 430. n. 3. p. 431. n. 5. & p. 435. n. 1. & quod tempus requiratur in rebus præscribendis, quæ simul ad ecclesiam, & laicum spectant? p. 435 n. 2.
Præscriptionis legitimæ duplex effectus. p. 432. num. 2.
Præscriptionis semel legitimè cæptæ quotuplex detur interruptio? p. 435. n. 3. quando non currat illa? p. 437. n. 2. & seqq. & quomodo fiat præscriptionis jurisdictionalium interruptio? p. 445. num. 5.
Præscribi, utrùm, & quomodo possit contra procurationes, quæ debentur legatis Apostolicis? p. 438. n. 3. 4. & 5. & quæ debentur ordinariis ratione visitationis? p. 446 n. 1. & seqq.
Præscriptio temporis longissimi si excludatur, non eo ipso excluditur præscriptio centenaria, vel immemorialis. p. 439. n. 5.
Præscribere utrùm, & quomodo possint subditi contra obedientiam, & reverentiam superiori debitam? p. 440. n. 3. & seqq.
Præscribi num possit jus feudi, ab extraneo, contra Vasallum, vel ipsum feudi dominum. p. 442. num. 8.
Præscribi contra ecclesiam Romanam quæ, & intra quod tempus possint? p. 443. n. 2. & seqq. non currit tamen contra eam præscriptio tempore schismatis. p. 444. n. 5.
Præscribi possunt à prælato inferiore jura quædam Episcopalia. p. 449. n. 2.

Præscriptio non extendit se ultra id, quod quis possidet. p. 445. n. 4.
Præscribere non potest, qui intra tempus præscriptionis conscientiam juris, aut rei alienæ habet, quam restituere, aut cui satisfacere teneatur. p. 453. n. 1.
Præscribere num possit debitor, qui scit se debitorem esse, ex personali debito, si creditor longissimo etiam tempore debitum non exigat? p. 453. n. 2. & 4.
Præscribenti successori utrùm, & quomodo noceat mala fides antecessoris? p. 454. n. 9. & seqq.
Præscribere num possit cum bona fide, & ordinario tempore, possessor, cui jus commune resistit? p. 456. n. 1. & 2.
Præscriptio contra ecclesiam circa bona eius feudalia, vel emphyteutica, si caduca fiant, quo tempore perficiatur? p. 457. n. 1. quibus modis hoc fieri possit? n. 2. & 3.
Præsumptio semper est pro judice competente, quòd justè processerit. p. 165. n. 4. & p. 478. num. 4.
Præsumptio est pro valore matrimonii, si in facie ecclesiæ contractum hoc sit, donec impedimentum dirimens ostendatur. p. 166. n. 1.
Præsumptio juris quando sit pro parocho, in causa decimarum, contra quemcunque possessorem? p. 184. n. 1. potest tamen juris præsumptio contrariâ præsumptione tolli, vel saltem infirmari. num. 2.
Præsumitur facta solutio ex instrumento penes debitorem reperto. p. 206. n. 4. admittitur tamen in contrarium probatio, & præsumptio. ibid.
Præsumptio juris est, quòd Reus, si jussus respondere positionibus contumaciter recuset, pro confesso habeatur. p. 222.
Præsumptio de matrimonio consummato ex assertione jurata viri quomodo elidi possit? p. 227. num. 2.
Præsumptio est pro legitimè facto, si constet de facto, ita ut neganti incumbat probatio. p. 234. num. 6.
Præsumptiones pro filiatione si adsint, non permittere potest judex cum consanguineis matrimonium. p. 240. n. 1. quæ præsumptiones pugnent pro filiatione legitima? n. 2. & seqq.
Præsumitur malo animo fecisse, qui damnum de se iniustum alteri intulit. p. 355. n. 3. nisi probet contrarium, aut fortiore præsumptione priorem actum elidat. ibid.
Præsumptio violenta ad ferendam sententiam definitivam non tantùm in civilibus, sed etiam criminalibus satis nonnunquam judicem informare potest. p. 355. n. 1. & 2. p. 363. n. 1.
Præsumitur confiteri crimen, qui intra indultum sæpius sibi tempus, quo de eo se purget, in judicio non compâret. p. 356. n. 1.
Præsumptio sit de futuris ex antè acta vita, & moribus. p. 358. n. 3. & p. 360. n. 1.
Præsumitur quis scire, quæ in vicinia aguntur, & communiter nota sunt. p. 358. n. 1. aut, quæ in loco publico per edictum promulgata sunt. ibid.
Præsumptio quid sit, & quæ illius divisiones. p. 360. n. 4. & 5.
Præsumitur fraus intervenire, si pingue beneficium cum tenui permutet aliquis. p. 361. n. 1.
Præsumptio, si maxima sit, contra eam non facilè, & non nisi prævia cognitione probatio in contrarium recipitur. p. 361. n. 2.
Præsumptionem juris pro se habens utrùm, & quando teneatur probare requisitas in rescripto, quod impetravit, conditiones? p. 366. n. 2. & 3.
Præsumitur, territoriali jurisdictioni subiectum, quod intra territorium est. p. 398. n. 3. quamvis aliud sit, esse intra territorium, & aliud, esse de territorio. ibid.
Privilegia contraria partibus litigantibus concessa si concurrant, quid agendum judici? p. 138. n. 1. & p. 432. n. 1.
Privilegia quæ bonis ecclesiasticis principaliter in favorem ecclesiarum concessa sunt, extendi non debent ad bona propria clericorum. p. 183. num. 7.
Privilegium in præiudicium alterius, cum quo lis mota est, impetratum, nullum est, si nulla litis motæ fuit facta mentio. p. 206. n. 1. etiamsi motu proprio concessum esset. p. 273. n. 3.
Privilegium speciale Fisci, ac reipublicæ, juxta quod cogere potest Reum ad propria etiam instrumenta edenda, ut intentio Fisci v. g. fundetur, probabiliter extendi non debet ad alias favorabiles causas. p. 225. n. 9.
Privilegium ad instantiam alicuius impetratum, non factâ mentione commissionis super eadem causa aliis jam concessa, nullum est. p. 273. n. 2.
Privilegium, aut commoditas à jure concessa, non debet prodesse ei, qui per fraudem eam procuravit. p. 319. n. 5.
Privilegium si quis falsitatis arguat, quodnam sit judicis officium? p. 338. n. 2. & quid juris habeat privilegiatus contra lacerantem privilegium? p. 339. n. 4.
Privilegium, vel instrumentum, quod quis coram judice allegat, utrùm, & quando totum, vel non totum legi, vel edi debeat? p. 340. n. 1. & seqq.
Privilegio in se nulli quando confirmatio det valorem? p. 343. n. 6.
Privilegium impetrans cum moderatione, de hac mentionem facere debet, si aliud postea impetrare velit sine ea moderatione. p. 451. n. 3.
Privilegium impetrans, contrarium præscriptioni completæ, censetur ab hac recedere, & huic renuntiâsse. p. 451. n. 4. etiamsi usus hoc privilegio non fuerit. p. 452. n. 6.

Probatio dubia, & ambigua non relevat probantem. p. 234. n. 7.
Probatio plena requiritur, si contra beneficiatum agatur ad eius amotionem. p. 261. n. 4.
Probationem plenam non facit, quod incidenter tantùm in publico instrumento narratur. p. 282. n. 2. facit tamen præsumptionem. ibid. possunt tamen plures imperfectæ probationes, & semiplenæ, si simul junctæ ad eundem finem tendant, facere plenam probationem. p. 244. n. 7.
Probatio varia requiritur, major, aut minor, juxta causæ diversitatem. p. 283. n. 2. & seqq.
Probatio judicialis quid sit, & quot eius species? p. 359. n. 1. & quæ sint ordinariæ probationes? num. 2.
Probatio minor requiritur ad probandam prolem legitimè natam, quàm ad probandum legitimum matrimonium. p. 362. n. 5.
Procuratorem constituere potest Reus in causa etiam criminali, si civiliter illa agatur. p. 101. num. 1.
Procuratoris negligentia in omittendo, quando, & quomodo noceat domino? p. 102. n. 5. 6. & 7. qua actione contra eum ob omissionem talem agere possit dominus? ibid. dictum procuratoris, aut factum, quando præiudicet domino? n. 8.
Procurator, speciale mandatum habens, ad jurandum de calumnia, in animam domini, quomodo sit admittendus? p. 122. n. 1. & 2.
Procuratoris officium suscipiens, dum est in excommunicatione positus, per exceptionem à judicio repelli potest. p. 231. n 6.
Procuratoribus, & advocatis prodest, protestatos fuisse, quòd, quamvis plura allegent in articulis, ad superfluas tamen probationes se non obligent. p. 238. n. 5.
Procurator, advocatus, tutor, &c. in ea causa, quam in judicio agunt, testes esse non possunt. p. 256. n. 7. nec in causa appellationis, si in prima instantia fuerunt actores, quamvis officium jam posuerint. p. 324. n. 1. nisi ab adversario producantur. ibid.
Procuratorem ad res Ecclesiæ suæ defendendas, in iis casibus, sine consensu capituli constituere, & revocare potest Prælatus, in quibus sine huius consensu agere potest. p. 323. n. 4. quod idem de Capitulo sine consensu Prælati sentiendum. num. 5.
Procuratoris legitimi in judicio confessio nocet Ecclesiæ. p. 486. n. 1.
Procurator ad litem, advocatum sibi adjungere potest. p. 567. n. 2. in quo uterque differat? ibid.
Promittens disjunctivè hoc, vel illud, ad quid teneatur? p. 140. n. 3.
Promissio dandi, aut faciendi aliquid, quando in foro externo pariat obligationem? p. 350. n. 1. & seqq.
Promissum etsi juratum sit, quòd non infringat, quæ in melius illud commutat, quomodo intelligendum? p. 369. n. 1.
Promissio generalis, etiam jurata, non complectitur ea, quæ quis verisimiliter non promisisset, si in mentem venissent. p. 380. n. 1.
Protestatio quid efficiat? p. 557. n 7. & 8.
Protocollum manu notarij ad instantiam partium scriptum, quando fidem faciat de actis? p. 351. n. 3. quæ à mortuo notario inserta sunt protocollo, quando redigi possint in solenne instrumentum, à successore notario? n. 1. consultum tamen semper est, ut protocollum ostendatur partibus, priusquam illud in formam redigatur. num. 5.
Purgatio Canonica indicenda infamatis de crimine, si convinci non possint, ad impediendum scandalum. p. 219. n. 21.

R.

Rasura quando vitiet rescriptum? p. 337. n. 1. & 2. neque scribentis error ab impetrante corrigi debet. p. 338. n. 4. in rescripto tamen ad lites minùs suspecta est rasura, quàm in rescripto gratiæ. n. 3.
Reconventioni apud quem judicem locus sit? p. 89. n. 1. & 2. ad quas causas proroget jurisdictionem judicis non sui? n. 2.
Reconveniri nec clericus, nec laicus potest coram judice seculari, in causis spiritualibus, aut quæ his annexæ sunt. p. 90. n. 3. nec in causa criminali reconveniri clericus potest coram judice seculari. n. 4. in causa verò merè civili reconveniri posse clericum coram judice laico, communior quidem sententia docet, & praxis habet. n. 5. spectato tamen jure verior est sententia negativa. p. 91. n. 6.
Reconventio quando fieri debeat, & quomodo eâ factâ procedendum? p. 91. n. 7. & p. 92. n. 2. neque potest reconventus à Reo actor, liti à se intentatæ, invito Reo, renuntiare. p. 92. n. 8.
Recusatio quid sit? p. 504. n. 3. intra quod tempus post libellum proponi ea debeat? ibid.
Recusari potest judex ob justam causam, quamvis delegatio illi facta sit, cum clausula *appellatione remotâ*. p. 534. n. 1. & 2.
Recusans judicem quid probare debeat? p. 541. n. 3. quis cognoscere possit, num justa causa recusandi habeatur? p. 565. n. 4. utrùm Vicarius Episcopi recusationis causam cognoscere possit, si delegatus ab eodem Episcopo recusetur? p. 571. n. 2. quomodo procedendum, si causa recusationis fuerit justificata? p. 565. n. 5.
Recusari num possit merus executor? p. 542. n. 4.
Recusari potest judex, à quo appellatum est, in aliis etiam causis. p. 511. n. 3. & quid probandũ sit judicem

cem taliter recusanti? n. 4. non semper tamen admittitur hæc recusatio. p. 525. n. 1. & p. 527.
Regula, quòd fit eadem vis taciti, quæ est expressi, quando fallat? p. 119. n. 4.
Regula, quòd possessio in facto magis, quàm jure consistat, in quibus casibus fallat? p. 175. n. 3.
Regula, quòd plùs duobus affirmantibus credi debeat, quàm centum aliis idipsum negantibus, in quo casu fallat? p. 304. n. 2. & 3.
Regula, quòd ambigua locutio explicari debeat, contra eum, pro quo profertur, quomodo intelligenda? p. 315. n. 3.
Regula, quòd res inter alios acta aliis nocere non debeat, explicatur, ampliatur, & limitatur. p. 491. n. 1. & seqq.
Regula, quòd cessante causâ cessat effectus, quando vera? p. 563. n. 1.
Regula, quòd pendente appellatione nihil innovandum, ad quas personas se extendat? p. 582. n. 6.
Relatio quid sit? p. 504. n. 4. modus, quo ea fieri debeat. ibid. suspenditur per eam jurisdictio referentis. p. 505. n. 5. quibus ex causis fieri possit? p. 573. n. 1. & utrùm partibus ea edi debeat, ac in eam hæ consentire? n. 2.
Religiosa professio quam ætatem requirat? p. 233. num. 3.
Religionem professuri, quomodo liberè de bonis suis disponere possint? p. 233. n. 4. & 5.
Religiosi quibus modis se defendere possint, contra jurisdictionem Ordinarii? p. 445. n. 2.
Religiosus utrùm, & quando in causa sui monasterii procurator, vel advocatus in judicio esse possit? p. 526. n. 1. 2. & 3.
Religiosus extra claustrum regulari beneficio præfectus, utrùm Episcopo, an Prælato obedire teneatur? p. 601. n. 15.
Remedium extraordinarium quo casu cesset, si ordinarium supperat? p. 203. n. 4.
Renuntiari cui juri possit? p. 57. n. 2. & seqq.
Renuntiare quis possit privilegio? p. 59. n. 6. 7. & 8.
Rescriptum extenditur de persona in personam, si hæc persona fictione juris eadem censeatur cum altera. p. 22. n. 1.
Rescriptum censetur subreptitium, in quo tacetur de exceptione dilatoria. p. 104. n. 3.
Rescriptum ad lites, si impetretur à parte, in curia, alterâ parte præsente, citari hæc debet. p. 470. num. 5.
Rescriptum ad lites à Papa impetrans ad judices delegatos, mentionem facere debet processûs coram alio judice instituti, & pendentis. p. 485. num. 4.
Rescripti priùs impetrati mentio quando facienda sit in impetratione rescripti posterioris? p. 594. num. 1.
Reus in causis criminalibus quando personaliter comparere debeat, & quando possit per procuratorem? p. 39. n. 3. & 4.
Reus de se crimen confessius utrùm, & quando interrogari etiam possit de criminis sociis? p. 213. n. 1. & seqq.
Reus qui per testes legitimè de crimine convinci potest, admittendus non est, ad probandam negativam, per purgationem canonicam. p. 243. n. 2. neque consuetudine, aut statuto introduci potest talis purgatio. ibid.
Reus conventus, utrùm actorem excommunicatum postea repellere possit in judicio, cum quo priùs communicaverat? p. 409. n. 2. & an eum repellere possit, si etiam ipse maiori excommunicatione excommunicatus est? n. 1.
Reus conventus, quomodo possit ad sui defensionem exceptiones incompossibiles, aut contraria afferre? p. 411. n. 1.
Reus quousque à proprio loco extrahi possit, per rescriptum apostolicum, ad judicem delegatum? p. 418. n. 2. 3. & 4.
Rex quid possit circa bona & jura regni alienanda, cum, vel sine consensu procerum? p. 400. n. 1. & seqq.
Romipetarum bona quomodo sint sub protectione sedis Apostolicæ? p. 588. n. 1. & seqq. quinam Romipetarum nomine veniant? p. 589. n. 3.

S.

Scientia domini de delicto famuli, vel officialis, non præsumitur in dubio. p. 306. n. 3. nisi conjecturæ aliud jubeant. n. 4.
Scriptura publica quæ sit, & quæ illius solennitates? p. 333. n. 1. & seqq. quæ privata sit, & authentica, vel non authentica? p. 334. n. 4.
Scriptura quando probet, & quid requiratur, ut probet, & ut probetur? p. 335. n. 1. & seqq. antiquæ scripturæ quam fidem faciant? p. 243. n. 1. & seqq. utrùm, & quomodo scriptura judicis, quamvis authentica, reprobari possit? p. 284. n. 1. & seqq. consuetudine tamen introduci potest, ut scripturæ excellentis alicuius magistratûs fides plena habeatur, etiam in præiudicium alterius. p. 345. n. 2.
Scripturas contrarias qui producit in judicio, nihil probat. p. 349. n. 1.
Scriptura ad substantiam actûs necessaria, si deperdita sit, per duos testes probari potest. p. 478. n. 2. & quid probare hi debeant? ibid.
Sententia iniustè lata contra jus partis, quando valeat ipso jure? p. 27. n. 6. ex quibus causis sententia lata nulla sit? ibid. & 298. n. 1. & quando irrita sit contra clarum jus lata? p. 459. n. 1. & seqq.
Sententia pœnæ inflictiva utrùm, & quando se extendat extra territorium judicis, pœnam dictantis? p. 65. n. 7. & p. 66. n. 8.

Sententia Iudicis juxta modum agendi firmanda est. p. 136. n. 4.
Sententia Iudicis quamvis invalida sit, non tamen alia etiam acta judicialia, quæ legitimè acta sunt, invalida redduntur. p. 181. n. 4. & p. 491. n. 4.
Sententiæ inter partes latæ executionem, etiam tertius impedire potest, si eius interfit. p. 198. n. 2.
Sententiæ latæ executio, ad decem dies, quando differenda sit? p. 460. n. 5. & 6.
Sententia in causa matrimoniali lata non transit in rem judicatam, sive pro, sive contra valorem matrimonii judicatum sit. p. 465. n. 1. 2. & 3. nec sententia peccati nutritiva. p. 469. n. 4.
Sententia pro parte prolata, quando, & quomodo huic jus faciat? p. 472. n. 3. & 4.
Sententia Iudicis utrùm, & quando, valida sit, etiamsi nulla in ea causa exprimatur? p. 478. n. 3.
Sententia lata in absentia partis, quamvis in rem judicatam transierit, quando rescindi debeat? p. 482. n. 6.
Sententia lata à Principe utrùm, & quando jus faciat, aliis inferioribus judicibus, in causis similibus? p. 483. n. 2. & 3. quid de sententia inferiorum judicum? p. 484. n. 4.
Sententia lata prætextu privilegii postea exhibendi retractari non debet. p. 485. n. 5. & p. 487. n. 7. datur tamen nonnunquam restitutio in integrum. ibid.
Sententia lata, contraria privilegio, quando irrita censeatur, & quando per eam privilegium improbetur, aut infirmetur? p. 487. n. 6.
Sententia à pluribus coiudicibus lata irrita est ex unius etiam judicis inhabilitate. p. 491. n. 2.
Sententia definitiva à quo judice ex scripto recitari debeat? p. 503. n. 1. & seqq. an & quando per se ipsum, vel per alium recitare possit? n. 4. & seqq. quo situ corporis? p. 504. n. 6. si plures coiudices sint, qua verborum formâ uti debeant? p. 502. n. 2.
Sententia lata quando corrigi, & revocari possit à judice? p. 564. n. 2.
Sententia lata pro uno, aut contra, utrùm, & quomodo reliquis correis profit, aut obsit? p. 577. n. 2. 3. & 4.
Sententia, aut laudum ipso jure nullum, utrùm consensu partium approbari possit? p. 602. n. 1.
Sequestratio loco missionis in bonorum possessionem facta, sortitur naturam, & conditiones missionis huius. p. 209. n. 3.
Sequestratio fructuum, ac possessionum, quando à judice fieri possit, dum lis pendet? 210. n. 2. & p. 212. n. 2 & 3.
Sequestrum aliud est necessarium, quod fit à judice, aliud voluntarium, quod fit ex consensu partium. p. 211. n. 4. & sequestratæ rei possessio nonnunquam penes sequestrem est, nonnunquam tantùm custodia. n. 3. p. 29. n. 1. & 2.
Sigillum litteris appositum, quando, & quomodo fidem faciat? p. 230. n. 2. & seqq.
Sigillum ad certum usum adhiberi solitum, ad alium usum si adhibeatur, utrùm authenticum sit? p. 547. n. 2.
Simoniacus ab officio, & beneficio, quando deponi possit, si in judicio fateatur, simoniam se commisisse? p. 220. n. 1.
Solennitates, quas, & quomodo, in ferendis sententiis, teneatur servare summus Princeps? p. 483. n. 1.
Solvens alii, quod tibi debet, utrùm, & quando liberetur, ab ulterioris solutionis obligatione? p. 388. n. 1.
Spolians non auditur super jure suo, contra spoliatum, nisi priùs spolium huic restituat. p. 135. n. 1. quamvis se offerat ad probandum in continenti dominium. p. 155. n. 1. limitatur tamen hæc doctrina. n. 2. 3. & 4. p. 160. n. 2. & p. 1. 161. num. 3.
Spoliatus tamen etiam non restituitur, nisi probata sit spoliatio. p. 245. n. 1.
Spoliatio obiici potest actori, vel per modum actionis, & reconventionis, vel per modum exceptionis. p. 135. n. 2. neque tamen in omnibus causis exceptio spoliationis obiici potest. p. 136. num. 3.
Spoliatus informare debet de actione, qua experiri velit. p. 148. n. 1.
Spoliatus beneficio suo clericus, contra clericum spoliantem, utrùm, & quando agere possit possessorio recuperandæ? p. 157. n. 1. & seqq. & p. 158. n. 1. potest tamen etiam spoliatus beneficio Clericus, & agens interdicto recuperandæ, priùs privari beneficio à judice, quàm restituatur, si crimen ei obiiciatur, quod notorium sit, & privationem mereatur. p. 164. n. 3.
Spoliatus beneficio utrùm cogi possit, ante factam restitutionem, ad titulum suæ institutionis ostendendum, vel colorandum? p. 162. n. 2. & 3. laicus tamè spoliatus nunquā restitui debet in possessionè juris spiritualis, quin titulum suæ possessionis saltè coloraverit. n 4. & 5. & universim non restituitur spoliatus, nisi titulum, saltem præsumptivè, ostenderit, casu, quo jus commune illi restitit, assistat autem spolianti. p. 184. n. 2. in casu tamen dubii favorabilior est spoliati conditio, ad possessionem recuperandam. ibid.
Spoliatus in rebus depositis, quamvis iniquè partis, secundùm juris civilis rigorem restitui debet. p. 136. n. 5. non autem semper secundùm æquitatem naturalem. ibid.
Spoliatus post matrimonium consummatum Coniunx, per coniugem recedentem, quando plenè sit restituendus, etiam quoad thorum? p. 166. n. 2. spoliatus verò nondum consummato matrimonio tantùm quoad habitationem restituitur: si impe-

impedimentum dirimens obiiciatur. n. 3. potest tamen etiam coniunx spoliatus, si contra matrimonium agat judicio petitorio spolians, judicium hoc tam ante, quàm post litis contestationem, suspendere, petendo restitutionem. p. 169. n. 3. quod etiam facere possunt alii juribus suis incorporalibus spoliati. n. 4.

Spoliatis competunt variæ interdicti species. p. 164. num. 4.

Spoliatus à judice extrajudicialiter, vel nullo servato juris ordine, quando contra hunc agere possit, interdicto recuperandæ? p. 165. n. 1. & 2. si verò in judicio spoliatus sit, quando contra judicem interdicto recuperandæ agere possit spoliatus? n. 3.

Spoliationem mandans, aut ratam habens suo nomine factam, conveniri potest interdicto *unde vi*, quamvis non possideat. p. 176. n. 4.

Sponsalia leviore de causa dissolvuntur, quàm fiat inter conjuges divortium. p. 392. n. 3.

Sponsorum nomine in materia favorabili qui veniant, & qui in materia odiosa? p. 363. n. 1.

Statutum habilitans personas ad contrahendum vel testandum, ad quas personas, & ad quæ bona se extendat? p. 64. n. 3. quas personas comprehendat statutum odiosum, pœnale, & inhabilitans? num. 4.

Statutum de novo emanans non extendit se ad causam litis pendentis. p. 206. n. 1.

Suspensus ab officio, vel depositus à beneficio, quomodo agere possit ad electionem confirmandam? p. 420. n. 1.

Suspensio ab officio, contra judicem ecclesiasticum lata, quid dicat? p. 496. n. 3.

Syndicus quomodo juret de calumnia? p. 116. n. 1. & 3.

T.

Tabellio malè conficiens instrumenta, qua actione conveniri possit? p. 497. n. 8.

Tempus decem dierum, quod jura ad appellandum concedunt, quando incipiat? p. 475. n. 1.

Tempus quadrimestre, quod in personalibus debitis pro executione sententiæ concedunt jura, potest à judice prorogari, vel breviari. p. 476. n. 4.

Temporis initium, à quo die computandum sit, si judici delegato intra certum tempus causa expedienda commissa est. p. 516. n. 3. & 4. & universim quomodo termini temporis agendæ rei definiti sint computandi? n. 6.

Testis ob crimen obiectum à testimonio ferendo repulsus, aut falsi testimonii, in judicio contra alium instituto, convictus, utrùm ex his actis infamis haberi, aut absolutè puniri possit, & qua pœnâ? p. 136. n. 4. & p. 408. n. 3. & seqq.

Testes de negativa facti alicuius deponentes, non restringendo ad tempus locum &c. faciunt se suspectos. p. 146. n. 6. qui restringunt factum ad certum locum, & tempus, utrùm, & quando reprobari possint ab adversa parte per alios testes? p. 294. n. 3. & seqq.

Testes falsos fuisse quando, & quomodo opponi possit? p. 237. n. 5.

Testis, qui pecuniam accepit, pro testimonio ferendo, peccat contra justitiam, & restituere tenetur. p. 248. n. 3. & 4. utrùm puniri possit ut falsarius? n. 1. convictus tamen de pecunia acceptа reprobatur. p. 260. n. 5.

Testis idoneus, ac fide dignus, & omni exceptione maior, quis dicatur? p. 248. n. 5. criminosus, ne quidem in exceptis criminibus, est omni exceptione maior. p. 262. n. 5. & p. 238. n. 7. qui contra aliquem conspiraverunt, non possunt esse testes, in causa contra eum mota. p. 488. n. 4. & p. 489. n. 9.

Testes priusquam recipiantur, utrùm, & quomodo pars, contra quam producuntur, citari debeat? p. 250. n. 1. & 2.

Testes in causis universitatis alicuius, an, & quando esse possint de eadem universitate? p. 255. n. 1. & seqq. in causa testamenti quomodo legatarius testis esse possit? p. 256. n. 6.

Testes ad judicem accedere excusati quomodo sint audiendi? p. 259. n. 1. & seqq.

Testi judicialiter confesso, falsum se dixisse in judicio, quomodo credatur? p. 260 n. 1. 2 & 3.

Testes quando, & quoties produci possint? p. 267. n. 1. & seqq.

Testium ex utraque parte productorum depositiones si conciliari possint, ut ne contradicant, conciliari debent. p. 269. n. 1. & 2.

Testis quando contra Christianum possit esse Iudæus? p. 275. n. 1. an & in quibus causis liberorum testes possint esse parentes, vel vice versâ, aut in causis consanguineorum consanguinei? n. 2. & seqq.

Testes quot sufficiant ordinariè ad plenam probationem, tam in criminalibus, quàm civilibus causis? p. 277. n. 1. & seqq. abundans alicuius habilitas quando suppleat alterius defectum? p. 262. n. 6. & seqq. obscurè & ambiguè deponens nihil probat. p. 315. n. 2.

Testes domestici an, & in quibus casibus produci possint? p. 279. n. 2. & seqq.

Testes non integros, & suspectos, judex ex officio repellere debet, cùm agitur ad dissolutionem matrimonii, etiamsi adversarius dissimulet. p. 280. num. 6.

Testium personas quando reprobare postea possit, qui eos produxit? p. 289. n. 4. aut eorum testimonia falsitatis arguere? n. 5. neque plena fides habetur illis, contra quos protestatus est aliquis, si pro protestante postea testentur, n. 6.

Testes pro utraque parte producti, si directè contraria

traria deponant, pro qua parte judicare debeat judex? p. 290. n. 1. & seqq.
Testium examen quando, & quibus committi possit à judice? 296. n. 1. & p. 325. n. 12. quæ cautela in eorum examine adhibenda? p. 297. n. 1. de quibus examinandi sint? n. 2. debent autem non simul, sed seorsim examinari. p. 314. n. 3. quòd autem jejuni debeant esse, quando deponunt, consilii est, non præcepti. p. 249. n. 6.
Testes, qui in judicio summario plenè recepti non sunt, quando, & qualem fidem faciant in judicio ordinario? p. 298. n. 4. de quo dubitatur, num sit excommunicatus, si ad testimonium ferendum admittendus sit, ad cautelam priùs absolvi debet. n. 5.
Testis in eadem instantia variantis quonam dicto stetur? p. 305. n. 4. 5. & 6. si iterum audiri postulet post latum jam testimonium, quando audiatur? p. 311. n. 2. 3. & 4.
Testes de auditu quando admittantur, & probent? p. 309. n. 1. & seqq. & p. 292. n. 2.
Testium singularitas quando sit adminiculans? p. 310. n. 5.
Testes reprobatoriorum reprobatorios utrùm reprobare liceat? p. 312. n. 1. & 10. reprobans autem testes, crimina, aliósque defectus specificè exprimere debet. ibid.
Testi in judicium producto non creditur, nisi juraro, etiamsi clericus, aut religiosus sit. p. 313. n. 2. nisi partes remittant juramentum. ibid. in quibus causis partes hoc juramentum remittere possint? p. 299. n. 1. & 2. debet tamen testium juramentum ordinariè esse corporale. ibid. & in processu inquisitionis auditi, ut plenam fidem faciant, in processu ordinario, denuo jurati deponere debent. p. 304. n. 1.
Testis quando non possit esse in negotio, qui illius mediator, vel adiutor fuit? p. 320. n. 1. & seqq.
Testis utrùm, quando, & quomodo cogi possit à judice ad testificandum? p. 327. n. 2. & seqq. p. 330. n. 1. & p. 286. n. 1. & seqq. an etiam à judice ecclesiastico per censuras cogi possit? p. 326 n. 1. & 3. non potest testimonium dare in scripto. p. 287. n. 6.
Testium depositio, si verosimilia non deponant, aut contra quæ est juris præsumptio, quando admittatur? p. 361. n. 3.
Testis instrumentarius per alium subscribere quando possit? p. 473. n. 5.
Titulum suæ provisionis qui justificare vult, quid probare debeat? p. 152. n. 3. non probatur plenè titulus actoris in beneficio, ex adversarii confessione. p. 203. n. 6.
Titulum ex præsumptione quando quis habeat ad exigendum censum annuum? p. 154. n. 5.
Tutor, aut curator, quomodo pro pupillo, aut minore agere possit? p. 570. n. 1.
Tutrix, aut curatrix filiorum mater esse potest. p. 572. n. 2. & 4. qui pupillo tutorem petere debeant, & quando? n. 5. & 6.

V.

Venditor agens ex l. 2. C. de rescind. vendit. quid probare debeat? p. 303. n. 1.
Vicarius generalis seu officialis Episcopi ubi suam jurisdictionem exercere possit? p. 61. n. 9.
Vicarius perpetuus agere potest pro juribus suæ Vicariæ etiam sine mandato Rectoris principalis. p. 348. n. 1.
Vicario perpetuo mortuo, vel depósito, actualis cura & administratio beneficii penes principalem est, dum alius substituitur. p. 376. n. 3.
Usuræ crimen mixti fori videtur. p. 385. n. 1. mandatum usurarii de usuris restituendis hæredi factum, quid commodi afferat? n. 2.
Usura ut probetur, quæ adminicula famam juvent? p. 399. n. 1.
Uxoris dignitas, quam à marito traxit, per mortem huius non extinguitur, priusquam inferiori illa nubat. p. 68. n. 1. cessat tamen pœna post mortem mariti, si aliquam ex consortio huius sustinere debuit. ibid.
Uxoris nomine utrùm etiam veniat fœmina post contractum matrimonium ante illius consummationem? p. 363. n. 1.

ERRA-

ERRATA POTIORA SIC EMENDANDA.

Fol.	*Paragrapho.*	*Lin.*	*Mendum.*	*Sic emendatum.*
3.	§. Dico 3.	20.	Sed	Seu
5.	Simili.	7.	connexu	connexis
8.	Advertendum 1.	7.	tantùm	tamen
9.	Quæritur 2.	22.	in criminibus cum gratia	in criminibus, cùm sit gratia
11.	In Summar. n. 4.	5.	defectum is	defectum superior
	Duo autem.	14.	constitutioni imperiali	constitutione Imperialem
12.	In Summar. n. 7.	1.	potest	prodest
13.	Veruntamen.	3.	dum speciem	& tum speciem
15.	Advertendum 5.	5.	quis, qui,	quis, quid,
	Forma actionis realis.	14.	tractibus	fructibus
16.	Quod ad priorem.	12.	seu vitandus	sed vitandus
	Quod ad posteriorem.	20.	ex c. cum inter 6.	ex c. cum inter. 5. de except
		28.	excommunicatus toleratur	Excommunicatus non toleratus
22.	In paraphrasi.	10.	Rogerium	Pancratium
23.	Videtur.	23.	interpretatio dicitur	interpretatio non dicitur
24.	Sed nunquid.	23.	cùm tunc	cùm tamen
26.	Notandum 3.	29.	honorem	*adde* reus tenetur
27.	Dico 3.	6.	materialiter	formaliter
29.	In Summar. n. 4.	3	recipere	rejicere
30.	Quærunt hîc.	18.	rei, sed si	*dele* sed
	Adverte 2.	16.	tum exprimi	tamen exprimi
34.	In paraphrasi.	9.	electis	Electus
		16.	volebant exceptiones	nolebant exceptiones
37.	In Summar. n. 2.	1.	acta	actor
50.	Notandum 1.	8.	in causa cathedrali	ab ecclesia cathedrali
57.	In Summariis n. 3.	1.	judici naturali	juri naturali
63.	Sed difficultas.	15.	beneficio	beneficii
66.	Excipitur 3.	13.	de positione	de depositione
67.	In Summar. n. 3.	3.	acta oppressæ	actu oppressæ
73.	Ex dictis.	penult.	mandatum afficiebat	mandatum non afficiebat
75.	Nota 2.	10.	possunt jurisdictioni	possunt laici jurisdictioni
84.	Discrimen autem.	22.	ut causa	ut ne causa
89.	Notandum 1.	penult.	procedat	procedunt
	Objicies.	penult.	pro se	contra se
90.	Neque his.	6.	coram eo	contra eum
	Dico 3.	3.	conveniri	reconveniri
91.	Objicies 1.	4.	peretur	debetur
92.	Imo hinc.	3.	in conventione	in causa reconventionis imitetur modum procedendi in conventione,
96.	In Summar. n. 1.	1.	dilationes aliæ	exceptiones aliæ

Præter

Fol.	Paragrapho	Lin.	Mendum.	Sic emendatum.
96.	§. Præter has.	2.	ex parte tutoris	ex parte actoris
98.	Porrò.	3.	ante actionem	aut actionem
101.	Notandum 2.	23.	quo ad forum	quo ad thorum
105.	His positis.	18.	in comparendo	in non comparendo
108.	In Summar. n. 5.	6.	excusatorem mittat	excusatorem non mittat
109.	Nota 1.	9.	ut patet ex specialiter	ut patet: vel specialiter
		10.	sufficientibus, vel	*dele*: vel
110.	In Summar. n. 1.	2.	actione personali	actione reali
112.	Nota 2.	25.	ab eo quod postquam	ab eo quod post: nam
114.	Notandum unicum.	2.	non rejiciebatur	non recipiebatur
115.	In Summar. n. 4.	1.	orari	vocari
135.	In Summar. n. 1.	2.	contra spoliantem	contra spoliatum
147.	In paraphrasi.	17.	& utrobique	& utrobi, quæ
161.	In Summar. n. 2.	5.	suæ restitutionis	suæ institutionis
170.	Nota.	3.	quos possedit	quos possidet
177.	In Summar. n. 2.	2.	interdicto de vi	interdicto *unde vi*
179.	Dubitatur 10.	6.	conditio	condictio (*quod sæpius emendari debet eadem pag.*)
189.	Nota 2.	penult.	factum	pactum
191.	In paraphrasi.	46.	nuntius	inventus
193.	In Summar. n. 3.	6.	procurator	promotor
204.	In Summar. n. 1.	1.	accusator	accusatus
206.	Nota 4.	13.	separari	superari
230.	In Summar. n. 5.	1.	oppositum	appositum
234.	Notand. ult.	2.	restituere, sine	restituere, si sine
		3.	decesserit. aut	*dele*: aut
238.	Nota ult.	47.	præcipere	recipere
241.	In Summariis. n. 1.	1.	proportio	propositio
250.	Nota 1.	18.	judicium	indicium
252.	Dico 3.	6.	propter testamentum	præter testamentum
261.	In Summar. n. 4.	5.	semi probandi	semiplenè probanti
292.	In Summar. n. 4.	2.	spirituali suæ jurisdictioni	spirituali delegantis jurisdictioni
307.	Porrò.	2.	Resp.	Quæstio
	3. Si dominus.	4.	aut aliquod	ad aliquod
		5.	destinasse	destinavit
309.	In paraphrasi.	13.	gradum excederet	gradum non excederet
323.	His verò.	9.	revocare	*adde*: potest
332.	Nota 5.	3.	Sede Apostolicâ	Sede Episcopali
337.	Nota 1.	3.	in loco substantiali	in loco non substantiali
341.	In paraphrasi.	16.	monasteria	monasterio
	Instrumentum.	3.	litteræ	lituræ
353.	Corrolarium.	5.	mentio fiat.	mentio non fiat.
361.	Nota 1.	9.	contra quæ	propter quæ.
363.	Nota 2.	6.	sed alia	sed talia
380.	In Summar. n. 1.	3.	verisimiliter promisisset	verisimiliter non promisisset
386.	In paraphrasi.	11.	jurando noluerit	jurando voluerit

387. Ob-

Fol.	Paragrapho	Lin.	Mendum.	Sic emendatum.
387.	§. Objicit glossa.	penult.	ac res	si res
388.	In Summar. n. 4.	1.	probatio	protestatio
319.	In paraphrasi.	13.	ducere non tenebitur	ducere tenebitur
	In Summar. n. 1.	1.	resistere	resilire
393.	Sed contrarium.	14.	non teneatur de furto	teneatur non accusare de dolo, de furto,
399.	Nota 1.	21.	non agendo contra Principem	non agendi contra Principem, intelligi deberet, quòd pacis servandæ causâ ab actione contra Principem
400.	Ratio.	1.	ratio	responsio
		5.	& causam usurarum	& causa usurarum
	Excipiendum.	9.	ubi apparet alie-	ubi apparet alienatione prohibitâ Prælatis non comprehendi ejusmodi modica.
406.	Nota 2.	2.	jurare	judicare
416.	Nota 5.	17.	litem contestatam	litem contestatur
417.	Sed quid si.	12.	quod falsum	quod falsans
421.	In Summar. n. 3.	1.	attentatio revocatorum	attentatorum revocatio
427.	Nota 3.	14.	ab excommunicato	ab excommunicatione
435.	Not. 1.	2.	à privato cive	à privato, sive
437.	In paraphrasi.	penult.	hostilitatis processit	hostilitatis non processit
452.	Adverte.	9.	sub ditione	sub conditione
453.	Adverte.	4.	tu autem debeas	tu autem non debeas
	Ad rationem.	2.	esse dicitur	esse, quando dicitur
457.	Exinde.	ult.	Verb: assignare	*adde*: hunc & similes casus esse speciales
462.	Sed alia ratio.	8.	negationem	negotium
473.	Nota 5.	15.	interdictione	jurisdictione
477.	Quæritur 2.	5.	interpellans	appellans
		11.	excommunicationis	executionis.
479.	In paraphrasi.	16.	rationabiliter impositam	rationabiliter interpositam
	His adde.	9.	procurare	provocare
481.	In paraphrasi.	11. illius pag.	Resp. Diaconum	R. Diaconum.
491.	In Summar. n. 2.	2.	quorum jurisdictione	quorum unus jurisdictione
	Nota 1.	4.	per sensum contrarium	*adde*: sequitur
493.	His adde.	2.	nota sit	mota sit
496.	Constitutio.	12.	promissarii	compromissarii
499.	In paraphrasi.	4. illius pag.	initio ipsius	intentio ipsius
514.	Adverte.	5.	exceptio falsa	exceptio falsi
517.	In paraphrasi.	6.	notorium sit	notorium non sit
520.	In primis.	penult.	& excommunicatio	& executio
530.	In Summar. n. 1.	2.	præcipitur,	*adde*: non est recipienda
542.	Meus executor.	11.	gravari	gravare

Fol.	Paragrapho.	Lin.	Mendum.	Sic emendatum.
558.	§. Nota 3.	antepe.	agere posse	agere non posse
559.	Verùm cùm id	8.	videtur generaliter	non videtur generaliter
572.	In Summar. n. 5.	2.	si legitimam	si legitimum
	Nota 3.	3.	intelligi non debet	intelligi debet
575.	Si appellatio	ult.	opponi	eomponi
577.	In Summar. n. 3.	4.	nisi communis	nisi res communis
	In paraphrasi	1.	si motus	si metus
580.	Nota 4.	7.	quòd appellatio	quòd appellans
		10.	debent	debeat
581.	Si verò	7.	sub interlocutoria	ab interlocutoria
582.	Quòd si	1.	si appellans	si appellatus
584.	In Summar. n. 4.	2.	non institutâ	non justificatâ

FINIS.

Coll. Soc. I. Pad. ob. 1643

Omnia ad majorem DEI Gloriam.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LAYMAN
TOM. II.

Th 2
4794


VENERABIL. BEDA C. 27. *Maii.*

Patientia in tentatione.

Vasa figuli probat fornax, & homines
justos tentatio tribulationis. ECCL. 27.

O. p. Conversione Hæreticorum, &

R. P. Rector



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN